32
7 I
3

DE CVLTV,

ET VENERATIONE SERVORVM DEI

LIBER PRIMVS

Qui eſt

DE NOTIS, ET SIGNIS SANCTITATIS BEATIFICANDORVM, ET CANONIZANDORVM

In quo non tantum de Sanctitate in genere, atque de virtutibus tam Theologalibus, quam Cardinalibus in gradu heroico ad praxim Canonizationis agitur; ſed etiam de quibuſcunque alijs argumentis, quæ Sanctitatem ad effectum eiuſdem indicare poſſunt.

AVCTORE

FR. FORTVNATO SCACCHO

Ord. Eremit. S. Aug. Apoſtolici Sacrarij olim Præfecto.

Opus non ſolum Theologis, ac Sacrorum Canonum Doctoribus perutile, verum etiam moralibus philoſophis, qui de virtutibus agunt; & quibuſcunque, qui Seruorum, ac Famularum Dei acta ad Beatificationis & Canonizationis effectum expendunt.



ROMÆ, Ex Typographia Vitalis Maſcardi, MDCXXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

BEATISSIMO PATRI
VRBANO VIII.
PONT. OPT. MAX.

ECCE ad oſculum ſanctiſſimorum pedum B. P. venerabundus accedo, quamuis oculis tantiſper captus, his quidem oneratus libris, in quibus te auſpice, De notis, ac ſignis Sanctitatis Seruorum ac Famularum Dei agitur, ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. Diſcutiuntur etenim in his, quibuſnam argumentis fidelibus innoteſcat Sanctitas, qua permoti Apoſtolicam Sedem permouere audeant, vt tanta fulgentes prærogatiua inter cæli ciues referat. Plus fortaſſe oneris ſuſcepi, quam ferre poſſim. Nihilominus arcana in medium proferri ne dedigneris B. P. Tu ſemper mihi ad ſtudia currenti calcaria addidiſti: nunc maximè Pontificia iſta tua ſollicitudine non ſemel excitaſti, ad ea ſerius inueſtiganda; quæ terrigenis heroibus pleniſſimam demerentur venerationem. Et diuino plane nutu factum arbitror,

& re vera factum eſt, vt hoc ipſo tempore Eccleſiæ, & Orbis in conſpectum prodiret liber DE NOTIS, ET SIGNIS SANCTITATIS: quo illæ mentes Beatiſſimæ à ſuo gloriæ faſtigio Pontificem Summum Vrbanum VIII. ad decreta, & litteras Apoſtolicas excitant, quæ cultum, & venerationem eorumdem attingunt, quibus Romana Eccleſia, & Chriſtiana Reſpublica reparatur, ac exornatur. His enim eneruata improborum audacia, ſacer iſte ritus Romanæ Maieſtatis conſcribendi in albo Vniuerſalis Eccleſiæ Dei ſeruos, ac Famulas in gradu ſtare cœpit: vt in æternitatem viuant, ac celebrentur beatiſſimorum Heroum certamina, qui Chriſti Seruatoris noſtri ſub Imperio, terram fortiſſimis agonibus ſubegerunt; documentis memorandis fideles permouerunt; doctrinis ſalutiferis Eccleſiam imbuerunt; Romanamq; fidem, ac Sedem coronis, & triumphis illuſtrarunt.

Nec enim ab his tantum decretis, & Apoſtolicis Epiſtolis tua B. P. effluit præcipua magnitudo & gloria, cui ad maiora anhelanti, cæleſtia nimirum, & æterna pro Eccleſiæ Chriſti decore, diuini Verbi dilatatione, & Apoſtolicæ Sedis libertate in dies aggredienti, è ſumma illa Beatitudinis arce, cælites ipſi

im-

impensè gratulantur: vtq; pergas his ſtudijs humano prodeſſe generi, coniunctis apud Deum ſuffragijs iuuant, ſubſidijſque continuis proſequuntur.

Cum verò de ſanctitate, ſanctitatisq; notis, ac ſignis iudicare munus primæ ſit ſedis, in qua Deo annuente decem & ſeptem ab hinc annos feliciter ſedes: Sanctumq; *nemo dubitet eſſe quem apex tantæ dignitatis attollit*, vt Symmachus quinta Synodo probante ait. *Etenim ſi deſint alicui bona acquiſita per meritum, ſufficiunt, quæ à loci deceſſore præſtantur: aut enim claros ad hæc faſtigia erigit, aut qui eriguntur illuſtrat.* Ita Synodus illa: quæ fortaſſe verius hæc ipſa probaſſet; ſi te Pontificem Pijſſimum, Doctiſſimum, & Eloquentiſſimum in Petri Cathedra ſedentem conſpexiſſet. Veteres enim ſapientes olim eloquentiam à vera ſapientia minime ſecernebant; ſed eam cum ſapientia adeò coniunctam eſſe affirmabant, vt ſummam ſapientiam eloquentiam appellarent. Vtrumque carmina abs te edita, non tam probant, quam demonſtrant. Hymnum ad Deum Opt. Max. eminentia percurrant, & rimentur ingenia; & quas edidiſti ſacras vel interpretationes, vel elegias perlegant; vt omnes ſapientiæ laudes eloquentiam ſinu ſuo complecti in te vno

cognoſcant; & ingenij tui acumen rarum profectò deprehendent. Sic enim natura eſt comparatum, vt quidquid excellat, ſit in ſuo genere rariſsimum, & cæteri admirentur: ſicuti omnes te admirantur, atque ſuſpiciunt. Eapropter alio quam ſub Auguſtiſsimo Summi Pontificis, & nominis tui auſpicio, publicum exire in conſpectum liber iſte nec debuit, nec potuit. Cum præſertim quæ in eo dicuntur, omnino iudicio ſanctæ Sedis ſubmiſſa velim: & ipſum me omnino à te pendere fatear, qui ad Apoſtolici ſacrarij Pręfecturam à te aliquando vocatus, tuis ſub auſpicijs eandem exercens tria Myrothecia Sacrorum Elæochryſmaton, & vnum ſacrarum concionum volumen edidi. Quod igitur totum tuum eſt, inclyti tui nominis inſcriptione ſuo in ortu fulgere patere: placidumq; curſibus ſuis augurium à præclariſsimis tuis apibus mutuari: vt ſi quid aſperitatis, vel amaritudinis opus ex Auctore habuerit, ex eiſdem emolleſcat, & dulceſcat: necnon etiam præſidijs potentiſsimis muniatur. Felix igitur diu in Sede Petri ſedeas precor, ad Eccleſiæ ſanctæ Dei, & bonorum omnium tutelam. Datum Romæ die 3. Decembris 1639.

B. V. *Deuotus Seruus Fr. Fortunatus Scacchus.*

RE-

REVERENDISSIMI DOMINI

FRATRIS FORTVNATI SCACCHI:

Argumentum, & diuiſio totius operis:

DE Beatificatione ſeruorum, ac famularum Dei, nec non etiam de Canonizatione Sanctorum agere, vires ingenij mei excedere planè agnoſco: tum maximè hoc tempore, quando à catarrho oppreſſus, lumineque oculorum ex parte captus, ne dum ſcribere, verum nec legere libros aliquos, multis ab hinc menſibus poſſum. Integram corporis valetudinem deſideraſſem quidem; vt ea perficere mihi daretur, quibus doctiores, ſecretiora penetrantes, vigilijs, ac lucubrationibus digniſſimam hanç materiam illuſtrare poſſent. Sed Deus, *cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur*, ad ſui gloriam me ſic oppreſſum voluit.

Iudicij, & quidem grauiſſimi formam Seruorum, ac Famularum Dei Canonizationem retinere, nemo eſt, qui dubitet, nemo, qui non videat. Ab huius enim grauitate cauſæ, temporis longitudo, nec non grauiſſimæ expẽſæ procedunt; quæ in Beatificatione, & Canonizatione ſeruorum Dei fieri contingunt: cum Epiſcopis tantum, vel alijs in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, vnà cum Cardinalibus, cauſæ huiuſmodi committantur. Cumque non tantum acta Seruorum, ac Famularum Dei conſideranda veniant in prædictis cauſis, ſed etiam agones, & miracula, Beatificatio-

catioque veluti apparatus quidam ad Canonizationem in Eccleſia cenſeatur; propterea ſeptem capitibus, ſeu voluminibus totam hanc materiam Canonizationis complectendam duximus.

In primo quidem libro, De notis; & Signis Sanctitatis Seruorum Dei Beatificandorum, & Canonizandorum breui, vt ita dicam, compendio agitur: ſpeculationeſque theologicas declinando, quæ potius theoriam reſpiciunt, eiuſdem praxim conſiderauimus. Eapropter quamuis de virtutibus tam Cardinalibus, quam Theologalibus, per reſpectum ad gradum heroicum, eo in libro à nobis agatur, non ſolum Sanctitatem ipſam, ſed prædictarum virtutum praxim attendentes, vnico capite quaslibet illarum complexi ſumus; progredientes ad argumenta, & ſigna externa Sanctitatis, quę varijs ex capitibus hauriuntur.

Secundum volumen Martyrium cōſiderandum ſuſcepit: cuius quidem martyrij tanta fuit dignitas primis quidem Eccleſiæ temporibus, vt reliquæ Seruorum Dei dignitates, & tituli, martyrij honore plurimum condecorarentur. Nec enim idem omnino fuit in Eccleſia Sanctum, aut Apoſtolum aliquem dici ſine martyrio, atque Apoſtolum & martyrem appellari; ſed hoc multo dignius quam illud. Qua de cauſa adſcribebant etiam aliquando Patres Concilijs martyrij titulum; vt videre eſt in Carthaginenſi. Erant autem in Eccleſia martyres deſignati, martyres conſummati, martyres coronati, & martyres vindicati. Quamuis nullus deberetur cultus, aut veneratio Martyribus deſignatis, quod viuis adnumerarentur, debebatur tamen Martyribus coronatis, & vindicatis: his quidem in vniuerſali, illis verò in aliqua particulari tantum Eccleſia concedebatur. Quibus vero titulus martyrij daretur, & quando ex more veteris Eccleſiæ, quouè tempore Confeſſores coli, & Martyribus adnumerari cœperint: (Quæ breui nequaquam poſſunt claudi compendio.) eo

in vo-

in volumine explicantur: ſicut & reliqua quæ pertinent ad gradus, & dignitates Sanctorum Martyrum. Græci, Græcaque Eccleſia maximum quidem diſcrimen inter Hieromartyrem, Oſio martyrem, Megalo martyrem, & ſimpliciter martyrem agnouit. Quæ omnia explicanda in ſecũdum volumen cedunt, ſi Deo, cui omnia obediunt, corporis vigorem reſtituere, & priſtinam oculis influere lucem, animæ etiam ſuffragari videbitur. Delineauimus paginas aliquas, ſeu potius deturpauimus lineis quibuſdam de martyribus, faxit Deus, vt eiſdem lineis, ſeu deturpatis pagellis colores, adponere alicui aliquando liceat.

Agitur à nobis tertio in volumine de Miraculis. Nec enim facilè eſt vera miracula dijudicare: Pharaonis namque Magos miracula edidiſſe teſtantur ſacra oracula. Quin ab ipſomet fidei protoparente Chriſto accepimus cacodæmones Iudæorum quoſdam ab energumenis diffugaſſe. Cui cum aliquando obijceretur, quod Dæmones Dæmonum auctoritate expelleret, *filij veſtri in quo eijciunt*, inquit: non quidem negando, quin potius conſentiendo Iudæis facultatem eſſe Dæmones expellendi. Cum tamen illi ipſi Iudæi rectius inter malos, quam inter bonos adnumerarentur. Pharaonis etiam magi huic ſe intermiſcent quæſtioni: qua de cauſa aperte exhauriamus licet; nullum ſanctimoniæ argumentum ſolis inniti miraculis; niſi firmo virtutum fundamine inſideat, ex quibus vera Sanctitas ſtabilitur.

Quarto in libro de Beatificatione Seruorum, ac Famularum Dei à nobis agitur. Nec enim nouum eſt in Eccleſia quoties agendum fuit de adſcribendis aliquibus Dei ſeruis in ſacris dypticis, illorum nimirum, qui per martyrium nequaquam hinc deceſſerant, cultu aliquo Canonizationem præuenire; ſed ab ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis id in more poſitum, apertiſſimè hiſtoriarum loquuntur monumenta: quibus freti, veterem hunc Beatificationis ritum, Canoni-

zatio-

zationem præceſſiſſe hoc in volumine comprobatur. *Irridendi* ſunt enim quidam, qui vel minime diſtinguendum putant inter Beatificationem, & Canonizationem, vel nuper in Eccleſia Romana Beatificationem introductam falsò arbitrantur: vtinam hiſtorias peruoluiſſent, depræhendiſſent enim quid differat alicui Eccleſiæ aliquem colendum concedere, quid autem vniuerſali Eccleſiæ colendum proponere, & venerandum præcipere. Illud in Beatificatione agitur, hoc poſtremum in Canonizatione. In Beatificatione namque ſi quod priuilegium conceditur, facultatiue tantum illud loquitur: præceptiuè autem & definitiuè in Canonizatione. In hac de Cathedra loquitur Summus Pontifex, non ita in Beatificatione; in qua priuilegium tantum concedit alicui Eccleſiæ, Prouinciæ, Regno, vel Religioni vt ſine labe ſuperſtitionis fidelibus colere liceat, quem Sanctum fore credunt. Hæc & plura alia quarto in libro à nobis diſcutiuntur.

De Canonizatione tandem agimus quinto in libro: in quo inter maiores Eccleſiæ cauſas Canonizationem adnumerari planè probatur. Inſuper ad auctoritatem ſolius Summi Pontificis Canonizationem pertinere argumentis apertis firmatur, neque aliquando conceſſum Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, aut Patriarchis aliquem in ſacris dyptichis conſcribere. Solius enim eius eſt, qui auctoritatem in vniuerſali Eccleſia habet aliquem Dei ſeruum Sanctum definire, & eidem in vniuerſali Eccleſia cultum decernere. Quod quidem decretum, ſeruatis ſacrorum Canonum, & rubricarum regulis intelligi debet. In Canonizatione Papa errare nequit, quia loquitur de Cathedra, decernit, & definit, quemadmodum facit in Concilijs de rebus pertinentibus ad mores vniuerſalis Eccleſiæ. Quis autem audeat dicere Pontificem ſummum in Concilio, aut Concilium canonice congregatum cum Summo Pontifice errare poſſe? Subuertet profecto Eccleſiam: doctrinam omnem Euangelicam peſſundabit,

bit, qui hæc ipſa ſuſpicari auſus fuerit. Nec ritus Canonizationis recens eſt in Eccleſia, vt hæretici ſomniant; nec à temporibus Alexandri Tertij exordium habuit, vt nonnulli dixerunt; ſed ante hæc ipſa tempora ſolemnis Canonizationis ritus eſt adeo vetus, vt mihi certo conſtet ab ipſo Apoſtolorum tempore exordium ſumpſiſſe: & ex Apoſtolica traditione Romanam Eccleſiam conſueuiſſe Dei Seruos, ac Famulas in Eccleſiaſticis Dyptichis conſcribere. Breui compendio hic ea referre nequiuimus, ſed eo in libro reſeruantur.

Sextum volumen ſummi equidem mihi negotij fuit. eſt enim ad Iudicum directionem in cauſis Seruorū, ac Famularum Dei: ac proinde totum ab apicibus iuris pendet, quæ cum mei non eſſent muneris; in perquirendis Legibus, in explicandis Capitulis, in peruoluendis Paragraphis & in expendendis Decretis plurimum laboraui: adeo vt plus olei in eo vno, quam in reliquis omnibus inſumpſerim. In illis enim intellectus eſt iudicare quæ in hiſtorijs leguntur, aut ab alijs auctoribus conſcribuntur; in hoc verò cum apicibus Iuris ſtandum eſt; atque in his interpretandis laborare oportet. Cumque nunquam legibus me operam dediſſe ex profeſſo confitear; quædam fortaſſe minus aperta videbuntur, quod mihi libere condonandum arbitror. Vtinam ſaltem occaſionem præſtiterim, vt doctiores fælicius hæc ipſa euoluant. Quoniam vero in cauſis ſeruorum Dei acta expendenda veniunt, non tam ab Ordinario loci, quam etiam à Delegatis Apoſtolicæ Sedis, reſpiciendum fuit: pariterque decernendum quid loci Ordinarium deceat, quid Apoſtolicæ Sedis Legatis dumtaxat incumbat: & qualiter ſint conſtituendi Notarij, qualiter erigendum Tribunal, qualiter admittendi ſint teſtes; quinam admittantur ad dicendum teſtimonium, qui vero ab eodem repellantur; quænam interrogatoria à fidei promotore, & articuli à partibus exhibeantur; vt examen omnino completum habeatur, & proceſſus inde formatus iuridi-

ridi-


ridicum valorem, ac robur obtineat. In his etenim cauſis, in quibus Summus Pontifex, vt Iudex vniuerſalis Eccleſiæ aliquid decernit, ac definit; cuncta ad iuris apices ſtare debent: vt nihil non iuridicum appareat, nullaque hoſtibus Eccleſiæ occaſio ſuſpicandi detur, Romanam Eccleſiam non rectè proceſſiſſe, aut Eccleſiam aliquam particularem defectu Ordinarij in cauſis cultus, ac venerationis Seruorum Dei, aliter ſe geſſiſſe, quam ex præſcripto ſacrorum Canonum ſe gerere tenebatur.

Volumen ſeptimum de Congregationibus agit, quæ in Romana Eccleſia haberi conſueuerunt per Dominos Cardinales ex ſpeciali commiſſione Summi Pontificis in cauſis Seruorum, ac Famularum Dei ante Beatificationem, & Canonizationem. Praxim hæc reſpiciunt, & ad praxim pertinent; ac proinde minime in illorum elucidatione laborandum fuit. Quoniam vero quam exactè cuncta ab Apoſtolica ſede in his cauſis conſiderantur, ea eſt ratio, cur ad annos cauſę Canonizationum protrahantur, nec breui temporis ſpatio abſoluantur. Nam quamuis DD. Cardinales in aliqua Seruorum Dei cauſa aliquid decreuerint, nil actum puta, niſi Summi Pontificis conſenſus acceſſerit. Qui tandem iuridicè cuncta agere volens, in publico inſtantias audit illorum, qui aliquem canonizandum poſtulant; negotium Deo committit, orationes, & eleemoſynas indicit, & Conſiſtorium (quod ſemiplenum appellant) ad inſtar concilij conuocat; atque in eo ſingulorum Prælatorum, ac Cardinalium vota exquirit. Quod ſi aliquem canonizandum cenſuerint Patres; publicæ ſupplicationes inſtituuntur; ſupplicationibus Pontifex perſonaliter accedit, ad S. Petri Eccleſiam hic Romæ vnà cum Cardinalibus, & reliquis Prælatis deſcendit: vbi in genua prouolutis, & orantibus omnibus, tandem Summus Pontifex ſedem eminentem, quæ eſt Petri Cathedra, aſcendens illorum inſtantias iterum audit qui pro Canonizatione alicuius ſtant: & ite-

rum

rum, ac tertio orat, & audit; antequam aliquid decernat. Hæc ſunt, quę ſeptimo in libro, ſi Deus dederit, pertractanda erunt. Sed lumine oculorum captus abſque colore, & fuco in lineis relinquam neceſſe eſt.

Octauum præterea volumen ſuperioribus adſtruere meditabar: in quo de ſolemni Miſſa Pontificia agere mihi in animo erat. Multa enim in ea recondita habentur, quæ viros etiam doctos omnino latent. Sed nec ſutor vltra crepidam. Deus ipſe qui *dat verbum euangelizantibus*, & *dat eſcam pullis coruorum inuocantibus eum*, mihi pariter ea concedet, quæ ipſius gloriam reſpiciunt. Quod ſi nec opus ad calcem deducere mihi conceſſum fuerit; aliorum ſuſcitabit ſpiritum, qui opus expleant: ſicut olim Beſeleel, & Oliab intellectum ſapientia impleuit, vt iuxta exemplar, quod Moyſi in monte oſtenſum fuerat, tabernaculum, & arcam pararent. Ipſe inquam doctiſſimorum virorum excitabit ſpiritum; non ſolum vt ea quæ minus recte à me dicta fuerint, corrigant, ſed etiam vt reliquorum librorum argumenta conſiderantes, fælicius ea ipſa enucleent, quam ego facturus fuiſſem.



PRAEFATIO AVCTORIS AD LECTOREM.

In librum De notis, & Signis Sanctitatis Beatificandorum, & Canonizandorum.

EX argumenti, & Sanctitatis ſignis ad effectum Beatificationis, & Canonizationis Seruorum, & Famularum Dei, de quibus primo hoc in libro agimus, quædam interna, externa ſunt alia. Interna dicimus, non quidem quod Eccleſia iudicet de internis, & occultis. (Hæc enim ſolius Dei iudicio ſubſunt,) ſed quia nonnulla ſunt conſideranda in actibus ſeruorum, ac famularum Dei, quæ ab interna radice virtutum proueniunt, & in praxi conſiſtunt: qualia ſunt acta virtutum, quæ tam à moralibus, quam à theologalibus habitibus proueniunt; propterea hæc ipſa argumenta Sanctitatis interna appellauimus. Cumque virtutum actus, qui ad Beatificationem, & Canonizationem ſeruorum, ac famularum Dei requiruntur, communi Philoſophorum menſura, ex viribus naturalibus nequaquam ſint metiendi; ſed ſummum gradum attingere debeant, quem heroicum Philoſophi morales appellant; hac de cauſa non ſolum de ſanctitate in genere agimus in hoc libro, ſed de ſanctitate, quæ gradum heroicum attingit; atque in exercitio virtutum in gradu heroico collocatur: quatenus nimirum actorum praxi gradus heroicus virtutum à nobis agnoſci poteſt.

Agimus igitur primo loco de Sanctitate, & Beatitate; quatenus Deo tribuitur, & Creaturis; vt cognoſcatur vis argumenti, quod à Sanctitatis, & Beatitatis titulis hauritur in Eccleſia: quod quidem argumentum nullius eſt roboris, niſi ab habitibus virtutum proueniat. Cumque hos habitus Theologi diſtinguant

in Car-

in Cardinales, & Theologales, qui Deum habent pro obiecto, de vtroque habituum genere in praxi hoc in libro agitur. De virtutibus ſcilicet Cardinalibus, & Theologalibus de Fide, nimirum Spe, & Charitate, tam erga Deũ, quam erga proximum: ſigna quoque externa inueſtigantur Fidei, Spei, & Charitatis. Nam quamuis eadem charitate, & amore, quo Deus amatur, diligatur & proximus: in praxi tamen dilectionis proximi ſigna diuerſa ſunt, à ſignis diuinæ dilectionis, & huius ab illa. In Cardinalibus autem virtutibus, quas etiam morales Philoſophi appellant; ſimili modo procedentes, ſigna inueſtigauimus, quantum licuit ex ingenij noſtri tenuitate, Prudentiæ, Iuſtitiæ, & Fortitudinis, ac Temperantiæ in gradu heroico. Non enim conſueuit Romana Eccleſia aliquem Dei ſeruum, aut Dei famulam colendam fidelibus proponere priuilegio Beatitatis, aut decreto Canonizationis titulo Sanctitatis condecorare, niſi virtutum in gradu heroico notæ apparuerint: vt habeant fideles, dum venerantur, quem imitentur in carne mortali. Nam quamuis non ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, *neque aliquis poſſit dicere* Dominum Ieſum, niſi in Spiritu Sancto, *vt dicebat Ioannes;* Facienti *tamen* quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam, *dicebat Apoſtolus.*

Verum quia in Canonizatione ſeruorum Dei, multò plura requiruntur in his, qui deceſſerunt ex hac vita ſanguine non laureati; quam in reliquis, qui ſanguine purpurati hinc deceſſerint: eapropter de his nihil à nobis in hoc libro, cum horum tractatio ad ſecundum pertineat. De prioribus tantum agimus: qui confeſſionis titulo condecorari conſueuerunt in Eccleſia; qui nimirum mundum contemnentes, & virtutum exempla in gradu heroico nobis relinquentes, ſine ſanguine quidem cæleſtia petierunt; non tamen ſine heroicarum virtutum ſignis. Eapropter quædam virtutum ſingularia exercitia in his quæſiuimus, & Sanctitatis ſigna conſideranda duximus, quæ in omnibus Confeſſionis titulo condecorandis prælucere debent; vt fidelibus colendi iure proponan-

nan-

nantur: Tenentur enim hi omnes terrena contemnere, carnem edomare, ſacra Dei myſteria frequenti vſu colere, humilitatem ſectari pro viribus: (Eſt enim humilitas Euangelicæ perfectionis vnica baſis, & fundamentum.) & denique claudere diem extremum in bono perſeuerantes: Quæ perſeuerantia heroicum gradum attingere debet in eo, de cuius veneratione, & cultu agitur; vt imitari non pigeat, quem celebrare delectat.

Quia verò virtutum ratio in exercitio practico nequaquam æqua lance in viris, atque mulieribus ſe habet, neque in Principe, atque in Subdito, atque diuerſæ prælucere debent virtutes in Regulari, & in Laico, nec non etiam in Peregrino, atque Eremita; propterea diuerſorum ſeruorum & famularum Dei ſtatum conſiderantes in hoc libro; quænam virtutes ſplendere debeant in Præſule, & Principe, atque in Subdito diſcutiendum exiſtimauimus. Non enim eadem eſt Prudentiæ ratio in Præſule atque peregrino; neque ratio Iuſtitiæ æqua eſt in Principe, atque in Regulari, ac Eremita, ſed omnino diuerſa: ſicut neque ratio continentiæ, ac caſtitatis æqualis eſt in virgine, ac vidua, & in coniugata: propterea ad effectum eius de quo agitur, tractatum inſtituendum duximus de virtutibus, quæ cuicunque hominum conditioni reſpondent. Vt quoties aliquis in proprio gradu ita ſe geſſerit in exercitio virtutum, quæ illius ſtatus propriæ ſunt, & in exercitio illarum iuxta Euangelicam doctrinam, ac perfectionem gradum heroicum attigerit; de eius Beatificatione, & Canonizatione meritò agatur.

Quæramus iam argumenta reliqua, & Sanctitatis ſigna externa: quorum aliqua quidem mortem alicuius Dei ſerui, vel Dei ancillæ conſequuntur; alia verò ſeruorum, & famularum Dei vitam comitantur: vt ſunt extaſes, raptus, gratia miraculorum, prophetiæ ſpiritus, reuelationes, viſiones cæleſtium, linguarum peritia, & alia, de quibus agimus. Cum enim potius ad proximorum vtilitatem, quam ad Sanctitatem faciant illorum, quibus conceduntur; nullum veræ Sanctitatis argumentum inde-

hau-

hauritur, ſi nudè conſiderentur: quia tamen in actis ſeruorum, & famularum Dei ſæpiſſimè occurrunt conſideranda; propterea nos quoque eorumdem praxim attendentes, ſpeculationeſque declinantes, Sanctitatis ſigna in his inueſtigauimus ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. Vt ex reuelationibus, viſionibus, miraculis, & alijs gratijs gratis à Deo datis, dignoſcantur, quænam ſint à Deo, quæ vero non. Facilis eſt quidem in his lapſus, & facile vulgus decipitur; dum ſine præuio Eccleſiæ iudicio, hæc collaudat, & admiratur.

Mortem autem ſeruorum Dei cultus, & veneratio eorumdem ſequuntur; quæ aliquando ſepulchris dealbatis tantum innituntur: interdum cœmeterijs, aut notis quæ in cœmeterijs reperiuntur: interdum famæ Sanctitatis, cadauerum integritati, imaginibus defunctorum in Eccleſia vel alibi depictis: ita vt à prætenſis miraculis, ab appenſis anathematibus, ſanctitas alicuius interdum euulgetur. Quapropter prædicta omnia argumenta conſideranda fuerunt ad effectum Canonizationis, ne quid deſideraretur, aut non tactum relinqueretur.

Ab his igitur externis ſignis ad vlteriora progredientes, quid cultus operetur præſertim conſiderandum duximus; quoties abſque Sedis Apoſtolicæ facultate, alicui Dei ſeruo, vel Dei famulæ cultu anniuerſario diei obitus memoria recoleretur, vel nomen alicuius defuncti, cum prætenſa ſanctitate, inſcriptum fuerit in Litanijs, in Calendarijs, vel in Imaginibus eorumdem. Oratorijs quoque Altaribus, aut templis excitatis ad eorumdem honorem; quid operetur ad effectum Canonizationis conſiderare oportuit. Nec enim conſueuit Eccleſia, Templa, Oratoria, vel Altaria excitare, niſi Sanctis Canonizatis, vel ab Eccleſia approbatis vti Canonizatis. Similiter etiam, quid ſi Martyrologijs, aut Breuiarijs acta ſeruorum, vel famularum Dei legantur inſerta? quid ſi proceſſus de actibus eorumdem fabricati fuerint, vel ab Ordinarijs locorum, vel ab Apoſtolicæ Sedis delegatis? quid denique hiſtoriæ argumenti afferant ad Sanctitatem alicuius Dei famuli,

vel Dei famula probandam videre oportuit; quoties de illorum Canonizatione agendum fuit: vt in his in quibus errauimus reliqui accuratius oculos figentes, aduertant, quæ nos non vidimus: & errata Chriſtiana pietate, atque charitate corrigant. Hæc enim elucubrauimus, non quidem ad auram populorum captandam, ſed ad Dei gloriam, Cui ſit honor in ſæcula ſæculorum.

Im-

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Io.Bapt.Alt.Ep.Cam.Viceſg.

PErlectus eſt à me, iuſſu Reuerendiſs. Sacri Palatij Magiſtri Liber primus, De Cultu, & Veneratione Seruorum Dei, Canonizandorum, & Beatificandorum, qui eſt de Notis, & Signis Sanctitatis? quem ex ſuo eruditiſsimo penu, nunc tandem promit Reuerendiſs. Pater Fr. Fortunatus Scaccus Apoſtolici Sacelli Præfectus. In quo plurima ſunt ad rem tam magni momenti ſpectantia; quæ ignoraſſe turpe eſt, non animaduertiſſe nefas: præcipue ijs, qui tanto muneri obeundo præficiuntur. Hæc vbi Typis mandata fuerint, quod è re Catholicorum publica futurum cenſeo, lector ne quære verborum phaleras, vbi tam ſanam habes doctrinam, ac tam accurata methodo tibi propoſitam. Sed & Elæochriſmaton tomi tres, quos nuper edidit, à doctiſsimis viris auidè exceptos, huiuſce Claſsis ſcriptorem commendant ſatis.

Ignatius Braccius Presbyter Recinaten. Sacræ Theologiæ Magiſter, & Apoſtolicus Protonotarius.

Imprimatur,

F. Nicolaus Riccardius Sacri & Apoſtolici Palatij Magiſter.

CATALOGVS AVCTORVM

Qui citantur in hoc opere.

A

ACCVRSIVS
Addo Vienenſis
Aegidius
Alanus Copus
Albertus Magnus
Albertus à Roſate
Alexander Primus
Alexander III.
Alexander IV.
Alexander Alenſis
Almainus
Aluar: Pelag.
S. Ambroſius
Ambroſius Calepinus
Ammianus Marcellin.
Ambroſius Nouidius
Andronicus
Andreas Duſſauſſay
Anaſtaſius Bibliothecarius
Angelus
S. Anſelmus
Anacletus PP.
Antonius Boſius
S. Antoninus
Apollinaris
Apollonius
Arias Montanus
Ariſtoteles
S. Arator.
Aſpaſius Epheſinus
S. Athanaſius
Athanaſius de Claromonte
Athenaeus
S. Auguſtinus
Auctor ligni vitæ

B

BAlthaſar Corderius
Baſilius Poncius
Baldus
Bartholomeus Sibylla
Bartolus
Baronius
Bernardinus Corius
Beda
S. Benedictus
Benedictus VIII.
Bellarminus
S. Bernardus
Bernardus Lutzemburgenſis
Bernardus in gloſſa.
Bellinus
S. Bonauentura.
Boetius
Bonifacius VIII.
Bonifacius IX.
Breuiarium

C

CArtuiſius
Caietanus
Cardanus
Calliſtratus Iuriſconſultus
Caluinus Lexicon iuriſ.
Caſtellanus
Catalogus ſcriptorum Britanniæ
Celſus
Cæleſtinus III.
Chriſtophorus Henriquez
S. Chryſoſtomus
Cicero
S. Cyprianus
S. Cirillus
Clemens Alexandrin.
Clemens III.

Cle-

Clemens V.
Clemens PP.
Cocleus
Claudius
Codex Iuſtiniani
Codex Theodoſianus
Codinus
Concilium Arauſicanum
Concilium Nicenum
Concilium Ilendenſe
Concilium Laodicenum
Concilium Tridentinus
Concilium Nicenum 2.
Concilium Hipponenſe
Concilium Aphricanum
Concilium Bracharenſe
Concilium Aurelianenſe
Concilium Martini PP.
Concilium Chalcedonenſe
Concilium Gangrenſe
Concilium Antiochenum
Conſaluus Durantes
Contellorius
Conimbricenſes coll.
Cornelius à Lapide
Couarruuias

D

S. Damaſus
S. Dionyſius Areopag.
S. Dionyſius Alexandrin.
Dionyſius Cartuſianus
Diodorus Siculus
S. Dorotheus
Didymus
Durandus

E

Aelius
Ennius
Enoch Patriarcha
Aeneas Siluius
Aemilius
Aecumenius
Ealredus
Epiphanius
Euſebius
Euthymius
Euſtratius Nicenus
Eugenius III.
Eugenius IV.

F

Facundez
Fernelius
Ferrarius
Feſtus
Florus
Franciſcus Piccolomineus
Franciſcus Suarez

G

Gabriel Biel
Gabriel Prateolus
Gaſpar Caſalius
Gaſpar Sanctius
Gaufridus
Gellius
S. Gelaſius Papa
Gerſon
Gloſſa I.
S. Gregorius
Gregorius de Valentia
Gregorius Turonenſis

H

Hadrianus
Henricus Kalteiſen
Heribertus Roſueydus
Hierocles
D. Hieronymus
D. Hilarius
Honorius Papa
Hormiſda Papa
Hoſtienſis
Hotkenius Monachus

Hottom.
Hugo.

I

IAnus Guilelmus
Ianſenius
Iacobus Grethſerus
Ianus Gruterus
Iacobus de Valentia
S. Ignatius Martyr
Innocentius III. Papa
Ioannes Azorius
S. Ioannes Damaſcenus
S. Ioannes Caſſianus
Ioannes Vuier
Ioannes XXII.
Ioannes Rusbiochius
Ioannes Andreas
Ioannes Miderius
Ioannes Dubraulus
Ioannes Baptiſta Pignius
Ioannes Baptiſta Mantuanus
Iſidorus Abbas
S. Iſidorus
Iuſtinianus Imp.

L

LAertius
Laymanus
Lambinus
Lactantius Firmianus
Leo X. Papa
Leonardus Leſſius
Lezana
Licetus
Lucianus
Lucas Vadingus
Lucas Tudenſis
S. Ludgerus Epiſcopus
Ludouicus viues.

M

MAcrobius
Maldonatus
Maior
Magiſter ſententiarum
Martinus Delrius
Malleus maleficarum
Martianus
Marcianus
S. Maximus
Maſſurius Sabinus
Menedemus
Medina
Mercat.
Mercurialis
Milciades Myſingerus
Moyſes Abbas
Moſſander
Molanus

N

NAuarrus
Nebriſſenſis
Nellus de S. Geminiano
Nicomedes Patriarcha Ieroſol.
Nicolaus PP.
Nicephorus
Nonius
Nouellæ Eman. Comneni.

O

OLaus Magnus
Onuphrius Panuinius
Optatus Mileuitanus
Origenes

P

PAchimera
Palladius
Paulus V.
Paphnutius

Pau-

Paulus Zacchias
Pamelius
Panormitanus
Paſchalis II. Papa
Petrus Bleſenſis
Pegna
Petrus Lucemburgenſis
Petrus Gregorius
Petrus Caniſius
Petrus Arcudius
Philiarchus
Piccolomineus
Pius II.
Pythagoras.
Plato
Plutarchus
Placentinus
S. Polycarpus
Polybius
Pomponius Mela
Poſidonius
Protagoras
S. Proſper Aquitanus

R

RAbbanus Maurus
S. Raymundus
Regula ſororum Ciſtercienſium
Richardus
Rupertus Abbas

S

SAnctius
Scaliger
Scotus
Seneca
Serapion
Serarius.
Seuerus Sulpit:
Simeon
Sixtus IV.
Sixtus V.
Silueſter
Sigonius
Socrates
Strabo
Sueſſanus
Surius
Suidas.

T

TErentius
Tertullianus
Theopbilactus
Theophraſtus.
S. Thomas Aquinas
Thomas Cantipratenſis
Trithemius
Tyndarus

V

VAlerius Max.
Valla
Varro
Vega
S. Vincentius Ferrerius
Vitæ Patrum Orient.
Vitæ PP. Occidentalium
Vopiſcus
Vulpianus
Vrbanus IV.
Vrbanus PP. VIII.
Vſuardus
Vuandelbertus Monachus.

Z

ZAcharias PP.

FORTVNATO SCACCHO V. C.

OCTAVIVS FERRARIVS FÆLICITATEM.

***I**TANE dum ingenium Animarum tranſcriptas ſideribus colonias, & cauſas, & modos poſterum memoriæ prodis, Cælique album veluti diſpungis pænè terris ereptus es; ipſique negotio propius adſtitutus? Tantum ſperare dolorem Latinæ Muſæ potuerunt? Parcæ tantum nefas audere? Conuicijs nobis oneranda dies illa fuit, & nefaſtis addenda, quæ pænè fuit quin ſuperis inuidiam faceremus. Sed audiuere vota noſtra Diui, quos tu operis maieſtate æquaſti; fatoque interceſſerunt tantiſper, dum vittatas Faſtorum paginas cenſeas, virtutiſque nomina ærario Cæli deferas: nec tam de mortalibus, vnde ſupplentur Indigetes, quam de cæleſtibus quorum luſtrum agis benè merearis. Sed ſaluti tu quidem, non luci planè redditus es; Adeo crudeles morbi tam erudiſos oculos vexarunt, qui fere nihil vnquam præter litteras viderunt. Sic dum Cæli recludis arcana pænè Tireſias factus es. Par Steſichori, ac Mæonij vatis caſus, niſi quod tu de ſuperis bene locutus eras. Illud te tamen ſolatio afficiat quod demum id opus perfeciſti, quo ſemel viſo non vltra oculis opus ſit. Vale Patauij Nonis Nouembris Anno ſalutis MDCXXXIX.*

RE-

REVER.DO P. D.

ALOYSIO NOVARINO CLER. REG.

ZACHARIAS PASQVALIGVS CLER. REG. S.

LANGVET Reuerendiſs. P. F. Fortunatus Scaccus Apoſtolici Sacrarij Præfectus tui amantiſſimus, oculorum morbo conflictatus; eaque peruicacium humorum vis, & confluxus, vt ei pæne viſum intercepèrint. Magna tamen ſpes, quod Morbus ſedula cura retuſus breui pedem referat. Moliebatur Methodum in Dei Seruis Sanctorum ordini adſcribendis ſeruandam, ingentis argumenti opus, & quod non niſi multiplici codice abſolui poteſt, & neſcio an tantum illi indulgebit ætas iam fatigata. Premitur prælo volumen primum, in quo Notæ, & Signa Sanctitatis (heroicæ inquam) inquiruntur, explicantur, ſtabiliuntur; omnia ſummo ordine ſumma perſpicuitate. Totus ad πρᾶξιν collimat, ideo ablegata illa importunarum rerum farragine ſuccum tibi exhibet; & vt moris eſt, plura ex antiquitatis tenebris primus profert, quæ nouis lucem faciant. Summam virtutum omnium perſtringit. & quales futuræ ſint, vt homines ad Diuorum numerum euehant, compendioſo calamo deſcribit τεκμήρια illa, quæ Deum ſeruis ſuis adeſſe teſtantur ad *lydium* lapidem reuocat, cultum, extranea teſtimonia, cæteraque omnia argumenta; vt meritò aſſeras, teſſeram dediſſe, qua ſyncera Sanctitudo à fucata dignoſcatur, talemque præſcribit formam, quam ſi quis in expendenda Seruorum Dei vita, geſtiſque tenuerit, ſeſe ab omni errore vindicabit. Opus propediem prodibit, & in quo calamus non potuit, tuæ ſatisfaciet voluntati. Tu interim vale, & votis nuncupatis vtriuſque amiciſſimo ſalutem à Deo precare, quam tibi ipſe plurimam impertit.

TA-

TABVLA

SECTIONVM ET CAPITVLORVM

LIBRI PRIMI

De Notis, & ſignis Sanctitatis Beatificandorum, & Canonizandorum.

Sect. I. De Sanctitate, & Sanctitatis nuncupationibus.

Cap. 1. *SAnctitatis vocabulo quid ſignificetur.* pag. 2
Cap. 2. *Quid ſit Sanctitas explicatur.* 13
Cap. 3. *De ſpeciali titulo Sanctitatis.* 24
Cap. 4. *Sanctitatis titulus aliter Deo, ac aliter Creaturis ab Eccleſia tribuitur.* 38
Cap. 5. *Cælites verè, & propriè Diui, ac Sancti dicuntur.* 48
Cap. 6. *Sanctitatis titulus quibus olim daretur ab Eccleſia.* 55
Cap. 7. *Quodnam argumentum ſumatur à titulo Sanctitatis ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.* 73
Cap. 8. *Quodnam argumentum ad effectum Canonizationis ſumatur à titulo Beatitatis.* 85

Sectio II. De notis Sanctitatis ex virtutibus & Euangelica perfectione.

Cap. 1. *De perfectionis ſtatu.* 99
Cap. 2. *De nota Sanctitatis ſeruorum Dei ex actibus virtutum.* 112
Cap. 3. *De Sanctitatis nota ex virtutum habitibus.* 124
Cap. 4. *De nota Sanctitatis ex virtutum actibus in gradu heroico.* 141

Se-

Sectio III. De notis, & ſignis Sanctitatis ſeruorum Dei ex virtutibus Theologicis.

Cap. 1. De nota Sanctitatis ex habitu, & actibus fidei. 166
Cap. 2. De notis Sanctitatis ex virtute ſpei, & eius actibus. 182
Cap. 3. De nota Sanctitatis ex actibus charitatis in Deum. 194
Cap. 4. De nota Sanctitatis ex actibus Charitatis erga proximum. 209

Sect. IV. De nota Sanctitatis ex actibus virtutum moralium, ſeu Cardinalium.

Cap. 1. De Sanctitatis nota ex actibus prudentiæ. 226
Cap. 2. Iuſtitiæ virtus, illiuſq. actus ad Sanctitatis notam expenduntur. 241
Cap. 3. Fortitudinis actus ad Sanctitatis notam explicantur. 256
Cap. 4. De nota Sanctitatis ex virtute temperantiæ. 268

Sect. V. De quibuſdam virtutibus in gradu heroico ſingulariter exquirendis in actis ſeruorum, & Ancillarum Dei non martyrum.

Cap. 1. De nota Sanctitatis ex terrenorum contemptu. 285
Cap. 2. De notis, & ſignis Sãctitatis ex maceratione carnis. 302
Cap. 3. De nota Sanctitatis ex frequenti Sacramentorũ vſu. 317
Cap. 4. De Sanctitatis nota ex orationis, meditationis, contemplationiſque ſtudio. 335
Cap. 5. De nota Sanctitatis ex virtute humilitatis. 348
Cap. 6. De nota Sanctitatis ex finali perſeuerantia in bono, & ex obitu ſeruorum Dei. 362

Sect. VI. De notis, & ſignis Sanctitatis ex ſtatu cuiuſque ſerui Dei ſumendis.

Cap. 1. De notis, & ſignis Sanctitatis Præſulum in Eccleſia. 379
Cap. 2. De notis, & ſignis Sanctitatis alicuius ſerui Dei Imperatoris, Regis, Ducis, vel Principis. 398
Cap. 3. De obligationibus in genere alicuius ſerui Dei Religioſi, ſeu Regularis. 418
Cap. 4. De notis Sanctitatis alicuius Dei ſerui Regularis. 436
Cap. 5. De notis, & ſignis Sanctitatis alicuius Dei ſerui ſolitarij, ſeu Eremitæ. 449
Cap. 6. De notis, & ſignis Sanctitatis alicuius Dei ſerui coniugati. 464
Cap. 7. De notis, & ſignis Sanctitatis alicuius Dei ſerui Peregrini. 478

Sect. VII. De notis, & ſignis Sanctitatis famularum Dei, habita ratione ſtatus cuiuſque.

Cap. 1. De notis, & ſignis Sanctitatis Virginis ſæcularis. 494
Cap. 2. De notis, & ſignis Sanctitatis alicuius Dei famulæ Monialis. 515
Cap. 3. De notis, & ſignis Sanctitatis alicuius Dei famulæ Viduæ. 531
Cap. 4. De notis, & ſignis Sanctitatis alicuius Dei famulæ Coniugatæ. 549

Sect. VIII. De notis, & ſignis Sanctitatis ex gratijs gratis datis.

Cap. 1. De notis, & ſignis Sanctitatis ex miraculis. 566
Cap. 2. Quodnam Sanctitatis argumentum ſumatur à prædictione eorum, quæ procul ſunt. 581

Cap.

Cap. 3. Quodnam Sanctitatis argumentum ſumatur ab extaſi, & mentis exceſſu. 597
Cap. 4. Quodnam Sanctitatis argumentum ſumatur à Reuelationibus. 614
Cap. 5. Quondam argumentum Sanctitatis ſumatur ex ſcientiarum infuſione. 629
Cap. 6. De notis Sanctitatis ex linguarũ diuerſarũ peritia. 639

Sect. IX. De notis Sanctitatis, quæ ſumuntur à fama, & his, à quibus fama oritur.

Cap. 1. Quodnam argumentum Sanctitatis ſumatur ex monumentis, atque ſepulchris ſupra terram poſitis. 651
Cap. 2. Quodnam argumentum Sanctitatis ſumatur à cæmeterijs, & cryptis arenarijs antiquis. 664
Cap. 3. Quodnam argumentum Sanctitatis ſumatur ab integritate, ſeu incorruptione Cadauerum. 679
Cap. 4. Quid, & quotuplex ſit fama Sanctitatis. 695
Cap. 5. Quodnam argumentum ſumatur ad effectum Canonizationis à fama Sanctitatis. 703
Cap. 6. Quale Sanctitatis vrgumentum ſumatur ex Imaginibus variè defunctum repræſentantibus. 711
Cap. 7. Quale argumentum Sanctitatis ſumatur à fama miraculorum. 724
Cap. 8. Quodnam Snctitatis argumentum ſumatur ex anathematibus appenſis ad notam miraculorum alicuius iam defuncti. 736

Sect. X. De argumentis Sanctitatis, quæ ſumuntur à cultu & Veneratione.

Cap. 1. Quale Sanctitatis argumeutum ſumatur à cultu, ſeu religioſa veneratione alicuius iam defuncti. 748

Cap.

Cap. 2. Quale Sanctitatis argumentum ſumatur à cultu anniuerſario obitus alicuius Dei famuli. 763

Cap. 3. Quodnam ex litanijs argumentum ſumatur ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. 779

Cap. 4. Quodnam argumentum Sanctitatis ſumatur ab Altaribus erectis ad cultum non Canonizati, neque Beatificati. 789

Cap. 5. Quodnam argumentum Sanctitatis ſumatur ab Eccleſijs, & Oratorijs constructis ad honorem ſeruorum Dei. 801

Sect. XI. De notis Sanctitatis quæ ſumuntur ex hiſtorijs tum ſacris, tum profanis, alijſque Scriptorum monumentis.

Cap. 1. Quodnam argumentum ſumatur ad effectum Canonizationis ex Breuiarijs. 815

Cap. 2. Quodnam argumentum Sanctitatis ad effectum Canonizationis hauriatur ex Calendarijs.

Cap. 3. Quid Martyrologij vocabulo ſignificetur, deque varijs martyrologiorum Scriptoribus. 836

Cap. 4. De auctoritate martyrologiorum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Cap. 5. Quod nam argumentum ſumatur ad effectum Beatificationis, & Canonizationis ex proceſſibus.

Cap. 6. Quale Sanctitatis argumentum ſumatur ab Hiſtoria. 872

AD



Vt cumq; artificis manus hunc effinxerit apte;
Aptius id scriptis fecerat ille suis
Pręſtitit os, oculosq; faber, frontemq; tueri;
Ipsius at mentem, qui legis ille uides.



AD DEIPARAM VIRGINEM
LAVRETANAM
IGNATII BRACCII
Pro Auctore Carmen votiuum.

O quæ Virginibus non præſtas vnica ſolum,
Cunctis, quotquot alit terra, poluſque beat.

Sed quaſcunque animas virtus cælo extulit, anteis,
Angelicos quot habent ſidera celſa choros.

Accipe, de Sanctis quæ in lucem ſcripta beandis
Edidimus, meritis irradianda tuis.

Cœlicolas inter conſcribi ſcilicet ille
Dignior eſt, à te qui minus abſuerit.

Libri

Libri Primi
DE CVLTV, ET VENERATIONE
SERVORVM DEI,
BEATIFICANDORVM ET CANONIZANDORVM
Qui eſt
DE NOTIS,
ET SIGNIS SANCTITATIS

SECTIO PRIMA.

De Sanctitate; & Sanctitatis nuncupationibus.

A DEVS Optimus Maximus, tametſi inconſpicuus ſit; ex rebus tamen creatis, vt Paulus teſtatur, atque ex Mundo tam mirifice condito, tamque ſapienter adminiſtrato & perſpici poteſt, & intelligi. Cum nihil in tanta, tamque immenſa rerum varietate iners, aut otioſum, nihil temere, aut fortuito, nihil fruſtra ab eo effectum exiſtat. Omnibus ſtirpibus ſua vis
B indita, ſingulis animantibus ſuum ingenium, ſuaque attributa naturæ inclinatio; cum primis vero homini, qui in hoc Mundi theatro productus eſt, vt Deo ſe oblectet, illius munificentiam agnoſcat, in illo conquieſcat, illique fidat, atque innitatur. Sed quia ſenſibus, ac ſenſibilibus capta humana mens, poſt lapſum primi parentis, humi alioqui defixa, ex illorum hominum virtutibus, qui ſe totos Deo

mancipārunt, apertius quàm ex reliquis, quibuſque rebus creatis in Dei notitiam, ac cognitionem deducitur: propterea de Notis, & Signis Sanctitatis Beatificandorum, & Canonizandorum agendum ſuſcepimus. Nō quidem Scholaſticè, aut ſpeculatiuè per ſubtiliores quęſtiones iſta inquirēdo, ſed practice quatenus Sanctitas Seruorũ Dei ſub Eccleſiæ iudicio cadit. Nam ex praxi virtutũ omnium, theoriam in qua interioris ſanctitatis ratio, Dei gratia fulta collocatur, ſcrutandam putamus. Et hac quidem in Sectione, quæ cæterarum princeps eſt; de Sanctitate in vniuerſum, illiuſque ſignis, & argumentis in Beatificatione & Canonizatione attendendis pertractabitur.

A (margin, line 1); B (margin, beside "ſcrutandam putamus")

CAP. I.

Sanctitatis Vocabulo quid ſignificetur. C

VOCIS, ac vocabuli alicuius etymologica inueſtigatio, eiuſdemque per ſingulas partes cognitio; vltra quam credi poteſt; non ſolum eiuſdem vocis, ac vocabuli ſignificationem aperit; ſed etiam rei, ac rerum per eadem vocabula ſignificatarum naturam, ac eſſentiam ſubindicat. D Quamobrem Ariſtoteles præclarè docuit, in diſcuſſione cuiuſcumque rei, ante quaſcumque alias quæſtiones, quid nominis indagandum eſſe, videlicet quid ſignificet rei, de qua agitur, nomen. Sanctitatis itaque vocabulo quid intelligatur à latinis, quæue ſit eiuſdem vocabuli etymologia, & radix, primo loco nobis hic decernendum, atque inueſtigandum occurrit.

Et ca

A Et ea quidem voce, ſanctitatiſque vocabulo intellectui noſtro repræſentari quandá quaſi formam per modum per ſe ſtantis, vt eſt albedo, nigredo, frigiditas, & ſimilia, manifeſtum eſt. Quæ quidem ſanè voces formam aliquam, vt à ſubiecto, & materia ſeparatam, repræſentant. Quia tamen intelligentia illarum vocum pendet ab ipſa forma, quatenus in ſubiecto aliquo exiſtit, ac in materia conſideratur; propterea ad intelligendum, quid nigredinis voca-
B bulo ſignificetur, ad nigrum ipſum confugere oportet; & pariter ad ipſum album, vt quid albedine ipſa intellectui repræſentetur, percipiatur. Hac eadem de cauſa in ſanctitatis quoque ſignificatione inueſtiganda, conſiderandum occurrit, quid propriè *Sancti* vocabulo latini ſignificare voluerint.

Quoties verò inter nonnullas voces, ac aliqua concreta vocabula, conuenientia, ſeu conformitas aliqua in ſignifi-
C cando apparet: ſiue talis conformitas, ac conuenientia ex vi ſignificationis vocabuli, ſiue ex communi quadam hominum acceptatione exurgat; (Hominum enim communi cóſenſu vocabula interdum ſignificationem variant) tunc quaſi neceſſariò ſingulæ illæ voces, atque vocabula diſcutienda veniunt, vt ex illorum cognitione eius, quod quæritur, notitia fiat apertior.

Cumque inter hæc tria vocabula, nimirum *Religioſum*,
D *Sacrum*, *&* *Sanctum*, tanta ſignificationis appareat conuenientia, vt hæc ipſa inter ſe interdum confundantur; atque non ſolum hoſtiæ, ac victimæ, ſed etiam loca Numini dicata, non tam religioſa, quam etiam ſacra, & ſancta quoque dicantur: hac de cauſa quid *Religioſi* vocabulo, quid vel *Sacri* ſignificetur, perquirendum erit; vt quid ſanctum vocetur, cognoſcamus, qua vt ratione à Religioſo, & Sacro diſtinguatur.

A 2 Etenim

Etenim tria illa vocabula conuenire conſtat ex Macro- A
bio lib. 3. Saturnalium cap. 3. dum ait: *Sanctum eſt, vt
idem Trebatius libro decimo Religionum refert; interdum idem
quod Sacrum, idemque quod Religioſum; interdum aliud, hoc
eſt, nec ſacrum, nec religioſum eſt.* Et Feſtus refectus ex ſche-
dis Fuluij Vrſini. *Sanctum ait dici Opilius Aurelianus, quòd
nec Sacrum eſt, nec Religioſum. At Ælius Stilo, quod vtrum-
que eſſe videatur, ſcilicet Sacrum, & Religioſum: plerique au-
tem quod ei qui id violauit pœna ſit, mulctaue ſanctitas, ſi po- B
natur pro ſacro tantum, vnde & ſanctio dicta legum. San-
ctio item, & rogatio, qui c ntionem rogauit trib. pleb.* hæc ibi,
ex quibus duobus antiquiſſimis ſcriptoribus planè conſtat,
quamdam quaſi confuſionem, ſeu commixtionem ſignifi-
cationum extitiſſe inter prędicta tria vocabula, pręſertim pe-
nes litteratos antiquioris ſæculi; ſi non ex rigoroſa vocum
ſignificatione, ſaltem ex communi loquendi vſu, atque
conſuetudine. C

Eorumdem igitur vocabulorum diſtincta ſignificatio, ac
ſignificationum vis expiſcanda erit; & altera ab altera ſepa-
randa; vt huius vocabuli *Sanctitas* verum, quod quæritur
ſignificatum, colligatur. Diſtingui enim prædicta vocabula
ſecundum eorumdẽ rigoroſam ſignificationem apud anti-
quos auctores, qui de lingua latina ſcripſerunt, nec non
etiam apud Iuriſperitos certiſſimum eſt. Nam idem iam al-
latus Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 3. late diſputat ex Virgi- D
lio, qua ratione hæc diſtinguantur: atque pari ratione Fe-
ſtus apud veteres Grammaticos in libello de differentijs ver-
borum hæc ipſa diſtinguit. E quidem ſacra à ſanctis, & re-
ligioſis ſeparantur l. *Summa rerum* lib. 1. digeſt. tit. de rer.
diuiſ. & lib. 18. digeſt. tit. de rerum vend. l. *hanc legem.* & l.
in modicis. ac etiam lib. 8. digeſt. tit. 1. de ſeruitut. l. *Seruien-
tes* § *publico loco.* quod etiam alibi habetur. Ex quibus plane
mani-

A manifeſtum eſt prædictorum verborum ſignificationes, licèt
aliquando confundantur, verè tamen ac propriè diſtingui.
Prioris itaque vocis nimirum *Religioſi*, multiplicem ſi-
gnificationem extitiſſe tam in bonum, quàm etiam in ma-
lum preclare ex doctrina Nigidij oſtendit Gellius lib. 4. c. 9.
noct. attic. ſumpta vt puto ſignificatione ab eiuſdem voca-
buli origine, atque radice: à relinquendo enim deriuari vo-
cem *Religioſi* ſentit Maſſurius Sabinus apud eumdem Gell.
B loco citato: à religendo, hoc eſt iterum legendo, religionem
dici docuit Cicero lib. 2. de natura Deorum: quaſi relegen-
do libros, & volumina, quæ Dei notitiam præſtant, aliquis
Religioſus efficiatur. Sed à reeligendo, hoc eſt, iterum eli-
gendo religionem dici Pater Auguſtinus ſubindicauit lib.
10. de Ciuit. cap. 4. Cum igitur à Religione Religioſum
dici conſtet; is ipſe à reeligendo, hoc eſt, iterum eligendo
ex doctrina Patris Auguſtini dicetur. Qui deriuationi cõſen-
C tire videntur hi, qui à religendo Religioſum dici tradunt,
vt Lact. lib. 4. de vera ſap. cap. 28. Ambroſ. in lib. de Virg.
& Hieron. in cap. 9. Amos dicens. *Quid nimirum, ſi qui Re-*
ligioſi dicimur à religione, quaſi in faſcem Domini vincti, &
obſtricti ſimus? Plura alia de hac etymplogia videri poſſunt
apud D. Tho. 2. 2. q. 81. art. 1. & 3. cont. gent. cap. 119.
& Theologos, qui vel D. Thomam ſunt commentati, vel
de religione tractatus ſcripſerunt.
D Sed quacunque de ratione, & quacunque à radice vox
prædicta deriuetur, religioſitas ſemper conſcientiam bonam
hominum reſpicit: quatenus videlicet illi mouentur ad ali-
quid faciendum, vel declinandum fide recta, & ex reue-
rentia diuini Numinis: ſiue illa opera diuinum cultum reſpi-
ciant, ſiue diuini Numinis cauſa ad proximum referantur.
Quamobrem Iacobus in ſua canonica cap. 1. in eadem ſen-
tentia ait. *Religio munda, & immaculata apud Deum, &*

Patrem, hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. Itaque propriè ad humanos actus, ſiue Deum, ſiue proximum reſpiciant; Religionis vox quatenus adiectiuè de aliquo dicitur, reſtringitur. Quamobrem inter homines, qui Religione tacti proprios actus ex rectæ rationis linea dirigunt: græce εὐσεβεῖς, ſiue ὅσιοι ideſt pij appellantur, de quibus vocibus in ſequenti volumine à nobis plura dicentur. A

Si vero ſint loca aliqua, quæ religioſa dicantur: vt Templa, & Altaria Numini dicata; quemadmodum etiam ager, in quo cadauer fuerit illatum; hæc quidem cuncta non propriè, ſed impropriè religioſa per reſpectum ad homines appellantur. Quatenus nimirum loca prædicta cum caſtitate adeunda veniunt; nec non etiam cum timore, ac tremore diuinæ Maieſtatis reuerenda, & reformidanda ſunt: & quod conſcientiæ quoque quadam rectitudine, proprios actus in his locis quam maxime regulare teneantur illi, qui ea adeunt. Pari etiam de cauſa ex hominibus, hi Religioſi dicuntur; qui legibus, & decretis quibuſdam ita in terris inter reliquos homines verſantur: vt ex præcepto charitatis, qua Deum, & proximum totis viribus diligere tenentur, potius cæleſtem, quam terreſtrem vitam agunt. B C

Sacrum, aliud iam erat explicandum vocabulum ex tribus propoſitis: & tale quidem dicitur, quod Deo conſecratum eſt. Ita ſcribit Feſtus lib. 16. & per vocem ἱερὸς græcè id quod Deo conſecratũ fuerit, explicatur. Ex vi vero Græci ſermonis, & eiuſdem vocis deriuatione aliquid magnum, & diuinum eo vocabulo ſignificari videre licet apud Pollucem lib. 1. Onomaſt. cap. 1. §. 20. & Suidam in voce ἱερὸς ac proinde dictionem iſtam *Sacrum*, vim, & energiam ſumere per reſpectum ad Numen; ideoque Sacrum propriè dici quicquid ad cultum numinis deſtinatum fuerit. Siue il- D

lud

A lud animatum exiſtat, vt ſunt Sacerdotes, & Sacramentorum miniſtri, qui quidem ſacri dicuntur, quod ad Numinis cultum eiuſque miniſterium ſint deſtinati; & animalia quæ ad cultum ſacrorum mactanda cum eſſent, conſecrata olim dicebantur. Siue demum illa ipſa ſic dicta inanimata fuerint: quemadmodum vaſa ad cultum Dei, & ad ſacra miniſteria deſtinata, & loca quoq; vbi Templa, & Altaria erecta fuerint; in quibus eadem miniſteria peraguntur, ſacra dici
B conſueuiſſe manifeſtum eſt. Quæ omnia ſacra dicebantur, ac hodie dicuntur per reſpectum ad Numinis cultum, ad quem deſtinantur. Quam etiam ob cauſam aliquando penes aliquos auctores ſacrum, & ſanctum confunduntur; idipſum exiſtimantes ſacrum quod ſanctum.

Sed hæc ipſa quoque vocabula diſtingui manifeſtum eſt. Nam ſanctum apud quoſdam latinos à ſagminibus deriuatur. Erant autem ſagmina quædam herbæ, quas legati Po-
C puli Romani ferre ſolebant, ne quis eos violaret. Ita Marcian. l. *Sanctum* lib. 1. digeſt. tit. 8. Alij ſanctum deriuatum putant à verbo *Sancio*, quod eſt decernere, ſeu aliquid ſtatuere, & id quoque ab antiquo verbo *Sacio*, nonnulli dixere: quod vt teſtatur Ianus Guilelmus in ſuo antiquario ſignificabat implere. Fuit autem implere in ſacræ Scripturæ phraſi, idem quod ſanguine victimarum conſecrare; vt diximus Myrothecio ſecundo. Quamobrem *Sanctum* idem va-
D let, quod ſanguine ſancitum; & ſancire idem eſt, quod firmare atque conſecrare. Vnde factum eſt, vt nonnulli illud ipſum verbum Sácio à ſanguine deriuatum arbitrentur. Ita placet Iſidoro lib. 15. Originum cap. 4. qui quidem à Sanguine hoſtiæ Sancti vocabulum deriuat dicens. *Nihil ab eis* (nimirum Ethnicis) *dicebatur Sanctum, niſi quod hoſtiæ ſanguine fuiſſet conſecratum, aut conſperſum*. Et in veteri quidem lege ſanguine animalium ad Dei cultum mactatorum

ſanctificabantur, ſeu conſecrabantur, ſiue mundabantur vaſa, altaria, candelabra, ſacerdotes, tabernaculum, & templum: Apoſtolo etiam teſte ad Hebr. 9. cum ait: *Omnia pene in ſanguine ſecundum legem mundantur; & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſsio.* A

Quia igitur leges, & ſanctiones Sanguine ſacrarum hoſtiarum firmabantur, ac ſtabiliebantur, vt docuit Apoſtolus ad Hebr. cap. 9. de lege lata à Deo populo Iſraelitico: *Lecto enim, inquit, omni mandato legis à Moyſe vniuerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo, ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit.* B Propterea quicquid ſanctione, ſeu lege aliqua, aut decreto Principis ſubnixum fuiſſet, & ab hominum iniuria munitum, atque defenſum, idipſum ſanctum vocabatur: à ſupino dicti verbi *Sancio*, quod eſt ſancitum, formato nimirum participio paſſiuo *Sanctus, Sancta, Sanctum*, quaſi dicas *ſancitus, ſancita, ſancitum*. Quamobrem C aliquid ſanctum penes Romanos dicebatur, quod ſanctione aliqua incorruptum, & inuiolatum eſſet. Vt de aggere vrbico ex Frontino ſcribit Briſſonius: qui cum ex natura ſua nihil plus habeat, quam parietes cuiuſcunque alterius domus; ſanctus tamen cenſebatur decreto Principis, qui lege lata ſanciuit, ne alicui murum tranſilire liceret.

Hoc ipſum quod *Sanctum* Latini dicunt: Græci per dictionem ἅγιος explicant, quæ propriè idem valet, quod D ſine terra: vt adnotauit etiam D. Th. 2. 2. q. 81. art. 8. in corp. & pluribus alijs in locis: quaſi ſit à terrenis maculis depuratum id, quod ſanctum Latini dicunt. Deriuatur enim vox illa ἅγιος ἀπὸ τῆς γῆς quod eſt terra, & per præpoſitionem græcæ vocalis α, quæ priuatiuam habet vim, & contrariam ſignificationē inducit dictioni, cui præponitur, fit ἅγιος. Vel vt placet Pachimeræ in Dionyſium cap. 12. de diu. nom. fit

à voce

A à voce ἄγος, quæ ſignificat impuritatem: quaſi dicas ἀάγος, ideſt ſine impuritate, duplici ἀ ἀ in vnum ἁ longum aſpiratum per accentum quem Græci daſiam vocant, ſcribendo ſic ἅγιος, vnde ἁγιότης, quod eſt ſanctitas fieri docet. Sed ſiue à voce γῆς, quæ eſt terra, ſiue ab ἄγος, quod eſt impuritas deriuetur vox iſta ἅγιος: certum erit; quod quicquid natura ſua commune non eſt; quod nimirum communibus vſibus non ſit deſtinatum, ſed aliqua potius dedica-
B tione, lege, aut ſtatuto à communi vſu ſeparatum, & communitum: vigore cuius dedicationis, legis, aut ſtatuti purum decernatur ab omni contaminatione, immunditia & profanitate, & quodammodo à terrenis purgatum, id ſancitum appellatur.

Conſtat igitur ex iam dictis, duo requiri ad hoc, quod aliquid ſanctum dicatur: videlicet quod ſanctione aliqua fuerit ſeparatum à communi hominum vſu per reſpectum
C ad Numen, Religionis, ac diuini cultus cauſa. Alterum eſt, quod piaculum cenſeatur ſtatutam legem violare, & eam ob cauſam mulcta, ac pæna omnino indicta ſit ei, qui ſancta violare auſus fuerit. Etenim in hoc vno ſanctionem diſtingui à mandato, & decreto, atque alijs huiuſmodi appellationibus conſtat; quod videlicet ſanctioni pæna ſit adiungenda, vt docet gloſſa in cap. *Omnes* diſt. 3. & glo. in cap. *Statutum* de reſcript. in Sext. Quæ duo cum tam in perſonis,
D quã etiam in rebus inanimis cadere poſſint; hinc fit, vt non ſolum perſonæ, ſed etiã plura alia ſanctitatis vocabulo decorari valeant; vt templa, domus, montes, vaſa, & alia, quę propterea ſancta dicuntur, quia diuinis vſibus mãcipata exiſtunt. Quamobrem in Iſaia legimus, *In vniuerſo Mõte ſancto meo.* de loco in quo erat ædificatum Hieroſolymitanum Dei templum: & ſæpè in ſacris Scripturis, & apud Virgil. loca aliqua ſancta dicuntur Numinis de cauſa, vt dicitur Æneid. 11.

Summe

Summe Deum, Sancti cuſtos ſoracti is Apollo. A
Vaſa quoque, quibus in ſacrificijs vtebantur ſacerdotes, & alia quæ in templis aſſeruabantur, ſancta dicta fuiſſe manifeſte conſtat.

Colligitur itaque hanc fore diſtinctionem inter hæc tria vocabula, *Religioſum, Sacrum, & Sanctum:* vt non quæcunque religioſa dicuntur; ſacra, aut ſancta pariter conſeantur. Quamuis argumentum à contrario valeat videlicet quod ea omnia, quæ ſacra dicuntur, religioſa pariter exiſtant. Nam B
loca, in quibus fuiſſent humata cadauera, religioſa erant, non tamen ſacra, niſi benedictione aliqua extitiſſent conſecrata. At vero quæ ſancta dicuntur, religioſa, & ſacra per ſanctionem, & pænam in profanatores indictam exiſtunt. Quod autem Sanctitatis vocabulo Sacrum, & Religioſum complectatur: Ælius ſtylo apud Feſtum loco citato per hæc verba docet. *At Ælius Stilo* (ſupple ſanctum eſſe ait) *quod vtrumque eſſe videatur, & ſacrum ſcilicet, & religioſum:* C
plerique autem, quod ei, qui id violauit pæna ſit, mulctave ſancita.

Hanc ipſam vocabulorum, & perſonarum diſtinctionem ex ſacris litteris noui teſtamenti inter Chriſtianos primitiuæ Eccleſiæ agnoſco. Quod nimirum licet omnes, qui nomen in chriſtiana militia dediſſent; tum ratione pietatis, & cultus, quo Deum proſequebantur religioſi dicerentur; tum quia ab omnium terrenarum rerum cupiditate alieni D
vitam ducebant; non tamen omnes ſacri, ideſt Deo conſecrati cenſebantur: ſed tantum Epiſcopi, Diaconi, Presbyteri, & alij quibus per manuum impoſitionem miniſtratio ſacramentorum, & reliquorum ſacrorum commiſſa fuiſſet. Sic etiam non omnes credentes dicebantur ſancti, ſed tantum hi, qui in Dei cultu, & bonis operibus, necnon in proximorum neceſſitatibus promptiores apparebant: præſertim, qui

A in carceribus, pro religione Chriſtiana moleſtiam aliquam ſuſtinuiſſent.

Hanc vocum diſtinctionem Petrus attigiſſe videbatur, cum in ſua canonica dicebat. *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*. Scribens enim ad vniuerſalem Eccleſiam coagmentatam tam ex laicis, quam ex miniſtris Sacrorum dicebat, *Vos eſtis genus electum*. Deinde ſingulos ſingillatim Eccleſiæ Ordines reB ſpiciens ſubintulit, *regale ſacerdotium*. Reliquos quoque in Eccleſiam ſanctiores conſiderans, infra tamen ſacerdotale miniſterium, addidit, *gens ſancta*. Et denique cunctum Chriſtianum populum reſpexit cum ait, populus *acquiſitionis*. iuxta illud Pauli, *Empti enim eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*.

Noſtri eſt itaque inſtituti ſignificationem huius vocabuli, nimirum *Sancti* perueſtigare per reſpectum ad Dei famuC los, ac famulas, & quatenus dictio *Sanctum*, de his dicebatur qui conſecratione, ſanctione, & Dei gratia à communi hominum commercio ſeparati exiſtebant. Qua ratione Leuit. 22. de ſacerdotibus dicitur. *Sancti erunt Deo ſuo*. & Exod. 19. *Eritis mihi gens ſancta*. Quamobrem ex phraſi ſacrarum litterarum veteris teſtamenti, etiam hi qui fuiſſent tantum loti, ac iuxta decreta legis Moſaicæ ab immunditijs, & contaminationibus à Deo in lege lata prohibitis, purifiD cati; ſancti quoque dicebantur: & ceremoniarum cauſa ſacerdotes in corpore iuris etiam nunc ſacroſancti dicuntur. Et quidem ſic appellantur, quia ad cultum numinis deſtinantur; & legibus tam humanis, quam diuinis communiuntur, ac à reliquis hominibus ſecernuntur.

Verum dictio *Sanctum* quatenus perſonis Deo ſacris tribuitur propriè, & rigurosè ſignificat purum, incontaminatum, & ab omni labe immunem. In quo ſenſu Paulus ad

Hebr.

Hebr. 7. n. 26. de Chriſto dicebat, *Talis enim nobis decebat, vt eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior Cælis factus*. Et de Chriſti aſſeclis ad Epheſ. 1. ſcribens: *Elegit nos in ipſo* dicebat, *ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati*. Sic etiam ad Coloſſ. 1. n. 22. *Exhibere vos ſanctos, & immaculatos*. Apoſtolorum quoque Princeps Petrus in prima ſua Canonica cap. 1. n. 15. dicebat ad fideles. *Quaſi filij obedientiæ non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſiderijs, ſed ſecundum eum, qui vocauit vos Sanctum, & ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis*. A B

Colligitur ergo ſanctitatis vocabulo, quatenus de rebus inanimis, de vaſis nimirum, templis, ac locis dicitur, nihil aliud ſignificari niſi quamdam quaſi exemptionem, & ſequeſtrationem, ſeu ſeparationem eiuſdem rei à communi vſu, & ab hominum commercio: & hanc vigore alicuius ſanctionis, & legis, ſeu conſecrationis: cuius ſanctionis, atque decreti vigore non liceat his vti, pro arbitrio, ſed tantum ad ſacros vſus, ad quos deſtinatæ fuerint. C

At vero Sanctitas, quatenus dicitur de creaturis rationabilibus, repræſentat intellectui noſtro quamdam quaſi formam, per quam ille, ſuper quem cadit, mundus & purus ab omni macula, ac ſorde exiſtit: ac propterea ſanctorum vocabulo olim in Eccleſia, non omnes credentes, ſed tantum viri pij, iuſti, ac innocentes ſignificabantur; qui videlicet in hac vita mortali viam mandatorum Dei alacriter currentes, cæteris diligentiores quantum humana inbecillitas patitur, in Dei cultum extitiſſent. Quamobrem S. Chriſoſt. hom. 1. in pſalmo 144. *Quid eſt ſanctus, inquit*: moxque reſpondit. *Rectus, purus, mundus, & ab omni reprenſione alienus, qui nullam vlli omnino præbet calumniæ anſam*, & vt adnotauit D. Th. lect. 1. in cap. 12. epiſt. ad Romanos D

San-

A Sanctitas proprie dicitur per reſpectum ad Deum: in quan-
tum ſcilicet homo à Deo creatus, ſeruat ea, quæ ſunt iuſta
quo ad Deum: & Dei cauſa etiam ſeruat ea, quæ ſunt iuſta
quo ad proximum: ſollicitus ea obſeruare, quæ in his duo-
bus mandatis continentur. *Diligès Dominum Deum tuum ex
toto corde tuo, & proximum tuum ſicut te ipſum.* Quibus ſanè
duobus mandatis inſtauratur, perficitur, atque abſoluitur,
quicquid ad humanam perfectionem conducit: per quam
B homo purus exiſtit ab omni ſorde, immaculatus coram
Deo, & hominibus, vereque ſanctus conſtituitur, prout in
ſequentibus Capitulis latius à nobis explicabitur.

CAP. II.

Quid ſit ſanctitas explicatur.

C QVONIAM cuiuſcunque rei cognitio, eiuſ-
demque cognitionis exordium nominis ety-
mologia prius pertentata, profundius inda-
ganda à definitione ex Ariſtotelis doctrina
lib. 2. de demonſtr. cap. 14. incipere debet.
propterea à nominis etymologia in vocabulo Sanctitatis ad
rei diffinitionem noſtra ſe conuertit Oratio; & in præſenti
Capitulo inueſtigare contendit, quid ſanctitas ſit: in eo vi-
D delicet ſenſu, in quo de ſanctitate ſeruorum Dei à nobis in
præſenti opere agitur.

Ethnici namque veram ſanctitatis rationem ignorantes
aliqua ſomniarunt, ſanctitatiſque rationem exprimere vo-
lentes, in his, quæ ſanctitatem ſequuntur, contemplatio-
nem firmarunt. Quamobrem Cicero lib. 1. de nat. deor.
Sanctitatis rationem, ſeu definitionem dum tradere cona-
tur ait. *Sanctitas eſt ſcientia colendorum Deorum.* Cum tamen
aper-

apertiſſimè conſtet, hanc colendorum Deorum ſcientiam ad religionem potius, quam ad ſanctitatē pertinere. Si verò ratione aliqua prædictam ſcientiam ſanctitatem reſpicere velimus, ſanctitatis effectus veriùs dicetur, quam ſanctitatis ratio, ſeù definitio. Verius ſanè pronunciaſſe cōſtat ſanctitatis rationem, quemdam Andronicum relatum à D.Th. 2.2. q. 81. art.8. in argum. 1. qui ſanctitatem ſic definiuit. *Sanctitas eſt virtus faciens homines fideles, & ſeruantes ea, quæ ad Deum ſunt iuſta.* Licet is quoque ab effectu potius ſanctitatem explicauerit, quam à priori ſua ratione ſanctitatis naturam terminauerit. Eſt etenim verum, virum ſanctitate prędıtum, ac decoratum totum in obſeruatione diuinorū præceptorū verſari; vt nimirū omnino Deo adhęreat, ac coniungatur: id tamen potius faciet, vt ſanctior euadat, quam quod ratio ſanctitatis in ea obſeruantia poſita cenſeatur. Per præceptorum namque, & diuinorum mandatorum cuſtodiam ſanctitas quidem gignitur, ac etiam intenditur; non tamen eius ratio ab ea obſeruantia ſumi debet.

A

B

C

Reliquis perfectius ſanctitatem definierunt Patres Catholicæ doctrinæ authores, ſectatores, & interpretes; præſertim ſacræ Theologiæ Princeps Dionyſius Areopagita ſanctitatis decus, & Eccleſiæ iubar ſingulare, in lib. de diuin. nomin. cap. 12. explicans, qua ratione Deus Sanctus Sanctorum dicatur, ſanctitatem definiens. Ἁγιότης, inquit, μὲν οὖν ἐστὶν ἡ παντὸς ἄγους ἐλευθέρα, καὶ παντελὴς, καὶ πάντη ἄχραντος καθαρότης. Quam ſic definitionem interpretatur Balthaſar Corderius in notis ad Dionyſium: *Sanctitas quidem eſt ab omni ſcelere libera, & omnino perfecta, & omni ex parte immaculata puritas.* D

Verum vt hæc ipſa definitio clarior, atque lucidior fiat, animaduertantur precor eiuſdem definitionis, & græci textus ſingula verba. Nam dictio ἄγους, quæ eſt genitiui caſus

per

A per contractionem à nomine ἄγος ἅγιος formati, quod in contractione genitiui facit ἅγιος; propriè aliquid purum, veneratione, ac honore dignum indicat: attamen per antiphraſim, ideſt contrarium loquẽdi modum ἄγος valet idem, quod ſcelus, crimen; piaculum, & ſimilia videlicet μίασμα, καὶ βδέλυγμα, quę voces culpam ſignificant. at in præallegata quidem ſanctitatis definitione ex Dionyſio Areopagita, illa dictio ἅγος ſumitur in ſua primaria, & germana ſignifi-
B catione.

Secundo notanda venit dictio ἐλευθέρα ſignificans idem quod libera: quamobrem eſt ſenſus diuini viri Dionyſij in allegata Sanctitatis definitione: Sanctitatem fore puritatem liberam a quocunque crimine, ſcelere, atque piaculo quantum vis minimo.

Dictio quoque ἄχραντος communis generis cum ſit: idem valet, ac penes latinos incontaminatus, immaculatus, pu-
C rus, nulla aſperſus macula, nullis ſordibus animi contaminatus, nulla omnino labecula notatus. Dictio etiam παντελής communis generis cum ſit; valet idem quod perfectus, & integer. πάντη denique idem quod penitus, vndequaque, & omni ex parte, circumquaque, & ſimilia valet. quibus dictionibus Sanctitas in allata definitione à quacunque labecula purificatur.

Diuini Viri, & Sanctiſſimi Martyris Sanctitatis definitio-
D nem allatam D. Thomas habet 1. ſent. diſt. 10. artic. 4. ad quart. argum & in 3. art. 1. §. *reſpondeo dicendum.* item 2. 2. q. 81. art. 8. in 2. argum. Cum D. Th. ſtant quoque reliqui omnes theologi, quamobrem cum iam verba perpenderimus, vt quid ſit ſanctitas fiat lucidius, prædictæ diffinitionis partes ſingulæ explicentur. Nam *puritas* ſtat loco generis, quam D. Th. in Dionys. expreſſit per *munditiam* ſic enim habet eius tranſlatio. *Sanctitas quidem eſt, vt ſecundum nos*

dica-

dicatur, ab omni immunditia libera, & perfecta, & omnino immaculata munditia. Reliquæ demum particulæ ſtant loco differentiæ, ac per eas ſanctitas vera à ſanctitate ficta, & à reliquis diſtinguitur: quæ licet pura ſecundum aliquam rationem exiſtant; non tamen omni ex parte, nimirum ſecundum omnimodam rationem puritatem retinent: cum tamen ad veram ſanctitatis rationem, puritas omni ex parte immaculata requiratur: quæ nimirum nulla ratione maculari, neque ab extrinſeco valeat. Perfecta adeo, vt ex ſua natura vincat quamcunque imperfectionem; ſicut ſplendor, & lux Solis, quæ inter corporeas luces eſt gradus adeo eminentis, vt non ſolum quamcunque aliam lucem corporalem excellat; ſed etiam omnia lumina ad eius præſentiam obſcura remaneant: atque ſi quam lucem habēt reliqua corpora à Sole tanquam à fonte lucis accipiant; & cuiuſcunque maculæ omnino incapax exiſtat. Talis omnino debet eſſe puritas ad Sanctitatis rationem, ac naturam requiſita. A B C

Ad Metaphyſicam itaque, ſeu logicam rationem prædictam Sanctitatis definitionem diſquirendo, & particulas, ac voces omnes græci textus conſiderando, hac ratione nos Sanctitatis definitionem à Martyre Dionyſio poſitam interpretabimur. *Sanctitas eſt puritas immaculata, & incontaminata, libera à quocunque crimine, & omni ex parte perfecta.* Quibus quidem verbis plane conſtat, ad veram Sanctitatis rationem requiri, non ſolum animam ſine culpa, ac labe peccati, ſed etiam vt ſit virtutum omnium exercitijs, habitibus, atque actibus in gradu heroico condecorata. D

Angelicus Doctor in commentario ad præclarum librum Dionyſij de diuin. nom. ad caput duodecimum lect. 1. diuino certe afflatus ſpiritu, quo ſanè imbutus erat, ponderans dictionem καθαρότης quæ puritatem, nitorem, ac munditiam in nitore conſiſtentem ſignificat, adnotauit in prædictis

A ctis verbis D. Dionyſij tres gradus munditiæ, ac puritatis
deſignari. *Quorum primus*, inquit ille, *eſt libertas ab omni
immunditia; libertas autem ſeruituti opponitur. Seruus autem
immunditiæ exiſtit, qui totaliter ab immunditia vincitur; &
ei ſubijcitur. Primus ergo gradus munditiæ eſt, vt aliquis ab
aliqua ſeruitute immunditiæ liberetur. Secundus etiam gra-
dus eſt, vt ſit munditia perfecta. Perfectum enim eſt, cui
nihil deeſt. Contingit autem quandoque, quod aliquis immundi-*
B *tiæ quidem non ſubiacet; deeſt tamen ſibi aliquid ad mundi-
tiam: in quantum paſsionibus immunditiæ inquietatur; quæ
cum tolluntur, fit perfecta munditia. Tertius gradus mundi-
tiæ eſt: vt ſit omnino immaculata: maculari enim dicitur, quod
non ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco inquinatur. Erit ergo om-
nino immaculata munditia, cum non ſolum in ſeipſo aliquis pu-
ritatem habet; ſed etiam nihil eſt exterius, quod eum ad im-
munditiam trahere poſsit. Et in his tribus munditiæ gradibus*
C *ratio ſanctitatis perfectæ conſiſtit*. hæc ibi D. Thomas, acu-
tè, doctè, & Sancte commentus eſt.

Sed circa reliquas particulas, quæ locum differentiæ in
allata definitione retinent, noſtra diſcuſſio obuerſetur. Et
primo quidem occurrit illud πάντῃ ἄχραντος, ideſt *vndequa-
que incontaminata, & immaculata:* quo ſane in adiuncto in-
ſudandum videtur. Dictio enim illa *immaculata* coniuncta
puritati, cum in prædicta definitione dicitur *Sanctitas eſt pu-*
D *ritas vndequaque immaculata:* videtur omnino ſuperflua.
Nam qua ratione puritas haberi poteſt, quæ non ſit imma-
culata? aut aliquid immaculatum exiſtere, quod non ſit pu-
rum? videtur enim effingi non poſſe, aut excogitari puritas
maculata. Sed hæc explicanda erunt ex connexione intel-
lectus, & voluntatis in humanis operationibus, quatenus
ſunt animæ potentiæ. Nec enim voluntas aliquid vult, quod
ei non proponatur ab intellectu: propterea in exercitio ali-

cuius actus poterit adeſſe puritas intentionis in voluntate, & macula erroris in intellectu, vel è contra; ac proinde in tali operatione puritas maculata cenſebitur. A

Explicatur id præclariſſime ex Chriſti Domini metaphora Matth. 6 & Luc. 11. dicentis. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus: ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit; ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.* Ad cuius metaphoræ intelligentiam, inquirendum videtur, quid per oculum intelligatur. Beda namq; B in loco ex Luca citato, intentionem nomine oculi ſignificari putat. Quæ explicatio eſt etiam Patris Auguſtini lib. 2. de ſermone Domini in monte: & Auguſtino adſtipulatur Gregorius lib. 28. moral. cap. 6. Verum ſtat contra allatam expoſitionem, quod licet intentio aliquando ſit bona, opus tamen exterius erit malum. Exempli gratia, ſi quis velit ieiunare diebus prohibitis, nec iuxta formam præſcriptam ab Eccleſia; vel facere ſacrum, aut ſumere Euchariſtiam tem- C pore indebito, aut loco indecenti. Quamuis enim facere ſacrum, ieiunare, & ſumere Euchariſtiam ſint ex ſe bona: non tamen in præſcripto caſu, etiam ſi hoc faceret ex pia, ac recta intentione. Ad bonitatem enim operis multæ circunſtantiæ requiruntur, præter bonam intentionem, ac voluntatem; quarum defectu prædicta opera vitiata remaneant, eſt neceſſe.

Vt igitur ex recitatis patribus loci allati expoſitio bonum D ſenſum recipiat: non erit intelligenda de actu puro voluntatis, qui tendit in finem: nimirum de intentione tantũ; ſed de mentis attentione, & inſpectione, quæ eſt opus intellectus. Quam interpretationem retinent Chryſoſt. homil. 21. in Matth. & Hieron. in cap. 6. eiuſdem. Qui quidem oculi nomine in prædictis Chriſti verbis mentem, ac intellectum ſignificari docent. Cui interpretationi adſtipulatur Toletus

A in cap. 11. Lucæ annot. 69. Erit igitur ſenſus verborum Chriſti; quod cum duæ animæ potentiæ ad quodcunque opus bonum concurrant, intellectus nimirum, & voluntas; ſi prior fuerit ſimplex, mens inquam fuerit ſana, abſque vllo errore, ac vitio; profectò opera omnia voluntarie facta bona erunt. Nec enim contingit, malum opus exterius, niſi præcedente vitio aliquo in intellectu, ſaltem practico.

Quando igitur in præcitata ſanctitatis definitione Mar-
B tyr Dionyſius ad eam requiri docuit puritatem immaculatam: imo voluit in immaculata puritate poſitam eſſe eſſentiam ſanctitatis; profecto duo requiri ad eam indicauit, puritatem ſcilicet mentis, & munditiam, hoc eſt rectitudinem voluntatis: vel e contra, puritatem voluntatis cum munditia intellectus; quod idem eſt. Quandiu enim oculus mentis ſimplex, ideſt, ſanus fuerit, non permixtus humoribus malis; tũc totum corpus lucidum erit; vt dicebat Chriſtus: ideſt,
C omnes operationes animæ tam interiores, quam exteriores rectas eſſe, non dubitabitur: vidimus enim poſſe ſtare puritatem voluntatis cum errore, aut deceptione intellectus.

Hanc itaque puritatem voluntatis, ideſt, intentionis, cum munditia intellectus, ad rationem ſanctitatis eſſentialiter requiſitam ſanctus Martyr Dionyſius voluit: vt omnes fatentur. Idipſum etiam docuit Chriſtus, cum ait apud Matth. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Niſi enim
D cor, ideſt, mens maculari potuiſſet; fruſtra dixiſſet Chriſtus *Beati mundo corde*. Munditia namque cordis in interiori hominis integritate conſiſtit, diuini amoris intuitu ſeruata; quę in purificatione intellectus, & affectus eſt poſita. Intellectus quidem, vt ſciamus, quid agere debeamus; affectus vero, vt ea, quæ diligimus, agere valeamus, & tota anima in ſua eſſentia, & potentijs pura exiſtat.

Sed adhuc remanet explicandum, quid ſanctus Martyr

Dionyſius velit in particula illa *omnino perfecta:* qua quidem A
particula docet, puritatem, quæ ad ſanctitatis rationem re-
quiritur, omnino perfectam fore debere: quorumcunque
nimirum virtutum habituum ornatu & acquiſitione. Ita
videlicet vt nequaquam vnico virtutum actu, vel genere
tantum coanguſtetur; ſed in quibuſcunque virtutum acti-
bus fulgeat, pro ratione ſtatus illius Dei famuli, qui ſanctita-
tis vocabulo decorandus erit.

Hùc reſpexiſſe arbitror Magiſtrum perfectionis Chri- B
ſtum Dominum; cum primum veram perfectionis adipi-
ſcendæ ſcholam aperuit. Nam cum ſanctitatis formam ipſo
ſtatim in exordio explicaſſet; ſermonem tandem clauſit di-
cens Matth. 5. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter
cæleſtis perfectus eſt.* De perfectione charitatis, ac dilectio-
nis in proximum ex operibus miſericordiæ locum citatum
intelligendum exiſtimat Ianſen. in concord. Euang. cap. 40.
in fine. & Maldonat. in cap. 5. Matth. n. 48. ſed reliquis C
melius, vt puto, locũ expreſſit, ac explicauit Rupertus lib. 3.
in Matth. in fine. Is enim hanc perfectionem Deo ſimilli-
mam, per quam homines deificantur, ſiue deiformantur;
in charitate erga Deum, & in exercitio reliquarum omnium
virtutum poſitam fore, decernit. Quamobrem poſita dubi-
tatione, quomodo aliquis noſtrum tam perfectus eſſe poſ-
ſit, ſicut Deus, reſpondet. *Interea quiſquis hoc requirit, ſciat,
quod non aliud eſt, ſimilem Deo Patri fieri, quam per charita-* D
*tem, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, eamdem ſimilitudi-
nem, in qua creatus eſt primus homo, ad melius reparari.* & in-
fra. *Nam omne, quod ſimile eſt; per quod quiſque ſimilis effici-
tur, duobus modis conſideratur; aut quadam habitudine for-
marum, aut natura rerum.* Cumque demum oſtendiſſet,
ac probaſſet Rupertus, nequaquam nos fieri poſſe natura
Deo ſimiles, ſubintulit. *Tanto enim perfectior quiſque eſt,*

quan-

A *quanto ſimilior erit. Similis autem vel perfectus non ex proprietate ſui, ſed ex gratia diuinæ largitatis, & virtutum integritate: vt quod Deus habet per naturam, homo incipiat habere per adoptionem ex participatione bonitatis Dei. Ac per hoc quiſque recte perfectus, ſicut Deus Pater, dicitur, dum integritatem virtutum, & adoptionis donum, quantum per gratiam aſſequi poteſt, participat. Vt ſicut ille ex ſe perfectus dicitur in natura Deitatis, ita nos ex eo perfecti dicamur pro*

B *parte, in gratia ſanctæ adoptionis*. Ex quibus plane conſtat, ſimilitudinem Dei perfectam, quam Chriſtus à ſuis exegit; in virtutum omnium exercitio conſtitui debere; atque propterea puritatem vndequaque perfectam, & omnibus numeris abſolutam ad ſanctitatis rationem prærequiſitam, ex definitione S. Martyris Dionyſij explicatam, eam ipſam eſſe, quæ omnium virtutum actibus, eorumdemque exercitio condecoratur.

C Deniq; explicandum occurrit, ἡ παντὸς ἄγους ἐλευθέρα, ideſt, *vniuſcuſque criminis libera*, quibus in verbis S. Martyr Dionyſius ad ſanctitatis rationem expoſcit puritatem adeò perfectam, adeò candidam, vt non tantum ſine culpa, ſed libera à quocunque crimine, ſcelere, ac labe exiſtat. Nec enim ſimpliciter dixit, ſanctitatem eſſe puritatem ſine omni crimine: quibus profecto verbis expreſſiſſet, ſufficere ad ſanctitatem, quod is, qui ſanctus diceretur, nullum haberet crimen:

D ſed ait, requiri ad ſanctitatem, vt ſit libera ab omni crimine, ad ſignificandum, tales virtutum habitus ad ſanctitatem in anima requiri, vt quantum fieri poteſt per Dei gratiam, talis anima nec vinci valeat à prauis obiectis, atque Dæmonum inſultibus. Etenim ſecundum ſanam doctrinam Hugonis, illa conſcientia pura dicitur, quæ de præterito non habet iuſtam accuſationem, nec de præſenti iniuſtam delectationem, nec de futuro falſam voluntatem. Et de præ-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

terito quidem non habebit iuſtam accuſationem Dei ſeruus, licet aliquando peccauerit; quoties commiſſa crimina per pænitentiam abluerit: nec de præſenti iniuſtæ delectationis maculam contrahet; ſi Dei gratia cooperante per exercitia virtutum talem habitum acquiſierit; vt minimè delectetur in prauis obiectis: à quibus dum vinci nequit, profecto nec de futuro falſam voluntatem habere poterit. Quãdiu enim ſecundum Richardum conſcientia in nobis aliquid imperfectionis inuenire poterit, eius nos reſpectus confundit, & cruciat, cuius ſtimulus nunquam finitur, donec omnis imperfectio de medio tollatur, & ad integritatis plenitudinem homo reformetur. A B

Ex hac Martyris Dionyſij ſanctitatis definitione, ea ratione explicata, plane conſtat, ſanctitatem dici nequaquam poſſe de quocunque homine, ſiue adulto, ſiue puero ſtatim poſt baptiſmum. Nam quamuis per baptiſmum vetus homo in aquis ſepeliatur, ac demergatur; & regeneratus ex aqua, & C ſpiritu ſancto exurgat; eiuſque anima à quocunque crimine, & macula libera remaneat, puritatemque, ac nitorem acquirat excellentiſſimum: Quia tamen puritas illa non eſt omnino perfecta per virtutum habitus, atque actuum exercitia, nec virtute baptiſmi paſſiones animæ ita ſedantur, vt per ſe ipſam talis anima quaſcunque tentationes vincere valeat: propterea certum remanet, ad ſanctitatis rationem, ac vt aliquis Sanctus dicatur, nequaquam ſufficere, baptiza- D tum eſſe, etiam ſi ſtatim poſt baptiſmum emoreretur, & ad cæleſtem patriam euolaret: ſed exercitia virtutum euangelicarum ad perfectam, & plenam ſanctitatis rationem omnino requiri, vt ſanctitas cultu, ac veneratione digna cenſeatur in Eccleſia.

Dicet fortaſſe aliquis, idem omnino argui poſſe de Martyrio: nimirum non ſufficere ad rationem ſanctitatis, quod

aliquis

A aliquis pro Chriſto ſanguinem, ac vitam effundat: cum poſſit contingere, aliquem Martyrem nullos non ſolū non edidiſſe virtutum actus per totam vitam; quin etiam quod aliquis criminoſus, ac ſceleribus plenus, data occaſione alicuius Tyranni perſequentis Eccleſiam, pro Chriſto ſanguinem fundat, & Martyr occumbat: & certum eſſe debet ex euangelica doctrina, animam huiuſmodi hominis ſic occumbentis per martyrium in Cælum euolaſſe. Cum igi-
B tur ſit eadem ratio martyrij, atque baptiſmatis, dicendum videbatur, recentem quoque baptizatum, ſi moriatur, inter ſanctos connumerari deberi; quemadmodum Martyr, qui fuerit aliquando criminoſus, inter ſanctos Martyres recenſetur.

Diuerſam tamen omnino rationem eſſe baptiſmatis, atque martyrij, liquidò patet. Nam baptiſmus eſt ſacramentum, & ratione gratię ſacramentalis ex opere operato emun-
C dat animam à quacunque labe, & macula. At verò martyrium, non tam ex opere operato, quam ex opere operantis in exercitio virtutis, animam à quocunque crimine, & labe emundat: cum ſit actus charitatis adeo eximius, vt maior dari nequeat, Chriſto id atteſtante Ioan. 15. cum ait. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Cum igitur charitas ſit adeò eximiæ dignitatis, vt non ſolum quamcunque peccatorum multitudi-
D nem operiat, vt dicebat Petr. 1. can. 4. ſed etiam eminenter contineat quarumcumque virtutum actus: quia, vt dicebat Apoſtolus Roman. 13. *Plenitudo legis eſt dilectio*: propterea in martyrio, & morte pro Chriſto tolerata, ſanctitatis ratio plenè, & perfectè conſiſtit. Et qui Martyr occubuerit, quantumuis criminoſus prius extitiſſet, verè Sanctus ab Eccleſia cenſetur, eiuſque nomen inter Martyrum memorias reponitur.

A

CAP. III.

De ſpeciali titulo Sanctitatis.

HONORIS cauſa fideles aliquos fuiſſe Sanctos appellatos in primitiua Eccleſia, ſacris ex oraculis noui teſtamenti ſatis apertè manifeſtum eſt. Verùm de hoc titulo Sanctitatis, quatenus honoris cauſa aliquibus concedebatur, agere minimè poſſumus; niſi aliqua alia in vniuerſum præmittantur, quæ ad titulorum notitiam nos deducere poſſunt, præſertim de vocabulis, quæ ad decorem perſonæ, de qua agebatur, quaſi quædam agnomina nomini adiungebantur. B

Nihil enim aliud nomen eſſe conſtat, quam *cuiuſcumque ſingularis rei vocabulum, & ſingularum proprium*. teſte Nonio, *per quod vnaquæque res non ſolum cognoſcitur; ſed etiam à quacunque alia diſtinguitur*. Sumitur quidem nomẽ à ratione conſtitutiua, & indiuiduali cuiuſcunque rei; per quam indiuidualem, & ſingularem rationem vnaquæque res diſtinguitur ab altera. Ad homines vero prædictam nominis rationem accommodantes dicemus cum Cicerone, nomen eſſe, *quod vnicuique perſonæ attribuitur, & quo quæque ſuo proprio vocabulo appellatur*. Hæc perſonarum, & ſingulorum hominum à reliquis diſtinctio, vt adhuc notior fieret; veteres Romani prænomina, cognomina, & agnomina excogitarunt: itaut prænomen eſſet, quod vnicuique ſingulare erat, & ex aliqua ſingulari ratione, vel caſu alicui imponebatur: vt exempli gratia aliquis aliquando dictus eſt Lucius, quod in ortu ſolis natus fuerit. Quintus aliquis dictus eſt, quod inter fratres quintum tenuerit locum, & C D

ſic de

A ſic de pluribus multa poſſent afferri. Cognomẽ verò à gente, & familia, à qua vnuſquiſque originem trahebat, ſumebatur. Quæ ſanè cognomina propterea gentilitia dicebantur; quod videlicet à gente ſumerentur. Quibus tandem eiuſdem diſtinctionis cauſa, quædam agnomina fuere adiuncta nobilioribus perſonis, à rebus fortiter in bello geſtis, vel aliqua alia de cauſa, à virtute nimirum ſumpta, ſeu à merito illius, cui imponebantur. Hæc autem agnomina, cum
B vltimo nominibus proprijs adueniſſent; propterea reliquis poſtponebantur; ſicut prænomina præponebantur, & nomen medium inter prænomen, & cognomen locum tenebat. Ita poſtremum locum agnomina tenuiſſe, docet Valerius apud Sigon. in libello de nomin. rom. §. *quid ſit nomen, prænomen, & cognomen*. vbi hæc habet: *Omnia, quæ ad vnumquemque noſtrum definiendum excogitata ſunt, eandem vim ſignificandi hominis obtinent. Quod per proprietatem di-*
C *citur, hoc diſtat; quia eo genus cognoſcitur, ideoque dicitur gentilitium; cætera ordine variantur. Nam quod præponitur, prænomen, quod poſtfertur, cognomen, quod ad vltimum dicitur, agnomen vocatur*. An vero agnomen à cognomine, & hoc ab illo diſtingueretur, diſputanda Panuinio in libello de antiquis nominibus, & Sigonio relinquimus. Hoc negat Panuinius, vt videre licet in §. *de cognominibus*. & quidem ſuam opinionem eruditiſſimè demonſtrat; affirmat
D Sigonius; iudicent alij: de hoc enim nobis laborandum non eſt, qui ad titulos honorarios properamus, quos quidem titulos inter agnomina fore reponendos liquet manifeſtè, cum à merito cuiuſcunque perſonæ ſumerentur; neminique in Chriſti Eccleſia concederentur, nec modo, niſi ex fortiter actis pro Eccleſia Dei, & ex actibus virtutum euangelicarum concedantur.

Horum titulorum ſiue agnominũ, quorum vſus extitit in Eccle-

Eccleſia, cognitionem neceſſariam in Chriſtiana Republica A
fore conſtat, cui cumprimis his noſtris laboribus ſubſeruire
ſtudemus: quia ab his honorarijs titulis, Cultus, Veneratio,
Inuocatio, Beatificatio, & Canonizatio ſeruorum Dei originem, formam, ordinem, inſtitutionem, ac ſolemnitatem
accepit, vt fideles ad virtutum imitationem prouocarentur.

Vt autem à vocabuli etymologica ratione exordiar: tituli dicuntur quædam vocabula, quaſi tutuli à tuendo: quod
nimirũ illi, qui his afficiuntur vocabulis, ijſdem tuti reddantur, ac etiã à reliquis diſtinguantur, qui titulis his non deſignantur. Tituli propriè dicebantur (vt rectè opinatur Hotom.) tabulæ, quæ in finibus agrorum ad eorumdem diſtinctionem erigebantur. In quibus tabulis Dominorum nomina inſcripta viſebantur, vt ex ipſis, cuius prædia eſſent,
dignoſceretur, ac prædium à prædio, vt diximus, diſtingueretur. Pro qua doctrina in lib. 11. Codicis eſt rubrica, B
Vt nemo priuatus titulos prædijs ſuis, vel alienis imponat, aut vela regia ſuſpendat. item titulus, *de his, qui potentiorum nomine titulos prædijs affigunt, vel eorum nomina in litem prætendunt*. C

Ab his autem tabulis, quæ prædijs apponebantur, reliquas tranſlationes ſumptas puto; quod velim notet Lector.
Cum enim ex his tabulis prædium à prædio, vt dicebamus,
diſtingueretur: & ex inſcriptionibus, cuius eſſet prædium,
dignoſceretur; nec non etiam prædij cuiuſcunque quantitas, ac fines, ſimiliter manifeſtaretur: cuius etiam dignitatis D
Dominus prædij eſſet, ex eiſdem tabellis colligeretur: hinc
ſumpta metaphora per varias tranſlationes apud Iuriſconſultos titulorum nomine veniunt iuſtæ poſſeſſiones. Sicut
etiam ad capita cuiuſcunque tractatus ſignificanda, ſumpta
metaphora à prædijs, & poſſeſſionibus, quę titulo notabantur, in libris legum ea ipſa capita tituli dicuntur. Pari ratione

A tione titulus pro cauſa per ordinem ad ius, & ad litem ſu-
mitur : & iuſtus titulus dicitur pro iuſta cauſa poſſeſſionis.
Quoniam ille dicebatur verum ius habere in aliquo prędio,
& iuſtè illud poſſidere, cuius nomen in titulo, nimirum in
tabella prædio affixa inſculptum legebatur. Eadem ſimi-
liter de ratione (ſumpta metaphora) inſcriptio, quæ alicui
libro, operi, vel ſtatuæ ad eius cognitionem, ſeu notitiam
præponitur, titulus appellatur; quod nimirum in ingreſſu
B cuiuſcunque prędij Domini nomen inſculptum legeretur.
Habet etiam titulus alias ſignificationes,quas gloſſæ in l. *Non
ambiguum*. C. famil. herc. Et in Nouel. de mandat. Princip.
§. titulos explicant.

Ex his quoque tabulis per tranſlationem, vocabula quæ-
dam, ſeu agnomina, per quæ alicuius perſonæ excellentia,
dignitas, virtus, meritum, munus, & poteſtas denotatur,
& aperitur, titulorum appellatione veniunt. Qua ratione no-
C mina magiſtratuum, per quæ eorum gradus, dignitates, &
imperia deſignantur, tituli dicuntur: quod his nimirum
illorum poteſtas, & præeminentia indicetur; munera ape-
riantur, & quanto hi ipſi in honore apud ciues eſſe debeant,
oſtendatur; quod perſonis his quoque, quaſi tabellis qui-
buſdam in Republica, eorumdemque præeminentia, & à
reliquis diſtinctio indicetur.

Tituli itaque à prænominibus, nominibus, ac cogno-
D minibus pluribus ex capitibus diſtinguũtur. Hæc enim no-
mina, prænomina, & cognomina perſonas ſingulares ſi-
gnant; tituli vero gradus, munera, & quamdam excellen-
tiam, veluti agnomina, ſubindicant. Nomen enim, atque
prænomen, licet perſonam demonſtrent; non tamen eiuſ-
dem perſonæ virtutem, meritum, defectum, aut ipſius ali-
quam proprietatem indigitant; quemadmodum tituli oſten-
dunt. Cognomen vero, licet eiuſdem perſonæ genus, at-

que

que familiam connotet: ſicut exempli gratia apud Romanos Fabiorum cognominis à Fabio Herculis filio gẽtis illius authore origo aperitur; teſte Plutarcho in Fabio. Pomponij à Pompone Numæ Regis filio, teſte eodem dicebantur; & ſic de reliquis, de quibus lector conſulere poterit doctiſſimos viros Sigonium, & meum Panuinium: nunquam tamen perſonæ alicuius dignitas, aut præſtantia ex illis cognominibus hauritur, ſicut ex titulis. A

Pari ratione, quamuis cognomen aliquod à virtute aliquando penes veteres ſumeretur; id contingebat, non ratione cognominis, ſed ex accidenti, cum alicui videlicet imponeretur cognomen, aut ab actione aliqua, aut à forma, aut à fortuna, aut à virtute. Tituli verò ex ſua natura, & ratione virtutum alicuius poteſtatem, aut excellentiam virtute partam indigitabant. Virtutem inquam, aut ſingularẽ eius, qui ſic appellabatur; aut ratione miniſterij, & officij, quod exercebat. Quando nimirum miniſterium aliquod virtutis meritum expoſcit in eo, cui tale miniſterium commendatum eſt, vt cap. *Non nos*, diſt. 40. de ſummo Pontifice dicitur. B C

Quia etiam virtuti debetur honor, & honor importat teſtificationem quandam excellentiæ alicuius; vt doctè tradidit D.Th. 2. 2. quæſt. 103. propterea omnes tituli venerationis aliquod genus annexũ ſeruant, per quod honorabilis redditur is, qui aliquo titulo in Republica decoratur: quam ob cauſam ſic excogitati tituli honorarij dicti ſunt, quod honorabilem indigitent illũ, qui titulo inſignitur. Eſt enim honor aliquod humanorum bonorum genus: immo exteriorum omnium bonorum ſummum, atque maximum exiſtimatur: vt 4. Ethic. dicebat Ariſt. propterea qui reliqui ſunt de populo, eos venerari coguntur, qui titulis in Republica condecorati extiterint. Quia honor iuxta Ariſt. D

A in 2. Ethic. *Eſt adhibitio reuerentiæ in teſtimonium virtutis*.

Cum igitur nec nomina, neque prænomina, aut cognomina, quantum ex ſe id præſtent; vt nimirum virtutem prædicent, aut honorabilem eum reddant, qui nominibus, prænominibus, aut cognominibus quantumuis ſpecioſis fuerit inſignitus; propterea diximus titulos præferendos fore nominibus, prænominibus, atque cognominibus. Quamuis interdum contingat, cognomina quoq; honorem
B aliquem alicui adferre: cum videlicet ab aliquo virtutis actu deſumpta fuerint. Vt Scipio, qui ab Africa deuicta Africanus dicebatur: & licet honoris cauſa ſic appellaretur: non tamen in ſucceſſores honor transfundebatur; niſi per reſpectum ad Scipionem, qui Africa domita Africani cognomen eſt adeptus.

Ex dictis ratio inſtitutionis titulorum in quacumque Republica expiſcatùr. Nam cum ex titulis honore afficeren-
C tur, qui his inſcribebantur; & quodãmodo ſaltem ex indirecto aliquẽ virtutis actum, ac meritum tituli indigitarent. Propterea cuiuſcunque Reipublicæ inſtitutores titulos excogitarunt, quibus non ſolum Magiſtratus à ſubditis ſecerneretur, & cuiuſque Magiſtratus Imperium, ac Poteſtas deſignaretur; ſed etiam cuiuſque in Magiſtratu perſonę virtus indicaretur: Vt his titulis, atque honoribus allecti Ciues, non ſolum ad ſectandam virtutem excitarentur; ſed etiam
D ad Reipublicæ commodum conquirendum incitarentur. Huc reſpiciunt nomina Regum, Principum, Magiſtratuum, Conſulum, Tribunorum, Prætorum, Senatorum, & in re militari Ducum, Quinquagenariorum, Centurionum, Decurionum, & ſimilia. Sicut etiam in his, quæ ad Religionem ſpectant, vocabula Pontificatus, Epiſcopatus, Sacerdotij, & reliquorum miniſteriorum, honoris, ac dignitatis cauſa adinuenta.

Sacra quoque oracula veteris teſtamenti hos ipſos titulos in Republica Iſraelitica à Moyſe inſtitutos oſtendunt: & viros virtute præclariſſimos ad eos promotos fuiſſe docemur ex libro Exodi cap. 20. vbi Ietro ſocer Moyſis de regimine Reipublicæ ſic ei conſiliũ dediſſe legimus. *Prouide autem de omni plebe*, ait Ietro, *viros potentes, & timentes Deũ, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam; & conſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicent populum omni tempore*. Pari ratione in eadem Republica circa ea, quæ ad Dei cultum, ac Religionem pertinebant, Leuitica tribus deſtinata cum eſſet; in ea Pontifices, & Sacerdotes minores, Ianitores, Pſaltes, Cantores, & alij plures miniſtri diuerſis titulis decorabantur, vt ad Dei cultum homines allicerentur. De his ſacrorum miniſtris paſſim ſacris in oraculis veteris teſtamẽti habetur mentio; præſertim in lib. Paralipom. in quo de illorum muneribus, & diſtributione miniſtrorum agitur, quos Dauid conſtituerat. Ad hæc autem munera in prima Reipublicæ Iſraeliticæ conſtitutione non quoſcunque, ſed viros ſanctiores, diuinoque ſpiritu plenos deſignatos fuiſſe conſtat, vt Reipublicæ Iſraeliticæ inſtitutio diuinitus facta palam monſtraretur. In quacunque enim bene inſtituta Republica, non quoſcunque, ſed viros tantum virtute præclariſſimos titulis honorarijs, atque gradibus cohoneſtandos fore, naturalis ipſa ratio commonſtrat.

A B C D

His ipſis de rationibus à ſuis primordijs Chriſtiana Reſpublica in Eccleſia gradus, magiſtratus, tituloſque honorarios habuit. Cuius hierarchici Ordinis Sanctos Apoſtolos (ex traditis à Chriſto Seruatore noſtro) non inſtitutores, ſed cõſtitutores extitiſſe ex Eccleſiaſticis hiſtorijs maniſeſtè patet. Nullius enim (vt ita dicam) paſtura ouium à Chriſto Petro commiſſa momenti exiſteret; niſi alicui Ordini in

A ni in diſcrimine ſuperiorum, & inferiorum hæc ipſa ouium paſtura, atque Eccleſiæ Regimen inniteretur: eorum nimirum, qui imperent, & aliorum, qui imperata faciant.

De hoc Ordine Hierarchico in Eccleſia, deque his titulis honorarijs, atque cum titulis honorarijs de miniſterijs, plura pluribus in locis Apoſtolus tradit: præſertim in epiſtola ad Corinth. cap. 12. in qua ad tria capita hæc munia reuocat: nimirum ad gratias gratis datas, ad miniſteria Eccleſiaſtica, B & denique ad operationes in Chriſtiana Republica neceſſarias, dicens. *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus; & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus; & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus.* Pro cuius Apoſtolici loci intelligentia notare oportet, ex eius phraſi Eccleſiam appellari ab eo Corpus Chriſti: fideles autem alterum alterius membra; propterea ait. *Sicut enim Corpus vnum eſt, & membra habet multa; omnia autem membra* C *Corporis, cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt; ita & Chriſtus.* Hac poſita metaphora loquitur Apoſtolus de gratijs gratis datis, quæ vnicuique fideli à Deo conceduntur per reſpectum ad proximum. Demum conſiſtens in eadem metaphora, de ordine hierarchico à Chriſto in Eccleſia conſtituto, deque muneribus, magiſtratibus, ac titulis honorarijs vniuſcuiusque ordinis loquẽs. *Vos autem eſtis*, inquit, *corpus Chriſti, & membra de membro: & quoſdam quidem po-* D *ſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde Virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum*, & ad Epheſ. cap. 4 in eadem ſententia ſcribens oſtendit primo vnitatem Eccleſiæ, quam ſimiliter metaphoricè vnum Chriſti corpus appellat. *Vnum corpus*, inquit, *& vnus Spiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ: vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma,*

vnus

vnus Deus, & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Deinde de Ordine hierarchico in Eccleſia à Chriſto conſtituto ſubinfert. *Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti; & ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores.* Et ſtatim rationem donorum diſtributorum afferens; quod nimirum non alia de cauſa fuerint conſtituta, atque diſtincta ea munera, niſi ad conſtitutionem hierarchici ordinis in Eccleſia ſubinfert. *Ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti.* Ex quibus ſanè locis, & alijs pluribus noui teſtamenti, diuerſa extitiſſe fideliũ munera, & magiſtratus in eccleſia primitiua, pro diuerſitate Ordinum, ſatis aperte ex verbis Apoſtoli colligitur: videlicet quod gradus Apoſtolatus, & Prophetatus, Ordo Euangeliſtatus, Epiſcopatus, Presbyteratus, Doctoratus, Diaconatus, & aliorum ordinum gradus à Chriſto duxerint originem. Quæ autem fuerint vniuſcuiuſque prædictorum graduum munera pro diuerſitate ordinum, infra ex doctrina ſacrorum oraculorum, non obſcure monſtrabitur.

Quonam verò ex fonte tituli honorarij in primitiua Eccleſia haurirentur, conſiderare oportet. Equidem quamcumque Rempublicam nullum alium agnouiſſe fontem honoris, ac titulorum honorariorum, niſi virtutis aliquem actum in gradu heroico, indubitatum eſſe debet, vel ſaltem in gradu virtutis optimo. Cuius virtutis gradus heroicus in ſeculari Republica in quodam fine politico conſtituitur ab his, qui de moribus philoſophicè ſcripſerunt per reſpectum ad bonum Reipublicæ. Propterea Ethnici nullum alium agnouerunt virtutis heroicæ gradum, niſi qui commodum Reipublicæ reſpexiſſet. Verùm cum in Chriſtiana

Reli-

A Religione, atque Republica, gradus virtutis heroicæ ne-
quaquam à politica aliqua ratione, ſed à ſupernaturali fine
ſumatur, ad quem operationes Chriſtiani ciuis diriguntur,
modo quodam eminentiſſimo: qui ſanè modus operandi
eminentiſſimus à ſola charitate prouenit. Propterea ab hoc
genere virtutum in gradu heroico, & ab operationibus ad
eum gradum charitatis ſublimatis, nec non etiam ab vnione
animæ cum Deo, titulos honorarios hauriri debere in Chri-
B ſtiana Republica dicendum erit.

Hanc doctrinã ex capite quarto ad Epheſios, me iudice,
manifeſte hauritur; ſi diligentiſſimè obſeruentur ea, quæ ab
Apoſtolo, antequam de ordine hierarchico Eccleſiæ agat,
præmittuntur. Nã vt explicaret Apoſtolus; vnde nam fide-
les titulorum, & graduum in Eccleſia fierent capaces: *Vnus
Dominus*, inquit, *vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, &
Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in om-*
C *nibus nobis*. Quibus ſanè in verbis, attentè conſideratis, ape-
rit Apoſtolus coniunctionem, vnionemque fidelium, tum
inter ſe, tum cum Deo, neceſſario prærequiri, vt dono-
rum, miniſtrationum, & titulorum fideles capaces exiſtant.
Quaſi velit Apoſtolus, exempli gratia, vt Doctoratus titulo,
aut Paſtoris vocabulo nemo inſigniri poſſit, qui priùs Deo
non fuiſſet explicitè coniunctus, ſaltem per conſecrationem,
& manuum ab Eccleſia impoſitionem.

D Colligitur quoque ex verbis Apoſtoli, quod in Chriſti
Eccleſia à primis vſque exordijs, tituli honorarij non ſolum
concedebantur fidelibus ad exprimendum dignitatem, po-
teſtatem, & miniſterium illius, cui titulus concedebatur
(in quo genere erant tituli Apoſtolatus, Epiſcopatus,
Presbyteratus; Diaconatus, & alij ſimiles) ſed etiam ad ex-
primendam excellentiam perſonæ, cui titulus concedeba-
tur ratione alicuius actus virtutis in gradu heroico, ex quo

vnio, atque coniunctio eiuſdem cum Deo, quantum fieri poterat in Eccleſia expreſsè colligeretur. A

Vbi igitur conſecratio, manuum impoſitio, aut benedictio non intercesſiſſet: tunc ratione aliquarum virtutũ, & actuum in gradu heroico, ex quibus perfectiſſimus charitatis actus hauriretur, tituli honorarij alicui ab Eccleſia concedebantur. Exempli gratia ex fortitudinis, & charitatis actibus in gradu heroico, quales ſunt non horrere carceres, vincula, tribunalia, mortiſque ſententiam pro euangelio, B tituli Sanctitatis, Confeſſionis, & Martyrij fidelibus, dum adhuc inter viuos eſſent, concedebantur. Sicut etiam ab hèroico temperantiæ actu circa ſenſuales delectationes, Virginitatis titulus, & Viduitatis mulieribus tribuebatur, niſi ex Eccleſiaſtica benedictione id accepiſſent. Hac enim ratione, ac titulis in eccleſia honoribus condecorati aliqui fideles præſtantiores cum eſſent; reliqui ad ſectandam virtutem in gradu heroico pro Chriſti amore, & ad contem- C ptum mortis, vinculorum, & agonum in teſtimonium fidei prouocabantur.

Ex his titulis, & graduum honorariorum inſtitutione hauſit, vt puto, Eccleſia ordinem illum, quem in ſanctorum inuocatione ſeruat, cum ſolemniter ſupplicandum in Miſſa fuerit, aut quouis in alio genere precum. Vt nimirum Angelis præmiſſis, ac patribus veteris teſtamenti in litanijs primum locum tribuat Apoſtolis, alterum Euangeliſtis, D tertium Chriſti Diſcipulis, & in quarto loco Martyres inuocentur, Quinto in loco Pontifices, & Epiſcopi veniant, poſtmodum Confeſſores, deinde Doctores, Sacerdotes non Epiſcopi quoque ſupplicantur, poſt quos inuocantur Leuitæ; qui miniſterio ſacri Altaris fuerunt addicti; Monachis demum inter viros locus datur. Et ne mulieres in Eccleſia nullo viderentur eſſe in loco, Virgines quoque inuocantur,

A tur, & tandem Viduæ. Quibus omnibus Sanctitatis titulus præmittitur, quæ titulos reliquos præcedebat. Et hac ratione inuocantur, quia cultus, & ſolius Duliæ veneratio ſanctis, ac Dei famulis ab Eccleſia conceditur.

Cur vero quemadmodum ſanctæ Virgines, ſanctæq; Viduæ in Eccleſiaſticis, & ſolemnioribus ſupplicationibus inuocantur; non etiam ſanctæ coniugatæ, ac ſancti coniugati prouocentur ad intercedendum pro nobis, requirendum B videbatur. Verum optima ratione coniugiũ inter venerationis titulos ab eccleſia nõ poni arbitror: coniugatoſque, ac coniugatas ſub hoc titulo excludi à litanijs; Quia cũ ſanctitas in coniunctione animæ cum Deo per ſummum amorem, & charitatem in heroico gradu conſiſtat: hancque coniunctionem animæ cum Deo in heroico gradu minime explicitè in coniugatis, vt coniugati exiſtunt, reperiri ſupponat eccleſia; propterea à Sanctis, ac litanijs hos ipſos fortaſſe C excludit. Quod vero in coniugio vnio animæ cum Deo in actibus extrinſecis minime appareat, hauritur ex Apoſtolĩ doctrina, qui loquens de coniugatis in prima Epiſtola ad Corinthios cap. 7. ait: *Qui cum Vxore eſt ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt*. Et ſtatim infra de coniugata muliere ſubintulit. *Quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro*. Cum igitur tota titulorum honorariorum ratio in Eccleſia, vt D dicebamus, ab heroica coniunctione animæ fidelis cum Chriſto per actus extrinſecos in obſequium Eccleſiæ ſumeretur: atque ab iſta heroica coniunctione coniugati, coniugatæque videantur ſecluſi: cum nec ſe ipſos per vota ſolemnia, vel quaſi ſolemnia Deo conſecrare poſſint, niſi ſoluto coniugio, nec per manus impoſitionem in obſequium Eccleſiæ deſignari, quod ſui iuris non ſint: Propterea coniugium nullum ſanctitatis titulum, aut honoris gradum in

 eccle-

Eccleſia obtinuiſſe reor. Nec enim interna animæ cum Deo coniunctio per charitatem, quamuis in perfectiſſimo gradu, nullis expreſſa externis ſignis, aut argumentis ad titulorum rationem ſufficiebat: ſed talem per manus impoſitionem indigitari, requirebatur. Ratio eſt, quia ſicut in Eccleſia externis titulis, ac gradibus dignitas, & honor cuiuſcumque Dei famuli deſignabatur: ita pariter argumenta, ſignaque externa requirebantur; per quæ aliquis his decoraretur titulis. Expreſſam vero coniunctionem alicuius animæ cum Deo hauriebat Eccleſia, (vt diximus) vel ex impoſitione manus Apoſtolorum, dum ipſi viuerent, aut Epiſcopi, ſeu Presbyteri poſtmodum; per quam manuum impoſitionem alicui ex fidelibus Spiritus Sanctus concederetur, & facultas, ſiue poteſtas ad miniſterium alicuius ordinis in Eccleſia daretur. Qua ratione tituli Apoſtolatus, Epiſcopatus, Presbyteratus & Diaconatus dabantur. Apoſtolatus quidem à Chriſto, & ab Apoſtolo Petro poſt Chriſti aſcenſum in Cælum, vt in actibus Apoſtolorum legimus de Matthia, Barnaba, & Paulo. Epiſcopatus autem per manus impoſitionem Apoſtolorum; Presbyteratus vero Diaconatus, & reliquorum omnium ordinum tituli, ac gradus concedebantur in Eccleſia per manuum impoſitionem Epiſcopi, qui etiam adhibitis nonnullis benedictionibus cum Monachis, Virginibus, & Viduis illos omnes Deo conſecrabat. A B C D

Vnum porro in inſtitutis ab Eccleſia litanijs animaduertere licet; cur nimirum ſub ſanctorum titulo inuocentur omnes Dei famuli, non vero ſub titulo Apoſtolatus, Martyrij, aut confeſſionis: dicaturque, *Sancte Petre Ora pro nobis*, non vero, *Apoſtole Petre ora pro nobis*. Sic etiam dicatur, *Sancte Stephane ora pro nobis*, non vero *Martyr Stephane ora pro nobis*; & ſic reliqui Dei famuli, ac famulæ ſub titulo

San-

A Sanctitatis, nequaquã vero ſub aliquo alio titulo Virginitatis, Martyrij, aut Confeſſionis inuocentur. Dixerim ego id quidem factum ab Eccleſia vſq; à ſuis primordijs, quod is eſſet primus titulus, quo Dei famuli, ac famulæ ab Eccleſia honoris cauſa condecorarẽtur, ſi vitæ ſanctitate, & ob aliquos virtutis actus in gradu heroico eo titulo ſe dignos præſtitiſſent. Quem titulum Sãctitatis ſtatim ac ab Eccleſia obtinuiſſent fideles, quoad viuerent, nominibus proprijs honoris cauſa B adſcripſiſſe arbitror. Quemadmodum Paulum feciſſe conſtat in epiſtola ad Epheſios, cum de ſe ipſo loquens. *Mihi autem omnium Sanctorum minimo.* dixit.

Hi vero tituli & gradus, quamuis honorabiles, ac ſpectabiles monſtrarent fideles; & ad quandam erga ſic condecoratos reuerentiam reliquos excitarent; nullum tamen eis, dum adhuc viuerent, cultum, ac ſpecialem duliæ venerationem præſtabant; ſed tantum prædictis titulis veneran- C dos eos eſſe, atque colendos poſt mortem indigitabatur. Dum tamen adhuc inter viuos agerent, ab illis ipſis titulis Sanctitatis, Confeſſionis, & Martyrij aliquod genus ſpectabilitatis, & honoris inter reliquos fideles ſic decorati recipiebant: totique Eccleſiæ in honore habebantur, qui carceres, vincula, quęſtiones, vngulas, & ignes pro Chriſto toleraſſent, mortiſq; latam ſententiam alacriter acceptaſſent. Et quemadmodum in quauis bene ordinata Republica prę- D clariores Ciues, ac Duces in honore habentur: ita pariter in Eccleſia Chriſti Epiſcopi, Presbyteri, & reliqui Eccleſię miniſtri ſemper venerabundi extiterunt. Sed quia Dei famuli vita iam functi, & apud Deũ exiſtentes, maiori, digniorique cultu venerandi cenſebantur; propterea conſueuit Eccleſia iam olim à ſuis primordijs ſub ijſdem omnino titulis Sãctitatis, Martyrij, ſiue Confeſſionis, ſub quibus ex hac vita deceſſiſſent; eoſdẽ Dei ſeruos, ac famulas fidelibus venerandas

proponere, & eoſdem ſub eiſdem titulis inuocare. Qua de A
cauſa in litanijs, alijſque Eccleſiaſticis ſupplicationibus ſub titulo Sanctitatis, Apoſtolatus, Martyrij, Confeſſionis, Virginitatis, ac alijs interceſsio famulorum, & famularum Dei, qui iam deceſſerunt, imploratur.

CAP. IV.

Sanctitatis titulus aliter Deo, ac aliter B
& creaturis ab Eccleſia tribuitur.

LEONARDVS Leſſius lib. 8. de diuinis perfectionibus doctè diſputat, qua ratione Deus Sanctus dicatur. Et licet Deum multis rationibus Sanctum dici conſtet, potiſſimum C
quinque modis Deum Sanctum appellari docet: nimirum radicaliter, obiectiuè, exemplariter, formaliter, & eminenter. Singula diſcutiantur, atque expendantur; quæ quidem ipſe latè loco citato demonſtrat. Nam radicaliter Deus Sanctus dicitur, quia eſſentia diuina eſt origo, & prima radix totius Sanctitatis, & puritatis. Cum enim ſanctitas eſſentialiter puritas quædam ſit, vt in eius definitione diximus; & Deus ſit fons totius puritatis, inde quoque fit, D
quod totius ſanctitatis fons exiſtat, & radicaliter ſanctus dicatur.

Obiectiuè quoque Deus dicitur ſanctus, quia eſt id, à quo omnis ſanctitas ſpeciem, ac modum accipit. Sicut enim impuritas naſcitur ex adhæſione creaturæ rationalis ad res creatas, & quo res creata eſt impurior, eo fortius qui ei adhæret, fit impurus: ita ex adhæſione ad ſuperiora, ac nobi-

A nobiliora gignitur puritas, & quidem maior, quo purius eſt id, cui adhæremus. Deus igitur purior, & nobilior reliquis cum exiſtat; propterea qui adhæret Deo, fit purior: & quo magis, vel minus creatura Deo adhæret, eo erit magis, vel minus pura. Cumque puritas genus exiſtat ad ſanctitatem, & quo aliquis eſt purior, eo magis ſit Sanctus; propterea dicimus, Deum obiectiuè fore Sanctum, quia eſt ſpecificatiuum, & diſtinctiuum ſanctitatis.

B Tertio Deus dicitur Sanctus exemplariter, ideſt per modum regulæ, quia ratione legis æternæ eſt regula totius ſanctitatis. Nam in conformitate noſtri affectus ad æternam legem veræ ſanctitatis ratio conſiſtit.

Formaliter quoque Deus dicitur Sanctus; quia diuina eſſentia eſt forma ſanctitatis; & Deus eſt Sanctus ex ſua eſſentia, quæ noſtro modo concipiendi eſt forma Deitatis eiuſdem.

C Quinto denique Deus dicitur Sãctus eminenter, & cauſaliter: quia Sanctitas in eiuſdem eſſentia eſt imbibita, & illius Sanctitas eſt cauſa efficiens cuiuſcunque ſanctitatis. Sicut Sol eſt eminenter lucidus, quia eſt cauſa cuiuſcunque creatæ lucis: & quodcunque corpus lucidum propterea lucidum eſt, quia lucem à ſole per participationem habet. Et quidem idipsũ diuinus ille Dionyſius Areopagita ſanguine proprio purpuratus docuit. Nam cum librum ſingularem, ac penè

D cæleſtem de diuinis nominibus ſcripſiſſet, de titulo ſanctitatis agit cap. 12. & qua ratione Deus Sanctus Sanctorum dicatur cum reduplicatione in ſcripturis his verbis explicauit. *Quoniam verò ea, quæ de his dicenda erant, finem vti puto congruum acceperunt: is, qui infinita habet nomina, modò nobis etiam laudandus eſt, vt Sanctus Sanctorum.* Et vbi de alijs diuinis nominibus plura dixiſſet, tandem concludit, Deum dici ſanctum ſupereminenter. *Hæc itaque omnia,*

 inquit,

inquit, *de cauſa illa tranſcendentali*. hoc eſt de Deo, *prædicanda ſunt, addendumque, ipſum eſſe ſupraeminentem ſanctitatem*. Hæc ſanctiſsimus ille Dionyſius. A

Verum quia ex phraſi hebraica Deus ſanctus ſanctorum aliquando dicitur: propterea quid hæc reduplicatio ex hebraica phraſi importet, & quam vim habeat diligentius diſcutiendum venit: vt inde fiant apertiora, quæ Sanctus Dionyſius acutiſſimè docuit. Prænotandum itaque erit, linguam hebraicam non habere vocem aliquam, aut B vocabulum, per quod ſuperlatiuum gradum exprimat; ſed poſitiuum exprimere per ſimplicē vocem: vt exempli gratia דְמַע *demangh*, poſitiuè liquorem ſignificat: כִּדְמַע *chidmangh* verò valet, ſicut liquor. Quamobrē comparatiuum gradum formari conſtat per adiectionē litteræ כ chaph ad vocem poſitiuam; quam vocem interpretamur per hanc ſicut liquor. Denique ſuperlatiuum in quacunque occaſione exprimunt Hebræi per eiuſdem vocis reduplicationem. C Quamobrem ad ſignificandum, quod aliquid ſit liquidisſimum, dicent דְמַע דְמַע *demangh demangh*, & valet idem ac liquidisſimum: deque aliquo, quod facile excurrat, ac defluat verificabitur: videlicet de aqua, vino, oleo, & alijs, quæ facile fluunt.

Hoc prænotato Deus dicitur Sanctus apud Hebręos per dictionem קדש *quados*, & vbi nos dicimus ſanctum ſanctorum legitur hebraicè קדש הקדשים cuius dicendi phraſis ſenſus eſt, quod Deus ſit Sanctus Sanctorum, ſanctitas ſanctitatum, ideſt, reliquis omnibus, qui ſancti dicuntur, magis ſanctus; quin etiam totius ſanctitatis fons, & origo: quod præclarè expreſſit Dionyſius per ſanctitatis ſupereminentiam. Propterea apud Iſaiam duo illi Seraphim, qui Deum laudabant, triplicando vocem קדש *quados* id faciebant. Cum enim ſuperlatiuus gradus ſanctitatis, vt diximus, vocis eiuſ- D

dem

A dem reduplicatione exprimatur, & Seraphin Deum inclamando *quados quados* קדוש. קדוש. ideſt Sanctus Sanctus, ea reduplicatione eumdem ſanctiſſimum dixiſſent: vt pluſquam ſanctiſſimum Deum exprimerent: non ſolum vocem eãdem duplicarunt, ſed triplicarunt: vt nimirum Deum eſſe pluſquam ſanctiſſimum indicarent: hoc eſt, vt dicebat Dionyſius ſupereminenter ſanctiſsimum. Quia nimirum Deus ſanctus eſt ex ſe in ſua ſubſtantia, & in ſua eſſentia;
B reliqua verò creata ſancta dicuntur tantum per participationem ſanctitatis à Deo.

Idipſum explicuit, ac docuit ſanctus Maximus in ſcholio, quod habet ſupra prædictum locum Dionyſij. *Quomodo Sanctus Sanctorum*, inquit, *& ſimilia Deus dicatur, mirificè explicuit. Quantum ſuperexuberans natura, & cauſa excedit qualitatem, & effectum: hoc enim eſt id, quod eſt; reſpectu eius, quod propriè non eſt: quantum differt id, quod par-*
C *ticipatur, ab eo, quod participat: tantum differt Deus, dum hæc dicitur, ab ijs, quæ illa habent per participationem; omnia enim ex Deo ſunt, & dicuntur; & habent; Deus ex nullo.* Itaque iuxta expoſitionẽ ſancti Maximi Deus dicitur Sanctus ſubſtantialiter, & eſt verè ſanctus. Reliqui tales dicuntur accidentaliter, & per participationem; adeò vt inter diuinam ſanctitatem, ac ſanctitatem reliquorum illud diſcrimen appareat; quod inter ſubſtantiam, & accidens; & quale
D eſt diſcrimen inter ens, & non ens; quod nimirum Deus verè ſit ſanctus, reliqui verò nequaquam ſint eiuſmodi, ſed tantum denominatiuè ſancti dicantur. Tertiam denique diſtinctionem aſsignat S. Maximus, quod diuina ſanctitas non ſit participata ab aliquo, ſanctitas vero reliquorum participata eſt à diuina ſanctitate.

Tranſeamus iam ab increatis ad creata, & à Deo ad creaturas, quibus ſanctitatis vocabulum adaptatur. Nam ſanctus

ctus, vt Maximus præclare obſeruauit in Dionyſium religio- A
sè, ac piè interpretando, quæ ab Ethnicis ad Deorũ multitu-
dinem detorquebantur; & ad Principes, qui inferioribus
pręſunt, quos docuit vocari ſanctos ſecundum excellentiam
reſpectu inferiorum hominum, quibus Reges, ac Principes
præſunt. Quamuis vero ea Sanctitas, quæ de quibuſcun-
que creaturis dicitur, non ſit eiuſmodi ſecundum ſubſtan-
tiam, ſed per accidens, & per participationem, nihilominus
de incorporeis, ac ſpiritualibus creaturis potiori quadam, ac B
diuiniori ratione ſanctitas dicitur, quam de corporeis, mo-
leque terrena grauatis: quamobrem excellentiori quadam
ratione Angeli dicuntur ſancti, & verius, quam Reges, ac
Principes. *Quemadmodum enim ex cratere exuberante*, ait
ſanctus Maximus, *vicina quidem vaſa prima replentur, reci-
piendo id, quod ad ipſa defertur: deinde ipſis etiam exuberan-
tibus in alia ſubiecta vaſa diffunditur, & pro multitudine,
ac diuerſitate ſuſcipientium, ſiue puſillorum, ſiue magnorum* C
*id, quod ex cratere exuberat, quodammodo diſtribuitur, at-
que transfunditur: Ita craſsiori quadam ratione abundan-
tiam diſtributionis donorum diuinorum per primas diſpoſitio-
nes in omnes diſtributam eſſe cogitandum eſt.* Ex quibus pla-
ne conſtat, propterea Angelos inter Creaturas incorporeas
ſanctos appellari; quia inter Deo viciniora vaſa viciniſſima
exiſtunt; cum iam Deo fruantur: & excellentiori quadam
ratione ſanctitatem participent à Deo, qui eſt fons, & origo D
totius ſanctitatis.

Quod ſi ſanctitatis vocabulum à ſanguine deriuatum di-
xerimus, vt placuit Iſidoro loco à nobis iam citato in ca-
pite primo; hac etiam ratione Dei famulos, & Ciues trium-
phantis Eccleſiæ ſanctos appellabimus: quia nimirum ſan-
guine Agni immaculati iam redempti, eiuſdem ſanguinis
pretio, ac merito gloriam adepti ſunt cæleſtem, & Deo
fruun-

A fruuntur in perpetuas æternitates. Ea propter cum Ioanni in Apocalypſi cap. 7. multitudo ſanctorum fuiſſet oſtenſa; atque vnus ex ſenioribus Cœleſtibus Ioannem interrogaſſet, an ſciret, quinam illi eſſent; & Ioannes reſpondiſſet, id ſe neſcire, ſubintulit Senior ille. *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni*. Vt omnino intelligeret Ioannes, à ſanguine Chriſti accepiſſe illos locum, & ſedem inter
B ſanctos.

Si denique à ſanctione ſanctitatis vocabulum velimus deducere: etiam hac ratione Dei famulos ſanctos dici manifeſtum erit: quod nimirum in decreto Canonizationis id expreſsè ſummus Pontifex decernat ex ſententia iudiciaria. Quamobrem non ſolum diuina participatione, ſed ſanctione, ac vigore ſanguinis à Chriſto fuſi Angeli, ac Dei famuli, & famulæ Sancti, Sanctæque appellantur.

C Ab incorporeis ad corporea, quibus ſanctitatis vocabulum communicatur, noſtra ſeſe conuertat oratio; nimirum ad eos, qui adhuc ſuperſtites ſunt: nam etiam inter viuos ſunt aliqui, qui ſancti appellantur, de quibus ita Dionyſius. *Ἁγίους δὲ καὶ βασιλεῖς, καὶ κυρίους, καὶ θεοὺς καλεῖ τὰ λόγια, τὰς ἐν ἑκάστοις ἀρχικωτέρας διακοσμήσεις, δι' ὧν αἱ δεύτεραι τῶν ἐκ θεοῦ δωρεῶν μεταλαμβάνουσαι*. hoc eſt. *Sanctos autem, & Reges, & Dominos, & Deos vocant Scripturæ, quæ ſunt principaliores*
D *in vnoquoque Ordine, per quos ſecundarij*, ſiue inferiores *Dei munerum participes fiunt*. Cumque regimen Reipublicæ, & leges, quæ ad eam rectè gubernandam conducunt; inter præcipua Dei munera annumerari debeant: propterea ex doctrina Dionyſij Principes quoque, ac Reges ſancti appellantur.

Sed quia à nobis ſuperius ſanctitatis vocabulum à ſagminibus herbis deriuatum ex doctrina Martiani dicebatur; & à ſan-

ſanguine deriuari Iſidorus docebat, ſicut à ſanctionibus A
Feſtus, & alij dixerunt cum Vlpiano l. *Sacra loca.* §. *pro-*
priè lib. 1. Digeſt. tit. 8. propterea certum, atque indubita-
tum ſit, Sanctitatis vocabulum, veluti honoris, & decoris
titulum apud veteres, & præſertim Latinos ſcriptores re-
ceptum extitiſſe, atque viris attributum; idque apertiſsimè
plurima ſuadent antiquitatis monumenta.

Apud Ethnicos Plutarcho teſte per excellentiam ὅσιοι vo-
cati ſunt vani vaniſſimorum Deorum ſacerdotes. Apud B
Iudęos quidam religioſi vocati ſunt Haſidei, vt Serarius in
Trihæreſio lib. 5. cap. 9. oſtendit. Et apud Vopiſcum in
Aureliano Imperatore Patres conſcripti dicũtur ſacratiſsimi
Quirites. Milites ſanctiſsimi dicuntur, Imperatores quoque
ſanctos dictos fuiſſe conſtat. Legati pariter cuiuſcunque
gentis ſancti dicuntur apud Pomponium l. *Si quis legatum*
lib. 50. ff. tit. 7. Patroni ſimiliter, atque Patres ſancti re-
putari debent à filijs, atque libertis ex doctrina Vlpiani l. C
libertà lib. 37. ff. tit. 15. Et in eccleſia Chriſti fideles quo-
que, qui Chriſto nomen dediſſent, & pro Chriſto aliquid
paſsi fuiſſent, in ſacris noui teſtamenti litteris Sancti dice-
bantur. Nam viuos ſanctos ſalutat Apoſtolus Rom. 1. &
in 1. Corinth. cap. 1. in 2. Corinth. cap. 1. ad Epheſ. 1. &
alibi ſæpè in ſuis epiſtolis ſanctorum meminit Apoſtolus,
ſuiſque miniſterijs, quantum fieri poteſt, coadiuuat. Epi-
ſcopos pariter ſanctos appellatos fuiſſe, monſtrat Chryſoſto- D
mus, itemque Monachos, ac Religioſos ſanctos dictos fuiſ-
ſe ex Origene hom. 10. in librum Num. & ex Hieron. epiſt.
34. perſpicuum eſt.

Verum diuerſa ratione, quos retulimus viuos homines
ſanctos dictos fuiſſe, conſtat. Imperatores etenim, Patres,
ac Patroni Sancti dicti fuere vigore ſanctionum, ac legum,
quibus apud iuriſperitos inuiolatos, & ab iniuria immunes

fore

A ſore decernuntur, tam Imperatores per reſpectum ad eos, quibus imperant, quam patres per reſpectum ad filios, & patronos per reſpectum ad libertos, quos patroni iam liberos feciſſent: In his enim ſanctitatis vocibus non tam perfectionis, ac puritatis animæ reſpectus habetur, quam ratio honoris reſpiciatur, qui Principibus Dei perſonam ſuſtinentibus, & à Deo datis magiſtratibus debetur. Si enim Ennio Poetæ licuit ſuo iure, vt ait Tull. in Orat. pro Archia.
B *Sanctos appellare poetas, quod quaſi Deorum aliquo dono, atque munere commendati nobis eſſe videantur*; Quãuis moribus minus quandoque probati exiſtant: Multo ſanè rationabilius Sancti, ac etiam Sanctiſſimi alijs de cauſis iam dictis Principes dici poterunt, dignitatiſque cauſa debitum titulum ei denegari, non licebit.

Sanguinis Chriſti meritò fideles dictos fuiſſe Sanctos in Eccleſia militanti manifeſtum eſt. Equidem peſsimis quibuſque aliquãdo, & flagitioſis hominibus, quin etiam diuinæ
C maieſtatis hoſtibus infenſiſsimis, interdum tributum conſtat hunc præclariſsimum ſanctitatis titulum. Nam Sanctus Martyr Dionyſius Alexandrinus apud Euſeb. lib. 7. hiſtor. cap. 10. Gallienum, ac Valerianum Imperatores Romanorum, peſsimos Idololatras, Chriſtianæque Religionis hoſtes infenſiſsimos non dubitauit ſanctos appellare coram Æmiliano eorundem Imperatorum Pręfecto. Vt in reſpon-
D ſo, quod Æmiliano protulit, videre licet in editione Euſebiana græcolatina, & apud Baronium to. 2. ſub anno Chriſti 260. quãuis græcè pro ſanctiſsimis habeatur θεοφιλεστάτοις, ideſt, *Deo amabilibus*. Quos enim ſanctiſsimos latinè dicimus ἀλυβέστατοι, & θεοφιλέστατοι gręcè ibi dicuntur. Quibus quidẽ titulis in liturgijs Græcorum ſanctiſsimos, ac ſanctos appellatos comperimus Imperatores etiam hæreticos, Catholicæ religionis, ac fidei hoſtes, & Catholicorum virorum perſecutores.

cutores. Ad quos etiam Epiſtolas ſub eo titulo Sanctitatis ſcriptas à Patribus comperimus. Ex Codino quoque Curopalata de offic. Conſtant. Eccl. cap. 17. n. 22. habetur, in coronatione Imperatoris populum pluries Imperatorem Sanctum acclamaſſe. Et S. Hilarius etiam Imperatorem Conſtantinum propter auctoritatem imperialem Beatiſſimum nũcupauit in Epiſtola ſecunda contra Conſtantium, quam de fide edidit, & Conſtantino obtulit. A

Satis apertè ex hucuſque dictis colligi arbitror, quanto rationabilius cæteris Principibus Summus Pontifex Romanus Sanctus, atque Sanctiſsimus appelletur. Quamuis contingere poſsit, eundem moribus minimè probatum iri; quod Deus auertat. Sciendum eſt itaque, Papam non dici Sanctum, nec Sanctiſsimum ex vitæ merito, ſicut Chriſtus dicitur Sanctus Sanctorum; ſed auctoritatiuè ex dignitate, & miniſterio, quod habet alios ſanctificandi. Ad tollendum verò quemcumque ſcrupulum circa hunc titulum, quem Catholici omnes Sũmo libenter Pontifici tribuimus; aduertendum eſt, quod ſanctificare aliquem auctoritatiuè ſtat dupliciter, nimirum formaliter, & virtualiter. Et quidem primo modo ſolus Deus ſanctificat creaturas rationales, tanquam forma ſanctitatis. Eſſentialiter enim Deus cum ſit Sanctus, ſolus ipſe per gratiæ habitualis infuſionem creaturas rationales, Angelos nimirum, & homines ſanctificare poteſt. At verò auctoritatiuè, & inſtrumentaliter non ſolum Papa, ſed etiam Epiſcopi, ac reliqui Sacerdotes in Baptiſmo, in adminiſtratione ſacramentorum ſanctificant tam homines, quàm ſacra vaſa: quam ob cauſam ipſi quoque Sancti dicuntur. B C D

Summus Pontifex ex plenitudine poteſtatis, & altiori præ cæteris Epiſcopis miniſterio, quod habet alios ſanctificandi, & ſancta Sacramenta miniſtrandi, Sanctiſsimus dici-

tur.

A tur. Nam etiam Concilia generalia (vt notat Henr. Kalteiſen. Dominicanus in oratione habita in Concil.Baſilien. reſpondens ad articulos Bohemorum) dicuntur ſancta, & ſanctiſsima: non quidem à ſanctitate perſonarum inibi exiſtentium, ſed ex plenitudine officij tractandi ſancta, & ex infallibili Spiritus ſancti aſsiſtentia. Qua etiã de ratione Eccleſia Catholica in terris militans Sancta dicitur; Non propter ſanctitatem omnium in ea exiſtentium, cum boni, &
B mali in ea reperiantur: ſed propter ſanctiſsima eius officia, propter ſacramentorum miniſterium, & ſanctitatem doctrinæ, quam docet; & denique propter infallibilem Spiritus ſancti aſsiſtentiam in Eccleſia, de qua propriè dicebat Petrus. *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.* Nec non propter præſentiam Chriſti perpetuam dicentis. *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.*

C Papa itaque eiſdem rationibus, ac Eccleſia Sanctiſsimus, Sanctus, Beatiſsimus, atque Beatus appellatur; Non quaſi extra ſtatum viæ æternaliter ſit conſtitutus, & Beatus; ſed propter admirandam poteſtatis, quam habet, excellentiam, quæ propè Chriſtum attingit; tanquam eius Vicarius in Eccleſia militanti, & Petri ſucceſſor. Quicquid enim poteſtatis, quicquid gratiæ ſacramentalis, quicquid cæleſtis diſpenſationis à Chriſto capite relictum eſt in Eccleſia; &
D Petro ab eodem commiſſum fuit; id totum commiſſum eſt diſpenſationi Romani Pontificis Chriſti Vicarij, & Petri ſucceſſoris. Quamobrem propter ſanctiſsima eius miniſteria, propter ſanctitatem doctrinæ, quam in pectore habet; propter ſanctitatem ſacramentorum, quorum diſpenſatio eidem cõmiſſa eſt; propter infallibilem Spiritus Sancti aſſiſtentiam ad regimen Eccleſię vniuerſalis in docendo, ac decernẽdo, quę ad fidei dogmata pertinent; meritò titulo Sanctitatis

ctitatis condecoratur; & rectè ſanctus, atque ſanctiſſimus A
appellatur. Quod etiam alijs Epiſcopis olim concedebatur. Nam S. Hieronymus Chromatium Epiſcoporum ſanctiſſimum appellat in præfatione ad librum Paralipomenon: & Pammachium virum admirabilem, & ſanctum appellat in præfatione ad Ioſue. Quod etiam de alijs demonſtrare poſſumus.

CAP. V. B

Cælites verè, & propriè Diui, ac Sancti dicuntur.

LOQVIMVR in hoc capite de his, qui iam deceſſerunt: & duplicem de his nomenclaturam conſideramus: alteram Eccleſiæ Catholicæ, alteram nonnullorum grammaticorum, qui cum ab ethnicis, & antiquis linguæ Latinæ ſcriptoribus vocabula ſint mutuati; Heroes iam prædefunctos vocabulis quoque politioribus quandam diminutam deitatem ſignificantibus exornant. C

Sed prænotandum erit prædefunctos fideles ad duplex nos reuocare genus. Vel enim Cælo iam recepti beatiſsimo Dei perfruuntur aſpectu; vel eo quidem aſpirant, ſed aliquo cum diuerticulo, ac mora, poſt Chriſti Domini aſcenſum in Cęlũ: & tandiu retardantur, donec ab omni labecula peccati, quæ ſanctitatis pulchritudinem, ſplendoremque obfuſcat, emundentur. Olim etiam ante Chriſtum Dominum, aut eandem purgationis ob cauſam, aut quãuis nulla pulchritudinis macula obfuſcarentur, expectationis Meſsiæ ſolius de cauſa, moram in limbo trahebant Patres veteres, donec è cælo deſcenderet, illòque rediret æternus Dei Filius Saluator D

noſter

A noſter Chriſtus Dominus, qui tandem ipſo reſurgente ſi-
mul cum illo Cæli ſuprema penetrarunt.

Hi igitur, qui deceſſerunt iam, ſed adhuc purgantur,
diuinaque viſione non perfruuntur, minimè Sanctorum vo-
cabulo veniunt in Eccleſia, nec cælites dicendi ſunt: ſed tan-
tum hoc vocabulo, ac titulo condecorantur, qui cœlo iam
ſunt recepti, & per quandam antonomaſiam Sancti appel-
lantur; Et Galli, ac Itali, loci, in quo beatiſſimam degunt
B vitam, ſignificationem aſpicientes, hos ipſos vernaculè *San-
ctos Paradiſi* vocant.

Hanc Sanctitatis nomenclationem Dei famulis, cæle-
ſtibuſque conceſſam ab Eccleſia ſtomachantur nouatores.
Catholicoſque viros, & Romanam Eccleſiam redarguunt,
quod cum pietate defunctos viros Dei ſeruos, ac famulas
Sanctos, ac Sanctas appellare audeant. Nam etiam olim
ex Iconomachi Leonis impietate ex Sanctorum quadragin-
C ta Martyrum templo, deleto Sanctitatis titulo, non niſi tem-
plum quadraginta Martyrũ ipſius decreto ille vocari volebat:
& tã is, quam ipſe Copronymus Dei famulos prædefunctos
Sãctos appellari vetabant, vt ſcribit Michael Glicas in Annal.
par. 4. & in miſcellaneis Conſtitutionibus Imperatorijs in
Theophilo hæc leguntur. *Michaelus Pater eius edixerat,
ne vlli pictæ imagini, vbicumque ea eſſet, nomen Sanctus im-
primeretur; quod id nulli rei, præterquam ſoli Deo congruere*
D *putabat*. Et quidem hæc ipſa eſt nouatorum noſtrorum
temporum ratiuncula: ſed horum tanto inſania eſt maior,
quanto ſceleratius, & ſtolidius hoc Sanctitatis vocabulum,
non tam imaginibus, quam Beatis Dei famulis, qui ſempi-
terno iam æuo perfruuntur, adimere audent: vt hac ratione,
non ſolum antiquatas hæreſes ab orco reuocent; ſed errori
errores, hæreſi hæreſes adiungant, catholicamque doctri-
nam, etiam in verbis inſectentur; vt eã ſuſpectam penes im-

peritum vulgum, quantum fieri per ipſos poteſt, reddant. A
Nos contra nouatores, ac Hæreticos tam antiquos, quam noſtri temporis dicimus, Sanctos, ac Diuos verè in Eccleſia appellari, quotquot cum pietate, ac notis euangelicæ perfectionis defuncti cum ſint, nulla purgationis cauſa mora detinentur: ſed Cælum poſſident, ac Deo in perpetuas æternitates perfruuntur.

Vt verò ex veterum monumentis hæc probentur, à Diui Grammaticorum vocabulo exordiamur: ſatis enim dubium B
fuiſſe conſtat inter Grammaticos, qui nam Diui, qui verò Dei apud veteres dicerentur. Diſcrimen iſtud tetigiſſe putant Virg. 2. Æneid. verſ. 138. vbi Iuno Iuturnam alloquitur.

Diua Deam, ſtagnis quæ fluminibusq; ſonoris
Præſidet . . . .

Vbi Iuno ſororem Turni Iuturnam appellat, Diuæque titulo ſe ipſam exornat. Ex quo ſanè loco diſcrimen aliquod in- C
ter Deam, ac Diuam, & inter Deos, ac Diuos hauriri conſtat ex Seruio vetere Maronis interprete, apud quem hæc leguntur. *Deos perpetuos dicimus, Diuos, qui ex hominibus fiunt*. Sic dictos ſecundum aliquos, quaſi diem obierint. Vnde Diuos etiam Imperatores vocamus: hinc Iuuenalis. *Reſpice riuales Diuorum*. Secus ſentiunt Varro, & Ælius Grammaticus: docent enim, Diuos dici, qui ſunt perpetui: *Deos qui propter ſui conſecrationem timentur, vt Dij manes*. D
Plura alia poterunt videri apud alios huius farinæ homines; Arbitror enim cum Seruio, Diui nomen ex cęremonia apotheoſis, quæ tunc fiebat, traxiſſe originem.

Sed quicquid ſit de his vocibus, illarumque differentia; explodatur ſaltem à noſtris Cælitibus, ſiue ſint Angeli, ſiue homines prædefuncti: explodatur inquã Diuinitatis, ac Deitatis vocabulum: idque tantum in illo ſenſu, & cum illa im-

pro-

A proprietate aſſumatur, cum qua loquitur Pſaltes in Pſal. 81.
vbi ait. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes*. Quo in loco,
qua ratione Deitatis, ac Diuinitatis nomen ſumatur, plane
explicat Saluator noſter in Euangelio, & expoſitores in illo
pſalmi loco: textuſque ipſemet hebraicus idipſum aperit.
Nam vbi nos legimus Deitatis vocabulum, dictionem
אֱלֹהִים *heloim* habet? Quæ potius ſuperioritatem quandam
creatam, ac iudiciariam poteſtatem per reſpectum ad ſub-
B ditos, quam aliquid aliud ſignificat.

Diui vocabulum explodendum à cœleſtibus noſtris exiſti-
mat Belarminus in operum ſuorum recognitione edita In-
golſtadij. Ipſo enim ſtatim in limine ſic habet. *Ego nun-
quam probaui vocem Diuus, vel Diua cum de ſanctis agitur:
tum quod eam vocem apud veteres Latinos Patres non inue-
niam, tum quod apud Ethnicos Diui nomen Dijs tantum tribui
ſoleat*. Verum cum hæc ipſa ratio non omnino ſubſiſtat;
C eò quod Diui nomen hominibus, nimirum Imperatoribus
adhuc viuentibus datum aliquando fuiſſe conſtet: propte-
rea quamuis laudanda, commendandaque ſit tanti viri re-
ligio: non tamen omninò prædictam vocem exploden-
dam à cæleſtibus noſtris cenſet doctiſſimus vir Serrar. in
opuſculo, quod inſcribitur Litaneutico 2. q. 6. & optimis
quidem rationibus id commonſtrat.

Doctiſſimo Serrario in hac parte mihi ſubſcribendum
D putaui: vt Cælites noſtros Diui vocabulo condecorari, ac
inſigniri poſſe abſq; ſcrupulo, mihi conſtitutum ſit. Quem-
admodum enim in fortunæ vocabulo, ſi rectè explice-
tur, vt in 2. Phyſicorum à Chriſtianis Philoſophis fieri ſo-
let, nihil periculi eſt: ita Diui vocabulum, ſi recte intel-
ligatur, Sanctis, atque cælitibus non malè tribuitur. Ne-
que obſtat, me iudice, huiuſmodi vocabulum apud Patres
Eccleſiæ non inueniri. Etenim nec ſacræ chriſtianorum

ædes, ac Eccleſiæ, templi vocabulo apud antiquos Patres vocitatæ leguntur: quin potius docti exiſtimant, templi vocabulum ethnicum fore: & tamen quis hodie refugiat ſacras ædes, atque eccleſias templa appellare? Sicut nec etiam Beatitatis vocem, quam Ethnici falſis Dijs tribuerunt, hodie, veluti honorificentiſſimam, nemo ſanæ mentis à cælitibus explodet. Pari igitur ratione dicimus, quod quamuis ab ethnicis Diui nomen Dijs, ſiue perpetuis, ſiue ex hominibus factis tributum ſit, quin etiam peſſimis Imperatoribus; nihilominus recte intellectum cælitibus noſtris quam libentiſſimè tribuimus: non quidem ex phraſi eccleſiaſtica, ſed potius ex phraſi ſcholaſtica politiori, atque elegantiori Cælites Diuos quoque dici poſſe arbitrantes. A B

Verum propriori vocabulo cælites noſtros ſanctos appellari, indubitatum exiſtat: & hoc quidem ex veteri Sanctæ Eccleſiæ conſuetudine, ac Sacrorum Oraculorum phraſi: & ſanctorum Patrum vetuſtiſſima ſcripta hoc manifeſtè probant. Etenim in veteri Tobiæ ſacro libro ipſemet ſeipſum ſanctorum filium appellat: & Patres, ac Patriarchæ veteres, qui iampridem obierant, & ſurrexerunt cum Chriſto; Sancti dicuntur ab Euangeliſta, cum ſcribit *multa corpora Sanctorum* in eius morte ſurrexiſſe, multisque apparuiſſe in ſancta Ciuitate Hieruſalem. Quemadmodum etiam Apocal. cap. 11. num. 18. Sancti appellantur quotquot in fide Chriſti ſub illis temporibus ſupremum iam clauſiſſent diem. C D

Ratio quidem, cur Cælites ex hominibus aſſumpti Sancti iure appellentur, multiplex eſt. Prior quidem, quod ex hominibus aſſumpti veram in ſeipſis ſanctitatem integram, ſinceram, puram, putam, & omnis prorſus culpæ, vitij, ac vitioſitatis expertem habeant. Quamobrem ſi papyrus ſimpliciter alba dicitur, cui nihil nigredinis, aut maculæ

A ineſt; cur non etiam illi Sancti dicentur, quibus defæcatiſſima, emaculatiſsima, ac limpidiſsima ineſt ſanctitas? Qualem neceſſe eſt, illã fore, quæ in Cœleſtẽ Hieruſalem ſedem habet. Cum de ea ſcriptum ſit. *Non intrabit aliquid coinquinatum in ea.* Ita Apocal. cap. 21. n. 27. Quamobrem cum neceſſariò Cælites noſtri iam eò tranſlati veram, puramq; ſanctitatem habeant, ex conſequenti verè, ac propriè Sancti dicentur.

B Poſſunt, qui hic viuunt, nimirum qui infelicis huius vitæ decurrunt ſtadium, ſanctorum affici nomine: vt de Imperatoribus etiam ethnicis iã probatum eſt. Poſſunt Pontifices Summi Catholicæ Eccleſiæ Præſides ſic vocari: ſicut olim Epiſcopi etiam omnes, & alij plures vócabantur: vt vidimus: quorum ſanè incertus eſt exitus: quibus propterea Apocal. 3. dicitur. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Et Sancti, atque Sanctiſsimi dicendi minimè

C erunt cælites noſtri, qui optatiſsimam illam Beatitatis metam longe feliciſsimo iam contigere curſu? Nunquid ſanctitatis vocabulum, ac titulum negabimus his, qui floribus nunquã marceſcentibus iam ſunt coronati? Qui ſplendore, cui obſcuri nihil, aut nubili accidere poteſt, condecorantur? Qui lętitia inenarrabili afficiuntur; quę ne ad tẽporis quidem punctulum, in ſæcula deinceps omnia minuetur? Quibus tandem dicitur in eadem Apocalypſi. *Qui vicerit, faciam*

D *illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* Hi inquam ſancti dicendi non erunt? Dicantur itaq; à nobis Cęlites noſtri verè, ac propriè Sancti; fremat quantumuis hæreticorum inſania, & ſub hoc ſanctitatis honorificentiſsimo titulo à nobis inuocentur: vt in periculoſiſsimo huius vitæ curſu, illorum interceſsionibus apud Deum adiuti, eorumdem in cœleſti gloria perpetuo aſpectu frui mereamur.

Argumento etiam ſumpto à minori ad maius ex auctoritate ſacrarum literarum comprobetur, Cælites noſtros verè ſanctos appellari poſſe. Quis enim neget, Cælites noſtros, quique Deo fruuntur, propriè ac verè ſanctos appellari poſſe? Cum illud ipſum vocabulum in libro Tobiæ his tribuatur, qui Chriſti vſque ad aduentum reſurrectionem, ac in Cælum aſcenſionem in Limbo olim detinebantur; quamuis nondum Cælo, ac Deo fruerentur? Stuporis enim, & A
amentiæ arguebant Tobiam parentes, atque cognati, & illius familiares; quippe qui cum experiretur, nullum percepiſſe ſuæ pietatis, & clementiæ fructum à Deo, vel ingrato, vel tot meritorum immemori: ſperaret tamen eleemoſynas ſuas, & ſepulchrale officium, quibus in operibus Dei famulus fuerat impiger Dei liberalitate aliquando compenſatum iri. Dicentes Tob. 2. *Vbi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas, & ſepulturas faciebas?* B

Hos contra Dei famulus Tobias impietatis arguebat, ſtudebatq; illorũ linguam cohibere maledicam duabus præſertim rationibus: tum quia Patres habuiſſent ſanctos, tum quia feliciora expectarent, & æterna ſæcula. Dicebat enim *Nolite loqui, quoniam filij ſanctorum ſumus; & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Familiare enim fuit, non modo aqud Sacros, ſed etiam apud Profanos, poſteris parentum proponere exempla, illorum pręſertim, qui vitæ perfectionem ſectantes titulo ſanctitatis condecorati extitiſſent. Cum igitur ſacris in literis veteris teſtamẽti Tobiæ anteceſſores, qui Deo minimè fruebantur, ſancti dicti ſint: multo ſane rationabilius Dei famulos Euangelicę perfectionis ſectatores incorruptos, poſt exutam mortalitatem ſanctos appellabimus: cum certò nobis ex Chriſti teſtimonio conſtet, hos ipſos Deo frui in perpetuas æternitates. C D

Suma-

A Sumatur quæſo aliud argumentum à definitione ſanctitatis, quam ex Dionyſio hauſimus, & explicauimus cap. 2. huius ſectionis. Dicebamus ibi: *Sanctitatem eſſe puritatem immaculatam, & incontaminatam, liberam à quocunque crimine, & omni ex parte perfectam*. Ex qua ſanè definitione cum planè conſtet, ad rationem ſanctitatis non quamcunque expoſci puritatē, ſed eam tantùm, quæ maculari nequeat: & quamdiu miſer homo viuit, ac ſpirat, cū nulla poſsit
B dari puritas, quæ maculari nequeat; nulluſq; poſſit concipi purus homo, qui nequeat labi, dicente Apoſtolo in prima Corinth. cap. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat*. Et adeo ſit labilis hæc puritas præſentis vitæ, vt quidam in extremo etiam humanæ fabulæ actu; ab eo, quod oportet, ac decet, abierint, & in vltimo cum hoſtibus prælio ſuccubuerint, atque ab ipſo penè cœleſtis palatij limine retro ſeſe egerint. Et ex aduerſo hi tantùm, qui ſuperas illas feli-
C ciſſimas cœleſtis palatij ſedes ex Chriſti gratia penetrarunt: non ſolum quorumcunque præliorum victores exiſtant; ſed ea perfruantur puritate immaculata, conſtanti, atque perpetua, vt non tantum à quacunque præſenti macula, ſed ab omni etiam futura labecula, ab omni lapſiuncula remotiſſimi, atque ſecuriſsimi exiſtant: profectò hi tantum puritate libera à quocunque crimine, & omni ex parte perfecta cum perfruantur: propterea verè, & propriè ſanctitatis titulo con-
D decorandi, & ſancti dicendi erunt. Non quidem eſſentialiter, ſed tantum participatione Diuinæ Sanctitatis, quæ totius ſanctitatis fons, & origo eſſentialiter, ac ſubſtantialiter exiſtit.

CAP. VI. A

Sanctitatis titulus, quibus olim daretur ab Eccleſia.

SED quibuſnam ex fidelibus adhuc in Eccleſia militantibus, ab exordio Religionis Chriſtianæ Sanctitatis titulus concederetur; res B videtur ſuboſcura. Viuos etenim ſanctos Paulum ſalutaſſe conſtat pluribus ex locis ſuarum epiſtolarum. Vt ad Philip. 4. dicit. *Salutate omnem ſanctum in Chriſto Ieſu*. Ac etiam Eccleſias Sanctorum nomine non ſemel ſalutat, vt 2. Corinth. 13. cum ad eos ſcribens ait. *Salutant vos omnes Sancti*. Ac etiam in epiſtola ad Philipp. cap. 4. in fine cum ait. *Salutant vos omnes ſancti, maximè qui de Cæſaris domo ſunt.* Quibus ex locis ſanè liquet, C ſanctitatis titulum quibuſdam fidelibus adhuc inter viuos conceſſum fuiſſe in primitiuis Eccleſiæ temporibus: quibus ſalutationes in epiſtolis dari, atque ab eiſdem recipi, ac per epiſtolas etiam mitti reddique poterant. Ad eoſdem ſuas Paulus dirigit epiſtolas, vt ex earum epigraphe cõſtat. Nam ad Roman. 1. ſic habet. *Omnibus, qui ſunt Romæ dilectis Dei vocatis Sanctis*. Et in prima ad Corinth. habet: *Sanctificatis in Chriſto Ieſu vocatis ſanctis*. In epigraphe epiſtolæ D ſecundæ Corinthiorum habet. *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, cum omnibus ſanctis, qui ſunt in vniuerſa Achaia*. In epigraphe epiſtolæ ad Epheſios ait. *Omnibus ſanctis, qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Ieſu*. Pari ratione epiſtola ad Philippenſes dirigitur. *Omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis*. Similiter epiſtola ad Coloſſenſes dirigitur *eis, qui ſunt Coloſsis, ſanctis.* Et in Epiſtola ad Philemo-

nem

A nem dicit, per charitatem illius viſcera Sanctorum requieuiſſe. Sic etiam monet Epheſios cap. 6. vt orent pro Sanctis dicens cap. 3. n. 18. *Orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus ſanctis, & pro me*. Quibus omnibus ex locis, & alijs pluribus, quæ afferri poſſent, manifeſtum eſt, ac planum Sanctorum vocabulo militantes fideles aliquos ſignificari.

Verùm quinam hi eſſent in Eccleſia militanti: qui, &
B qua ratione, dum adhuc inter viuos eſſent, ſanctitatis titulo primitiua in eccleſia decorarentur, ſupereſt inquirendum: præſertim quod ex cõmuni fere Doctorum ſententia, qui in epiſtolas Pauli commentaria ediderunt, quotquot Chriſto nomen dediſſent, quique credentes, & fideles communi vocabulo dicebantur, hos ipſos ſanctos quoque dictos fuiſſe tradatur. Ita Baronius to. 1. annalium anno 43. pag. 298. Ioannes Ant. Velazquez in epiſtolã ad Philipp. cap. 1.
C Hoc etiam Sanctius docuit in acta Apoſt. cap. 9. num. 8. ea ratione motus, quod qui baptiſmo luſtrati fuiſſent, & ſanctis ex euangelio inſtituti legibus, ſanctos eſſe oporteat. Ribera pariter id explicat in epiſt. ad Hebr. cap. 3. num. 1. Lorinus in cap. 2. act. 27. & cap. 9. eadem ratione Chriſtianos omnes appellatos fuiſſe Sanctos arbitratur: atque in hoc ſenſu à Paulo in epiſtolis ſic appellatos omnes fideles cẽſet. Cum nimirum ſanctos ſalutat, vel pro ſanctis orationes, aut
D collectas fieri mandat. In hac eadem ſententia, ac interpretatione huius vocis citatur ab eiſdem ſcriptoribus Tertullianus lib. 1. ad Vxorem & lib. 2. cap. 1. 2. 3. & 6. Citatur quoque ab eiſdem Chryſoſt. homil. 44. in act. In eodem ſenſu ſanctorum nomen ab Ignatio, & Polycarpo in epiſtolis vſurpari exiſtimant citati auctores.

Cornelius à Lapide ſummæ auctoritatis ſcriptor in epiſtolas Pauli pluribus in locis ſtat in eadem ſententia, & arbitratur

tratur ſanctorum nomine fideles omnes intelligendos eſſe. A
Quamobrem in cap. 15. epiſt. ad Romanos verſ. 26. expli-
cans verba illa. *In pauperes ſanctorum*, ſic ait. *Hoc eſt, in*
pauperes Chriſtianos, & cap. 1. in epiſt. ad Epheſ. num. 1.
explicans τὸ *omnibus Sanctis* poſitum in epigraphe epiſtolę
ait: *Ideſt, omnibus Chriſtianis, qui ſancti ſunt vocatione,*
debito, & obligatione, quia in Baptiſmo ſanctificati, vocati
ſunt ad ſanctè viuendum, debentque in omni vita, & conuerſa-
tione eſſe ſancti, vt dixi Rom. 1. 11. 7. hæc ille. Et paſſim ſic B
interpretatur eam dictionem, quoties occurrit in epiſtolis
Apoſtolicis. Et Paulus ſanctos cum in epigraphe epiſtolæ
cõpellat dicens: *Omnibus, qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis*
ſanctis. Atque in prima ad Corinth. *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Co-*
rinthi, ſanctificatis in Chriſto Ieſu, vocatis ſanctis, cum omni-
bus, qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et cum
cap. 6. Corinthios reprehendit Apoſtolus, quod conten-
dant in tribunali Ethnico dicens. *Audet aliquis veſtrum ha-* C
bens negotium aduerſus alterum iudicari apud iniquos, & non
apud ſanctos? an neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo iudica-
bunt? nec non etiam Corinth. 2. cap. 1. cum ait. *Eccleſia*
Dei, quæ eſt Corinthi cum omnibus ſanctis, qui ſunt in vni-
uerſa Achaia. Et cum ad Epheſios ſcribens cap. 1. ait: *Pau-*
lus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei omnibus ſanctis, qui ſunt
Epheſi, & fidelibus in Chriſto Ieſu. Ac etiam in epiſtola ad
Philippenſes cum his eiſdem verbis vtitur dicens. *Omnibus* D
ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Dia-
conibus. Vbique his in locis, ac in reliquis ſanctorum voca-
bulo, fideles omnes, qui Chriſto nomen dediſſent, tam
Cornelius, quam reliqui iam relati intelligendos affirmant.

Verum cum idem ſanctitatis titulus Deo, & Chriſto tri-
buatur in Scripturis, quod fidelibus omnibus etiã peccato-
ribus communis eſſet, minimè affirmandum putaui; nec prę-
dicto-

A dictorum virorum ſententiæ mihi ſubſcribendum exiſtima-
ui: ſalua doctiorum virorum ſententia. Sequeretur enim,
quod etiam Simon magus, qui Chriſto nomen aliquando
dedit, Ananias, & Saphira ob crimen à Petro extincti, ſan-
cti aliquando dicti fuerint; quod nulla ratione admittendum
arbitror. Hanc enim ipſam ſententiam Origeni errandi
anſam præbuiſſe arbitror, cum in hom. 10. ſuper librum
Numerorum, non omnes ſanctos ſine peccato fore docuit:
B nec ad veram ſanctitatem requiri inculpatam vitam, & à
peccati labe immunem aſſeruit. Quod cum ille pluribus
confirmet argumentis, cum primis argumento ſumpto ex
epiſtolis Apoſtoli Pauli probat; putatque ad ſanctitatem ſuf-
ficere, quod homines in obſequium Dei ſe ipſos mancipa-
uerint, ſic enim ait. *Sancti dicuntur, ijdemque peccatores,
illi, qui ſe vouerunt quidem Deo, & ſequeſtrauerunt à vulgi
conuerſatione vitam ſuam, ad hoc vt Domino ſeruiant: huiuſ-*
C *modi ergo homo ſecundum hoc, quod ſe cæteris actibus circunci-
ſis Domino mancipauit, ſanctus dicitur.* Quem ſanè nimis
latè, ac impropriè Sancti vocabulum, ac ſanctitatis titulum
accepiſſe perſpicuum eſt.

A communi itaque prædictorum doctorum ſenſu, & cō-
muni ſanctitatis vocabuli interpretatione, communique lo-
corum Pauli explicatione diſcedere argumentis, & rationi-
bus cogor, ac ſanctorum quidem vocabulo in Eccleſia à
D primis vſque temporibus, non quidem fideles omnes (qui
etiam credentes appellabantur, etiamſi baptiſmum non re-
cepiſſent) Sanctorum vocabulo in litteris noui teſtamenti
dictos fuiſſe dixerim; Sed ſelectiores tantum ſic vocatos, ni-
mirum viros puros, innocentes, immaculatos, & Dei culto-
res ſelectiſſimos, qui nimirum virtutum actibus heroicis
fulgerent; carceribuſque euangelicam virtutem, ac fidem
Chriſti comprobaſſent, non verò reliquos omnes fideles

promiſcuè, aut ſine delectu, vt citatos iam auctores dixiſſe monſtrauimus. A

Hoc, vt reor apertiſſimè probatur ex illis Matthęi Euangeliſtæ verbis, in quibus cum mortem, ac reſurrectionem Chriſti ille referret: piorum quoque hominum cum illo reſurrectionem aperiret ait. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*. Vbi Sanctorũ ſanè vocabulo, non impij, aut criminoſi intelliguntur, qui iam obierant, ac in Inferno cruciabantur: ſed illi tantum ſub ea voce veniunt, qui in termino poſiti locum quietis adepti cum B fuiſſent, vna cum Chriſto regnaturi ſurgebant. Quo etiam ex loco Sanctorum vocabulum eo tempore minimè ignotum, aut obſcurum extitiſſe probatur, ac ea voce viros inculpatos, integritateque morum laudabiles ſignificari planè probatur.

Accedit ad hæc Origenis auctoritas, qui in Leuit. explicans verba illa cap. 20. Leuit. *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum*. Poſtquam declaraſſet, qua ratione vaſa ſacra, ſacræ C veſtes, & reliqua ad miniſterium altaris ſancta dicerentur: & qualiter illud ipſum vocabulum hominibus tribueretur: veritate compellente ſubintulit. *Quod ſi intellexiſti, quomodo vel anima, vel vas, vel veſtimentum ſanctum appellatur: conſequenter intellige, quod his obſeruationibus, & legibus etiã homo ſanctus appellatur. Si quis enim ſeipſum deuouerit Deo: ſi quis nullis ſe negotijs ſæcularibus implicauerit: vt ei placeat,* D *cui ſe probauit: ſi quis ſeparatus, & ſegregatus à reliquis hominibus carnaliter viuentibus, & mundanis negotijs, non quærens ea, quæ ſuper terram, ſed quæ in cælis ſunt, iſte merito ſanctus appellatur*. Ex quibus verbis ſubodoratur ſelectiores tantum fideles, qui nimirum ſoli Deo placere ſtudent, Sanctos dici, non vero qui negotijs ſæcularibus, ac criminibus implicantur.

Quiſnam

A Quiſnam, precor, dum audit Paulum vocantem ſanctos Philippenſes, Epheſios, Corinthios, Romanos, magnarum Vrbium Incolas; arbitretur Corinthios omnes, Philippenſes omnes, Epheſios omnes, ac Romanos omnes, qui tunc temporis Chriſto nomen dediſſent, re vera innocentes, immaculatos, iuſtos, atque in omni virtutum genere tam perfectos extitiſſe, vt verè ſanctos eos omnes ſibi perſuadeat? Eo videlicet ſanctitatis genere, quo ſan-
B ctitas in Eccleſia ab eo vſque tempore ſumebatur? Cum his ipſis in eccleſijs plurimos fideles non ſolum poſtmodum lapſos ſciamus, ſed etiam grauiſſimis criminibus obnoxios? vt etiam adnotauit Origen. homil. 10. in lib. Numer. aduertit enim ille plures ex his, ad quos Paulus ſcribebat, non leuibus criminibus fuiſſe maculatos.

Ex ipſis etenim epiſtolis manifeſta ſunt crimina Chriſtianorum illius primi ſæculi. Nam ad Romanos ſcribens teme-
C ritatis quoſdam redarguit cap. 14. dicens: *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei*. Erat enim Romæ exorta contentio inter fideles, qui ex circumciſione crediderant, & eos, qui ex gentibus Chriſto nomen dederant, circa delectum ciborũ: non tam propter obſeruantiam legis Moſaicæ, quam etiam cauſa victimarum, quæ Idolis fuiſſent immolatæ: de hac contentione, deque temerario iudicio Paulus quoſdam in Romana eccleſia fideles redarguit. Sancti ergo non erant
D omnes, qui Romæ commorabantur.

Ad Corinthios quoque ſcribens Apoſtolus obijcit eis, quod lites habeant inter ſe ipſos dicens. *Cum enim ſint inter vos ſchiſmata, & contentiones, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Quis ergo audeat inter Sanctos connumerare eos omnes, qui contentionibus, ac iurgijs tenebantur? Et iterum alibi. *Iam diuites facti eſtis, & ſine nobis regnatis*, & iterum *Tanquam autem non venturo me ad vos, inflati*

inflati ſunt quidam. Et paulo poſt reprehendit eoſdem de indicibili inceſtu his verbis. *Omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes: & vos*, inquit, *inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis?* Quibus ſanè in verbis Paulus nullum Corinthiorum quodãmodo relinquit immunem à crimine, dum alijs fornicationis, alijs inflationis, & ſuperbiæ crimen obijcit: quos etiam de irreuerentia in vſu ſacræ Euchariſtiæ reprehendit in agape facienda, & in alijs ſacris obſeruãtijs. Non quidẽ, quod omnes Corinthij his criminibus cõmaculati forent; ſed quod in Corinthiorum Eccleſia aliqui exiſterent, & reliquis fidelibus adnumerarentur, qui prędictis criminibus tenebantur. In reliquis quoq; epiſtolis multoties Apoſtolus eoſdem, ad quos ſcribit, nonnullis criminibus reprehendit. Quamobrem licet in epigraphe, ſeu inſcriptione epiſtolæ ſanctorum meminerit; conſtat tamen, non omnes fideles illius eccleſiæ, ad quos epiſtolæ dirigebantur ab Apoſtolo, ſanctos dici potuiſſe. A B C

Si ergo Sanctitatis vocabulum puris tantùm, ac innocentibus debetur: expectabis amice Lector, quid ego inter viros doctiſſimos, ac ſapientes de vocabulo ſanctitatis, quo vtitur Paulus in ſuis epiſtolis, in medium afferam: qui nam videlicet Sanctorum vocabulo in epiſtolis prædictis intelligendi veniant. Et quidem ſaluo omni meliori iudicio, exiſtimaſſe me fateor Sanctorũ vocabulo, non quidem fideles omnes, qui nihil pro Chriſto ſuſtinuiſſent: ſed ex fidelibus chriſtianis eos tantùm ſanctitatis vocabulo decorari conſueuiſſe ab eccleſia; qui euangelicæ perfectionis ſectatores ſelectiores cum forent, Religionis Chriſtianæ cauſa, ac propter euangelium carceribus mancipati extitiſſent, aut bonis expoliati, ſeu ad metalla damnati, aut aliquo alio genere cruciatuum afflicti ab hoſtibus chriſtiani nominis fuiſſent. D

Cum enim dixerit Chriſtus. *Maiorem charitatem nemo*

habet

A *habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis :* ſuoſ-
que diſcipulos ad aliquid perferendum pro nomine ipſius
hortatus fuiſſet aliquãdo dicens. *Beati eritis, cum maledixerint
vobis homines, & perſecuti vos fuerint, ac dixerint omne malum
aduerſum vos, mentientes, propter me.* Atque his profectò ver-
bis perfectionis euangelicæ apicem in charitatis ſummo
gradu Chriſtus repoſuerit: qui vitæ propriæ prodigi alacri-
ter pro Chriſto, & euangelicæ doctrinæ defenſione, ſangui-
B nem, ac vitam poſthabentes, carceres, flagella, bonorum
rapinam, ac alias iniurias, & damna ſuſtinuiſſent, aut ſuſti-
nerent, Sancti ab Eccleſia, me iudice, dicebantur. In eo enim
quod patiebantur, perfectiſſimam erga Deum charitatem
oſtentabant: ac proinde quemadmodum à tribunali, à tor-
tura, & capitis condemnatione Chriſtianæ primitiuæ Eccle-
ſiæ Martyrij, ac Confeſſionis titulos hauriebant: (vt ſuo loco
videbimus ex Cypriano, Tertulliano, & alijs pluribus) ſic
C etiam ſanctitatis vocabulum, ac titulum à captura, & car-
ceribus eoſdem hauſiſſe dixerim: ita vt ſtatim ac aliquis pro
Chriſti fide ad carceres traheretur, is in Eccleſia, & inter fi-
deles titulo Sanctitatis decoraretur.

Sacrarum literarum teſtimonijs, quantum fieri poteſt,
hæc ipſa, quæ diximus, probentur; & ex antiquis eccleſiæ
ruderibus eruantur. Et quidem ex actibus Apoſtolorum
cap. 9. manifeſtum id fore arbitror. Cum enim Dominus
D Ananiæ cap. 9. Act. apparuiſſet, illumque ad Saulum cate-
chizandum tranſmitteret: opus declinare tentauit Ananias,
reſponditque. *Domine audiui à multis de viro hoc, quanta
mala fecerit ſanctis tuis in Hieruſalem.* Ananiæ verba ex-
pendantur, & qui nam ſint hi, qui ab eo ſancti dicuntur,
quoſque in Hieruſalem Saulus vexauerat, perquirere ſi ve-
limus, adeamus eiuſdem libri cap. 8. n. 3. vbi ſic legimus.
Saulus autem deuaſtabat Eccleſias per domos intrans, & tra-

hens

hens viros , ac mulieres tradebat in cuſtodiam . Quos igitur A Ananias ſanctos, & à Saulo vexatos dixit, hi ſunt, quos ipſe Saulus carceri pro fide Chriſti mãcipauerat. Et cap. 22. de ſe ipſo, deque ſuis actis coram Iudice teſtimonium reddens Saulus dixit. *Ego ſum vir Iudæus natus in Tharſo Ciliciæ, nutritus autem in iſta ciuitate.* (de Hieruſalem loquitur) *ſecus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternæ legis, æmulatorque legis, ſicut & vos omnes eſtis hodie, qui hanc viam*(ideſt doctrinam euangelicam) *perſecutus ſum vſque ad* B *mortem. alligans, & tradens in cuſtodias viros, ac mulieres, ſicut Princeps Sacerdotum mihi teſtimonium reddit, & omnes maiores natu*. Et cap. 26. eiuſdem libri ipſemet Paulus coram Rege Agrippa ſic loquitur. *Et ego quidem exiſtimaueram, me aduerſus nomen Ieſu Nazareni debere multa contraria agere: quod & feci Hieroſolymis, & multos ſanctorum ego in carceribus incluſi, à Principibus ſacerdotum poteſtate accepta, & cum occiderentur, detuli ſententiam*. Ex quibus ab C eodem Paulo dictis, vt puto, manifeſtum eſt, Sanctorum vocabulo ex phraſi eccleſiaſtica illius ſæculi, eos tantum ſignificari fideles, qui carceri mancipati fuiſſent à Saulo, & ad ſanguinem pro Chriſto fundendum parati forent.

Accedunt ad hæc teſtimonia quoque ex Conſtitutionibus Apoſtolicis apud Clem. lib. 5. cap. 2. cuius quidem conſtitutionis verba tam apertè noſtram ſententiam probant, vt aliquid apertius deſiderari nequeat. Verba enim D illius conſtitutionis eos appellatos fuiſſe ſanctos oſtendunt, qui pro Chriſto aliquid ſuſtinuiſſent. Eſt enim decretum de eleemoſynis tranſmittendis ijs, qui pro Chriſto carceribus mancipati fuiſſent. *Quare omnes fideles*, ait, *per Epiſcopum veſtrum de facultatibus, ac de labore veſtro miniſtrate Sanctis. Siquis non habet, ieiunet, partienſque victum quotidianum diſtribuat Sanctis. Siquis copia bonorum abundat,*

plura

A *plura pro ratione facultatum præbeat. Quod ſi poſſet venditis ſuis bonis eos carceribus liberare, beatus cenſebitur, & amicus Chriſti. Nam qui pauperibus bona ſua dat, perfectus eſt pro rerum diuinarum cognitione: multo magis qui id pro martyribus facit. Is enim dignus eſt Dei amore; Obtemperabit enim eius voluntati, præbens illis, qui eum confeſſi ſunt coram Gentibus, Regibus, & filijs Iſrael.* Hæc ibi. Ex quibus plane conſtat, Sanctos appellari apud Clementem ex Apoſtolica B phraſi, qui propter Chriſtum carceribus detinebantur, vel ad tribunalia ducti Confeſſionis Euangelicæ laude, & titulo in Eccleſia condecorati extitiſſent.

Pro hac ipſa veritate, & doctrina S. Pius Papa, & martyr in Epiſtola ad S. Iuſtum Epiſcopum Lugdunenſem ſtare videtur. Habetur hæc Epiſtola in prima parte to. 1. Concil. & apud Baron. tom. 2. ſub anno Chriſti 166. Qui quidem annus nonus extitit Pótificatus prędicti Pij. Is ſcribens C ad S. Iuſtum ſic ait: *Cura autem Sanctorum martyrum corpora, ſicut membra Dei: quemadmodum curauerunt Apoſtoli Stephanum. Carceres Sanctorum viſita, ne aliquis tepeſcat in fide.* Qua quidem in epiſtola Sanctorum nomine veniunt hi, qui vincti detinebantur pro Chriſti fide in carceribus: illorumq; cauſa, qui ibi claudebantur, carceres ipſos, Sanctorum carceres appellat Sanctus Iuſtus.

Tandem maximum argumentum pro nobis ex Apoſtoli D epiſtolis hauritur: præſertim ex eo loco, in quo Apoſtolus ſe Sanctum aliquando appellat: obſeruando videlicet, quod nullibi in ſuis epiſtolis ſe ipſum ſanctum appellare Paulus auſus eſt; niſi cum pro Chriſto catenatus Romæ in carcere detineretur. De quibus catenis, ac vinculis adeo gloriabatur Apoſtolus, vt nomen propriũ vincti titulo cõdecoraret. Nam ſcribens ad Epheſios cap. 3. *Ego Paulus*, inquit, *vinctus Chriſti Ieſu pro vobis gentibus*. & cap. 4. *Obſecro ita-*

que vos ego vinctus in Domino. & cap. 3. num. 13. dixerat: A
Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra. Hæc autem dicebantur à Paulo, quia ſibi creditam à Domino euangelij diſpenſationem in Gentibus profitebatur. Propterea ſua vincula gloriam gentium reputari exiſtimabat. Dum igitur catenis, & in carceribus Paulus detineretur Romæ, auſus eſt ſe Sanctum appellare cap. 3. ad Epheſ. num. 3. his verbis. *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus euangelizare* B
inueſtigabiles diuitias Chriſti. Et commendans ſe Epheſiorum orationibus ſanctis ſe annumerat dicens. *Orate pro omnibus ſanctis, & pro me*.

Pro cuius epiſtolæ, & allatorum verborũ intelligentia attendi debet, Eccleſiam non ſolum eſſe ſollicitam conſueuiſſe, ne quid deeſſet Martyribus, ac Confeſſoribus, & reliquis Chriſtianis, qui in vinculis detinebatur, ex neceſſarijs ad victum, & veſtitũ: ſed inſuper ſpiritualibus illos colloquijs recreaſſe, ſacrificijs, ac orationibus eoſdem (quantum fieri C
poterat) iuuare contendiſſe: ne in fide teperent, aut tormentorum generibus terrerentur. Sic legitur in actibus Apoſtolorum, dum Petrus Herodis iuſſu in carcere detineretur. *Oratio autem fiebat*, inquit Lucas act. 12. *ab Eccleſia ſine intermiſsione ad Deum pro eo*. Sunt loca plura Tertulliani. Eſt locus etiam Cypriani, qui aperte id, quod diximus, oſtendit in epiſt. 16. iuxta editionem Pamelij. Scribitur hæc epiſtola D
à Cypriano ad Moyſem, & Maximum, reliquoſque Confeſſores in carcere cõſtitutos, in qua de orationibus, quę fiebant ab Eccleſia pro illis, hæc habet. *Et nos quidem veſtri diebus, ac noctibus memores, & quando in ſacrificijs precem cum pluribus facimus, & cum in receſſu priuatis precibus oramus: coronis, ac laudibus veſtris, plenam à Domino fauentiam poſtulamus*. Et fauentiam pro fauore dictam rectè notauit Pamælius.

A lius. Ad hanc itaque conſuetudinem reſpiciens Paulus, dum Romæ vinctus in carcere detineretur, Epheſiorum orationibus ſe ipſum, & reliquos Sanctos commendat: eos nimirum, qui pro fide Chriſti vexabantur, atque in carceribus detinebantur. Quibus quidem ſe quoq; annumerat dicens, cap. 6. *Orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtãtia, & obſecratione pro omnibus ſanctis, & pro me: vt detur mihi ſermo in apertione oris mei, cum fiducia notum fa-*
B *cere myſteriũ Euangelij, pro quo legatione fungor in hac catena.* Eſt enim hæc Epiſtola ſcripta ab Apoſtolo, dum Romæ in vinculis detineretur, vt optimè Cornelius à lapide obſeruauit, & ex ſubſcriptione græca probatur, quæ ſic habet. πρὸς ἐφεσίους ἐγράφη ἀπὸ ῥώμης διὰ τυχικοῦ. ideſt, *ad Epheſios ſcripta ex Roma per Tychicum.* Paulus autem Sanctis in hac epiſtola, & non in alijs ſe annumerat, ex conſuetudine primitiuæ Eccleſiæ, in qua, vt dicebamus, qui pro fide Chriſti carceribus, ac
C catenis vinciebantur, Sanctitatis titulo decorabantur.

Hac doctrina, & animaduerſione loca plurima epiſtolarum D. Pauli, actorum Apoſtolicorum, & aliorum librorum noui teſtamenti illuſtrantur: præſertim ſi præ oculis habeatur Eccleſiæ primitiuæ ſtudium, ac diligentia occurrendi ſanctorum neceſſitatibus, illorum nimirum, qui vel rapinam bonorum pro Chriſto paſſi fuiſſent, vel in exilium quoquomodo pulſi, ac damnati extitiſſent: ſiuè carceribus pro Chri-
D ſto mancipati forent. Extat de hac diligentia conſtitutio apoſtolica apud Clem. lib. 5. cap. 1. vbi Apoſtoli *ſic* decernunt. *Si quis Chriſtianus propter nomen Chriſti, & charitatem erga Deum, ac fidem, ab impijs ad ludos, aut ad beſtias, aut ad metallum fuerit damnatus, illum non deſeratis, ſed de labore, atque ſudore veſtro illi in victum mittatis.* Et ſtatim infra cap. 3. de carceribus mancipatis idipſum decernunt Apoſtoli dicentes. *Incluſis vero in cuſtodia, odio aduerſus*

Chriſtum, vel vltimo ſupplicio traditis, vel in vincula coniectis, vel ablegatis, omni ſtudio opem ferte. Meminit etiam Tertullianus ad martyras cap. 2. huius ſtudij, & curæ. Dum enim probare conatur, quod etiam corporalem vtilitatem ex carceribus carpebant martyres, ſic ait. *Ipſam interim conuerſationem ſæculi, & carceris comparemus, ſi non plus in carcere ſpiritus acquirit, quam caro amiſit: imo & quæ iuſta ſunt, caro non amittit per curam Eccleſiæ, & agapen fratrum.* A

Idipſum habet Cyprianus epiſtola 5. in edit. Pamel. Idipſum de profugis decernunt Apoſtoli apud Clementem loco citato cap. 4. *Sic eos, qui perſecutionem propter Chriſtum patiuntur, & de ciuitate in ciuitatem fugiunt propter mandatum Domini, recipite: ſubſidium eis præſtantes, eoſque vti martyres amplectimini læti, quod participes eorum perſecutionis facti eſtis.* B

Cum igitur non minimus numerus Hieroſolymis, & alibi haberetur eorum Chriſtianorum, qui in carceribus detinebantur, aut ex fuga ſolum commutarant perſecutionis declinandæ cauſa: cumprimis poſt Stephani mortem, & perſecutionem commotam, non tàm in Palæſtina, quàm etiam in omni loco, vbicumque Iudæi habitarent: de qua perſecutione Baronius plura, & Dexter. ſub anno Chriſti 35. *Occiſo,* inquit *lapidibus Stephano Protomartyre magna perſecutio Hieroſolymis, &c.* Propter eos, qui detinerentur in carceribus, aut bonorum rapinam ſuſtinuiſſent, collectæ fiebant inter fideles omnium Prouinciarum, & Hieroſolymam ad ſubleuandum neceſſitates illorum, qui vincti extitiſſent, mittebantur. Quæ collectæ in epiſtolis ſuis ab Apoſtolo fieri dicuntur propter Sanctos: quia colligebantur non propter quoſcunque Chriſtianos, ſed in ſpecie ad ſuccurrendum neceſſitatibus illorum, qui pro Chriſto affligerentur: ſiue in carceribus detinerentur, ſiue damnati iam extitiſſent ad C D

A metalla, aut in exilium pellerentur,& rapinam bonorum ſuſtinuiſſent. Quamobrem cap. 12. ad Romanos ſcribens Apoſtolus, exhortanſque illos ad colligendum eleemoſynas mittendas in Hieruſalem ad neceſſitates illorum, qui pro fide Chriſti vincti in carceribus tenerentur dicebat: *Neceſſitatibus Sanctorum communicantes*. & cap. 15. in eandem ſententiã ait: *Nunc igitur proficiſcar in Hieruſalem miniſtrare ſanctis. Probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem*
B *aliquam facere in pauperes ſanctorũ, qui ſunt in Hieruſalem.* & ad Corinth. epiſtola 1. cap. 16. ait: *De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui Eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite; per vnam ſabbati vnuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat; recondens quod ei benè placuerit: vt non cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem præſens fuero, quos probaueritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Hieruſalem*. Iuxta quæ Pauli loca extat conſtitutio apoſtolica apud
C Clement. lib. 5. cap. 2. per hæc verba. *Quare omnes fideles per Epiſcopum veſtrum de facultatibus, ac de labore veſtro miniſtrate ſanctis. Si quis non habet, ieiunet, partienſq; victum quotidianum diſtribuat ſanctis. Si quis copia bonorum abundat, plura pro ratione facultatum præbeat. Quod ſi poſſet, venditis ſuis bonis, eos carceribus liberare, beatus cenſebitur, & amicus Chriſti*.

Et in ſecunda Corinth. cap. 8. idem Apoſtolus Macedo-
D nes plurimũ collaudat, quod liberaliſſimi extitiſſent in eleemoſynis, quæ mittendæ erant Hieroſolymam dicens. *Notũ autem facimus vobis fratres gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſijs Macedoniæ: quod in multo experimento tribulationis, abundantia gaudij ipſorum fuit; & altiſsima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum: quia ſecundum virtutem teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam, &*

communicationem miniſterij, quod fit in ſanctos. Loquitur A
enim Apoſtolus de eleemoſynis, quæ mittebantur in Hieruſalem, vt diximus, ad vinctos, & in carceribus pro fide Chriſti detentos, quarum eleemoſynarum delatio illi commiſſa fuerat; Ad quas eleemoſynas Macedones tanto ardore concurrerant, vt obſecrarint Paulum illas Hieroſolymam deferre. Et cap. 9. prædicans Corinthijs illarum eleemoſynarum fructum, cum multa dixiſſet, ſubintulit. *Quoniam miniſterium huius officij non ſolum ſupplet ea, quæ deſunt ſanctis*, ni- B
mirum corporalia, iuxta ea, quæ ex Tertulliano diximus. *Sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem miniſterij huius glorificantes Deum in obedientia confeſsionis veſtræ in Euangelium Chriſti*. Quibus quidem omnibus ex locis allatis manifeſtū eſt, Sanctorum vocabulo ſignificari ab Apoſtolo Paulo, nō quidem quotquot Hieroſolymis Chriſto nomē dediſſent: ſed illos tantùm, qui pro fide Chriſti in carcere detinebantur, atque pro fide Chriſti C
cum magna egeſtate rerum omnium penuriā patiebantur.

Vt autem certiora appareant argumenta, & illuſtriora reddantur, quæ diximus de Sanctitatis titulo, carceratis pro Chriſti fide conceſſo ab Eccleſia; ſatisfaciendum duximus his, quæ poterant obijci ex epigraphe, ac inſcriptione epiſtolarum Pauli. Pro inſcriptionum elucidatione obſeruandum duximus, fideles diuerſos tenuiſſe gradus in Eccleſia, ac diuerſis conſueuiſſe ſignificari vocabulis. Nam fra- D
trum nomine ſignificabantur quotquot adiungebantur Diſcipulis, tàm ex Iudæis, quàm ex ethnicis, ac etiam ex fidelibus ipſis: hi etenim omnes, quaſi communi quodam vocabulo, fratres appellabantur. Hæc paſsim apertiſsimè ex lib. actuum Apoſtolorum, & ex epiſtolis, tàm Apoſtolicis, quàm canonicis cognoſci poſſunt. Minùs commune erat credentium vocabulum, quo ſoli ſignificabantur, tàm qui bapti-

zati

A zati fuiſſent, quàm catechumeni nondùm aqua ſacri baptiſ-
matis tincti; non verò reliqui ex Iudæis,aut Gentibus. Fide-
les denique dicebantur, qui baptiſmum ſuſcepiſſent. Dilecti
Dei appellabantur, vt reor, qui cum Sacramentũ confirma-
tionis iam recepiſſent, parati exiſtebant ad publicam fidei
confeſsionem, ac martyrium ſubeundum; & ſi aliquis ſacris
eſſet initiatus ordinibus. Sancti denique dicebantur, qui, vt
dicebamus, in perſecutionibus carceribus detinerentur.

B Quoties igitur ad aliquã Eccleſiam,Romanam nimirum,
vel Corinthiam, ſiue aliam, epiſtolas dedit Paulus Apoſto-
lus: vt ea ipſa epiſtola ad omnes quotquot Chriſto nomen
dediſſent in illa Eccleſia, vel his adiungebantur, extendere-
tur: non caſu,ſed de induſtria,me iudice,eas inſcribebat plu-
ribus titulis: vt vnica epiſtola complecteretur, quotquot di-
uerſis gradibus, ac titulis in illa Eccleſia decorabantur: at-
que ita epiſtola ad omnes perueniret. Exempli gratia. Cum
C ſcribit ad Romanos, *Omnibus,* inquit, *qui ſunt Romæ*. Quo
titulo comprehendit quotquot Chriſto vel nomen dediſ-
ſent, vel his fuerent. *Dilectis Dei*; Subintulit Apoſtolus, vt
hoc nomine, vel miniſtros Eccleſiæ ſignificaret, vel for-
taſſe verius Chriſmatos,ac confirmatos. *Vocatis ſanctis* ſub-
didit, vt ad illos etiam perueniret, qui Romæ ab eadem Ec-
cleſia propter carcerationes, quas ſuſtinuiſſent, vel ſuſtine-
rent, Sanctorum vocabulo inſigniti extitiſſent.

D Pari ratione ad Corinthios ſcribens Apoſtolus ſic habet.
Eccleſiæ Dei,quæ eſt Corinthi. quo ſanè vocabulo cõplectitur
omnes Corinthios, qui vel Chriſto nomen dediſſent; vel à
fide non eſſent alieni, nimirum tàm catechumenos, quàm
baptizatos, tam Eccleſiaſticos, quam inferioris ordinis fide-
les omnes Corinthios. Nam licet catechumeni,atque non-
dum conuerſi proprie loquendo Eccleſiæ membra nõ exi-
ſtant, Catechumeni tamen Chriſto nomen dederant, & alij

etiam aderant; qui à religione chriſtiana non abhorre- A bant: admittebantur in cætu fidelium, cum legendæ forent epiſtolæ, aut ſermo habendus eſſet de Religione: vt ex actibus apoſtolicis conſtat. Deinde cum ait Apoſtolus *Sanctificatis in Chriſto Ieſu*. Baptizatos tantum, vt puto, intelligit. Qui enim iá baptizati extitiſſent, diſtinguebantur à catechumenis. Demum *Vocatis Sanctis* cũ ait Apoſtolus, eos intelligit, qui propter aliquod genus vexationis, ſaltem carcerationis, ſanctitatis titulo decorati fuiſſent ab illa Eccleſia. B Denique cum ait, *Omnibus, qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti*. His verbis, vel miniſtri Eccleſiæ tantum ſignificantur, quibus prædicandi, & catechizandi ad fidem Chriſti conuerſos cura commiſſa erat: vel etiam in vniuerſum quotquot inter Corinthios Chriſtum confitebantur, vel Chriſtianis adiungebantur, eo titulo ſignificantur.

Sic etiam in ſecunda epiſtola ad Corinth. diſtinguit Apoſtolus Sanctos Achaiæ ab ipſis Corinthijs, ad quos ſcribebat C dicens: *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi*. Deinde ſubintulit *Cum omnibus Sanctis, qui ſunt in vniuerſa Achaia*. Itaque epiſtola dirigitur tantum Eccleſiæ Corinthiorum: ſalutatio vero omnibus, qui ſancti appellantur per totam Achaiam. Ad Epheſios quoque ſcribens ſic loquitur in epigraphe. *Omnibus Sanctis, qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Ieſu*. Ad Philippenſes ſcribens. *Omnibus Sanctis*, inquit, *in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis, & Diaconibus*. Vbi D diſtinguit eos, qui ſancti appellabantur, ab Epiſcopis, & Diaconibus, & in fine ait. *Salutant vos, qui mecum ſunt, fratres. Salutant vos omnes Sancti maximè, qui de Cæſaris domo ſunt*. Qui nimirum à Palatio ad carceres ducti fuerant. Quibus quidem in verbis fratres diſtinguit, ab his qui ſancti appellabantur in Eccleſia. Et ſæpè alias Paulus in ſuis epiſtolis fratres ſecernit ab his, qui Sancti appellabantur. Ex qua

qui-

A quidem obſeruatione plura illuſtrantur loca in epiſtolis Pauli, quæ ſuboſcura videntur: & eos tantum ſanctos fuiſſe dictos conſtat, qui pro Chriſti fide carceribus detinerentur. Viderint alij meliora, & veriora, quibus ego veritatis amicus ſubſcribam. Hæc enim, & alia omnia doctiorum virorum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio ſubmiſſa ſunto. Ea enim tantum à me probata volo, & reiecta, quæ illa probat, & reijcit.

B

CAP. VII.

Quod nam argumentum ſumatur à titulo Sanctitatis, ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

LOQVIMVR de his prætenſis Dei ſeruis
C iam defunctis, qui vel ex vulgi opinione, ſiue populorum acclamatione, vel nonnullarum Eccleſiarũ conſenſu, Sancti dicuntur. De his quoq; qui apud aliquos ſcriptores, vel penes Sanctos Patres, & Doctores Eccleſiæ, Sanctitatis titulo condecorantur: quin etiam Sanctiſſimi, & Beatiſſimi quandoque appellantur. Quærimus igitur, an qui communi populorum voto, vel etiam grauiſſimorum ſcriptorum
D auctoritate, ſanctorumq; Patrum teſtimonio, Sanctitatis titulo decorantur; Sancti adiudicandi ſint; & liceat inde haurire argumentum aliquod, quo tales prædefuncti verè Sancti extitiſſe probentur: ac propterea tutò procedere Eccleſia poſsit ad talium Beatificationem, & Canonizationem: præſertim vbi ad eorũ Sanctitatẽ comprobandam reliqua deeſſent argumenta: vel ſi adeſſent, debiliſſima hæc ipſa forent.

Difficultatem fortaſſe pariunt commune populorum votum

tum, communis, vt videtur, Eccleſiæ praxis, Sanctorumque A
virorum auctoritas, ac teſtimonia. *Cum pluribus* enim *ardua res eſt depugnare viris*, Prouerbium eſt vetus decantatum ab Homero: ac proinde vbi ſanctitatis famam, ac nomen aliquem defunctum adeptum fuiſſe, Sanctumque multorum acclamatione dici, ac exiſtimari probabitur: ad eius Canonizationem nihil vltra opus eſſe videatur. Nam Baronius tom. 7. Annal. ſub anno 526. referens acta Ioannis Papæ (quem Theodoricus Italiæ Rex, vt appellabatur, B
carcere, & inedia mulctauerat, ærumniſque confecerat) ex Gregorio Turon. de glor. Mart. cap. 40. quanti facienda ſit plurimorum vox oſtendit dicens. *Hactenus Gregorius, qui & ſi non in ſcriptis adhuc ab vrbe acceptis codicibus, ea tamen à fidelibus fideliter dicta percepit. Sed maiorem planè ſibi vendicat fidem, quod communi aſſertione ab omnibus fidelibus traditur, quam quod in vno, vel altero codice legitur*. Cuius quidem viri auctoritate, quam maximè fulcitur communis C
plauſus fidelium de Sanctitate alicuius prædefuncti ad effectum Canonizationis, & Beatificationis.

Et nemini quidem dubium eſſe debet, ad effectum Beatificationis, & Canonizationis plurimum conferre auctoritatem, & teſtimonia Patrum de Sanctitate alicuius prædefuncti; ſed quis poterit de illa plene loqui? Nec enim adeo populorum communi voto deferendum eſt: vt non multo tutius, ac ſanctius Eccleſiæ iudicium ſit expectandum, pe- D
nes quam diſtinguitur *τὸ Sanctum eſſe* ab eo, quod eſt *Sanctum dici*. Nam ſanctum eſſe valet idem, ac purgatum ab omni crimine per gratiam iuſtificantem. Et verè Sanctus dicitur is, qui nulla labe mortalis, aut venialis criminis commaculatus cenſetur, quo in ſtatu non ſolum quotquot eccleſia celebrat fore cenſentur; ſed etiam ex merito Chriſti, pueri, qui ſtatim poſt ſuſceptum Baptiſma ad Cælum euolarunt.

A runt. *Sanctitas enim*, dicebat Triſmeg. *eſt frequens intuitus, & amor diuinitatis.* Quibus duobus cum afficiantur iam dicti, propterea Sancti appellantur.

Verum quia Eccleſia non iudicat de occultis, nec loquimur in præſenti de Sanctitate, niſi per reſpectum ad cultum: propterea Sanctum in Eccleſia militante illum tantum fore dicimus, quem Summus Pontifex viſis videndis, & ſeruatis ſeruandis, vt Iudex Summus, vel in concilijs generali-B bus, vt olim ſæpiſſimè factum cognouimus: vel in ſpeciali Cardinalium, ac Prælatorum conſiſtorio, per ſententiam definitiuam Sanctum eſſe decreuerit. Ad quam definitionem Sanctitas interna per gratiam iuſtificantem ab Eccleſia ſupponitur probata ex actibus virtutum ab eo editis, qui ſic caninozatur.

At ſanctum dici, vel puram relationem ſecundum dici ſignificat, (vt loquamur cum Dialecticis) vel eſt pura de-C nominatio extrinſeca, & reſpicit aliorum conceptum ab extrinſeco. Quamobrem in hoc tam graui negotio, attendendi occurrunt auctores huius denominationis, & perſonæ chriſtianitatis, ac fidei zelo inſigniores, à quibus hæc extrinſeca ſanctitatis denominatio alicui defuncto tribuitur; An nimirum à ſummis Pontificibus, à Viris grauioribus, & Dei ſeruis, à Scriptoribus fide dignis, de quorum iudicio, fidei ſinceritate, & chriſtianitatis zelo nihil omnino ſuſpi-D candum occurrat: vel potius à vulgo, plebe, & à ſcriptoribus ſuſpectis. eſt enim diligentiſsimè in his denominationibus conditio auctoris attendēda, & illarum perſonarum, quæ aliquem ſanctitatis titulo condecorant; ne fortè leuioris ingenij ſint, aut ex incertis moueantur argumentis. Ac propterea reſpuendi omnino erunt illi ſcriptores, qui dum ſanctorùm acta conſcribunt, ſub probabilitate cuncta reponunt, & nihil certi affirmant.

Si

Si denique ſanctitatis titulus ad rationem denominationis purè extrinſecæ reducatur: obſeruandum occurrit, cuinam illa ſanctitatis denominatio extrinſeca fundamento innitatur. Diſtinguunt enim Metaphyſici denominationẽ extrinſecam: vt aliqua fundamentum in re habere dicant, alia vero nulli à parte rei fundamento innitatur. (Cogimur enim in explicandis rebus aliquando cum Scholaſticis verſari.) Quia igitur tota vis, & robur extrinſecæ denominationis pendet à fundamento; propterea in titulo Sanctitatis, de quo loquimur, quatenus eſt denominatio extrinſeca, maximè, & cum primis fundamentum attendi debet, cui innititur. Duplex autem afferri poterit fundamentum in hac quæſtione. Vel enim Sanctitatis extrinſeca denominatio extrinſecis notis, ſignis pietatis, & religionis innititur; vel muneri, & dignitati. (Meminiſſe namque oportet dixiſſe nos, titulum ſanctitatis olim commune fuiſſe omnibus Epiſcopis.) Nam pro Summis Pontificibus extat capit. *Non nos*. diſt. 40. vbi Symmachus ait. *Quis enim Sanctum eſſe dubitat, quem apex tantæ dignitatis attollit? in quo ſi deſint bona acquiſita per meritum, ſufficiunt, quæ à loci prædeceſſore teſtantur.* Et fuit adeo cõmunis iſte titulus Sanctitatis Epiſcopis, Epiſcopalique muneri tàm arctè coniungebatur: vt etiam Concilia in epiſtolis ad Epiſcopos hæreticos olim ſcriptis, eoſdem Sanctos, Beatos, ac Beatiſsimos, ratione muneris, ac dignitatis appellauerint. Quin etiam Imperatores non ſolũ Chriſtianos, ſed Ethnicos, & Hęreticos, ratione muneris, titulo Sanctitatis condecoratos, & Sanctos appellatos ab Epiſcopis Catholicis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ teſtantur. Videantur Euſebius, Socrates, & alij. Nam S. Ambroſius in proœm. lib. 1. de fide ad Gratianum, non ſemel illum *Sancte Imperator* appellat. Videatur in corpore Iuris nouella Emmanuelis Comneni, quæ etiam apud Photium Patriarcham Con-

ſtan-

A ſtantinopolitanum habetur: qui dum meminit Emmanuelis Comneni, eundem Sanctiſſimum Imperatorem noſtrum appellat.

Magis verò ad rē cenſeri debet extrinſeca Sanctitatis denominatio, quæ innititur actibus perfectionis euāgelicæ, quibus in baptiſmate nomen dedimus. Quando nimirum Sathanæ, omnibus operibus eius, mundo, & omnibus pompis eius vale diximus. Tunc enim tacite profitemur veram

B ſanctitatis extrinſecam denominationem, vel Martyrio pro Chriſto ſuſcepto, vel ieiunijs, & operibus charitatis erga Deū, & proximum in gradu heroico, & ſummo inniti debere. Quæ quidem opera ſi de aliquo Dei ſeruo patrata ferantur, dum viueret: ſiue teſtes de viſu deponant, ſiuè à maioribus accepta referant, & ab Eccleſia probentur: extrinſecam Sanctitatis denominationem certò inniti fundamento apertè declarant.

C Ad effectum igitur Canonizationis, aut Beatificationis alicuius prætenſi Dei ſerui; ex eo quod talis Dei ſeruus Sanctus, ex vulgi opinione dicatur, abſque aliquo fundamento: nullis videlicèt enarratis de illo virtutibus, aut miraculis: nec fumus, nec indicium, nec argumentam ſanctitatis hauriri poterunt. Quia argumenta, fumus, & indicia ſanctitatis prærequiſita ad effectum Beatificationis, & Canonizationis alicuius prætenſi ſerui Dei, ſaltem ex fama proprie ſumpta,

D quæ virtutibus innitatur, & ex actibus iuridicis conſurgit: nimirum ex inquiſitione legitimè fabricata ab Ordinario de actibus eius Serui Dei, de quo agitur, & ex Magnatum, ac Principum inſtantijs ad Sedem Apoſtolicam trāſmiſſis pro eodem Dei ſeruo canonizando: non autem ex aliqua vulgi opinione, & rumore, qui nec famæ proprie rationem habet.

Fama enim cum gloria ſummopere iuncta eſt: cum vera inquam gloria, quæ in eo poſita eſt, vt quis aliquid in ſe habeat;

beat; quod boni, & prudentes viri appetant: iſtud vero in operibus virtutum, ſiue, vt melius dicam, in exercitio virtutum reponendum eſt. Vnde Cicero in libro de officijs dicebat: *Vix inuenitur, qui laboribus ſuſceptis, periculiſque aditis, non quaſi mercede rerum geſtarũ deſideret gloriam*. Gloria igitur laboribus innititur: atq; adeo fama gloriæ ſocia cõſurgit ex coniecturis, & argumentis, vt dicunt Doctores Theologi, & Iuriſprudentes, quoties agunt de fama, & nos ad longum ſectione nona monſtrabimus. De ſanctitate igitur alicuius, vanæ populorum voces non ſunt audiendæ: vt dicitur in cap. 2. de elect. cui conſonat textus in leg. *Decurionum filij*. C. de pænis. Et ex conſequenti cum de iure nullius ſint roboris, nec mouere poſſint Principes, ac Magnates ad petendam alicuius prætenſi Dei ſerui canonizationem, neque ordinarium loci, nec ſedem Apoſtolicam ad inquirendum de vita, & moribus alicuius prætenſi Dei ſerui: propterea nec indicium, nec fumum ſufficientem adminiſtrant ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. A B C

At ſi vulgari rumori de Sanctitate alicuius, rumor quoq; virtutum, ac miraculorum adiungatur: quamuis ad effectum Beatificationis, & Canonizationis nullum re vera validum argumentum, nec fumum aliquẽ præſtet, indicium tamen ſanctitatis inde hauriri, vel magis ſuſpicari poterit. Diſtinguitur enim fumus ab indicio ex phraſi Romanæ Curiæ circa actus iuridicos, præſertim canonizationis: quod fumus Sedem Apoſtolicam mouere poſſit ad inquirendũ de actibus alicuius prætenſi ſerui Dei; indicium autem illam mouere nequeat. Et quamuis rumor, de quo loquimur, qui nimirum coniunctus eſt famæ, ſeu rumori de virtutibus, & miraculis mouere, & excitare valeat Ordinarium ad inquirendum de actibus alicuius prætenſi Dei ſerui, non tamen compellit, nec mouet ex natura ſua, vt inquirat Nam poſitis quibuſ- D

A buſcunque Sanctitatis indicijs Ordinarius poterit non moueri ad inquirendum de alicuius defuncti vita, & moribus. At ſi fumus aderit, tunc Odinarius ex officio de actibus, & miraculis alicuius defuncti Dei ſerui inquirere tenetur.

Cum enim Indicium ab indicando dicatur: & quicquid aliquid à longe demonſtrat, nec certò terminum, ad quem dirigitur, attingit, indicium appelletur: Sanctitatisq; titulus alicui ex vulgi opinione tributus, cum aliquarum relatione B virtutum, & miraculorum nondum iuridicè probatorum; à longè tantum Sanctitatem alicuius prætenſi ſerui Dei commonſtret: & nec tuto, nec certo eam probet: propterea nec argumentum, nec fumum, ſed tantum aliquod indicium ad effectũ Beatificationis, & Canonizationis monſtrabit. Quæ quidem indicia minus clara, vel apertiora, maiora, vel minora, efficaciora, vel minus efficacia dicentur: prout coniecturæ nimirum virtutũ, ac miraculorum, quæ de aliquo prę-C defuncto referuntur, maiores, vel minores erunt: certiores, aut minus certæ afferentur: prout etiam miracula euidentiora, vel minus euidentia; & qui ea referunt, magis, vel minus fide digni cenſebuntur.

Sed quid erit dicendum de Sanctitatis titulo, dum in antiquis verſamur, alicui prædefuncto iam olim poſt tempora Alexandri Tertij ab aliqua Eccleſia conceſſo, vel in Litanijs, vel in officio diuino, ſiue per recitationem horarum Cano-D nicarum ad illius honorem, ſiue per aliquam commemorationẽ in anniuerſario die obitus alicuius prætenſi ſerui Dei? Ex his namque, non quidẽ argumenta, ſed tantum fumum aliquem Sanctitatis elici poſſe dicimus, ad effectum Beatificationis, & Canonizationis eiuſdem. Dummodo non temere ad id proceſſerint Epiſcopi, ſed iuridicè: examinatis videlicet meritis defuncti, cui titulus Sanctitatis tribuitur; expectataq; Synodi ſententia. Nam ex actibus publicis Eccleſiarum,

rum, quibus ſubindicatur Sanctitas alicuius prætenſi Dei A
ſerui, fumus aliquis neceſſariò conſurgit ad effectum Beatificationis, & Canonizationis eiuſdem. Quæ autem ab aliqua Eccleſia in Synodo diœceſana prædefuncto alicui conceduntur ad cultum, & venerationem, vtique per actum publicum, atque ſolemniſſimum eidem tribuuntur: quia per vota, & ſuffragia totius cleri, & ſingulorum de corpore illius Eccleſiæ præſtantur: fumus ergo aliquis inde neceſſariò conſurget: & præſertim ſi præceſſerit inquiſitio de vita, & B
moribus ſerui Dei, ad cuius honorem prædicta fuerint concedenda.

At non ita ſentiendum erit; ſi temerè Epiſcopus ad hæc proceſſerit, & Sanctitatis titulum, Sanctorumq; honores alicui viro conceſſerit, cui non ſint concedendi. Facilè enim cum Epiſcopi excedunt propriam facultatem, fortaſſe decipientur: quod contigiſſe conſtat cum quodam Armanno in Eccleſia Ferrarienſi, de quo videatur Sabellicus Enneade 7. C
lib. 7. Platina in Bonifacio VIII. Is enim prædefunctus altare, & cultum Sanctorum per annos viginti ſeptem habuit. Idipſum contigit cum eo ebrioſo, de quo loquitur capit. *Audiuimus* de reliq. & venerat. Sanct. nec non etiam cum peſſimo quodam latrone in Diœceſi Turonenſi, de quo Sulpicius Seuerus: cuius altare eidem erectum Sanctus Martinus diruit. In Eccleſia quoque *Tingiſitana* idem contigit cum aliquibus Martyribus, quibus Secundus Epiſcopus cultum D
præſtiterat, non rectè cauſa mortis explorata: cuius rei meminit Auguſtinus in Breuic. diei tert. & Optatus Mileuit. Facile enim contingit decipi Epiſcopos, & Ordinarios habentes iuriſdictionem quaſi epiſcopalem, dum temere ad hoc procedunt.

Ex ſanctitatis vero titulo iam olim alicui prædefuncto conceſſo à pluribus Eccleſijs, ſiuè ſeorſum ſingulæ in ſynodo

A do Diœceſana, ſiuè in ſynodo aliqua Prouinciali illum conceſſerint; maximus, & plenus ſanctitatis fumus ad effectum Beatificationis, & Canonizationis haurietur. Cum enim ex iuridicis actibus vnius tãtum Ordinarij legitimè digeſtis ſufficiens fumus Sanctitatis conſurgat ad effectum Canonizationis, & Beatificationis alicuius prætenſi Dei ſerui: multò magis, & apertius conſurget, vbi plures Epiſcopi cõuenerint in eadẽ cauſa: magisq; iuridicus conſurget, ſi auctoritati Pro-
B uincialis ſynodi eadem acta innitãtur. Nam ex doctrina Hoſtiẽſis in cap. *Audiuimus*. de reliq. & vener. Sanct. cõmuniter à Doctoribus recepta, Sedes Apoſtolica non mouetur ad canonizandum aliquem Dei ſeruum, niſi miracula crebreſcant: & inſtantiæ Magnatum, honeſtarumq; perſonarum adſint. At Sanctitatis titulus alicui prædefuncto conceſſus ab antiquis temporibus in Synodo Prouinciali, vel à pluribus Eccleſijs ſigillatim in ſynodo Diœceſana, vel alia ſolemniori
C forma, vtique æquiparatur inſtantijs plurimarum Eccleſiarũ: inde namque certo conſtat de fama ſanctitatis alicuius ſerui Dei, vbi à pluribus Eccleſijs Sanctitatis titulus eidem ſeruatis ſeruandis conceditur: ac proinde perſpicuum eſt, Sedem Apoſtolicã iure moueri poſſe ad inquirendum de actibus, & miraculis eiuſdem, ac proinde ex his plenus, & integer Sanctitatis fumus ad effectum Beatificationis, & Canonizationis haurietur.

D Communis quoque Eccleſiæ praxis, plauſum populorum de Sanctitate alicuius prædefuncti roborat, atque confirmat. Vt nulla indigere Beatificatione, aut Canonizatione ferè videatur, qui communi populorum voto Sanctus cenſetur, vel ſi de Beatificatione, aut alicuius talis Dei ſerui Canonizatione agatur, præſtantiſſimum inde argumentum, & validum hauriri conſtat. Per totam namque Eccleſiam diuerſis in Epiſcopatibus, Ciuitatibus, Oppidis, & locis plures

F Dei

Dei ſerui coluntur, ad eorumdem honorem horæ canonicæ A
recitantur; & Miſſæ ſacrificium ad illorum memoriam ſupremo numini offertur; de quorum Beatificatione, ac Canonizatione nihil certi habetur. Quin etiam plurimorum talium ſeruorum Dei nomina ſub titulo Sãctitatis in martyrologijs leguntur, quorum quidem tanta eſt multitudo in diuerſis Orbis regionibus; vt propterea in fine lectionis eiuſdem martyrologij addatur: *Et alibi aliorum plurimorũ Sanctorum Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* B
Quibus quidem ſub titulis comprehendũtur quotquot per Orbem Sanctitatis ſub titulo à fidelibus venerantur: vt propterea ad effectum Beatificationis, atque Canonizationis maximum inde hauriatur argumentum, quod aliquis Dei ſeruus pluribus in Eccleſijs, & Diœceſibus ſanctus appelletur, ac vt ſanctus veneretur.

Vetus quoque praxis Eccleſiæ ex actibus ſerui Dei Angeli Carmelitani idipſum confirmat. Huius enim Dei ſerui C
vita mirabilis, & mors ſanguine laureata, cum relata fuiſſet per teſtes fide dignos in concilio, ſiuè potius in ſynodo Ieroſolymitana, in qua, vt ſcribit Enoch Patriarcha Ieroſolymitanus, cum Athanaſio de Claromonte Patriarcha Alexandrino, & Nicomede Patriarcha Ieroſolymitano triginta ſex alij Epiſcopi conuenerant: de conſenſu omnium honores ſanctorum eidem ſeruo Dei decreti fuerunt. Quos etiam decretos fuiſſe eidem per Archiepiſcopum Agrigentinum D
ſtatim à die obitus, idem auctor ſcribit in hiſtoria vitæ illius §. vltimo. *Subito Archiepiſcopus cum tota familia ſua venit ad ſanctum corpus*, inquit. *Illud vero ſtare ſupra terram fecit per octo dies, cum magnis faculis, & officijs, prout vnus ſanctus Martyr Chriſti, in quibus quædam miracula fecit, quæ dictis eſſent inexplicabilia*. Ex quibus quidem actis, ac inquiſitionibus de virtutibus, & miraculis ſerui Dei Angeli Carmelitani;

A tani; ex honoribus eidem decretis ab Archiepiſcopo Agrigentino, atque à ſynodo Hieroſolymitana; perſpicuum eſt, validum, & plenum ſanctitatis fumum, ad fauorem alicuius hauriri ad effectum Beatificationis, & Canonizationis eiuſdem: cui ea ratione Sanctitatis titulus conceſſus fuerit.

Si vero verſemur in antiquioribus, cum de Canonizatione alicuius agitur: nimirum de aliquo Dei ſeruo, qui deceſſerit ante tempora Alexandri Tertij, vtique ex Sanctitatis ti-
B tulo eidem tributo ab aliquo Dei ſeruo, vel Dei famula; quorum Sanctitas iam probata exiſtat in Eccleſia: dummodo ſacer ſcriptor, non quidem obiter, ſed de induſtria alicuius Dei ſerui, vel Dei famulæ vitam, & mores ſcribendo acta, & mortem eiuſdem referat: & de illo agat, vt cæteris fidelibus in exemplum exiſtat, & quaſi eorum teſtimonio imitandus proponatur: vtique ex auctoritate, & teſtimonio Sanctorum virorum efficaciſſimum ſumetur argumentum ad effe-
C ctum Beatificationis, & Canonizationis illius ſerui Dei, de quo agitur. Nam teſtes fide digniores, & omni exceptione maiores pro virtutibus alicuius Dei ſerui prædefuncti excogitari nequeunt; quam viri docti, & Dei ſerui; quorum Sanctitas in Eccleſia iam probata exiſtat. Tum quia hi ſoli poſſunt de virtutibus euangelicis prærequiſitis ad Canonizationem iudicium ferre: tum quia in dictis Sanctorum nulla poteſt ſuboriri dubitatio, vel quod fideles decipere voluerint,
D vel quod ipſi in his, quæ afferunt, deciperentur.

Eccleſiæ quoque Catholicæ praxis ex ſacris Canonibus idipſum confirmat. Nam Sanctus Antonius in Eccleſia receptus colitur ex auctoritate S. Athanaſij, qui illius vitam, & mores conſcripſit. Sanct. Paulus primus Eremi cultor, & S. Hilarion, necnon etiam Sancta Paula, & aliqui nonnulli alij, ab Eccleſia Catholica Sanctorum Catalogo inſcribuntur, atque coluntur teſtimonio, & auctoritate S. Hiero-

nymi,qui prædictorũ ſeruorum Dei acta egregia, & virtutes A
in gradu heroico conſcripſit, ac Sanctitatis titulo eoſdẽ condecorauit. Plures ſunt alij Dei ſerui, quorum acta à ſanctis viris conſcripta, receptaq; in Eccleſia cultum, & venerationem habuerunt. Quæ omnia ex Gelaſio Primo per Capitulum *Sancta Romana Eccleſia*: diſt. 15. confirmantur. In eo enim Cap. non ſolum ſcripta plurimorum Sanctorũ,qui diuerſa ſeruorũ Dei acta, & vitas conſcripſerunt recipi ab Eccleſia Pontifex fatetur: ſed hęc habet. *Vitas Patrum Antonij, Pauli, Hilarionis, omnium Eremitarum,quas tamen vir Beatiſſimus Hieronymus ſcripſit, cũ omni honore ſuſcipimus.* Aliquando Dei ſeruus Bonauentura S. R. E. quondam Cardinalis, & Epiſcopus Albanenſis, acta Sancti Franciſci conſcribenda cum ſuſcepiſſet, rogatu Religioſorum ſui ipſius inſtituti: vt ſcribit meus Lucas Vadingus tom. 2. Annal. min. ſub anno Chriſti 1260. & manus operi adpoſuiſſet: D. Thomas Aquinas, qui eadem tempeſtate pari virtute, atque doctrina coruſcabat, ad eũdem inuiſendum acceſſit. Sed cum per rimulas oſtij cellæ ſcribentem proſpexiſſet: & tanto quidem ſpiritu in contemplatione raptum, vt à terra eumdem ſubleuatum vidiſſet: ad eos, qui eum ſequebantur, conuerſus, *Sinamus* (inquit) *Sanctum, quia laborat pro Sancto. Magni quidem viri maximum profecto teſtimonium* (inquit Vadingus) *quo viuentem amicum Sanctum appellauit, & rectè ſcribentem commendauit.*

Quanti vero fuerit ponderis teſtimonium hoc Angelici Doctoris ad effectum Canonizationis eiuſdem S. Bonauenturæ, ex lectionibus, quæ in Romano Breuiario leguntur in feſto eiuſdem Sancti colligi poteſt. In his enim inter præcipua ſanctitatis argumenta,refertur illud Sãcti Thomæ Aquinatis dictum. *Sinamus Sanctum pro Sancto laborare.* Liquet igitur, quantum Eccleſia deferat monumentis Sanctorum

A rum virorum, qui aliorum ſeruorum Dei acta ſcripſerunt, & quam validum argumentum ex illorum ſcriptis ad effectum Beatificationis, & Canonizationis ſumatur. Sed quamuis auctoritas Eccleſiarum, & communis populorum plauſus ad hiſtoriam conſcribendam plurimum valeat: vt dicebat Baronius in principio huius capituli à nobis relatus; non tamen eiuſdem eſt ponderis ad actus Beatificationis, & Canonizationis, ad quos ad iuris apices commen-
B ſurata, ex veteri Romanæ Eccleſiæ praxi prærequiruntur acta omnia.

CAP. VIII.

Quodnam argumentum ad effectum Canonizationis ſumatur à titulo Beatitatis.

C

BEATITATIS titulum ex veteri Latina phraſi aliquibus aliquando diuitiarum cauſa tributum ſcimus. Inde Varro lib. 4. de ling. lat. Beatum dici putat, qui multa bona poſſidet: quia multis prodeſſe poteſt. Et *Beare* idem fore, ac *Prodeſſe* voluit. Cui conſentit Vlpianus l. *Bonorum appellatio §. naturaliter*, de verb. ſignificat. Hunc ipſum ti-
D tulum Beatitatis aliquibus viris defunctis concedi à ſcriptoribus ratione dignitatis, ac muneris inter viuos adminiſtrati, ex hiſtorijs, & veterum monumentis conſtat. Nam hac de ratione Beati, ac Beatiſſimi Patriarchæ, & Epiſcopi dicuntur: quos Beatiſſimos cõpellat Iuſtinianus in conſtitutionibus. Pari ratione Imperatores Beatos, ac Beatiſſimos dictos fuiſſe legimus. Sed certius, ac verius in Eccleſia, ex Chriſtiana pietate Beati appellari conſueuerunt viri prædefuncti, pieta-

te, & religione inſignes, quod *in ſtatu omnium bonorum aggregatione perfecto* à fidelibus exiſtere credantur, nimirum in cæleſti gloria, vbi æterna Dei viſione, ac proinde ſempiterna Beatitudine fruuntur. A

In hac igitur ſignificatione conſiderare neceſſe eſt in re noſtra, à quo, vel à quibus titulus Beatitatis alicui defuncto conceſſus fuerit; cum de canonizatione eiuſdem agatur. An nimirum priuata, an vero publica auctoritate, an denique ab aliqua Eccleſia ex propria auctoritate, an vero Romanæ B Sedis auctoritate: & hoc, an enunciatiue, an verò ex aliquo decreto, ſeu literis Apoſtolicis, alicui ſeruo Dei, titulus Beatitatis, vel aliud huic titulo æquiualens concedatur. Æquiualet verò titulo Beatitatis, quod ad honorem alicuius prædefuncti ſerui Dei, vel Dei famulæ horæ canonicæ recitentur, miſſæ ſacrificium Deo offeratur in eius die feſto, vel quod imagines alicuius Dei ſerui altaribus ſuperimponantur: & venerandæ colendæq; fideli populo exponantur: C vel quod liceat alicuius Dei ſerui imagines cum radijs circa caput pingere, ad eaſdem lampades accendere, vel alia his ſimilia facere, quæ Beatitatis titulo æquiparantur.

Beatitatis itaque titulus, qui alicui defuncto tribuitur ratione dignitatis, ac muneris, quo dum viueret, inſignitus extitit; nihil omnino ad effectũ Canonizationis confert. Quia virtutes in gradu heroico prærequiſitæ ad Canonizationem eo titulo non ſubindicantur. Nam quamuis per reſpectum D ad miniſteria religionis Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, Summique Pontifices Beati, ac Beatiſſimi dicantur: is tamen titulus non reſpicit acta ipſorum: imo fuerunt, ac forte ſunt hodie in Eccleſia plures Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ criminoſi. Fueruntq; olim ex his plures hæretici, hæreticorumq; coryphęi, quorum ſpiritus hodie cruciantur apud Inferos. (Vtinam non ita ſe res haberet.) Qui

tamen

A tamen ſiquando apud veteres ſcriptores nominantur Beati, aut Beatiſſimi, dignitatis de cauſa eo titulo inſcribũtur. Nullum igitur Sanctitatis argumentum ad effectum Canonizationis hauriri inde poterit. Alias quotquot extitere in Eccleſia Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, atque Summi Pontifices, omnes canonizandi forent. Quod nec Eccleſia concedet, neque aliquis ſanæ mentis affirmare audebit.

Obijciet fortaſſe aliquis cultum exhibitum latroni, cui B Chriſtus in Cruce Paradiſum cõceſſit, cum ait. *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Cultum quoque, quem Eccleſia pueris Innocentibus præſtat. Hi namque, cum nihil egerint, nullumq; virtutis áctum præſtiterint, nihilominus cultu Sanctorum in Eccleſia venerantur. Falſum igitur exiſtimabit aliquis, hos tantum canonizandos, atque colendos in Eccleſia, qui ex virtutibus anteactæ vitæ fidelibus in exemplar ad imitandum proponi poſſunt.

C Verum cum aliud ſit de Canonizatione loqui, aliud de cultu; non licebit à cultu ad Canonizationem ex neceſſaria conſequentia argumentũ extendere. Nam quamuis omnibus canonizatis cultus debeatur: non tamen è contra omnes, quibus datur cultus, ſunt canonizati. Pari ratione licet verum ſit, ab Eccleſia non canonizari, niſi quorum actiones imitandæ fidelibus proponi poſſunt: non tamen è contra valet, non poſſe præſtari cultum, niſi canonizatis. Nec valet D argumentum ſumptum à cultu præſtito aliquibus ex ſpeciali priuilegio, qualis præſtatur Innocentibus pueris ab iniquo Herode interfectis in odium Chriſti: quamuis nihil egerint, quod imitandum occurrat. Quia tamen Eccleſia Cælum vnà cum Chriſto illos penetraſſe certò ſcit: quia circumciſi in fide mediatoris, ſanguine laureati pro Chriſto deceſſerunt; propterea ad memoriam eorum, quæ circa Chriſti natiuitatem contigerunt, eorumdem necis Eccleſia feſtum ce-

 lebrat;

lebrat: & ſpeciali ex priuilegio martyribus annumerat. Non **A** ita ſentiendum eſt de Latrone, qui quamuis vitam impie traduxerit; quod tamen ſub actu mortis Chriſtum Filium Dei verum agnouerit, & in cruce exiſtens illius diuinitatem confeſſus ſit; cæleſtem adeptus eſt gloriam. Nam in eo agone conſtitutus, ex ſpeciali gratia meruit anteactæ vitæ crimina cognoſcere, pænitere, illa ipſa plangere, & exorare Chriſtum, vt ſibi peccata ab eo dimitterentur. Quamobrem Crucem libenter, & æquo animo tulit in remiſſionem pec- **B** catorum: & alia plura ſub actu mortis perfectionis exempla in gradu heroico edidit. In hoc enim gradu debet cõnumerari actus credendi ſub actu mortis, & confitendi Chriſtum filium Dei eſſe, quem ignominioſè ſecum crucifixum aſpiciebat: & Diuinitatẽ illius tunc publicè profitebatur, cũ plures ex Diſcipulis à Chriſto declinauerant, ac in fide defecerant. De ſalute quoque proximi, alterius nimirum latronis, qui ſecum cruci affixus pendebat, in vltima vitæ linea con- **C** ſtitutũ ſollicitum ſe præbere, charitatis notam in gradu heroico præſtat. Quæ quidẽ omnia, virtutum in gradu heroico ſpecimen cum præſeferant: fidelibus profecto in vltima vitæ linea conſtitutis in exemplum meritò proponi poterunt: quamuis minimè agnouerim hunc Latronem cultu Sanctorum aliquando in Eccleſia veneratum fuiſſe.

A titulo Beatitatis ratione dignitatis, ad eumdem alicui defuncto præſtitũ, ex vulgi opinione ad notam pietatis, tran- **D** ſeamus; qui nullis tamen virtutum actibus in gradu heroico innitatur. Qui quidẽ vanus populi rumor nihil omnino ad effectum Beatificationis, & Canonizationis confert. Ad effectũ enim Canonizationis in Eccleſia militanti prærequiruntur virtutes, vt dicebamus in gradu heroico, iuridicè probatæ: quas Beatitatis titulus ex vulgi opinione alicui conceſſus non præſupponit, nec probat: ſed potius ſtultũ iudicium eo-

rum-

A rumdem explicat: eapropter ex ſimili vulgi iudicio deduci
non poteſt argumentum, quod verè Beatus exiſtat is præ-
tenſus Dei ſeruus, de quo agitur.

Sed neque laudis de cauſa, in aliqua panegyri titulus
Beatitatis à Sanctis Patribus aliquibus viris prædefunctis col-
latus argumentum ſubminiſtrat, aut aliquid operatur ad ef-
fectum Beatificationis, & Canonizationis. Id manifeſtum
eſt ex orationibus decantatis à Patribus in laudem Conſtan-
B tini, & ab Ambroſio in laudem Valentiniani, & Gratiani,
ex quibus Valentinianus, dum adhuc catechumenus eſſet,
proditus, & interfectus in bello cum deceſſerit; nihilominus
ſanctus Doctor non ſemel Beatos Gratianum, & Valenti-
nianum appellat. *Beati ambo* inquit, *ſi quod meæ orationes
valebunt*. Ita ille in fine concionis, quam habuit in obitu
Valentiniani. Pari ratione in concione ab eodem dicta in
laudem Theodoſij, eumdem Beatum appellat, eumdemque
C ſuſceptum ab Angelis, & à Sanctis dicit ſe exiſtimare. In-
terpretans enim ſanctus Doctor in ea concione illud Iſaiæ.
Ambulabunt Reges in lumine tuo. cap. 6. *Ambulabunt*, inquit,
*planè, ac maximè Gratianus, ac Theodoſius præ cæteris Prin-
cipibus, non iam armis militum, ſed meritis ſuis, non purpu-
reum habitum, ſed amictum induti gloriæ*. Carolum quo-
que Magnum ſæpiſſimè Beatum appellatum conſtat. Quos
tamen Principes, quamuis pijſſimos extitiſſe, & in amplifi-
D canda Religione Chriſtiana plurimum ſtuduiſſe certum ſit:
nunquam tamen Eccleſia Romana hos Beatificauit, aut
canonizauit; neque aut pro Beatis aut Canonizatis haberi
voluit. Quamquam plurimum memoriam ipſorum venere-
tur: fideleſq; omnes prædictos Principes ob cultum Re-
ligionis, & pietatem in Cælis receptos exiſtimet.

Ratio quoque manifeſta ſtat pro hac ipſa doctrina. Nam
quæ ab aliquo in laudem alterius in publicis concionibus
decan-

decantantur; vnius tantum teſtis, ſatiſque debilis vim habent; & conſequenter ac nullus eſſet teſtis, ex veteri Iuriſperitorum axiomate cenſetur: proptereaq; laudes ſic dictæ nihil probant, reliquis deficientibus legitimis probationibus, in quibus ſeruorum Dei virtutes, & virtutum actus in gradu heroico expenduntur, & examinantur. A

Actus quoque ſolemnis Canonizationis, qui priuatæ alicuius auctoritati nequit inniti, plane aperit, quam debile argumentum ſubminiſtrent prædictę laudationes, etiam à Sanctis dictæ iam olim. Non enim ad Canonizationem procedit Romana Eccleſia, niſi fabricato prius iuridico proceſſu, & hoc ipſo iuridicè, ac rite diſcuſſo, in pluribus, ac pluribus S.R.E. Cardinalium, ac doctiorum virorũ congregationibus: nec non etiam meritis ſerui Dei, de quo agitur, per Aduocatũ conſiſtorialem propoſitis in publico conſiſtorio, ac niſi demum in alio ſecretiori cõſiſtorio, tanquam in Conſilio, illis ipſis meritis ſerui Dei iam diſcuſſis, iterũ, ac iterum contemplatis, ſingulorum Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & aliorum Prælatorum in Curia tunc exiſtentium vota exquirantur: & denique adhibitis teſtibus, & notarijs definitiuam ſententiam Summus Pontifex ſedẽs publicè pro tribunali ferat. Quæ omnia plane demonſtrant, actum Canonizationis ſolemnem, & publicum fore: ac proinde inniti non debere auctoritati alicuius priuatæ perſonæ, quamuis pijſſimæ, & religioſiſſimæ. B C D

Colligitur ex allata doctrina, nullum argumentum ſumi ad effectum Beatificationis, & Canonizationis ſeruorum Dei, ex Catalogis Beatorum, & prætenſorum ſeruorum Dei, quos in dies Regulares tam mendicantes, quam non mendicantes edunt, qui ad commendationem proprij Inſtituti numerum innumerabilem (vt ita loquar) Beatorum & Beatarum comminiſcuntur; nomina excogitant; volumina

A .mina publicant; chartas implent; arbores plantant; & ramos expandunt, ſuper quos tot reſideant Beati, ac Beatæ; vt arborum rami nequeant illos ſuſtinere. Facultas enim ſuperiorum Regularium tam mendicantium, quam non mendicantium, quantauis dignitate fulgeant, ſiue Generalis, ſiue Abbatialis, ſeu quaſi Epiſcopalis, numquam ad ea, quæ reſpiciunt cultum, & venerationem virorum defunctorum nondum ab Eccleſia Beatificatorum ſe extendere valuit. Per-
B ſpicuum eſt hoc ex cap. *Audiuimus* de Reliqui. & Vener. Sanct. lato ab Alexandro Tertio, in quo huiuſmodi cauſa non ſolum Summo Pontifici ex tunc reſeruatur: ſed iam pridem reſeruata extitiſſe traditur. Hæc perſpicua ſunt ex verbis eiuſdem capituli, quæ ſunt hæc. *Illum ergo non præſumatis de cætero colere: cum etiamſi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipſum pro ſancto abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ venerari*. Illud enim *τὸ non liceret* præteriti tempo-
C ris cum ſit, aperit iam olim id non licuiſſe. Et in cap. *cum ex eo* eiuſdem tituli, Innocentius Tertius omnibus interdicit, ne reliquias de nouo inuentas venerari audeāt, niſi fuerint Romani Pontificis auctoritate comprobatæ. Et in cap. *Mandat.* Seſſ. 25. Concil. Trid. cum nonnulla circa Canonizatos, & illorum miracula, ac imagines, Epiſcoporum auctoritati reſeruentur: nihil omnino conceditur neque Epiſcopis, neque Regularib. per reſpectum ad cultum non Beatificatorum.
D Nec aliquod eſt priuilegium Regularibus aliquādo conceſſum, in quo illorum ſuperioribus circa cultum non Canonizatorum, & non Beatificatorum aliquid permittatur. Auctoritas enim quaſi Epiſcopalis circa nonnulla Regularium Superioribus ab Apoſtolica Sede conceſſa, non ſe extendit ad ea, quæ Epiſcopis, vel Sedi Apoſtolicæ reſeruata exiſtunt; niſi in ſpecie id fuerit expreſſum. Et quia ex actibus quibuſcunque ipſo iure nullis, nullum hauritur indicium,

ex

ex conſequenti, ex prædicto titulo Beatitatis apud Regulares, A
abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate, aliquibus conceſſo, nullum hauriri poterit argumentum ad actum Canonizationis, qui eſt omnino iuridicus; neque ad actum Beatificationis, qui, quamuis ex ſua natura non ſit iuridicus, eſt tamen ſemiiuridicus, quia de more ſequitur proceſſum, & directe reſpicit actum iuridicum Canonizationis.

Aliquid amplius ad effectũ Beatificationis, & Canonizationis ſeruorum Dei hauritur ex titulo Beatitatis alicui ſer- B
uo Dei conceſſo auctoritate Epiſcopali: Nam ſi prædictus titulus in aliqua particulari Eccleſia alicui prętenſo ſeruo Dei conceſſus fuerit ab aliquo Epiſcopo, vel Archiepiſcopo in Synodo Diœceſana, vel Prouinciali, præſertim poſt emanatum Capitulum *Audiuimus*, quod extat in decretali ſub titulo de reliq. & vener. ſanct. quamuis non habeatur ex ea conceſſione argumentum validum ſanctitatis; indicium tamen aliquod ſaltem remotum ad effectum Beatificationis, & Ca- C
nonizationis haurietur.

Argumentum quidem non hauriri ex ea conceſſione, liquet, quia valida argumenta ſanctitatis tantum ex præmiſſis certis & indubitatis, nec non etiam ex actibus iuridicis, & validis hauriũtur; qua de cauſa ad effectũ Beatificationis, & Canonizationis certò conſtare debet per actus iuridicos de virtutibus in gradu heroico, deque miraculis prædefuncti, de cuius Beatificatione agitur. Hæc autem ex titulo Beatitatis D
alicui prædefuncto conceſſo ab aliquo Epiſcopo, vel Archiepiſcopo, etiam in Synodo diœceſana, vel Prouinciali non probantur. Quia in foro Sedis Apoſtolicæ tantum prædicta iuridicè cõſtare poſſunt. Nam quamuis Epiſcopus proceſſum fabricaſſet de miraculis, & de actibus alicuius prætenſi ſerui Dei in cõcedendo titulo Beatitatis; ratione tamen exceſſus poteſtatis, talis conceſſio irrita, & nulla cenſenda

cum

A cum veniat, proinde nihil ad effectum Beatificationis, & Canonizationis probaret. Quia non licuit Epiſcopo vigore proceſſus à ſe fabricati, titulum Beatitatis alicui concedere.

Quod vero ex prædicta conceſſione aliquod tamen Sanctitatis indicium hauriatur; à nullitate actus, & à natura indicij, cuius eſt à longe rem aliquam demonſtrare, probatur; ſiue indicatio digito, vnde indigitare dicitur, ſeu lignea aliqua manu fiat; vnde demõſtrare prouenit; ſiue antiquorum B Mercurio in aceruo lapidum conſtituto, à quo vocabulum ſignare prouenifſe arbitror; ſiue aliqua alia de ratione aliquod indicetur: Beatitatis etenim titulus ab Epiſcopis alicui conceſſus poſt emanatum Capitulum *Audiuimus* de reliq. & vener. Sanct. à longe tantum, & non de proximo Sanctitatem prædefuncti commonſtrat: igitur ſolummodo rationem indicij, non argumenti habere poterit. Præſtare autem alicui defuncto viro titulum Beatitatis eſt actus excedens fa- C cultatem Epiſcopalem, ac etiam Synodalem, proptereaq; eo actu inualido ſanctitas alicuius de vicino nequit demonſtrari, ſed tãtum de longe, & vix quidem; ac per conſequens illius tituli conceſſio tantum poteſt habere rationem indicij.

Quamuis enim Epiſcopus habeat aliqualem facultatem fabricandi proceſſus de actis, & miraculis ſeruorum Dei prędefunctorum cum fama ſanctitatis; non tamen ineſt illi facultas concedendi Beatitatis titulũ. Quia id eſſet concedere D eidem Sanctorum venerationem, contra id, quod decernitur in cap. *Audiuimus* de reliq. & venerat. Sanct. Nam hi duo tituli τὸ Beatus, & τὸ Sanctus, quaſi Synonyma, & quodammodo eiuſdem ſignificationis in Eccleſia cenſentur. Non quidem omnino, ſed ex aliqua ratione, vt in fine huius capituli monſtrabimus. Quod autem ſint quaſi Synonyma certum, & apertum videtur ex praxi Eccleſiæ in Collectis, quibus vtitur, tam in horis Canonicis recitandis, quam in

Miſſæ

Miſſæ ſacrificio. Nam in collecta, *Adeſto*, quæ recitatur in A Romano Breuiario pro Sancto Auguſtino, is ipſe dicitur *Beatus*. In collecta Apoſtoli Thomæ. *Da nobis quæſumus Domine, &c.* Is ipſe Chriſti Apoſtolus Beatus dicitur. Pari ratione Ioannes Euangeliſta *Beatus* dicitur in collecta *Eccleſiam tuam*. Ex quibus omnibus collectis, & alijs, quæ poſſent afferri, perſpicuum videtur, confundi Sanctitatis cum Beatitatis titulo in Eccleſia, ac ipsã his vti quaſi Synonymis, ac proinde concedere alicui prædefuncto titulum Beatitatis, B eſſet acſi concederetur eidem cultus Sanctorum in allato capitulo *Audiuimus* Epiſcopis, & reliquis alijs quibuſcunq; omnino interdictus.

Si vero titulum Beatitatis conceſſum fuiſſe probabitur alicui prædefuncto ante tempora Alexandri Tertij ab aliquo Epiſcopo, vel Archiepiſcopo, præſertim in aliqua Synodo Prouinciali; vtique ex tali conceſſione fumus ſufficiens, & validus ad effectum Beatificationis eiuſdem prædefuncti, & C Canonizationis haurietur. Quod eſt dicere, ex eo titulo excitari, ac moueri Sedem Apoſtolicam ad inquirendum de prætenſi ſerui Dei actibus, & miraculis. Quia dum ſumus in antiquis, de quibus nulla extat memoria, conditio poſſidentis habet optimum titulum, cum habeat aſsiſtentiam Iuris. Vtque dicunt Iuriſperiti, *Habet meliorem titulum de mundo*. Sed talis titulus Beatitatis alicui cõceſſus ante tempora Alexandri Tertij, nimirum ante emanatum Capit. *Audiuimus* D habet aſsiſtentiam Iuris ex temporum antiquitate. Nam in cauſis Canonizationum, & Beatificationum, non ſolum ex actibus iuridicis ſola Ordinarij auctoritate fabricatis, ſeruatis ſeruandis, vt alias dictum eſt, fumus ſufficiens habetur: ſed etiam ex actibus ipſo iure nullis, ratione poſſeſſionis, quando ſumus in immemorabili, & in antiquiſſimis ante tempora Alex. III. ſufficiens ferè fumus exurgere poteſt; & Ec-

A clesia Romana excitari ad inquirendum de actibus, & mi-
raculis prætenſi Serui Dei iam prædefuncti ad effectum Ca-
nonizationis, & Beatificationis.

Remanet igitur certum, & validum argumentum ad ef-
fectum Canonizationis alicuius Serui Dei, hauriri tantum
poſſe ex titulo Beatitatis eidem conceſſo ab Apoſtolica Se-
de, & conceſſione alicuius cultus ex ſpeciali Sedis Apo-
ſtolicæ priuilegio, qui titulo Beatitatis in totum, vel ex par-
B te æquiualeat. Qualis eſt horarum Canonicarum recitatio,
celebratio Miſſæ ad alicuius Serui Dei honorem, aut ſupra
alicuius ſepulchrum, lampadarum accenſio, publica aliquo-
rum prędefunctorum imaginum expoſitio ad cultum, & ve-
nerationem, & alia his ſimilia, quæ ſigna Sanctitatis cenſen-
tur in Eccleſia. Ex his enim, & alijs huius generis conceſ-
ſionibus ad fauorem alicuius Dei Serui ab Apoſtolica Sede
non ſolum miracula certò, & indubitanter comprobata indi-
C rectè ſubindicantur: ſed etiam virtutes vndequaque probatæ
in gradu heroico ſaltē indirectè cenſentur. Cumque ex prę-
miſsis certis, & irrefragabilibus, quibus directè, vel indirectè
virtutes alicuius viri prædefuncti in gradu heroico, & mira-
cula certa, & indubitata comprobantur; validum argumentū
ſumatur ad effectum Canonizationis, conſequenter ex hu-
iuſmodi conceſſionibus intētum habebitur. Nam Beatitatis
titulus ab Apoſtolica Sede conceſſus de proximo cultum, &
D venerationem Sanctis Canonizatis debitam reſpicit, San-
ctitatemque probatam ſupponit. Ex Sanctitate verò plene
probata efficaciſsimum, & validum argumentum ad effectū
Canonizationis ſumi, nemo dubitat. Perſpicuum eſt igitur ex
titulo Beatitatis alicui prædefuncto ab Apoſtolica Sede con-
ceſſo, maximum, & validum ſumi argumentum ad effectum
ſolemnis Canonizationis. Romana namque Eccleſia num-
quam alicui titulum Beatitatis conceſsit, aut aliquid aliud

huic

huic æquiualens, niſi præuio proceſſu,in quo iuridicè proba- A
tæ exiſterent virtutes in gradu heroico,& certa miracula.

Accedit,quod Beatificatio facta per Sedem Apoſtolicam,
& titulus Beatitatis alicui prædefuncto conceſſus, reſpicit fu-
turam Canonizationem. Quapropter antequam Beatitatis
titulus alicui ab ea cōcedatur; cuncta,quæ ad Canonizationē
prærequiruntur, iuridicè de more expediuntur. Fabricantur
enim proceſſus de actis, & miraculis prætenſi Serui Dei, &
in curia diſcutiuntur, & quidem non tā in ordine ad Beatifi- B
cationem, quam ad Canonizationem. Et tam arctè conne-
ctuntur iſta duo, vt numquam alicui prædefuncto ab Apo-
ſtolica Sede priuilegium Beatificationis concedatur, niſi per
reſpectum ad futurā Canonizationem. Vt manifeſtè conſtat
ex priuilegijs Beatificationum, tam antiquis, quam recentio-
ribus ad fauorem Seruorum Dei conceſsis. Nam Paſchalis
Secundus in literis Apoſtolicis, quarū exordium eſt, *Domi-
num excelſum*. Sub Dat. Signiæ ſecundo nonas Iunij Pont. C
anno x. qui fuit Chriſti annus 1110. diem feſtum Sancti Pe-
tri Anagnini celebrari in ea Diœceſi cōceſſit. *Sanctorum Ca-
talogo*, inquit, *numerandi*. Leo X. per Apoſtolicas literas,
quarum exordium eſt. *Expoſuit nobis* ſub dat. Florentiæ 24.
Ianuarij anno tertio, Chriſti vero 1516. Regularibus S. Ma-
riæ Seruorum conceſsit; vt ad honorem Serui Dei Philippi
Benitij horas canonicas recitare, & feſtum celebrare licitè
poſſent. Priuilegium his clauſulis concedit. *Donec ad Cano-* D
*nizationem ipſius Philippi deuentum fuerit: cui ad præſens di-
uerſis, arduiſque præpediti vacare non poſſumus*. Et Sacra Ri-
tuum Congregatio ex ſtylo recentiori, abſoluta cognitione
alicuius cauſæ Beatificationis,ſolet decretum formare, quale
hic damus in cauſa Beati Thomæ à Villanoua. *Die Lunæ 6.
Decembris 1622. diſcuſſa diligenter, ac maturè perpenſa de mā-
dato Sanctiſſimi Domini noſtri in ordine ad Canonizationem*

cauſa

A *cauſa Beati Thomæ à Villanoua Ordinis Sancti Auguſtini Archiepiſcopi Valentini. Congregatio Saerorum Rituum pluribus deſuper habitis ſeſsionibus Ill.mo Cardinali Millino referente, cenſuit, tuto poſſe Sanctiſsimum Dominum Noſtrum, quandocunque ſibi libuerit ad ſolemnem eiuſdem B. Thomæ Canonizationem, iuxta S. R. E. ritum, & ſacrorum Canonum diſpoſitionem deuenire: eumque definire Sanctum cum Deo regnantem; atque vniuerſali Eccleſiæ proponere colendum, & venerandum.*

B Subſcriptio *Franciſcus Maria Cardin. à Monte*. Ex quibus quidem Apoſtolicis litteris, & Sacræ Congregationis decretũ planè conſtat, Beatificationem dirigi ab Apoſtolica Sede ad Canonizationem: ac proinde à titulo Beatitatis ab ea conceſſo alicui ſeruo Dei, efficaciſſimum, & validum ſumi argumentum ad effectum Canonizationis.

Nec aliquem turbet aliquorum ſententia exiſtimantium; (ſed falsò) Beatificationem nõ diſtingui eſſentialiter à Canonizatione, neque hanc ab illa; ſed tantum ſe habere ad inuicem, vt duos actus ſolemniores, & minus ſolemnes. Nam vt infra monſtrabitur, Canonizatio eſſentialiter, & ſecundum propriam rationem intrinſecam à Beatificatione diſtinguitur. Nam in canonizatione Papa procedit, vt Iudex Vniuerſalis Eccleſiæ, & per definitiuam ſententiam alicui cultum deberi in Eccleſia militanti decernit. Et tanti ponderis eſt iſte Canonizationis actus: vt qui cultum Canonizato negaret; de hereſi ſuſpectus haberetur. Quia ſummus Pontifex loquens de cathedra non poteſt errare. At vero in Beatificatione licet piè credendum ſit Papam non errare: id tamen non eſt certũ de fide. Quia in Beatificatione Papa non procedit, vt iudex (ſtrictè loquẽdo,) neque definit: ſed vt Princeps in Eccleſia priuilegium concedit huic, vel illi Eccleſiæ: vt abſque incurſu pœnarum latarum contra ſuperſtitioſos, & eos, qui abſque licentia Sedis Apoſtolicæ alicui cultum

C

D

G præ-

præſtant; liceat illis, talẽ, vel talem virum cultu Sanctorum venerari. Cumque iuxta ſententiam Iuriſperitorum, vnuſquiſque poſſit renunciare priuilegio: poterunt abſque incurſu alicuius pœnæ, priuilegio Beatificationis renunciare, non ſolum Eccleſia, cui illud priuilegium fuerit conceſſum: ſed etiam perſonæ priuatæ eiuſdem Eccleſiæ, poterunt non vti eo priuilegio. Ex quibus omnibus, & alijs, quæ ſuo loco dicentur: Beatificationem diſtingui eſſentialiter à Canonizatione, & hanc ab illa planè conſtat. A B

Et quamuis hæc duo vocabula Beatus, & Sanctus ſynonyma videantur, vt adnotauimus ſupra, tamen revera non ſunt talia, nec vbique alterum pro altero in Eccleſiaſticis collectis ſumitur: ſed ſe habent veluti ſuperius, & inferius ſtrictè loquendo. Beatitatis titulus enim de pluribus dicitur, quam vox Sanctitatis. Quotquot enim in Cælo exiſtunt verè Beati appellantur: qua ratione infantes baptizati, qui ante vſum rationis ex hac vita deceſſerunt verè Beati dicuntur. Eccleſia autem in collectis, quæ in Choro, vel in Miſſa recitantur; non reſpicit titulos quos in Eccleſia Dei famuli, ex Beatificatione, vel Canonizatione habuerunt: ſed quatenus diuina fruuntur Beatitudine. Quamobrem tam canonizatos, quam non canonizatos Beatos appellat. C

Quod autem titulus Beatitatis, ſtrictè loquendo, à titulo Sanctitatis diſtinguatur in Eccleſia militanti per reſpectũ ad cultum, manifeſtum reor. Quia quotquot in Canone miſſæ recitantur; & ab Eccleſia fuerunt canonizati Sancti, & Beati iure dicũtur, & appellantur: nõ vero è contra quotquot Beati ex priuilegio appellantur, Sancti quoque dici poterunt. Ex quibus perſpicuũ fore puto; duo illa vocabula nequaquã fore Synonyma: ac proinde falsò putari Canonizationem non diſtingui eſſentialiter à Beatificatione. D

A *SECTIO SECVNDA.*

De notis Sanctitatis ex virtutibus, & Euangelica perfectione.

DICEBAMVS in præcedenti Sectione, titulo Sanctitatis à primis vſque exordijs Eccleſiæ decorari conſueuiſſe ab eadem,
B eos tantum fideles; qui cum Euangelicas virtutes ardentiori ſpiritu, quam reliqui ſectarentur: ab eadem ſanctiores, atque perfectiores in Chriſtiana diſciplina cenſebantur. Quodque tunc potiſſimum illi ipſi in hoc numero reponebantur: cum aliquid incommodi, ac diſpendij ex carceribus pro Religione ſuſtinuiſſent. Quibus in carceribus diem ſi clauſiſſent extremum, inter ſanctos ab Eccleſia referebantur. In
C hac nunc Sectione de his actibus per quos fideles perfectionem, & ſanctitatem attingunt agendum ſupereſt.

CAP. I.

De perfectionis Statu.

PERFECTIONEM à ſtatu perfectionis,
D & hunc ab illa diſtingui ex doctrina D. Tho. 2. 2. quæſt. 183. & 184. per totam quæſtionem, maximè verò art. 4. in corpore quæſtionis; & ſimiliter quodl. 3. art. 17. in corp. §. *Sed aduertendum*. Et ex reliquis Theologis certa res eſt. Quamobrem, vt quæ dicturi ſumus clariora fiant, quid *perfectio* ſit, quidque *ſtatus perfectionis* vocabulo intelligatur, aperire, & explicare neceſſarium cenſui: vt perfectio, quam

in Dei famulis canonizandis requiri certum eſt, apertior fiat. A

Et quidem à perfectionis vocabulo exordium ſumentes, illud deriuari à *Facio* latinorum verbo res eſt aperta: ſicut etiam *factio*, *effectio*, & alia huiuſmodi. Vt autem metaphyſicè loquamur, ſeù ſcholaſticè: ſicut *effectio*, & *actio*, motum ad terminum indigitant: & vox ipſa *efficere* motum indicat quatenus procedit ab agente: & vox *effectus* rem ſeu actionem in termino ſignificat: ita quoque *perfectio* diſtinguitur à perfecto, tanq; motus à termino. Etenim Ariſt. B *Perfectum eſt id, cuius particula nulla extra ſumi poteſt.* dixit lib. 4. metaph. cap. 16. hoc eſt. *Perfectum eſt id, cui nihil deeſt.* Vt dicebat lib. 3. Phyſ. & lib. 1. de Cęlo, & Mundo & alibi ſæpe: & recte quidem rationem perfecti per id, cui nihil deeſt, Ariſtotiles expreſſit. Illud enim cui nihil ex quocunque capite deeſt; perfectum fore neceſſe eſt: quod ei nimirum nihil addi poſſit. A' concreto itaque vocabulo ad abſtractum tranſeuntes, nimirum à perfecto ad perfectionem, hanc fore dicimus. *Viam, cui nihil deeſt, vt aliquis coniungatur vltimo ſuo fini, & in ſuo genere perficiatur.* C

His poſitis, atque conſideratis de perfectione, atque perfectionis vocabulo: quid nomine ſtatus perfectionis ſignificetur, videndum remanet. Et quidem quamuis vocabulum *ſtatus* multipliciter iuxta varias ſignificationes ſumi poſſit: nihilominus iuxta præſentem materiam, de qua agimus, poteſt ſumi primo quatenus diſtinguitur à via, nimirum pro conſiſtentia aliqua: à qua deſumptum puto ſtationum Eccleſiaſticorum vocabulum. Appellantur enim ſtationes, loca, Eccleſiæ, ſeu Baſilicæ, ad quas olim ſolemnes ſupplicationes terminabantur, & in illis fideles conſiſtebant poſt proceſsionem: niſi fortaſſe velimus, ſtationes fuiſſe ſic dictas, quod fideles ſtando orarent poſt completam proceſſionem. Secundum quam prædicti vocabuli acceptionem D

ſtatus

A ſtatus perfectionis, idem erit quod perfectionis terminus.

Communiter vero vocabulum *Status* pro conditione cuiuſque hominis firma, & ſtabili ſumitur. Quia iuxta doctrinam D. Th. 2. 2. q. 183. art. 4. Status proprie loquendo ſignificat quandam poſitionis differentiam ſecundum modũ ſuæ naturæ: quaſi in quadam immobilitate conſiſtens. Quamobrem quæ de facili moueri poſſunt: vt ſunt dignitates, & magiſtratus amouibiles, non dicuntur pertinere ad ſtatũ hominis: vt ſunt etiam diuitię, & paupertas. Nã quod aliquis ſit diues, vel pauper, cõditio eſt quam maxime mobilis. Ad ſtatum autem hominis pertinent, quę dicunt immobilitatem.

B

Et licet ſtatus hominis diuidatur in publicum, & priuatum: ſtatuſque publicus dicatur ille, qui reſpicit dignitates, & honores l. *cognitionum*. ff. de extraord. cognit. nihilominus ſtatuendum cenſeo, vocabulo ſtatus quamcumque hominis cuiuſcunque conditionem immobilem ſignificari.

C l. fin. ff. de condit. ſecundum quã apud Iuriſprudentes alij ingenui ſunt, alij libertini, alij ſerui. lib. 1. ff. tit. 5. de ſtat. hom. lib. 4. ff. tit. 15. l. de ſtat. defunct. Quamobrem ex ſententia D. Thomæ 2. 2. q. 183. art. 1. ſic ſtatus deſcribi poteſt. *Status eſt quædam moralis conditio hominis, pertinens ad aliquam libertatem, aut ſubiectionem*. Et iuxta hanc doctrinam ſtatum tam hominum, quam mulierum diuidere poſſumus: vt aliqui ſuperiores, alij inferiores ſint, alij laici, alij eccleſia-

D ſtici, & ex eccleſiaſticis, alij ſeculares, alij regulares. Ratione enim ſui ſtatus quilibet homo aliqua obligatione tenetur: ſiue ille ſit Dominus, & Rex, qui imperet alijs, aut aliquos regere, ac defendere teneatur: ſiue alteri ſubiectus, & alterius regimini, imperio, dominioque ſubijciatur: qua ſubiectionis de cauſa parere ſuperiori, & Regi, ac Domino obedire teneatur. Conſtat igitur ex definitione iam poſita, ſtatum perfectionis non conſiſtere in ipſa perfectione actuali, ſed

in certa quadam, & perpetua obligatione munerum: per A
quam obligationem homo ad ſuam, vel proximi perfectionem
dirigatur. Aperitur hinc quæſiti noſtri ſenſus quod nimirũ,
quando loquimur de ſtatu perfectionis in pręſenti capitulo;
non de quocunq; ſtatu perfectionis quęrimus, aut loquimur,
ſed de ſtatu perfectionis euãgelicę iuxta Chriſti doctrinã.

Præterea obſeruandum eſt, quod vox illa perfectio poteſt ſumi in obliquo & in recto, vt idem ſit ſtatus perfectionis, ac ſtatus perfectus: & titulus capituli intelligatur de B
vltimo termino perfectionis, videlicet de conſiſtentia alicuius in perfectione, in qua quis poſitus, vlterius perfici nequeat. Qui quidem ſtatus in præſenti vita haberi nequit. Quia nemo poteſt dari adeo perfectus in hac vita, quin poſſit vlterius perfici, quantum ad habitus virtutum tam moralium, quam etiam ſupernaturalium, ex frequentatis actibus, & exercitio euangelicarum virtutum. Nam cum finis intellectus creati ſit ſummum intelligibile, ideſt Diuina eſ- C
ſentia: & in hac vita nemo poſſit huic fini, qui eſt Deus, omnino, & perfectiſſimè coniungi: propterea neque perfectionis ſtatus, ideſt conſiſtentia immobilis in perfectione, dari poterit in præſenti vita.

Si vero perfectio in epigraphi Capituli ſumatur in obliquo: (vt vere ſumitur.) titulus erit intelligendus de conditione Hominis, in qua ex ſpecialibus inſtitutis in dies virtutibus, ac externis earum actibus aliquis homo poteſt progredi, & D
eò peruenire, vbi tandem vltimo ſuo fini coniugatur. Et is verè eſt ſẽſus tituli & epigraphes noſtri capituli. Status enim ille, in quo ex decretis, ſtatutis, & conſtitutionibus aliquibus ab Eccleſia probatis, homo poteſt exerceri in euangelicis virtutibus, ita vt in dies perficiatur, ſtatus perfectionis verè appellatur, qualis eſt quem Eccleſiaſticorum varia inſtituta, præſertim regularia retinent.

His

A His ita declaratis de vocibus perfectionis, & perfectionis ſtatu: explicando quęſitum per nonnulla aſſerta: dico primo, ſtatum perfectionis eſſe conditionem quandam hominis ſuperinductam ex ſolemni aliqua obligatione: per quam homo alligatur ad operandum aliqua externa virtutum Euangelicarum opera, quæ ſub conſilio tantum cadebant.

Pro intelligentia aſſerti notandum erit: Euangelicam perfectionem in duobus poſitam fuiſſe: nimirum in præceptis,
B ac in conſilijs à Chriſto relictis. In pręceptis quidē eſſentialiter & primario, in conſilijs verò accidētaliter, ſeu inſtrumentaliter, & ſecundario. Quia igitur ad ea, quæ ſunt eſſentialia perfectioni Chriſtianæ, homo obligatur ratione præcepti; nec noua poteſt excogitari, aut ſuperinduci obligatio: propterea hæc obligatio, per quam aliquis conſtituitur in ſtatu perfectionis, habet pro obiecto ea, quæ cadunt ſub conſilijs euangelicis; quatenus referuntur ad ea, quæ cadunt ſub pręcepto, vt ad finem conſequendum. Chriſtum hanc doctrinā
C cenſeo tradidiſſe, cum adoleſcenti cuidam petenti ab eo, quid faciendum ſibi eſſet, vt vitam æternam conſequeretur, reſpondit. *Serua mandata.* Perfectionis vero viam eidē aperiens ſubintulit. *Si vis perfectus eſſe: vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Nón quidem præcipiendo, ſed conſilium dādo, iſta ſubintulit; quibus eundem in ſtatu perfectionis collocaret: vt pręclare docet Valent.
D to. 3. theolog. diſp. 10. q. 2. punct. 1. §. ad ſecundum: quem petere poterit, qui plura deſiderat.

Concluſio iam poſita eſt certa, ac potius indiget declaratione, quam probatione: ſatis enim ex dictis probata remanet. In ea enim concluſione vox *conditio* ſtat loco generis ex D. Th. 2. 2. quęſt. 183. art. 1. Quid etiam conditionis vocabulo intelligatur, ex iam dictis ſatis manifeſtum eſt. Dicimus autem huiuſmodi conditionem fore ſuperinductam,

quia nemo naſcitur in ſtatu perfectionis: ſicut naſcuntur homines ſerui, ac liberi & obligati ad obſeruantiam diuinorum præceptorum: ac etiam chriſtiani poſt baptiſmum ad ea, quæ Chriſtus præcepit. Conditio autẽ huiuſmodi, per quam homo conſtituitur in ſtatu perfectionis, ſuperinducitur ex eo quod homo voluntariè ad aliqua ſe obligat, quæ coadiuuant præceptorum perfectiſsimam obſeruantiam. Quamobrem qui ſui iuris non ſunt, in quocumque alio ſtatu ſint poſiti, in ſtatu perfectionis conſtitui nequeunt: ac propterea vir coniugatus non poteſt relicta vxore tranſire ad ſtatum regularem, aut ſacros ordines ſuſcipere in latina Eccleſia: niſi de conſenſu coniugis, ſoluto matrimonio: per quam ſolutionem ſui iuris conſtituitur. A B

Ex his liquet, duo requiri, vt aliquis in perfectionis ſtatu verſari dicatur iuxta doctrinam D. Th. quodl. 1. art. 19. ad 2. & 2. 2. q. 183. art. 4. vel etiam tria vt placet Caiet. in Commentario prædicti articuli, & docet etiam Valent. tom. 3. diſput. 10. quæſt. 2. punct. 3. nimirum obligatio, ſolemnitas obligationis, & quod obligatio habeat exteriora aliqua virtutum opera pro obiecto. Requiritur enim primo vt homo ad aliqua virtutum, & perfectionis euangelicæ opera propter Deum alligetur. Et, nemo in ſtatu perfectionis conſtituitur eo quod faciat eleemoſynas, oret, ieiunet, infirmis inſeruiat, aut alia bona ex libera ſua voluntate faciat, non autem ex obligatione. C D

Secundo requiri diximus ſolemnitatem aliquam externam, ſaltem interpretatiuam: per quam aliquis ad aliqua perfectionis opera ex inſtitutione ſtatus obligetur. Hæc autem ſolemnitas, ſaltem interpretatiua, ad opera bona ideo requiritur ad conſtituendum ſtatus perfectionis: vt obligatio habeat firmitatem & ſtatum: nec non etiam vt ſubſit Eccleſiæ iudicio, cui de externis iudicanti, examinare licet,

A an aliquis adimpleuerit; quæ promiſit iuxta ſtatum perfectionis.

Denique requiritur ad ſtatum perfectionis; vt obligatio reſpiciat, & habeat pro obiecto aliqua bona opera externa: vt puta circa curam infirmorum, hoſpitalitatem, defunctorum ſepulturam, abdicationem rerum temporalium, & alia huiuſmodi. Nam ſi obligatio internos tantum actus bonos reſpiciat: cum tales actus non ſubſint iudicio eccleſiæ;
B non conſtituit hominem in ſtatu perfectionis.

Declarato quid nomine ſtatus perfectionis intelligatur; & quis nam ſit ſtatus perfectionis: deſiderabit fortaſſe aliquis ſcire, qui nam ex hominibus ſint cenſendi fore in ſtatu perfectionis expreſſæ. Vt autem diſtinctè, & breuiter reſpondeamus: primo tanquam certum ſtatuatur, omnes Regulares, tam viros quam mulieres, qui emittunt vota, obedientiæ, paupertatis, caſtitatis, & alia aliqua vota iuxta inſtitutũ diuer-
C ſarum Religionum: vt ſunt Minimi, qui tribus obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis votis addunt quartum perpetuæ quadrageſimæ: & Religioſi Sancti Spiritus in Saxia, qui tribus prædictis addunt quartum inſeruiendi perpetuò infirmis: ſicut etiam alij, qui dicuntur Clerici Regulares infirmorum, ad quorum curã quarto voto ſe adſtringunt: & omnes quoſcunq; Regulares, & fideles, qui profeſſionem ſolemnem emittunt ſub aliqua Religione ab Eccleſia approbata: ex do-
D ctrina D. Thomæ 2.2. q. 184. art. 5. Valentiæ to. 3. diſp. 10. q. 2. punct. 4. & reliquorum Theologorum: dicuntur, & verè ſunt in ſtatu perfectionis.

Similiter certum ſit ex eodem D. Thom. omnes Epiſcopos, exiſtere in ſtatu perfectionis. Quia non tã in ſuſceptione ſacrorum Ordinum ad caſtitatem perpetuo ſeruandã, quam etiam in conſecratione epiſcopali ad curam animarum, obligatur, & ad ponendam animam pro ouibus ſuis. Ita D. Tho.

loco

loco citato ex 2.2. art. 5. & Valentia ibidem. Et ad hæc obligantur non quidem ex vi voti ſolemniter emiſſi: vt rectè aduertit Caietanus in articulo citato ex D. Thom. ſed ex vi ſolemnis obligationis, ad quam vigore iuramenti ſe alligant Epiſcopi quando conſecrantur. Nam quamuis ad plura interrogata, ad quæ Epiſcopus conſecrandus reſpondet: iuxta ritum Epiſcopalis conſecrationis; nequaquam reſpondeat per verbum *promitto*; ſed per Verbum *volo*, quod non habet vim voti: hoc tamen *volo* obligationem perpetuam infert Epiſcopo conſecrando: & ex conſequenti eundem in perfectionis ſtatu conſtituit. A B

Dubitari poteſt de reliquis Clericis ſecularibus conſtitutis in ſacris ordinibus, nimirum de Subdiaconibus, Diaconibus, Presbyteris, Plebanis, Archidiaconis, & alijs, qui habent ex aliquo capite curam animarum, Epiſcopis ſubordinatam, vel tantum ſunt addicti miniſterio aliquo Eccleſiaſtico ex vi ſacri Ordinis. An nimirum hi clerici ſeculares in ſtatu perfectionis exiſtere cenſeantur. C

Equidem D. Th. 2. 2. q. 184. art. 6. in negatiuam partem inclinat. Eo præſertim argumento, quod his liceat abſque aliqua alia licentia Epiſcopi, aut Papæ ad inſtituta Regularium tranſire; necnon etiam, quia poſſunt deſerere ſuas plebanias, munera, dignitates, & officia, ſuasque parochias, quibus eſt annexa cura animarum, alijsque huiuſmodi officijs; ac proinde excludendi à ſtatu perfectionis videantur. D Quia ſtatus perfectionis ex ſua natura denotat aliquã immobilem obligationem perpetuam firmitatem, & conſiſtentiam habentem. Cum igitur obligationem firmam, atque perpetuam minimè videantur inducere prædictæ plebaniæ, ac dignitates, ſed nudam tantũ Sacrorũ Ordinum ſuſceptionem, ex conſequenti cenſentur ab Angelico doctore clericos ſeculares prædictos in ſtatu perfectionis non exiſtere.

Reſpon-

A Reſpondeo ad quæſitum, & certum fore arbitror, Archidiaconatum, Archipresbyteratum, Præpoſituram, Plebanatum, & alias huiuſmodi dignitates ſeculares, quamuis Eccleſiaſticæ ſint; & aliquibus ex his annexa ſit etiam cura animarum; nihilominus ex ſua natura neminem conſtituere in ſtatu perfectionis. Dixi ex ſua natura, quia nudè loquimur de illis ſecundum ſe conſideratis: non autem, vt habent annexos ſacros ordines, de quibus mox loquemur: ſed vt B ſunt puræ dignitates, etiamſi eccleſiaſticæ ſint.

Ratio noſtri aſſerti, vt reor eſt manifeſta, quia prædictæ dignitates non habent annexam ex ſua natura aliquam perpetuam, & immobilem obligationem, ad aliqua bona opera externa. Nam quamuis Archipresbyter ex officio Archipresbyteratus ſuperintendere presbyteris teneatur, & in Eccleſia reſidere, miſſas in ſolénitatibus, abſente Epiſcopo celebrare. Vt dicitur, cap. 1. *de offic. Archipresb.* & cap. *Mini-* C *ſterium*, & cap. *officium*. eodem titulo. Sicut etiam Archidiaconus tenetur curam habere Epiſcopatus poſt Epiſcopum. Vt dicitur cap. 1. *de offic Archidiac*. Ac etiam viſitare Diœceſim, vt ibi dicitur. Debeat quoque inſtituere, & examinare ad ordines promouendos cap. *ad hæc*. eod. titulo. Parochi quoque teneantur curam animarum habere. Quia tamen tàm prædicti, quàm etiam alij quicunque dignitatem in Eccleſijs habentes, non tenentur ad ea munia, ex aliqua D ſolemni obligatione ſpecialiter contracta tunc, cum aſſumuntur ad prædictas dignitates; ſed tantum tenentur prout de iure: hinc eſt quòd ratione adeptionis prædictarum dignitatum non conſtituantur in ſtatu perfectionis, ad quem, vt diximus, requiritur ſpecialis obligatio perpetua, ſolemnitate aliqua firmata, ac ſtabilita. Nam omnes homines, & Chriſtiani omnes tenentur dirigere proprias operationes ad regulas rationis: non tamen per hanc obligationem ex præ-

præcepto conſtituuntur in aliquo ſtatu perfectionis: quia non habet adiunctam aliquam ſolemnitatem. A

Verùm de his, qui ad ſacros ordines promouentur, vel in dignitate conſtituuntur, cui ſit annexa ſacrorum ordinum ſuſceptio: mihi res videtur dubia, ratione ſacrorum ordinum. Quamobrem diſtinguendum puto, de prædictis Dignitatibus, & Plebanijs: nimirum quod, vel habeant annexam ſacrorum ordinum ſuſceptionem, vel eam obligationem non habent. Si eam habeant annexam, affirmandum B arbitror, atque dicendum, omnes clericos ſeculares ſacris initiatos, ex ſuſceptione ſacri ordinis, non autem ratione dignitatum, conſtitui in ſtatu perfectionis. Quia, vt vidimus, ad ſtatum perfectionis, ſolemnis aliqua obligatio, ſaltem interpretatiua requiritur: per quam aliquis obligetur perpetuò ad externa aliqua opera perfectionis. Sed in ſuſceptione ſacrorum ordinum, clerici etiam ſeculares, ſtatim ab ipſo ſubdiaconatu obligantur in manu Epiſcopi ad perpetuam caſtitatem. C cap. *nullum* diſt. 18. Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 9. Quam quidem caſtitatis obligationem iura canonica votum appellant. cap. 1. *de voto, & voti redempt.* in ſex. cap. *cum olim*, de cler. coniug. & cap. *quanquam* dict. 23. Ergo per talem obligationem perpetuam, firmam, & immobilem, (ſiue firmitatem habeat à voto, ſiue ab eccleſiaſtica lege, ſiue à iuramento, quod modo diſputare nolumus:) ſic ordinati in ſacris ordinibus, in ſtatu perfectionis conſtituuntur. D

Et quamuis os in cælum mihi nequaquam liceat ponere, argumenta tamen in contrarium facta minimè me mouent. Sumuntur enim à mobilitate illorum, qui ſacris ordinibus initiantur, quod nimirum poſſint tranſire ad ſtatum regularem: & qui in dignitatibus eccleſiaſticis ſunt conſtituti, poſſint illas dimittere. Angelici quidem auctoritatem, doctrinam egregiam, ac ſanctitatem, quantum poſſum, veneror;

A ror: ſed nunc ratio in contrarium me impellit: quamuis Angelici ſententiam in hac parte defendere conetur Valent. tom. 3. diſput. 10. quæſt. 2. punct. 2. §. *reſpondeo.* Etenim vt ſatisfaciamus argumentis in contrarium, notandum duximus: in ſtatu perfectionis dari latitudinem, vt nimirum vnus ſtatus ſit perfectior altero. Quapropter etiam inter regularia inſtituta vna Religio, quæ ſanctioris ſit obſeruantiæ, cum ſanctiorem obligationem inducere credatur; cenſetur quo-
B que maioris eſſe perfectionis. Et ideo datur tranſitus ab vna ad alteram: qui tranſitus non eſt reliquere ſtatum perfectionis, ſed à ſtatu minus perfecto tranſire ad perfectiorem. Ita quoque à ſtatu ſeculari Clericorum in ſacris ordinibus conſtitutorum, à Plebanijs, Parochijs, & alijs Dignitatibus eccleſiaſticis, quibus ſacri ſint annexi ordines, tranſire ad Regulares, non eſt deſerere ſtatum perfectionis: ſed à ſtatu minus perfecto, in quo ad vnum tantum opus externum,
C nimirum ad caſtitatẽ, (ad quam, qui ſacris ſunt initiati, ordinibus obligantur:) tranſire ad ſtatum perfectiorem Regularium, in quo poſt emiſſam ſolemnem profeſſionem pluribus, ac maioribus vinculis ex voto regulares alligantur.

Quibus ex omnibus colligi poſſe reor: ad ſtatum perfectionis pertinere gradum Epiſcopalem, ſtatum eccleſiaſticum Regularem, necnon etiam Secularem in ſacris ordinibus conſtitutum. Atque adeo quoſcunque Epiſcopos, quoſ-
D cunque Monachos, ac Religioſos cuiuſcunque inſtituti ab Eccleſia approbati: quaſcunque moniales inſtituti ſimiliter ab Eccleſia approbati; quoſcunque Eccleſiaſticos ſacris ordinibus initiatos, etiam in ſubdiaconatu tantum conſtitutos, reponendos fore dixerim in ſtatu perfectionis: ratione obligationis perpetuæ, per quã ſolemniter ſe alligarunt prædicti ad aliqua externa bona opera. Doctiores meliora præſtent.

Colligitur ſecũdo ex hucuſque dictis à nobis, nequaquam

repo-

reponendos fore in ſtatu perfectionis illos, qui ſe alligant ad A
aliqua opera ſpiritualia externa, vel ex deuotione tantum, vel etiam voto aliquo emiſſo, non quidem ſolemni, ſed ſimplici. Quamobrem, qui vouet caſtitatem vel obedientiā, vel hoſpitalitatem, vel mendicitatem: non quidem coram Eccleſiæ Prælato, & in manu illius; ſed vel in manu Confeſſarij, vel alterius priuatæ perſonæ, vel vouet peregrinationem, vel alicui Hoſpitali etiam per publicum inſtrumentum ad obſequium infirmorum ſe addicit ex charitate, B
pietate, ac deuotione, vel etiam ex inſtitutis alicuius Confraternitatis, Societatis, aut Congregationis; etiam ab Eccleſia, vel ab Ordinario loci cōprobatæ, ſe exercet alijs in operibus ſpiritualibus, (niſi interuenerit ſolemnis aliqua obligatio, illaque ſolemnitas fuerit comprobata à Romano Pontifice) nulla ratione huiuſmodi perſonæ, quæ ſic vouent, vel exercentur in prædictis ſpiritualibus operibus, reponendæ erunt in ſtatu perfectionis: eo modo, quo loquimur de C
ſtatu perfectionis ſecundum formalem rationem ſtatus perfectionis.

Colligitur tertio, non ſufficere ad Beatificationem alicuius Dei famuli, neque inter ſigna eximia Sanctitatis connumerari debere; quod aliquis vixerit, perſeuaueritque vſque ad mortem in aliquo ſtatu perfectionis; vt talem habuiſſe perfectionem, dicatur, & perfectum extitiſſe, cenſeatur. Quia vt rectè dixit D. Th. 2. 2. quæſt. 184. art. 4. in D
argum. *ſed contra.* aliqui ſunt in ſtatu perfectionis; qui omnino charitate, & gratia carent. *Sicut mali Epiſcopi, & mali Religioſi.* Qui cum ſe obligauerint ad aliqua bona opera exteriora per ſolemnem promiſſionem, vel profeſſionem; nihilominus non ſtant promiſſis. Epiſcopi namque in conſecratione ſe obligant ad curā animarum, ad pauperum curam gerendā, & alia, ad quę ex ſacris Canonibus Epiſcopi tenen-

A nentur. Sūt tamen nōnulli Epiſcopi;qui poſthabitis promiſſis,non ſolum curam animarum negligunt; ſed etiam Eccleſiaſticis bonis abutuntur. Regulares quoque in ſolemni profeſſione Obedientiam, Paupertatem,ac Caſtitatem vouent: & promittunt Deo ſe victuros ſub obedientia in paupertate, & caſtitate. Sunt tamen in his,qui carnalibus dent operam: bonorum aliquorum dominium apud ſe retineant:& eiſdem pariter bonis à ſuperioribus ſibi ad vſum conceſſis, aliquan-
B do abutuntur. Superioribus obedire renuunt; à Religione, clauſtro, ac monaſterio abſque ſuperiorum licentia recedunt:& alia interdum crimina,ac facinora committunt;quæ promiſſis in ſolemni profeſſione omnino repugnant. Propterea quamuis vigore profeſsionis ſolemniter emiſſæ,& ratione votorum tales mali religioſi ſint in ſtatu perfectionis: ab ipſa nihilominus perfectione ſunt omnino alieni. Quod peccatis obruantur mortalibus, & gratia gratum faciente,
C charitateque, quibus homo perficitur, priuati exiſtant. Et ideo in his Dei famulis, ac famulabus,qui Beatitatis,aut Sanctitatis titulo, decreto militātis Eccleſię ex auctoritate Summi Pontificis condecorandi fuerint; non ſufficit, in ſtatu perfectionis,ſiue regulari, ſiue ſeculari illos vixiſſe: aut quòd in ſacris ordinibus fuerint conſtituti, vel Pontificali, Cardinalitia,vel Epiſcopali dignitate inſigniti: aut quod per vota ſolemnia extiterint obligati exercitio aliquorum bonorum
D operum: ſed metam,ac terminum Euangelicæ perfectionis in gradu heroico Dei famulos, ac famulas tetigiſſe oportet.

CAP.

A

CAP. II.

De nota Sanctitatis Seruorum Dei ex actibus virtutum.

ACTA Seruorum Dei examinanda cum ſint
ante Beatificationem, & eorumdem Cano-
nizationem: atque ex his notæ, ac ſigna San- B
ctitatis expiſcanda; virtutum quoq; habitus,
& actus, & habituum, atque actuum gradus,
cum primis contẽplandi veniunt. Vt ex his, & in his euan-
gelicæ perfectionis, ac ſanctitatis characteres dignoſcantur.
Omiſſis igitur, quæ longis diſputationibus diſcutiuntur à
Theologis de humanis actibus, dicam breuiter cum Ioanne
Azorio to. 1. inſtit. moral. lib. 1. cap. 1. quod actio huma-
na, ſiue *humanus actus eſt ille, qui ex deliberata hominis vo-* C
luntate prodit, ac originatur. Non enim loquimur de acti-
bus naturalibus, ſed de actibus liberis per reſpectum ad mo-
res. Quibus iuxta doctrinam S. Tho. 1. 2. q. 1. art. 1. tria
conueniunt: videlicet quod actus elicitus homini conue-
niat, quatenus homo eſt: & vt talis ab eo producatur: quod
homini etiam conueniat, quatenus eſt dominus ſuarũ actio-
num: ac demum quod ex libera voluntate ab homine eli-
ciatur. Cumq; ex liberis ſeu deliberatis hominum actibus, D
alij ſint boni, & alij mali: propterea aduertendum eſt; ſub
noſtra præſenti conſideratione non cadere actus malos, ſed
tantum bonos. Qui ſoli examinandi, atque diſcutiendi erunt
in actibus ſeruorum Dei per reſpectum ad Beatificationem,
ac eorumdem Canonizationem.

Cum verò ex humanis actibus bonis, aliqui ſint interni,
alij externi: & Eccleſia non iudicet de internis, qui diuino
tan-

A tantum iudicio ſubſunt: propterea ad effectum Canonizationis, qui eſt actus iuridicus Eccleſiæ; non quidem interni, ſed tantum externi actus boni diſcutiendi veniunt in cauſis ſeruorum Dei.

Actus bonus dicitur, qui rationi, & legi congruit iuxta prudentiæ regulas. Quamobrem per reſpectum, quem dicit actus humanus ad rationem, & legem, & ad rationis regulas iuxta pręcepta prudētię, actus aliquis humanus bonus dice-
B tur: ſi verò à prędictis declinauerit; malus cēſebitur. Quod autem aliquis actus humanus dicat reſpectum ad rationem, & rationi congruat; id habet ex obiecto, fine, & circunſtantijs: ab obiecto quidem, veluti à ſpecificatiuo, vt nimirum in hoc, vel illo genere actus humanus conſtituatur, & diſtinguatur à quocunque alio. Ea propter dicunt Theologi, actus noſtros primam bonitatem recipere ab obiecto; præſertim ſi loquamur de actu externo. Secundam vero boni-
C tatem actus noſtri recipiunt à fine, & circunſtantijs: vt ijdem Theologi rectè docent.

Et quia bonum ex integra cauſa procedit, vt dicebat Ariſtoteles; & D. Dionyſius tradidit cap. 4. de Diuin. nomin. propterea ad completam bonitatem alicuius actus humani, requiritur bonitas obiecti, bonitas finis, & bonitas circumſtantiarum. Nam quamuis in quacunque humana operatione quadruplex bonitas conſiderari poſſit ex recepta doctri-
D na D. Th. 1. 2. quæſt. 18. art. 4. nimirum bonitas naturalis, bonitas moralis ſpecifica, bonitas moralis accidentalis, & bonitas moralis finis: prior tamen, quæ dicitur bonitas entis, nihil facit ad rē: hæc enim bonitas etiā in actibus naturalibus reperitur. Noſtro igitur inſtituto reliquæ tantum bonitates inſeruiunt: nimirum ſecunda bonitas, quæ eſt moralis ſpecifica ex obiecto: & tertia, quæ eſt bonitas moralis accidentalis ex circunſtantijs: ac demum quarta, quæ eſt boni-

H tas

tas moralis ex fine. Ex quibus planè ſequitur: bonitatem moralem cuiuſcunque actus, ex obiecto, fine & circunſtantijs compleri. Quod cum omnibus Theologis Nauarrus etiam in man. cap. 23. n. 1. tradidit. A

Hæc triplex bonitas moralis, in quocunque actu humano eſt adeo neceſſaria; vt ex quocunque defectu illorum trium actus ſit malus: per illam ſcilicet regulam, quæ docet, malum prouenire ex quocunque defectu. Quamobrem defectu bonitatis in obiecto, vel fine, aut in circunſtantijs actus humanus omnino malus cenſebitur. Vt ſi quis vellet furari, ad dandum eleemoſynam: actus iſte vtiq; malus eſſet: quia obiectum eſt ex ſe malum: licet ſit propter bonum finem. Peccaret ſimiliter ille, qui vellet ieiunare propter vanam gloriam. Quia quamuis obiectum ſit ex ſe bonum: finis tamen cum ſit malus, vitiat totum actum. Pari ratione ſi quis vellet ieiunare in die Sancto Paſchatis, etiam ſi hoc faceret propter bonum finem; peccaret tamen defectu circunſtantiæ temporis, quæ id non permittit. B C

Vt autem hæc ipſa clariora fiant; quid ſit obiectum, quid finis, quæ vè circunſtantiæ actuum, explicetur: & qua ratione bonitatem actibus humanis præſtent: nulla habita ratione ad ſcholaſticas Theologorum longiſſimas diſputationes, ſed tantum ad rei veritatem explicandum reſpicientes: quantum ſit ſatis ad notitiam illorum de quibus tractamus. Obiectum igitur eſt, quod obijcitur actui voluntatis: illud nimirum quod voluntas proſequitur; & vt terminum proprij actus reſpicit. Exēpli gratia, ſit aliquis, qui velit ieiunare: ieiunium ipſum, videlicet vnica comeſtio diurna ex præſcripto temperantiæ, eſt obiectum huius actus voluntatis. Et eſt adeò intrinſecum actui voluntatis illud obiectum: vt determinatum, atque ſpecificum eſſe eidem præſtet, ac primam, & ſpecificam bonitatem. Sicut res naturales ſpecificum eſſe à D

forma

A ſorma recipiunt. Et hæc eſt doctrina D. Th. 1.2.quæſt. 18. ar. 2. quam etiã habent Caietan. ibid. & Valent. to. 2. diſp. 2. q. 13. punct. 2. In tantum enim aliquis actus deliberatæ voluntatis congruit rationi humanæ, & prodeſt, vel non prodeſt primario; in quantum verſatur circa hoc, vel illud obiectum: quatenus nimirum vult hoc vel illud. An vero illa bonitas, quam habent actus noſtri ex obiecto; ſit ſpecifica tantum, vt dicunt aliqui Thomiſtæ; an generica, vt B volunt Scotiſtæ, diſputabunt illorum ſectatores: non enim noſtra intereſt aliud quærere de his.

Actus itaque aliquis externus, bonus dicitur, & in hac, vel illa virtutis ſpecie conſtituitur; (loquimur de primo virtutis actu.) nõ quia ab habitu virtutis proueniat; ſed ratione obiecti, quod habet; finis quem reſpicit; & circũſtantiarum quæ eum comitantur. Quia nimirum habet pro obiecto illud idem, quod habitus virtutis habet. Exempli gratia, tempe-C rantia eſt virtus; quæ habet pro obiecto frænare appetitum concupiſcibilem, circa delectabilia ſenſus. Si quis igitur non habens habitum temperantiæ, ſed ex deſiderio acquirendi hunc habitum temperantiæ, actum eliciat circa delectabilia, frænando ſuum appetitum à cibis, vel à venereis; eliciet profecto actum temperantiæ; is tamen actus vere, & realiter non eſt à virtute temperantiæ: cum non ſit ab habitu temperantiæ nondum genito; ſed eſt actus virtutis temperantiæ ratio-D ne obiecti. Quia nimirum talis actus habet idem obiectum, quod habet virtus temperantiæ: & ſpecificatur, ac diſtinguitur à quocunque alio actu per illud idem obiectum; vt non ſit alterius virtutis, quam temperantiæ.

Finis quoque actibus humanis bonitatem, vel malitiam præſtat. Sed vt rectè intelligatur; quo pacto finis bonitatem, vel malitiam actibus humanis præſtet; ſciendum eſt, finem tripliciter conſiderari poſſe: primo vt per ſe eſt obiectum

terminatiuum alicuius actus,quo pacto vocatur finis intrinſe- A
cus actuum noſtrorum. Exempli gratia aliquis vult videri ſanctus, & iuſtus,& propterea ieiunat, rudi vtitur amictu, & alia huiuſmodi facit; quibus directe ieiunium, aut cilicium non intendit; ſed videri iuſtum: & hoc eſt obiectum, ſeù finis intrinſecus: illa verò ſunt media ad cõſequendum finem. Secundo modo ſumitur finis vt circumſtantia: quando nimirum non habet rationem cauſæ; & voluntas non agit pro-
pter illud.ſed quia illud tale ex ſua natura rei volitę coniungi- B
tur:eſtque illi adeo connexum,vt nõ poſſit aliquis velle illud tale; quin ex conſequenti velit id,quod habet connexionem cum illo. Exempli gratia quis vult in quadrageſima ieiunare, vt carnẽ ſuam caſtiget. Sed quia ieiunio quadrageſimali obſeruantia præcepti Eccleſiaſtici eſt annexa: propterea in actu eius,qui ieiunat,vt corpus caſtiget,præcepti adimpletio, quæ eſt finis quadrageſimalis inſtitutionis, non ſe habet,
vt finem operis, ſed vt circumſtantia. Tertio modo ſumi- C
tur finis,vt habet rationem cauſæ mouentis agentem ad operandum, & dicitur finis, cuius gratia agens operatur: qui alia ratione à Metaphyſicis, ac Theologis obiectum quò, ſiue obiectum propter quod apellatur. Et hoc modo verè, & proprie rationem finis retinet, & habet rationem cauſæ. Quando igitur dicimus, finem dare bonitatem actibus humanis, non ſumitur finis priori, aut ſecundo modo, ſed in
tertia conſideratione: quatenus nimirum habet rationem D
cauſæ mouentis agentem ad operandum.

Circumſtantiæ denique requiruntur ad bonitatem humani actus: quia ab his tanquam ab accidentibus actus humani ſumunt bonitatem, aut malitiam. vt docet D. Th. 1.2. q. 18. art 3. & communiter omnes Theologi, & Canoniſtæ idipſum tradunt.Talia vero accidẽtia apellantur circunſtantiæ,quia omnino extrinſece actibus humanis adueniũt. Pro-

bat

A bat hoc aſſertũ D. Th. quia de bonitate, & malitia humani actus iudicandum eſt, ſicut de bonitate, & malitia quarumcunque rerum: ſed bonitas, & malitia reliquarum rerum, non tantum pendet ab his; quæ ſunt de eſſentia rei, verum etiam ab accidentibus: ergo etiam bonitas moralis humanorum actuum non ſolũ conſiſtit in eſſentialibus; ſed etiam neceſſe eſt vt pendeat à circunſtantijs; quæ ſunt accidentia quædam humani actus. Ex qua ſanè doctrina colligitur: non
B ſolum ex obiecto, & fine, ſed etiam ex circunſtantijs actus humanos bonitatem, atque malitiam recipere. Quamuis huiuſmodi circunſtantię non primario, ſed tantum per reſpectum ad bonitatem & malitiam, ſecundariò conſiderentur.

Contemplandum iam remanet: quot ſint circunſtantiæ inueſtigandæ, atque cognoſcendæ in humanis actibus, à quibus bonitatem, vel malitiam actus humani recipiunt, D. Tho. in 1. 2. quæſt. 7. art. 3. ſeptem enumerat circun-
C ſtantias humani actus ex Cicerone. *Quis, quid, vbi, quo*, ideſt quibus auxilijs quis operatus ſit aliquid, *Cur, quomodo, &* *quando*. Ex quibus ſex priores recenſentur quoque à Philoſopho lib. 3. Ethic. cap. 1. & poſterior etiam à Ioan. Damaſceno lib. 2. fidei ortodoxæ cap. 24. Iuris conſulti in l. *Aut facta* ff. de pœnis, ſeptem enumerant circunſtantias; ex quibus delictorum grauitatem, ac leuitatem contemplantur: proinde diuerſas delicti pænas, leges, & iura con-
D ſtituunt. Conſiderant enim cauſam, perſonam, locum, tempus, qualitatem, quantitatem, & euentum. Sed quia hæ circunſtantiæ à Iuris peritis per reſpectum ad delicta punienda conſiderantur: & hæc non ſunt noſtræ conſiderationis; qui circa bonitatẽ operis verſamur: propterea in actibus ſeruorum Dei, qui conſiderantur, ac examinantur per reſpectũ ad Beatificationem, & Canonizationem; illę tantum circunſtantiæ conſiderandæ à nobis erunt; quæ actuum perfectio-

nem intendunt, & ſpectant ad actuum intenſionem, ac perfectionem: dantque operi bonitatem, & faciunt illud magis, aut minus meritorium. A

Quamuis igitur numerus præciſus circunſtantiarum iure præſcribi nequeat: ſed à prudentia illorum, qui fabricant proceſſus de actibus ſeruorũ Dei pendeat: quantum tamen ſpectat ad præſentem conſiderationem, nulla habita ratione circunſtantiarum, quæ à S.Th. vel à Iuriſtis recenſentur: hæ tantum circunſtantiæ, vt reor, conſiderandæ veniunt in re B de qua agitur. Nimirum *Quis, vbi, & quomodo*, quæcunque operatio ab aliquo Dei ſeruo ſit facta; cuiuſcunque ille fuerit conditionis, ac ſtatus.

Circunſtantia hæc *Quis*, indigitare videtur perſonam efficientem actum aliquẽ. Quoniam cauſa agens ad ſubſtantiam actus pertinet. Verũ nunquam in ea ſignificatione hic ſumitur; ſed quatenus pertinet ad circunſtantiã; & perſonæ qualitatem, ſtatum, vel conditionem indicat. An videlicet perſo- C na, de qua agitur, ſit Regularis, vel Laica, Coniugata, vel Soluta, & ſimilia. Nam ieiunare puerum aliquem, vt legimus de S. Nicolao Myrenſi Epiſcopo, eſt nota maioris ſanctitatis, quã quod ieiunet aliquis iam vir factus. Ita pariter adire hoſpitalia infirmis miniſtrãdi gratia, maioris ſanctitatis nota eſt in nobili aliquo, quam in viro plebeio; plus in fœmina quam in viro. Plus eſt in Rege, ac Principe, (vt legimus S. Ludouicum Regem Franciæ facere conſueuiſſe,) quam in aliquo D alio inferioris cõditionis homine. Quę omnia diligentiſſime conſideranda, aduertendaque veniunt in examinandis actibus ſeruorum Dei. Conſiderandum eſt enim cum primis, quis ſit ille, de quo agitur: cuius nimirum conditionis, ac qualitatis exiſtat: vt actus boni, & bonitas eorumdem maior vel minor expendi poſſit.

Circumſtantia *Quid* quam ponit D. Th. non eſt nobis haben-

A habenda in numero: quia tam apud Ariſtotelem in Ethicis, quam etiam apud Theologos, talis circunſtantia ipſummet actum exprimit, & actus obiectum ſecundum qualitatem, & quantitatem, quæ actum ſequuntur. Sed locus eſt conſiderandus in actibus ſeruorum Dei: *Vbi* nimirum vixerint, & operati fuerint Dei ſerui quæcunque egerunt. Quod etiam Spiritum ſanctum obſeruaſſe aduertit Gregorius in lib. Iob. lib. 1. moral. cap. 1. Vbi Dei famulum habitaſſe in terra

B Hus ſcribitur. *Idcirco Sanctus Vir vbi habitauerit dicitur* (inquit Gregorius) vt *eius meritum virtutis exprimatur. Hus namque quis neſciat, quod ſit terra Gentilium? Dicatur itaque vbi habitauerit; vt hoc eius laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile eſt bonum eſſe cum bonis, ſed bonum eſſe cum malis*. In actibus igitur vniuſcuiuſque ſerui Dei, locum in quo vixit, & vbi operatus fuerit, præſertim miracula, aut paſſus ſit martyrium, (ſi de martyre aga-

C tur), diligentiſsime conſiderare oportet. Vt inde actuum omnium bonitas magis, magiſque luceat, ac ſplendeat. Aſperitas enim loci, quam maximè concurrit ad pœnitentiam exercendam in Dei ſeruis; qui vitam in aſperitate ducere volunt. Ex aſperitate namque loci, pluribus neceſſarijs careat neceſſe eſt is, qui ibi habitat. Ex aſperitate cellæ etiam multa patitur, qui in ea degit, ſicut etiam ex illius anguſtia. Quamobrem in his, & alijs Dei ſeruis, circunſtantia *Vbi* eſt

D habenda in numero. Quemadmodũ in actibus S. Franciſci legimus, quod Babiloniæ Soldano fidem prædicauerit; & ex deſiderio martyrij ad infideles perrexerit. Quod etiam in alijs Dei famulis ſæpe conſiderare continget.

Circunſtantia quoque temporis in actibus ſeruorum Dei eſt contemplanda non ſolum conſiderando quo tempore vixerit aliquis Dei ſeruus: ſed etiam quando, & quo tempore fecerit hoc, vel illud opus bonum. Vt ſi ieiunauit, exem-

pli gratia, attendere oportebit quando ieiunauerit. Nam ie- A
iunare diebus inſtitutis ab Eccleſia, quando ex præcepto Ec-
cleſiaſtico tenebatur ieiunare aliquis Dei ſeruus, vel famula
cum hoc facere quilibet Chriſtianus teneatur; nec ſingu-
larem aliquam Sanctitatis notam tale ieiunium præſefert.
Verum extra id tempus ieiunare ad macerandum corpus,
perfectionem reſpicit euangelicam. Quamobrem habendi
ſunt in numero, & conſiderandi etiam dies, in quibus ali-
quis Dei ſeruus conſueuit ieiunare, vel abſtinere à carnibus. B
Sicut plurimos Dei famulos legimus conſueuiſſe ieiunare in
qualibet hebdomada diebus Lunæ, Mercurij, & Veneris, &
Sabbati; alios per totam hebdomadam, excipiendo dies
Dominicos conſueuiſſe ieiunare legimus. Alios ſtatis diebus
flagellis ſe cædere conſueuiſſe ſcimus. Ad diuinorum offi-
ciorum recitationem ſurgere ſingulis noctibus conſueue-
runt alij. Pari ratione in reliquis actibus, circunſtantia tem-
poris attendenda erit. Quia ab hac circũſtantia opus aliquod C
maiorem, vel minorem recipit bonitatem. Et quia, quæ ad
bonitatem actus in geſtis ſeruorum Dei expendenda ſunt,
ad notam ſanctitatis faciunt: propterea circunſtantia quo-
que temporis diligentiſſime in illorũ actis conſideranda erit.

1 *Quomodo* ſimiliter eſt alia circunſtantia; quæ conducit ad
bonitatem actus. Reſpicit enim modum, actus videlicet in-
tenſionem; & effectum, qui actum conſequitur. Non enim
ſufficit aliquem feciſſe eleemoſynam ad bonitatem eleemo- D
ſynæ, ſed modus faciendi eleemoſynam dat eidem bonita-
tem: quamobrem dicebat Chriſtus. *Noli tuba canere ante te.*
Nam, & formam præſcribens ſeruandam à ſuis diſcipulis in
ieiunio dicebat. *Tu autem, cum ieiunas, vnge caput tuum, &
faciem tuam laua.* Vt doceret Chriſtus; non ſimulandam
eſſe mæſtitiam, cum aliquis ieiunat; ſuper humeros caput in-
clinando, ad exprimendam corporis laſſitudinem ex ieiunio,

aut

A aut alia faciendo, quæ vitient ieiunium. Propterea in actibus ſeruorum Dei, quę à prudentia dirigi debent; circunſtantia quomodo inquirenda, inueſtigandaque erit: cum hæc formam actus reſpiciat; & ab ea bonitatem recipiant actus. Nam quod ieiunet aliquis cum pane, & aqua tantum; alter cum pane, & vino; alter cum cibis conſuetis, rationes ieiuniorum ſatis diuerſas fore conſtat, & alter altera perfectior. Pari ratione quod aliquis det eleemoſynam de ſibi ſuper-
B fluis, & alter de neceſſarijs; certè ſunt eleemoſynæ ſatis diſtinctę, & altera alterius perfectior. Cũque ad notam ſanctitatis, perfectiſſimi actus ex Dei famulis deſiderentur; propterea circunſtantia *Quomodo* conſideranda erit, in actibus illorum. Quia ad eorumdem bonitatis intenſionem, ac intenſionis gradum nos manducit.

Quapropter in fabricando proceſſu de actibus ſeruorum Dei, non ſolum interrogandi ſunt teſtes de actu bo-
C no, ſed etiam (quantum fieri poteſt) de his, quæ finem, atque actuum circunſtantias reſpiciunt: ſicut etiam in diſcuſſione eiuſdem proceſſus: vt autem intenſio actus agnoſcatur, modum eiuſdem inueſtigare oportet. Dixi quantum fieri poteſt. Quia obiectum actuum ex ipſomet actu ieiunij diſciplinæ, vel ſimilibus cognoſcitur: finis vero, cum in intentione conſiſtat: ex ipſomet opere, & alijs circunſtantijs coniectandus erit. Reliquę actuum circunſtantiæ, quas theo-
D logi enumerant; licet non omnes cadere poſſint ſub iuridica inueſtigatione Eccleſiæ: nihilominus de illis omnibus, quantum fieri poteſt, inquirendum erit, & teſtes interrogandi.

His conſtitutis, ac poſitis de bonitate humanorum actuũ, tum in communi, tum ſingulariter de bonitate actuum ſeruorum Dei: poſſet quæri; qui nam actus boni ad euangelicæ perfectionis, & ad ſanctitatis notam ſufficiant: an nimirum vnus tantum, aut alter actus bonus externus ſufficiat

an plures requirantur. Ad huius rei explicationẽ notandum A erit: quod cum habitus ex actibus gignantur; & ab actibus, habitus tanquam effectus à cauſa efficiẽte interdum diſtinguantur, vt Theologi, ac Philoſophi affirmant: propterea licet quicunque elicit actum prudentiæ, exempli gratia, aut temperantiæ: actus ille elicitus verè dicatur temperatus, aut prudens: non tamen ſtatim, ac aliquis vnum, vel alterum actũ temperãtię fecerit, in eo generatum habitũ dicemus; aut iam habere habitum prudentiæ affirmare licebit: ex eo tantum B quod vnum, aut alterum actum prudentiæ protulit. Sicut enim dicunt Philoſophi, & Theologi, habitus generantur ex actibus; & habitus ipſi iam geniti, cauſæ effectiuæ actuum exiſtunt. Duplex igitur genus actuum ab aliqua potentia produci poteſt; alij nimirum ad gignendum, vel ad augendum habitum, alij vero ex habitu iam genito producuntur.

Inter actus igitur bonos à noſtris potentijs elicitos illud eſt diſcrimen: quod potentiæ noſtræ ante generationem habitus, cum aliqua difficultate eos eliciunt actus, ex quibus habitus gignuntur; & in his eliciendis laborem patiuntur. At C vero quando iam habitus virtutum in potentijs noſtris fuerint generati; potentiæ nullam ſentiunt difficultatem in producendo aliquem actum virtutis: imo cum facilitate, atque promptitudine erũpunt in actibus virtutis; correſpondentes ad habitus iam genitos. Quia vt dicunt Philoſophi, ac Theologi; habitus dant facilitatem, & promptitudinem ad operandum. Nec enim alia de cauſa habitus in potentijs conſtituuntur; niſi vt potentiæ faciliter, & promptè eliciant ſuos D actus.

Ex hoc prænotato de actu bono procedente ab habitu virtutis, vel à potentia nuda; colligitur non ſufficere in diſcuſſione actorum alicuius Dei ſerui, vel famulæ vnum tantum, vel alterum actum virtutis illos edidiſſe, de quorũ ſancti-

ctita-

A ctitate agitur: ſed in quibuslibet virtutum moralium ſpeciebus,(ex quibus præſertim Sanctitas metienda erit,)plures actus attendi debent: vt aliquem Dei ſeruum, vel famulam ex virtutibus, & virtutum actibus Sanctitatis notam prætuliſſe ſit manifeſtum.

Veritas noſtri aſſerti ex doctrina Chriſti comprobatur; qui cum primum ſcholam perfectionis aperuiſſet; plures actus virtutis neceſſarios ad perfectionem ſuorum Diſcipu-
B lorum fore monſtrauit. Nam cum dixiſſet. *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum*. ſeptem alia capita perueniendi ad Beatitudinẽ ſubintulit. Et alibi requiſitus ab adoleſcente quodam, qua ratione ſaluus fieri poſſet; reſpondit. *Serua mandata*. Conſtat autem mandatorum obſeruantiam non vnico actu perfici, ſed pluribus actibus. Quin etiam eidem adoleſcenti ſubintulit. *Si vis perfectus eſſe: vade; vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere*
C *me*. Et in toto ſacro Euangelio plures, ac plures virtutũ actus docuit Chriſtus. Ex cuius doctrina planè colligitur; ad ſanctitatis notam, & Beatitudinem adipiſcendam non ſufficere, quod aliquis Dei famulus vnum, aut alterum ediderit virtutum actum; ſed plures, ac plures etiam diuerſarum virtutum actus neceſſariò prærequiri.

Hoc ipſum ratione probatur. Nam ad hoc quod aliquis Dei ſeruus, vel Dei famula Beatitatis, aut Sãctitatis nota inſi-
D gniri poſſe cenſeatur: neceſſe eſt certò conſtare illũ, ac illam virtutes morales habuiſſe: ſine quibus nemo perfectus dici poteſt. Cumque nulla ratione verè affirmari queat; aliquem Dei ſeruum habuiſſe virtutes morales per actus; niſi habeat habitus virtutum moralium: qui quidem habitus non generantur, nec augentur, niſi ex multis actibus, vt communiter dicunt Theologi, & videre licet apud Ioannem Azorium lib. 3. inſtit. moral. cap. 21. §. *ſed quæritur*, parum poſt mediũ

quæſiti

quæſiti mihi columna 215. ergo in actibus ſeruorum Dei: A
vt probetur, & conſtet talem Dei ſeruum habuiſſe virtutes moralesin aliquo gradu: cuiuslibet virtutis, ſaltem plures actus attendi, & inter eius acta examinari debent. Ac inſuper non ſolum frequentia actuum contemplanda erit, ſed etiam circa eoſdem actus difficultas, aut promptitudo. Vt in actuũ multiplicitate, & frequentia, virtutum habitus, & verę Sanctitatis notæ, ac ſigna recognoſcantur. Nam quamuis Deus habitus virtutum ſine difficultate Dei ſeruis concedere queat: B
quia tamen Eccleſia non iudicat niſi de externis: propterea in his verſari debet cum agitur de iudicio ferendo circa ſanctitatem Beatificandorum, & Canonizandorum.

CAP. III.

De Sanctitatis nota ex virtutum habitibus.

C

DICEBATVR à nobis in præcedentibus capitulis, diſtingui perfectionis ſtatum ab ipſa perfectione: ac proinde quamuis perfectionis ſtatus plurimum conducat ad perfectionem; & opera bona, ad quæ homo ſe obligat in eo ſtatu, conducant ad coniungendũ eundem cum Deo: nihilominus in geſtis Seruorum Dei ad Sanctitatis notam non fore attendendum perfectionis ſtatum, ſed perfectionem ipſam: D
quæ in qualitate ex Dei gratia acquiſita, & in exercitio virtutum conſiſtit. Quæ virtutes in intellectu, voluntate, ac appetitu hominis collocantur. Vt potẽtiæ eliciant operationes cõformes rectæ regulæ rationis, & Euangelicis præceptis atque conſilijs. Quæ quidem operationes, cum conſiderandæ, expendendæque ſint in geſtis Seruorum Dei; propterea de virtutibus, & virtutum habitibus agere cogimur: in quibus habiti-

A habitibus completa hominis perfectio poſitam eſſe manifeſtè conſtat.

Virtutis vocabulũ eiuſdem rationem, ac naturam aperit. Quamobrem vt virtutem quam inquirimus, & virtutis naturam inueſtigemus, ſcire oportet virtutis vocabulo plura ſignificari. Et primo quidem ſignificari fructum, & effectus alicuius facultatis, prouenientes à facultate, & potentia agẽdi. Liquet hoc apertè ex illo Ioan. 2. *ficus & vinea dederunt*
B *virtutem ſuam*. & Marci 6. in eodem ſenſu dicebant aliqui de Chriſti miraculis, quæ ab eo fiebant. *Quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi, & virtutes tales quæ per manus eius efficiuntur?* Vbi Chriſti miracula virtutes appellantur. A virilitate etiam, & robore virtus dicitur, & ideo aliquando idipſum ea voce ſignificatur, nimirum robur. Quo in ſenſu dixit Cæſar lib. 1. Belli Gallici, *Perfacile eſſe cum virtute omnibus præſtaret, totius galliæ imperio potiri*. & Lactan.
C Firmian. lib. de opific. Dei. *Vir nominatus*, inquit, *quod in eo maior ſit vis, quam in fœmina: & hinc virtus nomen accepit. Vnde cum virum dicimus, non tam ſexum ſignificamus, quam robuſtum, & fortem.*

Deniq; ad rem noſtram vocabulum virtutis ſumitur pro perfectione quadam. In quo ſenſu dixit Pſaltes pſ. 32. *Verbo Domini Cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*. ideſt, omnis eorum perfectio. Cui ſignificationi
D innitentes, virtutis vocabulum à nobis hic ſumitur, pro qualitate quadam ſuperaddita potentijs operatiuis, qua quidem qualitate, non tam operationes potentiarum rectè reddũtur; quam etiam potentiæ ipſæ coadiuuantur ad ſuas operationes eliciendas: nimirum vt facilius, melius, & perfectius potentiæ ſuas edant operationes. Hæc quantum ad virtutis vocabulum, atque nomen dicta ſint ſatis.

Cum autẽ virtutis ea ſit conditio, vt per varios gradus ad pri-

primum principium nimirum ad Deum aſcendat; & homines quoque virtute præditos ſecum eleuet: propterea nunquam virtus quieſcit, quouſq; ſectatores Deo coniungat: qui vniuerſæ virtutis parens eſt: ac proinde ipſa quoque virtus, quantum ei licet, parentem quærens in eo ſolum requieſcit; à quo vitam, ſupremum præmium, ſupremamque recipit perfectionem. Quamobrem Dei Eccleſia militans, non prius aliquem, vt Deo coniunctum in ſuprema Hieruſalem, titulo Beatitatis, aut Sanctitatis veneratur, aut colit: quin diligenter prius inquirat; an per omnes virtutis gradus conuenientes conditioni perſonæ de qua agitur; ad Deũ aſcenderit. De habitibus igitur virtutum, de illarum generibus ſubalternis, ac ſpeciebus, nunc ſupereſt, vt breuiter agatur à nobis. Non quidem plenè, ac de omnibus virtutibus ſigillatim ad numerum Scholaſticarum quęſtionum; ſed quantum ſufficit ad materiam Canonizationis, & ad examen actorum ſeruorum Dei, quod noſtri inſtituti ratio poſtulat.

Virtutis vocabulum propriè, & impropriè ſumi poteſt: aliquæ namque virtutes non propriè, ſed æquiuoce tales dicuntur.(de quibus nihil ad nos.) Propterea antequam virtus de qua loquimur definiatur: ſeparandæ ſunt virtutes impropriè dictæ ab his, quæ propriè virtutes appellantur. Aliquæ enim ex his virtutibus ſunt naturales, aliæ acquiſitæ, aliæ à Deo infunduntur. Ex virtutibus quoque naturalibus, aliæ ad corpus, aliæ vero ad animam pertinent. Naturales virtutes dicuntur, quæ ſunt inditæ à natura. Quamobrem inter corporis virtutes numerantur, eiuſdem corporis robur, ſanitas, & pulchritudo. Et quamuis ſenſus corporei ſint facultates animæ; quatenus tamen eorum præſtantia, & optima conſtitutio, ex optima conſtitutione inſtrumenti prouenit; non erit abſurdum inter virtutes corporis, ſenſus ad numerare. Animi vero naturales virtutes cenſentur ipſæmet ani-

A mæ facultates, per quas homo ſuas elicit operationes: quales ſunt intellectus, voluntas, ingenium, memoria, phantaſia, & etiam quidam igniculi ad mores pertinentes. Quamobrem dicebat Ariſt. in 6. Ethic. cap. 13. ſingulis à natura quodammodo mores ſuos tributi videntur: natura enim & iuſti, & temperantes, & fortes gignimur. In hoc autem Capitulo noſter ſermo, neque de his, neque de prioribus virtutibus procedit, ſed tantum de acquiſitis, ac etiam de infuſis à B Deo: nimirum de perfectionibus quibuſdam, potentijs naturalibus ſuperadditis, ex quibus humana operatio, ſiue ab anima, ſiue à potentijs animæ procedat, redditur humana, recta, & conueniens naturæ rationali.

Eſt autem virtus ex D. Th. in prim. ſec. quæſt. 55. art. 4. *Bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur.* Quæ quidem deſcriptio virtutis deſumpta eſt ex Auguſtino noſtro. lib. 2. C de libero arbitrio cap. 18. & 19. & ex lib. 1. retractat. cap. 9. & eam amplectuntur ferè omnes Theologi in 3. ſent. diſt. 33. Verum vt docet idem Angelicus Doctor in corpore articuli. & Gabr. in 3. ſent diſt. 33. quæſt. 1. art. 3. dub. 2. allata definitio nequaquam perfectè complectitur totam virtutum rationem, nimirum tam acquiſitarum, quam infuſarum; cum poſtrema prædictæ definitionis particula *Quam Deus in nobis ſine nobis operatur*: virtuti ſolummodo infuſæ D non autem adquiſitæ adaptetur.

Verum ſigillatim explicentur particulæ ſuprapoſitæ deſcriptionis, & ad capita reducantur. Dicitur primo, quod virtus *eſt bona qualitas mentis*. Quia non eſt ipſa animæ facultas, ſed virtus quæ vel acquiritur, vel infunditur; at facultas animæ eſt inſita: nec eſt affectus animi: quia is per virtutem conſtringitur, atque corrigitur: neque eſt ipſemet actus, quia virtus ceſſante operatione remanet in animo. Neceſſario

rio ergo dicendum eſt: quod virtus ſit aliqua qualitas ſuper- A
addita potentijs.

Sed quia *τὸ qualitas* in allata definitione genus nimis re-
motum indigitat: vt etiam adnotauit Angelicus Doctor loco
citato: propterea *τὸ qualitas* reſtrictiuè ſumi debet; & in al-
lata definitione ad propinquius genus erit recurrendum, ni-
mirum ad *habitum:* propterea dicendum, virtutem *habitum*
eſſe; quemadmodum dixit Ariſt. lib. 2. Ethic. cap. 6. vbi ait,
Virtutem eſſe habitum, quo poſſumus eligere bonum in mediocri- B
tate conſiſtens. Et ratio cur virtus ſub genere habitus conſti-
tuatur illa erit; quod cũ ſit qualitas, & nequaquam ſub quo-
cunque genere qualitatis veniat; neceſſario cadere cogitur
ſub ſpecie ſubalterna qualitatis, quæ habitus dicitur in præ-
dicamento qualitatis: & à philoſopho contra diſtinguitur à
potentia: quod ipſum tradidit Pater Auguſtinus in lib. 83.
quæſt. in quæſt. 31. vt ſtatim videbimus. Qua ratione verò
intelligatur virtutem fore habitum, & in quo diſſentiant C
Thomiſtæ à Scotiſtis alij conſiderabunt.

Habitus diſtinguuntur in bonos, & malos, qui vitiorum
nomine ſignificantur; propterea ad excludendum à ratio-
ne virtutum habitus malos, dicitur in allata Patris Auguſtini
definitione. *Virtus eſt habitus bonus, quo rectè vtimur*, &
Ariſtoteles dixit; *virtutem eſſe habitum, quo poſſumus Eligere*
bonum in mediocritate conſiſtens. Quæ particula locum dif-
ferentiæ in allata definitione retinet: quia virtutes ea de D
cauſa potentias rationales afficiunt; vt ab illis operationes
rectæ eliciantur; quę ſint cõſentaneæ naturæ hominis. Hinc
rectè Ariſtot. dixit. 2. Ethic. cap. 6. *Virtus eſt quæ facit bo-*
num habentem, & opus eius reddit bonum. Et Pater Augu-
ſtinus lib. 83. quæſt. in allata quæſt. 31. virtutem deſcripſit
his verbis. *Virtus eſt habitus bonus modo, & ratione naturæ*
conſentaneus.

Dici-

A Dicitur virtus in mediocritate conſiſtere: quia omnis virtus in cohibendis animi perturbationibus verſatur: ordinem quoque,& modum conſtituit inter duos animi affectus, alterum excellentem, & alterum deficientem: quamobrem ſapientes dixerunt. *In medio conſiſtit virtus*.

Particula illa explicanda remanet. *Qua nullus male vtitur*. pro cuius particulæ explicatione facit, quod ex Ariſt. diximus. Virtutem conſiſtere in mediocritate. Virtutis enim to-
B ta, vt ita dicam, ratio cum erumpit in actum in electione eſt poſita. Nam virtutum ſemina,ſiue germina,ipſa naturæ vis nobis indidit,inſeruit, & impreſſit. Syndereſis enim eſt,quæ hominibus præſcribit caſtè viuẽdum eſſe; Deum eſſe colendum, ius ſuum cuique tribuendum eſſe,& ſimilia: neque de his conſultamus, aut inquirimus,neque eligimus iſta: ſed ea duntaxat,quæ hæc adipiſcẽda iuuant;circa quę datur electio.

Diſputandum erat, an quis poſſit elicere actum alicuius
C virtutis, qui materialiter, vel formaliter malus exiſtat. Sed relicta hac diſputatione Theologis Scholaſticis in prima ſecundæ D. Tho. quæſt. 55. ad art. 4. de qua etiam videri poterit Valent. to. 2. diſput. 5. quæſt. 1. punct. 2. §. *Caietanus hic*. Nos dicemus abſolutè cum eodem Valentia, nulla ratione poſſe actus malos proficiſci à virtutibus etiam informibus, nec materialiter quidem. Pater Auguſtinus lib. 2. de lib. arbit. cap. 18. & 19. id docuiſſe videtur: & eidẽ ſubſcripſiſſe D. Th.
D loco citato art. 1. Sed hanc diſputationem prætermittendam duximus: quod in actis ſeruorum Dei, quæ examinanda veniunt ad Apoſtolicam ſedem illorum bonitas tantum; non autem malitia attendatur. Qua propter reliquæ theologicæ ſubtilitates, Scholaſticis erunt diſcutiendæ, non autem à nobis; qui praxim actorum peruestigamus, & ex praxi actus virtutum ſeruorum Dei conamur agnoſcere.

Virtutum diuerſitas exquiratur: an nimirum multiplican-

dæ ſint virtutũ ſpecies. Sunt enim adeò ſimiles inter ſe virtutes: vt plures ex antiquis Philoſophis vnam tantum virtutem eſſe dixerint. Hæc difficultas de multiplicitate virtutum Platonem in Protagora permouit: vt dixerit inquirendum eſſe. *Vtrum ſapientia, temperantia, fortitudo, iuſtitia, & ſanctitas, quinque nomina eiuſdem rei ſint: an vnicuique horum nominum propria quædam eſſentia reſpondeat; & res quædam vim propriam habens: adeo vt non ſit alterum, quale eſt alterum.* Et quidem Menedemus Eretrienſis morales virtutes vnam eſſe cenſuit, varijs tamen nominibus deſignatam: adeò vt temperantia, fortitudo, & iuſtitia, ſolo nomine non eſſentia, & natura inter ſe diſtinguerentur. In qua ſententia Socrates quoque fuit: teſte Ariſt. lib. 6. moral. ad Nicomacum cap. vlt. *Et Socrates quidem,* inquit, *partim recte quærebat, partim errabat: nam quod virtutes omnes prudentias eſſe putaret, errauit: quod autem eas non ſine prudentia cenſuit recte dixit.* A B C

Protagoras apud Platonem virtutum moralium diſtinctionem tuebatur; & præſertim fortitudinis ab alijs. Socrates contra, conſimilitudinem, & vnitatem inter eaſdem volebat. Et quidem, vt ex rationibus Socratis in eo Dialogo, nec non ex dictis in Menone, & alijs in locis colligitur. Plato omnes virtutes in vnam redigi prudentiam exiſtimabat: cum qua ſcientiam, & ſapientiam connectebat adeò, vt reliquæ virtutes ſine ea tanquam ſtatuæ Dædali ſolutæ, fugaces, & inſtabiles cenſerentur. D

Sanior verò tam Theologorum, quam Philoſophorũ pars virtutes omnes, tam theologales, de quibus Theologi, quam cardinales, ſeu morales, de quibus Theologi & Philoſophi agunt; forma, obiecto, efficiente, & ſubiecto etiam aliquas, quin etiam ſine diſtingui conſtanter affirmant: neque in multiplicitate alter ab altero diſſentit: quin de multiplicitate

A virtutum agentes per reſpectum ad cauſas, multipliciter di-
uidunt genera, ac virtutum ſpecies. Nam per reſpectum ad
cauſam efficientem diuidunt primo virtutem proprie ſum-
ptam in acquiſitam, & infuſam. Hanc eſſe dicunt, quam im-
pertitur nobis Deus ex ſua benignitate, & bonitate, vt auctor
donorum ſupernaturalium, ad hoc vt humanæ operationes,
quæ Deum reſpiciunt recte fiant, per qualitates ſupernatura-
les, quibus coadiuuare vult noſtras potentias, à quibus actus
B virtutum eliciuntur.

Subdiuiditur autem hæc virtus infuſa à Theologis, per
reſpectum ad obiectum formale, quod alio vocabulo dicitur
cauſa formalis; in virtutem theologicam, & moralem. Vir-
tus theologica eſt illa, quæ habet pro obiecto vltimum fi-
nem, nempe Deum: quem finem cum non cognouerint
Philoſophi niſi naturaliter, ex conſequenti virtutis theo-
logicæ incapaces extiterunt, quæ ad tria capita reducuntur,
C nimirum ad Fidem Spem, & Charitatem.

Virtus vero moralis infuſa eſt illa, (dicunt Theologi)
quæ habet pro obiecto medium aliquod, quod ex ſe ad Deũ
vt ad finem ordinatur. Exempli gratia temperantia, vt vir-
tus moralis eſt, & acquiſita verſatur circa delectabilia; & mo-
deratur actus appetitus concupiſcibilis, ex dictamine regulæ
rationis: verbi gratia, hic, & nunc non fore comedendum,
ſed ieiunandum, ratione acquirendæ, vel conſeruandæ vale-
D tudinis. At virtus temperãtiæ infuſæ verſatur circa materiam
delectabilem, ex motiuo altiori nimirum beatitudinis. Quã-
obrem quamuis ratio naturalis dictet hic, & nunc fore co-
medendum: tamen ex temperantia infuſa dictabitur alicui
non eſſe comedendum; ſed potius abſtinendum eſſe cibo ad
corpus macerandum: vt aſſequi liceat beatitudinem cæle-
ſtis gloriæ. Sed de his virtutibus moralibus infuſis nobis non
erit vltra procedendum; relinquẽdo has ſpeculationes Scho-

laſticis Theologis cum D.Tho. & alijs in prima ſecundæ; vt A
diſputent ſubtilitates iſtas, quæ in praxi actorum ſeruorum
Dei non ſunt requirendæ.

Agatur iam de virtute ex Dei gratia acquiſita, ex qua ſanctitatis potiſſimum ratio in exercitio actuum eſt inueſtiganda, & cognoſcẽda, ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. *Virtus acquiſita eſt habitus, qui noſtris actibus gignitur;* ſtudio nimirum, labore, & exercitio, quæ quidem virtus acquiſita cum primis conſideranda eſt in actibus ſeruorũ B Dei. Rurſus conſideratur virtus acquiſita, & eius ſpecies ratione cauſæ materialis; nimirum potentiarum, in quibus ſubiectatur habitus virtutis, qui ex frequentatis actibus gignitur: reſpectu cuius ſubiecti diuiditur virtus acquiſita in intellectualem, quæ eſt in parte, & potentia apprehenſiua (de qua nihil ad noſtrũ inſtitutum,) & in moralem, quæ eſt in appetitu tum iraſcibili, tum cõcupiſcibili. Tota enim ratio virtutis moralis acquiſitæ verſatur in frænãdo, ac moderando noſtro appetitu tum iraſcibili, tum concupiſcibili: Qui quidem C duo appetitus frænantur, ac moderantur actuum frequentia in aliquo virtutis genere. Quamobrem aliquis virtutem temperantiæ acquirit ex frequentatis actibus temperantiæ. An verò ex vnico tantum temperantię actu poſſit aliquis acquirere habitum temperantiæ, diſputabunt Theologi: cum non pertineat ad noſtrum inſtitutum: quod eſt de notis virtutum in actibus ſeruorum Dei examinandis: in quorum geſtis ali- D quem habuiſſe habitum alicuius virtutis nequaquam cẽſendum erit; niſi ex frequentatis actibus, vt dicebamus, quia Eccleſia non iudicat niſi de externis. Ex eo igitur quod aliquis Dei famulus ſemel, bis, aut ter ieiunauerit; non propterea cenſeri debet huiuſmodi hominem habuiſſe habitum temperantiæ circa gulam, aut cibos, aut alia delectabilia.

Sunt autem virtutes morales acquiſitæ; quæ & Cardinales

A les dicuntur quatuor, nimirum Prudentia, Iuſtititia, Fortitudo, & Temperantia: quarum conſideratio potiſſimum noſtro inſtituto deſeruit: quia in exercitio illarum ſanctitatis noſtræ ratio conſtitit à virtute morali infuſa, & acquiſita. Quænam ſint iſtæ virtutes morales infuſæ; ſcholaſtici diſputabunt. D. Gregorius in cap. 1. lib. Iob. nimirum lib. 2. moral. cap. 30. per reſpectum ad morales virtutes hæc habet. *In quatuor*, inquit, *angulis domus illa conſiſtit: quia nimirum*
B *mentis noſtræ ædificium Prudentia, Temperantia, Fortitudo, & Iuſtitia ſuſtinent: in quatuor ergo angulis domus iſta ſubſiſtit: quia in his quatuor virtutibus tota boni operis ſtructura conſurgit. Vnde & quatuor Paradiſi flumina terram irrigant: quia, dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omnium deſideriorum carnalium æſtu temperatur.*

Remanet igitur omnium virtutum conſiderationem, & actorum conſiderandorum in actis ſeruorum Dei, ad ſeptem
C cum primis capita reduci debere, videlicet ad habitum virtutum infuſarum, quæ ſunt Fides, Spes, & Charitas; & ad habitus quatuor virtutum Cardinalium, ſeu Moralium acquiſitarum, quæ ſunt Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, & Temperantia. Nam reliqui omnes virtutum earumdem actus ad hæc capita reducuntur; vel tanquam illarum partes ſubiectiuæ, vel tanquam partes poteſtatiuæ, vel tanquam ſpecies ad ſua genera. Ex quorum ratione, & natura, ex obiecto, circun-
D ſtantijs, ac fine acta ſeruorum Dei ſigillatim in praxi expendenda, ac examinanda veniunt. Nam bonitas cuiuſque actus virtutis ex obiecto, fine, & circunſtantijs cognoſcitur; ita vt aliquod prædictorum deerit actuum quoque bonitas neceſſario deficiet, vt dictum eſt.

Verùm in examinandis actibus ſeruorum Dei, & dignoſcendis ſanctitatis notis, virtutum cõnexio præ oculis habenda erit. Virtutes enim, & illarum habitus adeò inter ſeſe con-

nectuntur, ac colligantur vt vna virtus ſine alia non tantùm A
perfectionẽ aſſequi nequeat; ſed nec veram quodammodo virtutis rationẽ retineat. Quinimò altera ab altera, ad ſuperandas ſibi contrarias paſſiones, & inclinationes ita intrinſecè iuuatur, vt non plures, nec diuerſas, ſed vnicam tantùm virtutem multi Theologi, ac Philoſophi in exercitio diuerſarum actionum, vt dicebamus, agnouerint: plures etiam dubitarint, an morales virtutes inter ſe diſtinguantur: & qui illas diſtingui affirmant; adeò eaſdem connexas eſſe volunt: B
vt altera abſque altera perfectionem minimè aſſequatur: & vna amiſſa, reliquas quoque propter hanc connexionem, & mutuam colligationem, vel amitti, vel ſaltem debilitari neceſſario affirment.

Habitus virtutum theologicarum inter ſe, tam intrinſecè connectuntur: vt licet non neceſſario hæc connexio reſpiciat infuſionem; ſed vnius virtutis habitus ſine alio infundi à Deo poſſit: ſunt tamen adeo neceſſario colligati quantum C
ad praxim ratione perfectionis, quam virtus habere debet: vt nequeat vna virtus infuſa theologica perfecta perſe dici abſque alia: imo, vt vno verbò dicam, nulla virtus, nec infuſa, nec moralis eſt perfecta ſine charitate. Quo fundamento vtitur Pater Auguſtinus, vt probet morales virtutes, ſi nudę, & ſeparatæ à theologalibus ſumantur, veram virtutis rationem amittere. Ita ille lib. 4. contra Iulian. cap. 3: dum ait. D
Si ad conſequendam veram Beatitudinem, quam mihi immortalem fides, quæ in Chriſto eſt, vera promittit: ſi nihil proſunt homini virtutes. Supple morales, *nullo modo vera poſſunt eſſe virtutes*.

Vt autem à theologalibus virtutibus earumdem connexionem oſtendam: certum eſt ex doctrina Apoſtolica fidem ſine charitate mortuam cenſeri, ac materialiter fidem appellari. Spes ipſa fidei, tanquam radici innititur: ac propterea ſi

A radix debilis extiterit, reliqua quoque debiliſsima erunt; hu-
moreque carebunt. Charitas quoque cum ſit amicitia Dei
cum homine, deficiente fide, *ruat neceſſe eſt; Quia ſine fide
impoſsibile eſt placere Deo*. Quamobrem fides, inquit Am-
broſ. lib. 2. de Cain, & Abel cap. 9. *Eſt radix virtutum om-
nium*. Quod idem Pater Auguſtinus in lib. de Agone Chri-
ſti cap. 13. confirmat, & D. Th. 2. 2. quæſt. 4. art. 7. cæte-
rique omnes indubitanter aſtruunt.

B Eſt autem Fides prior cæteris virtutibus, tam theologali-
bus, quam moralibus, & quaſi radix earum, ratione cuiuſ-
dam ordinis in eo poſiti: quod cum fides vltimi finis ſuper-
naturalis notitiam præſtet, ad quem virtutes reliquæ diſpo-
nunt: propterea talis habitudo eſt fidei ad reliquas virtutes;
vt, qui ex actu fidei oſtendentis finem ſupernaturalem mo-
ueretur ad reliquarum virtutum actus; hic aptiſsimè virtu-
tibus omnibus vteretur, attenta virtutum natura quatenus
C diſponunt ad optimum ſimpliciter. Atque propterea fide
deficiente, homo reliquis virtutibus nequaquam rectè vti
poteſt.

Nec erit prætereundum, immo diligentiſsimè obſeruan-
dum commune illud Philoſophorum axioma, cum loquun-
tur de habitibus acquiſitis; quos ex actibus gigni veriſsimè
tradunt. Non enim ſimpliciter docent habitus ex actibus
gigni, ſed illos ex frequentatis actibus gigni aſtruunt. Qua
D quidem doctrina docent non ex vno, vel altero, vel tertio,
quarto, aut quinto actu generari habitus, ſed ex actibus qui-
bus adiuncta ſit frequentia. Quod enim aliquis aliquando
producat actum vnius virtutis, & poſt aliquot dies, vel poſt
aliquod tempus eiuſdem virtutis alium faciat actum, certè ex
huiuſmodi actibus nec poterit communiter generari habi-
tus, nec infuſi habitus intendi, ſiue augeri; quia carent fre-
quentia neceſſaria ad generationem, & augumentum habi-

tus; qui, vt vidimus, generantur, & augentur, intenduntur, atque extenduntur ex actibus non quomodocunque, ſed ex actibus frequentatis, ideſt ex actibus non infrequentibus. Quapropter ſi aliquis ediderit aliquando vnum actum liberalitatis; & poſtmodũ omnino abſtineat ab huiuſmodi actibus; nec ad alium ſimilem actum prorumpat, niſi poſt aliquod temporis ſpatium; is certè nunquam acquiret habitum liberalitatis. Quamobrem, quamuis prædictus actus ex obiecto, fine, & circumſtantijs verè exiſtat actus liberalitatis, non tamen ab habitu proueniet, nec liberalitatis habitum gignet. A

·1· Vnum à Theologis quæri, ac diſputari conſueuit ſatis difficile: num videlicet frequentatione actuum fidei, ſpei, & charitatis, qui ſunt ab habitibus infuſis, generentur in nobis aliqui habitus virtutum. Et S. Tho. quidem cum tota eius Schola 1. 2. quæſt. 51. art. 4. habitum gigni omnino negat. Videatur Angelicus Doctor loco citato ad 3. Sed docent illius aſſeclæ, ex frequentatione actuum ab habitibus infuſis ſupernaturalibus habitus eoſdem augeri, & intendi. Quod autem augeantur hi habitus videtur hauriri ex doctrina Eccleſiæ; quæ precatur Deum, vt illos augeat dicens. *Deus det nobis, fidei, ſpei, & charitatis augumentum*. & Luc. 17. petebant Apoſtoli à Chriſto, vt illorum fidem augeret, dicentes. *Domine adauge nobis fidem*. & B. Auguſtin. tract. 5. in epiſtola Ioan. *Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici*. Quibus quidem auctoritatibus augeri poſſe habitus infuſos manifeſtum videtur. Quia vero augumẽtum habituum nequit fieri, niſi per actus; ex conſequenti per actus fidei, ſpei, & charitatis prædicti habitus augebuntur: non autem habitus alij de nouo generabuntur. Pro D. Th. & eius Sectatoribus ſtant rationes efficaciſsimæ: præſertim quòd illi actus, cum ſint ſupernaturales, ex conſequenti, ſi aliquid generarent, habitus ſupernaturales gignerent: quod

B C D

repu-

A repugnat rationi habituum ſupernaturalium.

Stant in contrarium plures alij Theologi, & ex frequentatione actuum prouenientium ab habitibus infuſis, aliquem habitum generari docent. Ita Scot. in 3. diſt. 23. quæſt. 1. art. 1. Gabr. ibid. quæſt. 1. Maior. ibidem quæſt. 3. §. ad tertium. Almain. ibid. quæſt. 3. & in tract. Moral. cap. 3. Durand. in primo diſt. 17. quæſt. 10. n. 21. ſunt demum aliqui ex alia parte, vt Azorius tom. 1. lib. 3. cap. 21. §. *Sexto quæri-*
B *tur.* Qui cum phyſicè ex actibus generari habitum conſentiant: ex frequentis actibus fidei, ſpei, & charitatis, & alijs habitibus infuſis, generari aſſerunt quoſdam habitus: qui quidē habitus non ſupernaturales, ſed naturales quædā quaſi imagines fore docent; quibus recordamur nos credidiſſe, ſperaſſe, & dilexiſſe: quibus quidem imaginibus, intellectus & voluntas redduntur expeditiores ad credendum Deo; ad ſperandum à Deo promiſſam Beatitudinem, & ad diligendum
C Deum. Non quod potentiæ reddantur expeditiores ad ſupernaturaliter operandum; ſed ex eo quod homo ſæpius credit, ſæpius ſperat, ſæpius diligit Deum, & ſæpius ob amorem Dei peccatum deteſtatur ex pœnitentia infuſa: intellectus fit habilis ad credendum, & voluntas ad ſperandum, ac diligendum Deum, & ad dolendum de peccatis vſu, & exercitatione. Qua quidem iterata actuum frequentia firmari, & adaugeri fidem, ſpem, & charitatē in Dei famulis docet. Sed
D ſiue gignantur habitus, ſiue iam infuſi augeantur, cum parum referat noſtro inſtituto; ſufficiat quantum ad praxim in perpendendis actibus ſeruorum Dei eoſdem plures virtutum actus elicuiſſe dum viuerent: & ex his colligi poſſe plures virtutum habitus eos habuiſſe.

Quia verò Sanctitas, & Beatitas externa ex exercitio habituum tam infuſorum, quàm acquiſitorum, nimirum ex actibus ab habitibus prouenientibus in iudicio Eccleſiæ menſura-

ſuratur; propterea non hi, qui elicuerint aliquos tantum actus virtutis perfecti ac ſancti cenſentur in Eccleſia: ſed hi tantum Beatitatis ac Sanctitatis titulo condecorandi erunt; qui virtutum habitibus & actibus ornati, & (vt ita dicam) onuſti in Eccleſia apparebunt. Quamobrem Eccleſia militans dum geſta, & acta alicuius pij viri ad effectum Beatificationis expendit: nequaquam quieſcit in vno, aut altero virtutum actu: quamuis in illo, aut in illis gradus heroicus appareret. Nam licet habitus theologales non acquirantur naturæ viribus, vt vidimus, ſed à Deo infundantur: & habitus morales infuſi, vnà cũ gratia homini concedantur: nihilominus habitus morales phyſici, ſeu cardinales per actus acquiri, & habitus theologicos fidei, ſpei, & charitatis augeri per eoſdem neceſſe eſt homini perfecto, ac in exercitio actuum perpetuo verſari: vt in Eccleſia militanti fidelibus ad imitandum proponatur per Canonizationem, & certitudo aliqua habeatur; quod is pius vir vita iam functus Deo fruatur. Propterea totus vitæ curſus in Dei famulis, qui titulo Beatitatis, aut Sanctitatis cõdecorandi fuerint, expendendus venit, geſta, & acta illorum conſideranda; & in his actibus exercitium continuatum, vt habitus virtutum in eis iam acquiſiti recognoſcantur: vt de virtutibus famulorum, ac famularum Dei rectum iudicium in eccleſia ferri poſſit. Ea propter omnium virtutum tam theologalium, quàm moralium actus, in actis alicuius Dei famulis, vel Dei famulæ perquirantur: vt vera virtus, & virtutum habitus in illis ſplendeant, ac fulgeant; & fidelibus in Eccleſia imitandi proponantur.

Inſurget fortaſſe aliquis contra iam conſtitutam doctrinam: negabitque requiri plures virtutum habitus ad perfectionem Euangelicam, & argumentabitur exemplo nonnullorum Sanctorum Martyrum; qui cum nullum videantur

tur

A tur habuiſſe habitum virtutis; & vnicum tantùm ediderint in martyrio virtutis actum; inter ſanctos tamen ab Eccleſia numerati, atq; in eorumdem albo conſcripti fuerunt. Exemplum ſumatur ex Adaucto; qui cũ eſſet Eccleſiæ adeò ignotus; vt nec nomen illius nouerint Chriſtiani; ac propterea Adauctum nominauerint, quod Felici ad Martyrium fuerit adiunctus; inter Sanctos nihilominus Martyres ab Eccleſia repoſitus eſt; & dies eius mortis colitur ſub trigeſima die

B Auguſti. Nullum verò illum habuiſſe virtutis habitũ, ex eo ſuſpicari poſſet; quod nulla de illo referantur virtutum acta; niſi quod ſe adiunxerit Felici ad Martyriũ proficiſcenti. Quapropter ſi aliquis virtutis habitus illi concedatur; fortitudinis erit; quod nec dici poſſe videtur; quia ex vnico virtutis actu habitus non generantur, nec fortitudinis, nec alterius cuiuſcumque virtutis. Præterea certum eſt, quod ſi quis per totum vitę curſum peccata, ſceleraque multa patraſſet: ac tan-

C dem pro Chriſto mortem ſubijſſet; vnicumque martyrij actum edidiſſet: is profecto inter ſanctos Martyres coleretur. In actis igitur ſeruorum Dei ad effectum Canonizationis, vel Beatificationis, parum refert, aliquem plures edidiſſe actus virtutis, vel plures virtutum habitus habuiſſe.

Reſpondetur ad hæc quod doctrina iam tradita, cum primis locum habet in actis ſeruorum Dei, qui diem extremum in pace clauſerunt: in quibus acta totius vitæ examinanda

D veniunt, actus virtutum inſpiciendi, & habitus virtutũ inueſtigandi. Quia tamen Martyrij actus eſt in gradu heroico fortitudinis, & actus heroicus cuiuſcunque virtutis, non poteſt prouenire niſi vel à ſpeciali Dei auxilio, vel ab habitu eiuſdem virtutis, ex conſequenti in vnico actu Martyrij, planè colligitur eum, qui Martyrij actum ediderit, habuiſſe habitum fortitudinis. Nam quãuis in huiuſmodi caſibus in vnico tantùm actu compleatur Martyrium; nemo

tamen

tamen dubitare poteſt, eumdem plures, ac plures edidiſſe A
actus voluntatis circa mortem pro Chriſto ſubeundam; ex
quibus habitus gigni vel augeri potuit.

Præterea certum fore debet, actum Martyrij, quo quis
vult mori pro Chriſto, ex habitu charitatis infuſæ proceſſiſ-
ſe: ex Charitate inquam, qua maior dari nequit; iuxta illud
Chriſti. *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam
ponat quis pro amicis ſuis*. Hinc loquens Clem. Alexand.
lib. 4. ſtrom. de mart. dicebat αὐτίκα τελείωσιν τὸ μαρτύριον καλοῦ- B
μεν, οὐχ ὅτι τέλος τοῦ βίου ὁ ἄνθρωπος ἔλαβεν ὡς οἱ λοιποί, ἀλλ' ὅτι τέλειον
ἔργον ἀγάπης ἐνεδείξατο. ideſt *Vocamus iam Martyrium perfe-
ctionem: quoniam homo non accipit in eo, finem ſicut reliqui: ſed
quoddam perfectũ opus charitatis oſtendit*. Qui quidem actus
charitatis eſt etiam fidei, & ſpei: tum ob connexionem ha-
rum virtutum, de qua iam diximus; tum quia prouenit ex
maxima fide, quam talis Dei ſeruus in doctrina Chriſti ha-
buit, & certò ex ea morte ſperauit æternam Beatitudinem. C
Quapropter dicebat Clemẽs Alexandrinus iam à nobis re-
latus. κεφάλαιον δ' οἶμαι πάσης ἀρετῆς κύριος παιδεύων ἡμᾶς τὸ δεῖν
γνωστικώτερον δι' ἀγάπην τῆς πρὸς τὸν θεὸν θανάτου καταφρονεῖν. hoc
eſt. *Dominum docuiſſe, ſummam totius virtutis fore, nos opor-
tere ex cognitione* ideſt *fide, propter charitatem in Deum, mor-
tem contemnere*.

Nec ſolũ huiuſmodi actus, quo quis vult mori pro Chri-
ſto eſt ex habitu virtutũ theologicarum, ſed etiam ex habitu D
prudentiæ, & fortitudinis infuſæ vel ex gratia Dei acquiſitæ;
iudicando hic, & nunc acceptandam eſſe mortem pro Chri-
ſto, & pro eodem contemnendum fore extremum capitis
periculum, vt conſequatur beatitudinem æternam. In qui-
bus obiectis ſtat ratio virtutũ moralium infuſarum, ac proin-
de planè conſtat actum martyrij tantæ fore excellentiæ, vt
ex eo colligantur virtutum omnium theologalium, nec non
etiam

A etiam cardinalium habitus, ac in Martyre non plures actus examinandos fore, ſed ex eo tantum quòd mortem voluerit ſubire pro Chriſto, & de facto ſubierit; inter Sanctos merito collocari ab Eccleſia quamuis anteacta vita ſceleribus commaculata apparuiſſet.

CAP. IV.

B De nota Sanctitatis ex virtutum actibus in gradu heroico.

HABITVS, & actus virtutum à Philoſophis, & Theologis cōſiderantur per gradus quoſdā intenſiores, & minus intenſos. Cum enim virtutes & virtutum habitus in genere qualitatum conſtituantur; & ex qualitatibus altera alteri intenſior exiſtat; hinc ſimiliter inter actus virtutum,
C qui ab habitibus producuntur; alter eſt altero intenſior. Cum igitur in his, qui titulo Beatitatis aut Sanctitatis per ſummi Pontificis canonizationem, aut Beatificationem decorandi erunt; actus virtutum prerequirantur: ex conſequēti eo ſplendore, atque fulgore lucere debent predicti virtutum actus quo maior excogitari nequeat; ac proinde gradum heroicum attingere, & inter heroicos actus recenſeri debent; quæcunq. in eorum actis conſiderantur. Vt quicun-
D que in Eccleſia titulo Sanctitatis aut Beatitatis decorantur, verè noſtri heroes dicantur.

At qui nam ſint heroicæ virtutis actus, vt inueſtigetur, exordium à nomine Herois ſumatur. Nam ab ἥρα quæ eſt Iuno, Heroas dictos fuiſſe præclariores in Republica viros Pater Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate cap. 21. cenſuit. Quod nimirum aer Iunoni à veteribus dicatus eſſet, & Heroas, nimirū animas illorum, qui alicuius meriti in Republica cenſeren-

ſerentur, aerem incolere veteres arbitrarentur: quamobrem A
à regione, quam inhabitabant, vocabulum ſortitos fuiſſe putabant ex Pythagoricorum ſententia. Hierocles id teſtatur in illis verſiculis Pythagoræ ſiue Philolai.

Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος οὐκ ἔτι θνητός.

Quæ Pythagorę, ſiue Philolai carmina ſic ad verbum explicantur pro Heroibus aërem incolentibus, illorumque in
Republica meritum. B

Corpore depoſito liberam ſi ſcandis in æthram,
Tunc Deus æternus fies mortalia linquens.

Plato in Cratylo ab ἔρωτος, quod eſt amor; Heroum, & heroicæ virtutis nomen deriuatum exiſtimat: vel quia Heroas ex mutuo Deorum, & hominum amore oriri veteres fabularentur: vel verius, vt Hierocles habet; quod tales viri, qui poſtmodum Heroes dicti ſunt; diuino flagrarent
amore, & ad Deum amandum reliquos prouocarent. Quod C
dictũ plurimum conſonat; cum his, quæ de Dei famulis Catholica Eccleſia docet. Quamobrem Aſpaſius Epheſinus, qui habetur cum Euſtrat. Niceno in commentario ad lib. 7. moral. Ariſt. ad Nicomach. cap. 1. loquens de virtute heroica hæc habet. *Huiuſmodi autem virtus hominibus conuenit, qui vel cum Deo iam vniti, Dij quoque ipſi adoptione effecti ſunt; vel ſanctarũ, virtutum operatione cæteris omnibus antecel-*
lunt. Heroica appellata eo quod heroibus, ideſt ſemideis pro- D
pria cum ſit: naturam humanam excedere, atque ob id admiratione maxima digna eſſe videatur. Virtutis igitur gradus ſummus, ad quem viribus humanis, ex Dei gratia homines pertingi poſſunt, virtus heroica appellatur.

Qua ratione vero homo attingat virtutem heroicam in operando, explicat D. Th. in commentario ad locum Ariſt. lib. 7. moral. dicens. *Conſiderandum eſt, quod anima humana*

media

A *media eſt inter ſuperiores ſubſtantias, & diuinas; quibus communicat per intellectum, & animalia bruta, quibus communicat in ſenſitiuis potentijs. Sicut ergo affectiones ſenſitiuæ partis aliquando in homine corrumpuntur vſque ad ſimilitudinem beſtiarum; ita etiam rationalis pars quandoque in homine perficitur, & formatur vltra communem modum humanæ perfectionis; quaſi ad ſimilitudinem ſubſtantiarum ſeparatarum. Et hæc nominatur virtus diuina ſupra humanam virtutem, &*
B *communem*. Et communi vocabulo virtus heroica dicitur; quod nimirum ſit virtus ætherea, ſiue quodammodo cæleſtis, ideſt eleuata ſupra terrenas ſordes: quod nihil videlicet terreni habeat; ſed ſedem quaſi mediam inter cælum, & terram poſsideat: vel quod homo quantum fieri poteſt, ac humana permittit imbecillitas: per eum gradum virtutis cæleſtibus coniungatur, ac Deo copuletur; vel tandem, quod hominem inflammet ad Dei amorem, & amore di-
C uino, ac dilectione Dei propriè eundem dignum efficiat.

Vt autem de geſtis piorum virorum, qui Sanctitatis, aut Beatitatis titulo condecorandi erunt: aut iam in Eccleſia militanti Sanctitatis titulo decorari meruerunt, perfecta cognitio hauriatur: (præſertim cum in Cælis inter Heroas hi recenſeantur: & ad trutinam heroici ſplendoris, ac eminentiæ illorum acta, ac geſta examinari debeant.) Quid ſit heroicitas à qua virtutes Seruorũ Dei, & ancillarũ Dei habent,
D vt heroicæ dicantur, inueſtigare neceſſarium duxi. Aſpaſius enim Epheſinus in ſextum librũ moral. Ariſt. c. 1. Hæc habet de Virtute heroica. *Heroica verò, & diuina hæc virtus eſt: cum omnem virtutem ſupra omnem hominem exercet quiſpiam: ſi quis enim ſupra omnes iuſtos iuſtitia præditus ſit; ſupra omnes fortes, fortitudine; ſupra omnes temperantes temperantia; is heroicam, & diuinam virtutem habere non immeritò dicetur*. Itaque per exceſſum tantum intenſionis in

actu

actu virtutis Aſpaſius decernendum exiſtimat heroicitatis A actum. Idipſum etiã Lambinus docet in adnotationibus & ſcholijs ad cap. 1. lib. 7. Moral. Ariſt. ad Nicom. dicens. *Heroicæ virtutes non differunt ab humanis virtutibus, præterquam ſola ὑπερβολῇ & excellentia: proinde quot ſunt ſpecies humanarum virtutum, totidem & heroicarum: erit igitur fortitudo heroica, temperantia heroica: &c.* quæ breuitatis gratia omittuntur à nobis.

Sed ex his nemo explicat, quid ſit heroicitas: quam, vt puto, proprie inueſtigare minime curarunt: cum prædicti omnes intra limites naturalis philoſophiæ tantùm ſe continuerint; & hunc gradum non exceſſerint. B

Nobis verò quibus datum eſt fide, & virtutibus vires naturales excedere, aliter philoſophandum cenſeo de virtute heroica, & ipſa heroicitate, quã ſic libuit definire. *Heroicitas eſt eminentia quadã actus, ex habitu charitatis, eiuſdemq. gradus intenſio quædam, à quo operationes potentiarum noſtrarũ ex imperio voluntatis habent; vt dirigantur ad eminentiſsimum ſupernaturalem finem, vt de proximo illum attingant.* Non enim nobis ſtandum eſt intra limites Ariſtotelicæ philoſophiæ: qui, cum nullam futuram expectaret vitam; nullum quoque alium fortaſſe finem agnouit, niſi præſentis ſæculi; & ideo nullum alium intuitus eſt heroicitatis gradum, neque aliam agnouit heroicam virtutem; niſi quæ reſpicit bonum ciuile. Altior nobis chriſtianis eſt finis; quem etiam Platonici ænigmaticè agnouerunt, nimirum Deus, vt eſt finis ſupernaturalis. C D

Diximus virtutem heroicam, ſiue heroicitatem fore poſitam in quadam eminentia diuina, ſiue in quodam ſplendore ſummo, à quo omnes aliorum habituũ actus, qui emanant à quibuſcunque potentijs diriguntur in finem ſupernaturalem, nimirum in Deum. Et quidem quod heroicitas ſit eminentia

A nentia quędam virtutis quot quot de virtute heroica tractāt affirmant: vt vidimus ex Ariſtotele,& D.Thoma.Videatur Gerſon in 4. par. Aſpaſius loco citato in Ariſtotelem,Lambinus ibidem, & Piccolomineus in lib. de moribus grad. 6. cap. 1. 2. & 3.Communiter enim heroica virtus dicitur virtus purgati animi. S.Bonauenturam heroicos perficientes habitus appellaſſe dixerim in 3.sēt.diſt. 34.q.1.quos habitus Beatitudines verè appellari à Chriſto arbitratur. *Quia tales*
B *habitus faciunt hominem proximum Deo*, ait ille, *& conformem ipſi gloriæ ſummæ, & Beatitudini in qua eſt ſumma perfectio*. Nam virtus cum ſit animi noſtri habitus, & principium operationum ſibi congruentium; & omne agens propter finem agat: propterea omnem noſtram operationem propter aliquem finem, nimirum gratia alicuius boni, produci neceſſe eſt. Voluntas enim noſtra ex amore ſummi finis ac ſupremi ſi moueatur; & in finem aliquem ſupremum di-
C rigatur; virtus profecto à qua dirigetur, & quæ eſt principium illius operationis, heroica dicetur.

Veritas eorum,quæ dicta ſunt, vt fulgeat, ac ſplendeat; inquirēdum videbatur, an heroicitas ſit aliquis habitus,an verò conſiſtat in actu tantum. Equidem ſi eſt habitus: vel eſt acquiſitus, vel infuſus. Infuſum autem non eſſe ratio ipſa probat: vel quia nullum eſſet meritum in actibus heroicis,ex eo tantum quod heroici ſunt: vel etiam quia nullus Theolo-
D gorum, aut Philoſophorum hunc habitum propriè heroicū infuſum agnouit,aut inter infuſos connumerauit. Nec etiam videtur dici poſſe heroicitatem eſſe habitum acquiſitū; quia non eſt nec Prudentia,nec Fortitudo,nec Temperantia, nec Iuſtitia,aut aliquid quod inter illarum virtutum partes recenſeatur: ergo non videtur fore habitus acquiſitus.

Dicendum igitur cenſeo, heroicitatem conſiſtere in actu virtutis: ita videlicet vt cum aliquis facit aliquem actum

K bonum

bonum, & illum actum elicit taliter depuratũ à quocunque A
reſpectu creato, vt eum in finem ſupernaturalem immediatè
dirigat, & non in aliquem alium finem; adeò purè, vt neque
ex circumſtantijs aliquid terrenum ſapiat, profectò ille
actus bonus ſic elicitus neceſſariò heroicitatem habebit, &
verè dicetur actus heroicus.

Remanet adhuc explicandum, cuius habitus ſit iſte actus heroicus: ſiue quinã ſit ille habitus, qui dat eſſe omnibus actibus in quocunque genere virtutis ſint, vt in gradu heroico B
cẽſeantur: Datur enim heroica fortitudo, actus heroicus prudentiæ, &c. Breuiter igitur dicendũ mihi videtur, heroicitatem, de qua loquimur, quandam fore vim, ſeu gradum quẽdam reliquis ſuperiorem, ſeu eminentiorem habitu charitatis acquiſito, vel eiuſdem charitatis infuſæ augumentũ: ad quem gradum pertingit potentia ex frequentatis actibus charitatis, & diuini amoris. Manifeſtum hoc fore arbitror ex ipſo vocabulo heroicitatis, quod, vt vidimus ex Platone, C
ab amore dicebatur: & dicebantur heroes, qui ex mutuo Deorum, & hominum amore generabantur, ſeu hominum, & Deorum (vt loquamur cum Platonicis.) Cumque charitas infuſa ſit ille habitus, quo diligimus Deum ſuper omnia, & quo diligimur à Deo, vnde dicebat Ioannes *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet*. Ex conſequenti in exercitio charitatis, & diuinæ dilectionis, quatenus ſe transfundit in actus etiam aliarum virtutum, dicendum puto D
conſiſtere heroicitatem.

Et quidem quod heroicitas ſit gradus charitatis probatur: quia eſt vis quædam reſidens in voluntate, nimirum in ea potentia, quæ ſuo imperio dirigit actus aliarum potentiarum in Deum tanquam in finem ſupernaturalem. Nam licet cognitionem finis ſupernaturalis habeamus à fide; quæ eſt habitus intellectus: quia tamen ex imperio dirigere actus

alia-

A aliarum potentiarum in finem ſupernaturalem non pertinet ad intellectum, ſed ad voluntatem informatam habitu charitatis; propterea diximus heroicitatem fore vim quandam, ſeu gradum quendam eminentem charitatis; à quo omnes actus aliarum potentiarum eliciti per habitus aliarũ virtutum diriguntur in finem ſupernaturalem. Quod autem ratio heroicitatis non conſiſtat in habitu charitatis infuſæ, vt infuſæ, manifeſtum eſt ex eo; quia aliàs ſequeretur, quod
B omnis actus dilectionis Dei elicitus ab homine in gratia exiſtente eſſet heroicus, quod eſt falſum. Heroicitas ergò nihil eſt, niſi gradus quidam intenſus charitatis acquiſitus ex frequentatis actibus charitatis infuſæ, ex quibus iuxta ſcholam Thomiſtarum infuſa recipit augumentum.

Vt autem idipſum confirmetur, notandum erit: quod ex frequentatis actibus diuinæ dilectionis, ſeu charitatis infuſæ, vel generatur aliquis habitus charitatis, vt dicunt Scotiſtæ,
C vel idem habitus charitatis infuſæ augetur, vt dicunt Thomiſtæ, atq; ita multiplicatis actibus habitus charitatis magis, ac magis intenditur. Hoc animaduerſo probatur; heroicitatẽ conſiſtere in quodã gradu charitatis acquiſitæ, quia multi habent charitatem infuſam, & non habent eam in gradu heroico. Cũ igitur gradus charitatis, & intenſio illius acquiratur ex frequentatione actuum charitatis, heroicitas in actibus virtutum Euangelicarum nil aliud erit quàm gradus acquiſi-
D tus ex frequentatis actibus; quo gradu charitatis informata voluntas imperat, & dirigit operationes, & actus quarumcumque aliarum potentiarum, & quorumcunque aliorum habituum in Deum, tanquam in finem ſupernaturalem altiori modo, quam charitas remiſſa.

Dicimus heroicitatem ex imperio voluntatis dirigere operationes quarumcunque noſtrarum potentiarum in finem ſupernaturalem: *vt de proximo illum attingant.* Quia

actus alicuius virtutis, ſeú virtus aliqua relata ad finem duplici ratione fulgere, & eminere poteſt: vel quia proximè ad finem ducit; vel quia finem eminentiorem reſpicit: vtroque modo vis heroica talis dicitur. Quatenus enim ad finem non vltimum nimirum ad præcipuum bonum, & maximè honeſtum præſentis vitæ homines ducuntur, & diriguntur per morales virtutes acquiſitas: vis illa ſiue virtus, à qua impelluntur, & diriguntur, & à qua virtutes morales ſplendorem, & eminentiam recipiunt, heroica dici poteſt intra limites naturalis philoſophiæ: ſed ſatis diminutè quidem. magis proprie heroica virtus illa dicitur, per quam homines poſthabito fine naturali ſolum reſpiciunt Deum, vt ſummum bonum, & vt finem ſupernaturalem conſequendum, & fruendum: cuius cauſa etiam potentiæ animæ, moralibus informatæ virtutibus ſuas producũt operationes, & in actus prorumpunt. Virtus igitur iſta, ſeù gradus iſte eminentis charitatis, à quo humanæ operationes omnes depuratæ à terrenis ad Deum diriguntur eminenti modo, vt ad finem ſupernaturalem verè heroica dicitur, & recte ſic appellatur. A B C

Dicet fortaſſe aliquis, idem eſſe hanc vim heroicam, ſeù virtus, ſiue vis acquiſita ſit, cum perfectione Chriſtiani hominis; quæ ſimiliter eſt quædam qualitas dans gradum reliquis habitibus. Reſpondeo negatiue quia perfectio reddit hominem facilem ad actus quarumcumque potentiarum, & quarumcunque virtutum, & eſt quædam tertia qualitas, vt ſuo loco oſtendetur, producta ex actibus omnium virtutum, tam infuſarum theologalium, quam moralium. At verò vis iſta heroica nil aliud eſt, niſi intenſio habitus charitatis infuſæ in eminenti quodam gradu, quatenus ſubiectatur in voluntate. Et licet Dei famulum ad actus charitatis ratione habitus facilem conſtituat: poteſt tamen ſtare in aliquo heroicitas, & facilitas in exercitio actus charitatis ſine D

A facilitate ad actus aliarum virtutum. Exempli gratia ſi detur aliquis peccator: qui cum pauca, aut nulla feciſſet bona, oblata tamen occaſione ſuſtinendi mortem pro Chriſto, fortiter illam ſubierit: hunc certè feciſſe actum fortitudinis, & hunc actum in gradu heroico extitiſſe liquet: cum tamen careret perfectione; quæ illum redderet promptum in exercitio reliquarum virtutum.

Et quia charitas ſupernaturalis eſt ille habitus, & illa vir-
B tus, à qua operationes, & actus quarumcunq; potentiarum, & virtutum non ſolum moralium, ſed etiam theologalium, fidei videlicet, ac ſpei, (vt probauimus ſuperius dum agebatur de habitibus.) habent veluti à forma ſupremam perfectionem, eminentiam, ſplendorem, fulgorem, ac omnem excellentiam; propterea verè, & propriè gradus intenſus charitatis, acquiſitus ex frequentatis actibus in quadam eminentia heroicus dici, & appellari poteſt, atque dat actibus om-
C nium virtutum, vt ſint heroici. Quamobrem S. Pater Auguſtinus hac heroica virtute informatus dicebat. *Amor meus, pondus meum illò feror, quocunque feror*. Quo ſane dicto omnes ſuas actiones dirigi in Deum, vt in finē ſupernaturalem, & à gradu charitatis heroico dirigi in quibuſcunque actibus, plane aperuit.

Ex hucuſque dictis notatu quidem, & animaduerſione dignum ſequitur, quod heroicę virtutis proprium ſubiectum
D non ſit quæcunque potentia animæ, ſed tantum voluntas; quæ eſt ſubiectum habitus charitatis. Nā licet habitus fidei, qui in intellectu ſubiectatur, quatenus habet Deum pro obiecto, largo modo dicatur heroicus; quod hominem videlicet ad Deum immediatè dirigat: quia tamen fides niſi charitate ſit informata erit informis, nec fides ex ſe hominem ſine charitate ad finem ſupernaturalem per actum aliquem quantumuis eminentem ducere poteſt: dicente Apoſtolo,

Etſi habuero omnem fidem; itaut montes trasferam, charitatem A
autem non habuero nihil ſum. Propterea ſi charitate non fuerit fides informata: actus fidei productus ab aliquo peccatore, non erit heroicus: ſicut nec etiam in iuſto, quicunque actus fidei charitate informatus: niſi charitate informetur in eo eminenti gradu, in quo ſtat ratio heroicitatis, qui gradus ſoli Deo eſt cognitus; ſicut nec etiam habitus fidei infuſus cum baptiſmo in infantibus, propriè, & ſtrictè heroicus dici poteſt: cum infantuli non attingant rationis vſum; nec liberi B
arbitrij vſum habeant; ex quo actum virtutis elicere queant: propterea in illis, nec habitus fidei, nec ſpei habent propriè vnde heroicus dicatur.

Quærenda, & inquirenda iam remanet nota heroicæ virtutis; vt, qui acta Seruorum Dei diſcutiunt, heroicitatē agnoſcant ex effectu quem heroicitas charitatis cauſat in actibus potentiarū, quando prorumpunt in actus exteriores. Obſeruandum eſt itaque quod quando potentiæ noſtræ mouentur C
ad aliquem actum; interdum cum aliquo labore, & difficultate ad propriū actum mouentur. Sed ex frequentatis actibus poſtmodum hæ potentiæ, quæ difficultatē patiebantur; nullum omninò experiuntur laborem in eliciēdis proprijs actibus. Nec ſolum ſine labore illos producunt; immo interdum cum facilitate, promptitudine, ac etiam cum ſuauitate, & demum cum delectatione maxima in eoſdem prorumpunt. Sit exemplum in citharedo, qui, cum primùm incipit citha- D
rizare, laborem quam maximum in citharizando experitur: itaut malè, peſſimèque multoties citharizet, ac in citharizando, non ſemel, ſed pluries moleſtiſſimè diſſonet, & à recta harmoniæ regula diſcrepet. Sed cum iam cæperit manus, & digitos accommodare ad citharizandum, profectò, ſine labore citharizabit: nec aliquam amplius experietur difficultatem in pulſanda cythara. Quinimo paulatim cum

maxi-

A maxima facilitate citharam pulſabit. Et denique exercendo ſe quam maximè non tantum cum facilitate, citharam pulſabit, ſed ſumma delectatione capietur cũ citharizabit, lætabiturque non ſolum citharizando, ſed etiam docendo alios citharæ pulſandæ artem. Et tanta quidem interdum capietur delectatione in citharizando, vt quodammodo extra ſe rapietur; tum citharam pulſando tum alios illam pulſantes attendendo.

B Labor itaque in producendo aliquem virtutis actum indicat potentiam nondum habitum virtutis acquiſiuiſſe; vt diximus alibi. Facilitas, & promptitudo potentiæ in producendis actibus virtutum, eſt nota, & ſignum habitus iam acquiſiti. Delectatio demum in productione actus eſt nota habitus iam acquiſiti, & intenſi. Denique ſi delectationi coniuncta ſit ſuauitas, quam aliquis experiatur in eliciendo aliquem virtutis actum per ordinem ad finem ſupernaturalem
C ex inſtinctu charitatis: huiuſmodi ſuauitas, & delectabilitas eſt nota, & ſignum heroicitatis; quæ ex ſua natura promptitudinem, & delectationem quandam cum ſuauitate præſtat, ac generat in potentijs producẽtibus proprios actus. Itaque qui elicit actum virtutis in gradu heroico, non ſolum facilè, & promptè illum eliciet; verum etiam delectabiliter, & ſuauiter illum actum producet. Et tanta quidem ſuauitate, ac delectatione interna fruitur ille, qui heroicum virtutis actũ
D elicit, vt exprimi nequeat: & hæc quidem delectatio in actibus virtutum eſt plena, & perfecta ſanctitatis nota.

Hoc virtutis genus in gradu heroico quæſiuiſſe Seruatorem noſtrum ſuis à ſectatoribus, & à nobis, qui eius doctrinam profitemur, Euangelica ſcripta paſsim teſtantur. Cum enim Matth. 5. ad perferendas perſecutiones Chriſtus diſcipulos hortaretur: non tantum docuit carceres, & perſecutiones perferendas fore; ſed delectabiliter perferendas eſſe

docuit. Nam cum dixiſſet. *Beati eſtis cum maledixerint vo-* A
bis homines; & perſecuti vos fuerint; & dixerint omne malum
aduerſum vos mentientes propter me. ſubintulit: *Gaudete, &*
exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in Cælo. Pari ratio-
ne ad contemptum mundi exhortans adoleſcentulum quẽ-
dam, qui ſe ſeruaſſe Dei mandata profitebatur; & idcirco à
Chriſto diligebatur; vt teſtantur Euangeliſtæ: eidem ſubin-
tulit Chriſtus. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ*
habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. Alibi quoque B
cum de dimitteda iniuria doctrinam nobis Chriſtus porri-
geret, dicebat. *Diligite inimicos veſtros*. Quia verò expete-
bat dimiſſionem iniuriæ à nobis heroicè fieri ſubintulit. *Be-*
nefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & ca-
lumniantibus vos. Quæ ſane fieri nequeunt; niſi ab eo, qui
non ſolum facile, ſed etiam tanta cũ ſuauitate, ac delectatione
dimittit iniuriam: vt eundem à quo iniuriam accepit, benifi-
cijs delinire curet, ſibique conciliare, vt mutuo amore læte- C
tur. Quod autem hic Chriſtus loqueretur de dimiſſione
iniuriæ ex gradu virtutis hæroicæ; cuius eminentia, vt dixi-
mus, participationem quandam diuinitatis habet. Ex his
quæ ſubintulit, vt puto manifeſtum eſt. *Vt ſitis*, inquit, *filij*
Patris veſtri, qui in Cælis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper
bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.

Intelligitur iam ſatis dilucidè, atque apertè ab heroica vir-
tute profluxiſſe gaudium illud, & hilaritatem, quam Sancti D
Chriſti martyres in perſecutionibus, & inter tormenta ipſa
præſeferebant verbis, & nutibus: vt nõ ſolũ hiſtoriæ, ſed ſacræ
litteræ dicant. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij*. le-
gitur in actibus Apoſtolorũ. *Quoniam digni habiti ſunt pro no-*
mine Ieſu contumeliã pati. Et tanta quidẽ lætitia cruciatus ab
ipſis perferebãtur; vt carnificibus, ac tortoribus illuderẽt ipſæ
puellæ. Agatha enim virgo dum illi mammillæ Quintiani

iuſſu

A iuſſu ſecarentur: ad Quintianum conuerſa dicebat. *Impie, crudelis, & dire Tyranne non te pudet amputare in fœmina, quod ipſe in matre ſuxiſti?* Agnes illa Romanæ Eccleſiæ decus; puella tredecim annos nata, de qua vere dixit Ambroſius. *Nondum idonea pœnæ, & iam matura victoriæ, certare difficilis, facilis coronari: magiſterium virtutis impleuit, quæ præiudicium vehebat ætatis.* Tanta delectatione, & ſuauitate; dum torqueretur, tenebatur, tanto cum gaudio ad marty-
B rium properabat, vt vix, ſed nec vix exprimi queat. Audiatur Ambroſius ſua facundia id referens, his verbis. *Non ſic ad thalamum,* inquit, *nupta properaret; vt ad ſupplicij locum læta ſucceſſu, gradu feſtina, virgo proceſſit. Flere omnes, ipſa ſine fletu. Mirari plerique, quod tam facile vitæ ſuæ prodiga, quam nondum hauſerat, iam quaſi perfuncta donaret. Stupere vniuerſi quod iam diuinitatis teſtis exiſteret; quæ adhuc arbitra ſui per ætatem eſſe non poſſet. Quanto terrore egit carnifex, vt ti-*
C *meretur: quantis blanditijs, vt ſuaderet: quantorum vota, vt ſibi ad nuptias perueniret? At illa, & hæc ſponſi iniuria eſt. Qui me prior ſibi elegit accipiet. Quid percuſſor moraris? Pereat corpus quod amari poteſt oculis, quibus nolo. Stetit, orauit, ceruicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quaſi ipſe addictus fuiſſet pœnæ, tremere percuſſoris dextram, pallere ora alieno timentis periculo, cum puella non timeret ſuo.* Hæc heroica vis paruulã puellam fortem effecit. Hæc Laurentium ſuper
D ferream, & ignitam cratem iacentem carbonibus, & flammis torridam tam ſuauiter, ac delectabiliter in eo lecto decumbere faciebat; vt iudici inſultaret dicens. *Aſſatum eſt, iam verſa, & manduca.* Alij quoque Dei famuli ſuper ignitos carbones iuſſi incedere: tam læto corde conditionẽ acceptarũt, vt carbones ignitos roſas ſibi videri affirmarint. Alij inter carnificum manus, dum membra diſrumperentur; canebant diuinas laudes; grates Deo reddebant pro cruciati-

bus

bus quos perferebant. Alij teſtabantur, nunquam ſe tanta cum ſuauitate ad epulas accubuiſſe; quemadmodum ſuauiſſimè inter ipſos cruciatus epulabantur. His atque alijs ſimilibus exemplis, quibus plena ſunt martyrum acta; ſuauitas, ac delectatio, quam heroicus gradus præſtat, actibus virtutum ſatis demonſtrat. Et hanc heroicitatis notam in his, qui Beatitatis titulo decorandi erunt, requiri debere allata iam exempla manifeſte ſubindicant. A

Merito quoque qui in Eccleſia Sanctitatis, ac Beatitatis titulo decorantur, Heroas fore dicendos colligi poteſt ex definitione Herois, quam de mente Ariſtotelis affert Fráciſcus Picolomineus in elegantiſſimo, quem edidit de moribus, opere. Sic enim habet gradu ſexto cap. 2 *Heroes ſunt illuſtres homines, qui per eximiam aliquam virtutem, conditionem ſunt adepti ſuper humanam refulgentem; per quam, vel præclaram ducunt vitam; vel vita functi per ora hominum celeberrimè circumferuntur*. Quæ Herois explicatio, quam adamuſſim his conueniat, quos Eccleſia in ſanctorum Catalogo deſcribit, manifeſtum eſt. Quin etiam ſplendidiſſimum illud Eccleſiæ lumen Pater Auguſtinus cóſiderás fortitudinis actus, quos Catholicæ Eccleſiæ ſancti Martyres tam internè, quam externè inter carnificum, atque tortorum manus proferunt in perferendis cruciatibus dicebat; & vere dicebat lib. 10. c. 21. de Ciuitate. *Martyres noſtri* (hoc eſt ij, qui pro Chriſto patiuntur.) *Heroes nuncupantur, ſi vſus Eccleſiaſtici ſermonis admitteret*. B C D

An non Heros Paulus Apoſtolus, qui de ſe ipſo loquens ad Rom. 8. dicebat. *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus: & certus ſum, quod neque mors, neque vita, neq; creatura alia poterit me ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu?* An non Heros Ignatius, & cæteri martyres Chriſtianæ Religionis fulgentiſſima lumina? An non Heroides Virgines

A nes dici poterunt? Quæ non horrenda quidem monſtra cum Hercule, ſed quod longe difficilius eſt Diaboli tentationes, carnis, & mundi irritamenta ſordida, fortiſsimè ſuperarunt? Tot ſanctiſsimi Confeſſores, quorum vitæ ſanctitatē, ſi quis ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis petat; ne dum eos imitari, imo ne mente quidem aſſequi ſe poſſe, tam auſteram, & non iam humanam, ſed angelicam prorſus in terris vitam ſperet? Sunt certè hi reipſa Heroes, & nomine ſiquidem tales non B dicantur: quia Herois vocabulum inanem quandam Gentilium gloriam præſeferre videtur: re tamen Heroes ſunt longe digniores, quàm illi, quos ſic nominabāt antiqui Ethnici, ex aliquo virtutis actu in bonum Reiplublicæ edito.

Etenim tali titulo decorandos eſſe, quos Eccleſia Sāctitatis titulo, ac Beatitatis honore condecorat, ex doctrina etiam Platonis monſtrare poſſumus. Etenim in Cratylo in dialogo, qui eſt inter Hermen, & Socratem, ita inquit Socrates: C *Sciſne quos Heſiodus Heroas eſſe dixit? Her. non? Soc. neque etiam quod aureum genus hominum ait in principio extitiſſe? Her. hoc quidem noui. Socr. ait enim ex hoc genere poſt præſentis vitæ fata fieri Dæmones Sanctos, terreſtres, optimos, malorum expulſores, & cuſtodes hominum. Her. Quid tum? Nempe arbitror vocare illum aureum genus, non ex auro conſtitutum, ſed bonum atque præclarum: quod inde conijcio, quia genus noſtrū ferreum eſſe dixit.* Itaque ex ſententia Platonis, Heroes ſunt D animæ illuſtrium virorum vita functi; quæ craſſo corpore iam ſolutæ ex aureo hominum genere prodijſſe creduntur. Hominum vero aureum genus illud vocant Socrates, & Plato, quod conſtituitur ex his, qui ſecundum virtutem vitam ducunt; quos nos Beatos, & Sanctos appellamus. Plato vero ex conſuetudine, & phraſi illius ætatis illos Dæmones appellabat; quo nomine etiam ab eiſdem Angeli appellabantur. Quoniam re vera inter angelicas Hierarchias, & Angelo-

gelorum gradus recenſentur hi, quos in Eccleſia militanti A
Sanctos,ac Beatos appellamus.Qui cum Heroicis virtutibus
illuſtres ſe reddiderint in Eccleſia; cæteris fidelibus ad nor-
mam virtutis colendi proponuntur per actum Canoniza-
tionis: vel ſaltem coli permittuntur per actum Beatifica-
tionis.

CAP. V. B

De Sanctitatis nota ex Euangelica perfectione.

QVID vocabulo perfectionis ſignificetur in
primo capitulo vidimus: & ex Ariſt. perfectũ
eſſe diximus *id cui nihil deeſt*. Quamobrem
euangelicæ perfectionis vocabulo formam
quandã in anima rationali veluti qualitatem C
cæleſtẽ intelligimus,à qua habeat Dei ſeruus, vel Dei ancilla
omnia quæ requiruntur,vt ſit homo Dei, & nihil illi deſit ex
his, quæ requirũtur ad hoc vt homo vniatur, & coniũgatur
Deo in hac vita,quantũ homini viatori licet.Hominis enim
verum ornamentum,non ſtat in corporis, aut membrorum
concinnitate, atque elegantia; ſed in animi virtute poſitum
eſt. Quæ quamuis fucatam proſpiciendam ſe præberet ho-
minibus in veteri Philoſophia, & ſub velo in facie Moyſi in D
veteri teſtamento Iſraelitis: reuelata tandẽ facie,& apertiore
Chriſtus Dominus illam proſpiciendam nobis exhibuit; &
meritis ipſius fuſo ſanguine hominibus comunicatã voluit.
In qua virtute animi ex meritis Chriſti ſtat ratio euangelicę
perfectionis. Hæc enim eſt, quæ ſemper ingenuo quodam
vultu, ſerena fronte, ſimplicitate morum, inceſſu graui, ge-
nuino quodam coloris pudore ſuffuſa, ſemper ſui ſimilis, or-

nata

A nata non auro, ſed radijs diuinæ bonitatis; hanc ipſam Dei
bonitatem in omnibus, ac quibuſcunque actibus adeo ſpi-
rat:vt nulli fiat præſens,quem ad eam amandam non alliciat,
& ad Dei amorem non inflammet.

Et dum in titulo quærimus de ſanctitatis nota ex euange-
lica perfectione: quærimus rationem formalem, per quam
homo in euangelica doctrina fit perfectus in via, & perfecte
diſponitur ad perfectionem patriæ. Euangelica enim do-
B ctrina nil aliud reſpicit, aut præ oculis habet;niſi hominis
ſpiritualem perfectionem:quam vt afferret in terris Dei Ver-
bum *Caro factum eſt*.Vt nimirum homo ad Dei imaginem
creatus,carnis illecebris ſuperatis,etiam in carne degens cæ-
leſtia potius, quam terrena meditaretur, proſequeretur, &
amaret: & poſt huius vitæ curſum ad æternam euolaret glo-
riam. Quapropter quoties in militanti Eccleſia de cultu, ac
veneratione concedenda alicui Dei famulo,aut ancillæ vita
C iam functis agitur:tanquam de perſona cuius anima cæleſtia
poſſideat regna;in eius actis exquirendis atque examinandis;
vt fidelibus imitandi proponantur; perfectionem euangeli-
cam inueſtigandam fore ratio poſtulat. Eam videlicet perfe-
ctionem,quam Chriſtus in terris docuit, & ad quam fideles
omnes aſpirare tenentur.

Quid autem ſit hæc perfectio, & qualiter homo eam
conſequi poſſit explicatur poſito quod. *Perfectio quædam*
D *bona qualitas mentis acquiſita ſit, per quam non ſolum volun-*
tas humana redditur facilis, & prompta ad eliciendos quoſ-
cunque actus bonos, tam naturales, quam ſupernaturales, & ad
actus quarumcunque virtutum euangelicarum: ſed etiam in-
tellectus, & omnes animæ potentiæ cum facilitate promptitu-
dine, & delectabilitate eliciunt actus bonos perfectionis. Hæc
deſcriptio non indiget probatione, ſed potius declaratione.

In hac perfectionis Chriſtianę definitione,ſeu deſcriptio-

ne

ne, diximus eam eſſe bonã qualitatem mentis acquiſitã. Quia quamuis charitas ſupernaturalis, & à Deo infuſa ſit cæleſte donum, à quo primario, & principaliter prædicta bona qualitas mentis generatur: tamen hæc qualitas eſt aliquid aliud à charitate diſtinctum cum non ſolum ex charitate infuſa, ſed etiam exercitio actuum charitatis, nec non aliarum virtutum Deo adiuuante gignantur in humana voluntate, intellectu, & reliquis animæ potentijs adeo, vt tota anima bona illa qualitate complectatur, et occupetur: quaſi ſit quædam alia qualitas ab habitibus ſupernaturalibus infuſis diſtincta: acquiſita quidem exercitio virtutum, tam infuſarum, quàm acquiſitarum. Nam ſi talis qualitas non diſtingueretur à charitate, fide, & ſpe, ac reliquis infuſis habitibus, eo ipſo quod aliquis haberet ſpem, fidem, charitatem infuſam, vt pueri in baptiſmo, eo ipſo diceretur perfectus proprie, & formaliter: quod eſt falſum. Nam data quacunque infuſione charitatis, hæc ex ſua natura non inclinat niſi ad actus charitatis, non vero ad actus aliarum virtutũ moraliũ: at vero perfectio euãgelica, & qualitas exercitio virtutũ acquiſita taliter inflammat humanam voluntatem, vt non ſolum ad actus charitatis eam inclinet, ſed etiam facilem, ac promptam reddat ad actus aliarum quarumcunque virtutum tam theologicarum quam cardinalium, cum inexplicabili delectatione, ac ſuauitate nimirum ad patientiam, ad actus miſericordiæ, pœnitentiæ, temperantiæ, ad actus fidei, & ſpei, & ſic ad actus reliquarum virtutum.

Quia vero in eliciendo virtutum actus, poteſt aliquis facilem, aut difficilem ſe præbere. Poteſt enim aliquis ieiunare faciliter, & abſque aliquo labore temperare ſe à delectabilibus; alter vero experiri laborem, ac repugnantiam in aliquo actu temperantiæ, propterea ad oſtendendum effectus perfectionis in ſuprapoſita perfectionis deſcriptione dictum eſt,

per

A per hanc qualitatem acquiſitam exercitio bonorum actuum omnes potentias animæ reddi faciles, & promptas ad quoſcunque actus bonos quarumcunque virtutum: quæ facilitas, & promptitudo eſt nota chriſtianæ perfectionis, & ſanctitatis, nam, vbi apparuerit difficultas in exercitio virtutum, & in eliciendis bonis actibus, certum eſt talẽ Dei famulum, quamuis ſine peccato mortali exiſtat cum habitu gratiæ, & charitatis, ac fidei, & ſpei, tamen perfectum dici non poſſe,
B neque iam perueniſſe ad euangelicam perfectionẽ arbitror.

Declarata iam allata deſcriptione probatio eſt in prõptu, quia perfectio euangelica dat homini, vt nihil illi deſit non ſolum ad coniunctionem animæ cum Deo, ſed etiam ad dilectionem proximi quantum diligibilis eſt, & diligi debet ex euangelicis inſtitutis, & conſilijs, ſed bona mentis qualitas quam diximus exercitio virtutum acquiſita dat homini, vt nihil illi deſit quominus coniungatur Deo, & diligat proxi-
C mum quãtum diligibilis eſt, & etiam dat ei, vt ſit promptus, & facilis non ſolum in obſeruantia præceptorum, ſed etiam ad proſequendum cõſilia nobis à Chriſto relicta, conſequenter hæc bona qualitas mẽtis per quam homo redditur promptus, & facilis ad exercitia omnium virtutum, & ad eliciendos quoſcunque actus bonos, tam naturales, quam etiam ſupernaturales, id eſt, in quo perfectio hominis poſita cenſeri debet.

D Sed quia non ſolum quæritur in præſenti capitulo quid ſit perfectio, ſed etiam qualiter ex Dei gratia homo poſſit acquirere hãc perfectionem, propterea dicendum erit charitatem infuſam, quæ remouet impedimenta diuinæ amicitiæ omnino neceſſario prærequiri veluti fundamentum, & baſim ad humanam perfectionem: charitas enim ſeu qualitas aliqua ſpecialis ſupernaturalis à Deo creata, & infuſa in anima ad inflammandam noſtram voluntatem, & ad mouendum

hanc ipſam ad aliquos motus ſupernaturales, poteſt conſide- A
derari per reſpectum ad duplicem actum: nimirum quatenus ſecundum ſuum eſſe totale mouet voluntatem in obiectum nimirum in Deum, vt ab eo auelli nequeat: & quatenus remouet impedimenta contraria; quæ voluntatem impediunt, quominus in Deum ſecundum ſuum eſſe totale feratur, & illi coniungatur. Videatur pro hoc notabili D. Th. 2. 2. q. 184. art. 2. in Corp. Cum igitur charitas in gradu priori, ſecundum cõmunem legem, nulli concedatur in via: B
quia illa poſita charitate voluntas ſemper ita actualiter ferretur in Deum, vt nihil diſtraheretur, nec diſtrahi poſſet idem ſequitur talem perfectionẽ in vita dari non poſſe; ſed tantum in patria, in qua Angeli, atque Beati taliter diligunt Deum, vt in nullo nec diſtrahantur ab eo: nec diſtrahi valeant ad aliquid extra Deum. Quamobrem quando dicimus poſſe dari hominem perfectum: non loquimur de hac perfectione; ſed loquimur de perfectione hominis in via; quæ reſultat ex C
gradu charitatis in ſecunda conſideratione: nimirum quatenus inflammat voluntatem Diuino quodam feruore, taliterque mouet affectum humanum, & intellectum illuminat; vt in eo affectu gignat promptitudinem, & facilitatem non ſolum ad remouenda quæcunque charitati ſunt contraria, nimirum peccata mortalia: ſed etiam ad remouenda quæcunque impedientia vel leuiter affectum, quominus in Deũ feratur. Et hæc perfectio, quæ ex quodam excellenti gradu D
charitatis haberi poteſt; illa eſt, quam poſſe homini concedi in præſenti vita, & neceſſario requiri diximus ad perfectionem, tanquam aliquid ſubſtantiale, baſim, & fundamentum euangelicæ perfectionis.

Hoc prænotato aſſertũ eſt manifeſtũ. Quia perfectio hominis euãgelica in eo cõſiſtit, quod eſt homini optimũ & in eo ſummo gradu in quo eſt maximè optimũ: ſed homini eſt

A maximè optimum in hac vita Charitas, & amicitia Dei: ergo
in charitate hominis perfectio eſt poſita, tanquam in præci-
pua baſi. In vehementia nanque charitatis, veluti in baſi,
perfectio conſiſtit Chriſtianæ Religionis. Quia per hanc non
ſolùm Eccleſiæ membra ad inuicem coniunguntur; ſed etiã
capiti Chriſto, Summoque Deo, quantum viatori concedi-
tur, & fieri poteſt, vniũtur. Quapropter dicebat Chriſtus apud
Ioa. cap. 13. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut*
B *dilexi vos.* & cap. 17. hanc omnem doctrinam verbis expreſ-
ſis tradidit Chriſtus dicens ad Patrem, dum precaretur pro
perfectione diſcipulorum, & illorum, qui in eum crediturі
erant. *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt. Sicut tu*
me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. Et pro eis ego
ſanctifico meipſum: vt ſint: & ipſi ſanctificati in veritate. Non
pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per
verbum eorum in me: vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me,
C *& ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint: vt credat mundus,*
quia tu me miſiſti. Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis:
vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. ego in eis, & tu in me,
vt ſint conſumati in vnum. Sanct. Bernar. tract. de amor. diuin.
cap. 4. hæc ipſa Chriſti verba conſiderans, dicebat. *Hic eſt fi-*
nis: hæc eſt conſumatio: hæc eſt perfectio: hæc eſt pax: hoc eſt
gaudium in Spiritu ſanctô: hoc eſt ſilentium in cælo. Et ideò Pau-
lus Rom. 3. dixit. *Finis ergo legis eſt dilectio.* Oſtendens planè,
D quòd mandata omnia, atque decreta diuinæ legis nihil aliud
prædicant, niſi dilectionem. Et prima Corinth. 13. poſtquam
oſtendiſſet Apoſtolus vim fidei, & quantum valeat contem-
ptus terrenorum, necnon etiam martyrium, concludit tan-
dem, quòd illa omnia, niſi ex Dei amore fiant, nihil valent
dicẽs: *ſi charitatem omnino non habuero, nihil ſum.* Aſſerũt hoc
etiam paſſim Sancti Patres, & nominatim Gregorius hom.
27. in euang. & S. Pater Auguſtinus lib. 1. de doctr. Chriſti;

L cap. 22.

cap. 22. & deinceps: atque idipſum Angelicus Doctor 2.2. A
q.184.art.1.& quodl.1.art.14.ad 2.idq;hac optima ratione probat. Tunc vnaquæque res ordinata ad finem aliquem perfecta eſt; quando ſuo fini coniungitur: ſed homo ſuo fini, ideſt Deo primario per charitatem coniungitur, vt manifeſtum eſt ex illo 1.Ioann.cap 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. ergo charitas neceſſariò requiritur ad plenam perfectionem viæ in preſenti vita.

Verùm in ſola charitate tantũ non ſtat ea hominis perfectio euangelica, quam prærequiri dicimus in Dei famulo B
aliquo, vel ancilla beatificãdis, vel canonizandis, ſed in exercitio etiam aliarum virtutum, tàm moralium, ſeu cardinalium, quàm Infuſarum. Ita Valent. tom. 3. diſput. 10. quæſt. 2. punct. 1. vbi ſic ait, *Chriſtiana vita perfectio, nequaquam taliter in ſola charitate conſtituitur, vt nihil aliud ad perfectionem requiratur. Vt enim perfectio naturalis, non tam perfectionibus eſſentialibus, quàm alijs etiam accidentibus, atque diſpoſitio-* C
nibus conſtituitur; ac conſeruatur; ſic etiam perfectio Chriſtianæ vitæ, quamuis in charitate, & Dei amore, velut in aliquo eſſentiali conſiſtat; nihilominus aliæ quoque virtutes ad eam conſeruandam, ſeu coadiuuandam requiruntur, virtutes inquam, tam theologales, quàm morales, tam infuſæ, quàm acquiſitæ. Quibus quidem charitas, quaſi quibuſdam diſpoſitionibus foueatur; & ſint etiam veluti quædam inſtrumenta ad charitatis vſum parata. D

Ad hoc maximè conducit doctrina D. Tho. 2.2.q. 184. art.3. vbi quærit, in quo conſiſtat perfectio Chriſtiani hominis: an videlicet in præceptis, an vero in conſilijs. Vt autem quæſtioni ſatisfaciat, prenotat, perfectionem in aliquo conſiſtere poſſe dupliciter, nimirum primario, & eſſentialiter: alio modo ſecundario, & accidentaliter. Quo quidem rectè prænotato, perfectionem chriſtianæ vitæ in charitate conſiſtero

A ſtere docet ; per ſe quidem eſſentialiter, & principaliter; in
charitate videlicet, quatenus directè Deum reſpicit ; nimi-
rum in dilectione Dei. Minus verò principaliter, ſed tamen
eſſentialiter in dilectione proximi. Et hæc eſt ratio, cur Chri-
ſtus locis iã citatis ex Euangelio Ioannis, taliter iſta duo con-
iunxit ; nimirum vnio diſcipulorum inter ſe, & eorundem
cum Deo: vt ænigmaticè loquutus omnino videatur Ioa. 17.
dicens. *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt*
B *& ipſi in nobis vnum ſint* : & iterum repetit fere hæc eadem
ſtatim dicens. *Et ego charitatem, quam dediſti mihi, dedi eis :*
vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. At vero ſecundariò, &
inſtrumentaliter perfectionem Chriſtianæ vitæ conſiſtere
docet D. Th. in conſilijs : ideſt in exercitio illarum virtutum
quæ ſub conſilio à Chriſto traditæ fuerunt: & inde eſt (vt D.
Th. notat) quòd Abbas Moyſes in collat. 1. Patrum cap. 7.
dicebat, ieiunia, vigilias, meditationes, ſcripturas, nuditatem;
C priuationéq; omnium facultatum, non quidem locum perfe-
ctionis retinere; ſed perfectionis inſtrumenta eſſe. Et ratio eſt,
quia finis chriſtianæ perfectionis non conſiſtit in illis, & ſi-
milibus nudè cõſideratis: in quorũ quidem exercitio ſtudio-
ſiores fortè fuerunt plures ex Ethnicis Philoſophis : ſed per
exercitia prædictarum virtutum, & aliarum, quæ cadunt ſub
conſilio, ab homine Chriſtiano peruenitur ad finem, nimi-
rum ad veram charitatem, & diuinum amorem. Manifeſtum
D eſt igitur, & apertum ex doctrina D. Th. quæ eſt doctrina
Sanctorum Patrum omnium, perfectionem Chriſtiani ho-
minis poſitam eſſe in coniunctione animæ cum Deo per
charitatem; & per eandem cum proximo. Ita tamen, vt ieiu-
nia, vigiliæ, terrenorum cõtemptus, frequentia Sacramento-
rum, & ſiquæ alia fiunt ab aliquo fideli, tantùm fiant propter
Deum, & vt dicebamus, ex Dei amore.

Omnibus prædictis conſtitutis, & declarato iam in quo

Chriſtiana perfectio conſiſtat, & quid illa ſit: dicendum arbitror, aliquem hominem poſſe perfectum eſſe; non tamen in ſtatu perfectionis. Hoc aſſertum duas habet partes, quarum prima docet, aliquem hominem in hac vita perfectũ eſſe poſſe. Hæc doctrina eſt D. Th. 2.2. quæſt. 184. art. 2. & Valent. to. 3. diſput. 10. q. 2. p. 3. eamque probat D. Th. in argumento. *Sed contra* hac ratione. Lex diuina non inducit ad impoſſibile: ſed lex diuina præcipit perfectionem: ergo aliquis homo poteſt eſſe perfectus in hac vita. Manifeſta eſt hæc ratio ex illo Chriſti Domini dicto apud Matth. c. 5. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Confirmatur quia lex diuina pręcipit dilectionem, & charitatem, dicendo. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut te ipſum.* Sed in totali dilectione Dei, quantum fieri poteſt in hac vita, & in dilectione proximi ſicut ſe ipſum ſtat ratio charitatis eſſentialiter, atque fundamentaliter ſtat humana perfectio: poteſt igitur aliquis in hac vita perfectionem habere, & perfectum dici. Nam quamuis in hac vita dari nequeat charitas, quæ totaliter, & actualiter continuo humanam voluntatem in Deum ferat, ac transferat, poteſt tamen dari charitas, quæ reddat illam promptam ad remouendum omnia peccata mortalia: & quæcunque alia poſſunt impedire voluntatem, quo minus ſuo loco, & tempore feratur in Deum. In hac enim coniunctione hominis cum Deo loco, & tempore, perfectio hominis viatoris conſiſtit.

A

B

C

D

Altera pars aſſerti dicebat: quòd quamuis aliquis aliquando ſit perfectus, non tamen propterea ſequitur, eum eſſe in ſtatu perfectionis. Quã veriſſimam doctrinam habet D. Th. 2.2. quæſt. 184. art. 4. & in quodlibetis quodlib. 1. art. 14. ad 2. argum. & Valent. loco citato. Et ratio eſt manifeſta, quia poteſt aliquis Dei ſeruus habere bonam illam mentis quali-

tatem,

A tatem, quam diximus, per quam coniungatur Deo per charitatem, (quæ eſt vinculum perfectionis) facilitatem, & promptitudinem cum ſuauitate ad omnia opera moraliter bona: & tamen poterit non eſſe alligatum aliqua ſolemni ceremonia ad aliqua externa opera: in qua ſolemni obligatione ſtat ratio ſtatus perfectionis, vt diximus in primo ſectionis capite. Poteſt itaque aliquis habere perfectionem, qui non ſit in ſtatu perfectionis.

B In examinãdis igitur actibus Seruorum Dei, notas ſanctitatis inueſtigando, non eſt attendendus ſtatus perfectionis: ſed attendenda erit probata perfectio, virtutum actibus, & exercitio bonorum operũ acquiſita. In qua perfectione ad finem vſque vitæ, is Dei ſeruus, de quo agitur, perdurauerit: adeout ex perfectione, & perſeuerãtia eiuſdẽ in bonis operibus valeat Summus Põtifex Chriſti Vicarius in terris, & Eccleſiæ militantis caput: certo, & euidẽti argumẽto colligere, C æterna beatitudine talem Dei ſeruum prædefunctum frui; merito virtutum ex gratia Dei: ac proinde titulo Beatitatis, aut Sãctitatis fidelibus imitandum, & colendum proponere.

Cũ igitur ferẽdũ erit iudiciũ de actibus alicuius Dei famuli, vel Dei ancillæ non erũt attendẽda primariò ieiunia, vigiliç, paupertas, caſtitas, obediẽtia, nuditas, & alia huiuſmodi exercitia virtutum Euangelicarum: ſed tantum ſecundariò attendantur illa, vt coniuncta charitati, & dilectioni Dei, ac proxi-D mi: in quibus eſſentialiter, vt dicebamus, hominis Chriſtiani perfectio eſt poſita: & eſt totalis, & integra perfectio. Quamobrem vbi conſtiterit de charitate Dei ex affectibus, & effectibus; & de charitate proximi in gradu heroico ex affectibus, & effectibus, non erit dubitandum de perfectione huiuſmodi ſerui Dei. Prædicti enim affectus, & actus ſanctitatis, ex charitate, & bona illa mentis qualitate, quam diximus, neceſſariò proueniunt.

SECTIO TERTIA. A

De notis, & ſignis Sanctitatis Seruorum Dei ex virtutibus theologicis.

POST tractatum de actibus, & habitibus virtutum in genere, deſcendere oportet ad illarum actus ſpeciales: cum primis verò ad exercitia, & actus theologicarũ B
virtutum, quæ in Baptiſmo hominibus à Deo infunduntur, & à gratia iuſtificante vitam habent. Sũt autem fides, ſpes, & charitas. Quamuis verò, vt dicebamus ſectione præcedenti, ex earum infuſione, cum ſint entitatis ſpiritualis, nullum poſſit Sanctitatis argumentum hauriri: ex actibus tamen externis, qui proueniunt ab infuſis habitibus, prædictarum virtutum haurientur notæ, & argumenta Sanctitatis, per reſpe- C
ctum ad Beatificationem, & Canonizationem Seruorum, ac Ancillarum Dei, de quibus virtutibus, & earum notis per capita ſubſequentia à nobis erit agendum.

CAP. I.

De notis Sanctitatis ex habitu, & actibus fidei. D

FIDES eſt baſis, & fundamentum totius euãgelicæ perfectionis ſpiritualis hominis, necnõ totius ædificij Chriſtiani. Quamobrem ratione vtẽtibus, nimirum hominibus, ad ſalutem ſemper, & omni tempore fuit, eſt, & erit fidei ſupernaturalis actus aliquis neceſſarius. Ne quis verò in vocibus impingat oportet obſeruare huius vocabuli τοῦ Fidei

varias

A varias eſſe acceptiones, & ſignificationes: nam à Iuriſperitis ſumitur pro promiſſorum obſeruantia, quare veniens contra promiſſa dicitur veniſſe contra fidem præſtitam. Et in hac ſignificatione verbum *Fides* capitur in l. 1. ff de pact. & ff. de conſtit.pr.l.1. In quo ſenſu Paulus ad Rom.3. loquens de Iudæorum duritie dicebat. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?* euacuare enim fidem illud ipſum eſt, quod promiſſa non ſoluere. Sumitur igitur fides ibi pro promiſ-
B ſione.

Alio modo fides ſumitur, conſiderata à Theologis, quatenus dicit perfectionem intellectus, & perfectionem voluntatis, quæ fiducia ſolet appellari. Hæc enim euangelica fiducia prouenit ex habitu fidei viuæ, ideſt fidei charitate informatæ. Et quidem fidei nomine aliquando hanc fiduciam ſignificari Sacris in Scripturis docent Vega lib. 9. in Trid. c.28. Gaſpar. Caſal. 1. par. de quadrip. iuſt. lib.2. cap.5. Ianſen.
C in concord. c.30. 32. & 35. & moderni quidam expoſitores D. Thom. 2.2. quæ ſignificatio Fidei colligi poſſe videtur præſertim ex illo Chriſti ad Petrum Matth. 14 *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Non enim verba Chriſti accipi debent de intellectuali aſſenſu fidei; quia ſic illum infidelem dixiſſet; ſed de trepidatione in fiducia, verba Chriſti videntur intelligenda. Cuius etiam ſignum eſt, quia illa Petri dubitatio ortum habuit ex timore: dicitur enim ibi: *Cum vidiſſet Petrus ven-*
D *tum validum timuit.* Timor autem opponitur fiduciæ; vt rectè docuit D.Th. in 3. diſt. 26. q.1. art. 3. & 1.2. quæſt. 40. art. 2. in quo ſenſu intelligendus Iacobus eſt cum ait. *Poſtulet in fide nihil hæſitans.* Præſcribens nobis formam gratias aliquas à Deo petendi.

Nobis tamen nulla ratione in hoc ſenſu loquendum eſt de fide. Eſt enim Hæreticorum dogma, confundere fidem cum fiducia: illi nãque fidem, quam tantopere laudant Chri-

ſtus,& Apoſtoli,& ad ſalutem neceſſariam prædicāt, dicunt A
eſſe quandam fiduciam certam de diuina miſericordia remittente vnicuique peccata propter Chriſtum. Idque certò ab vnoquoque credi de ſe ipſo deberi falsò affirmant,vt bonorum operum neceſſitatē excludant. Ita Philip. Melanch. in loc. commun. de fide, & iuſtificatione, & Kemnitius in examine ſeſſ. 6. Concil. Trident. Quamobrem nobis ab hoc dogmate omninò recedendum erit, & cauendus hic ſcopulus. Nam licet fiduciam, quā in geſtis Sanctorū eos habuiſſe B
legimus de diuino auxilio in quacūque occaſione, & neceſſitate probemus: ab habitu tamē fidei infuſæ diſtingui tāquā effectum à cauſa certum eſt. Et quamuis à fide fiduciam gigni ſciamus, & fiduciæ radix ſit fides; non tamen fiducia confunditur cum fide, vt docent Theologi,& tradit Valent. to. 3. diſp. 1. q. 1. punct. 1. §. 1. & fusè Franciſcus Suarez in opere de tripl. virt. diſp. 1. ſect. 1. nu. 5. 7. & 8. Fiducia enim nihil aliud eſt, quam quædam firma ſpes de diuino auxilio, et per C
conſequens non in intellectu, ſed in voluntate reſidet.

Habitus fidei de quo loquimur in intellectu ſedem habet, et ſignificat aſſenſum certum circa aliquod obiectum, in quo ſenſu dixit Cicero lib. 2. de diuin. *Inſanorum vitijs non eſſe adhibendam fidem*: ideſt aſſenſum, et credulitatem. Quamobrem habere fidem alicui apud probatos Latinos, idem eſt, quòd aſſentiri dictis eius. Vt ex Terent. cognoſci licet in Calep. verb. *Fides*. Philoſophi etiam cum Boetio definien- D
tes argumentum dicunt illud eſſe *orationem, quæ rei dubiæ facit fidem*, ideſt facit credibilem rem dubiam; et facit vt credatur id, de quo dubitabatur. Ariſt. in probl. ſect. 18. q. 3. fidem perfacilem eſſe dixit, quam teſtimonium facit, teſtimonium autem gignit aſſenſum, vt certum eſt. Patres quoque, ac ſacra oracula pluribus in locis in hoc eodem ſenſu, vocem *Fides* accepiſſe conſtat.

Loquen-

A Loquendo igitur hac ratione de fide, dupliciter illam conſiderare poſſumus, videlicet, quatenus eſt habitus, & quatenus dicit actum; etenim vt eſt habitus à Deo immediatè infuſus, ſic illum definiuit Franciſcus Suarez in opere de tripl. virtut. diſp. 7. ſect. 1. *Fides eſt habitus inclinans, & dans ſupernaturalem facultatem eliciendi aſſenſum propter ſolam auctoritatem primæ veritatis reuelantis.* Et quia aſſenſus eſt circa aliquod obiectum addendum duxi fidem dare inclinationem
B ad aſſentiendum his, *quæ proponuntur, vel immediatè à Deo, vel ab Eccleſia ſub auctoritate primæ veritatis reuelantis.* Non enim Eccleſia facit dogmata fidei, ſed ea proponit.

Præterea notandum eſt aſſenſum eſſe firmam adhæſionẽ intellectus alicui veritati ab aliquo propoſitæ. Dum ergo dicitur in allata definitione fidem intellectui dare ſupernaturalem facultatem ad eliciendum aſſenſum, intelligitur de aſſenſu certo: hoc eſt de firma adhæſione intellectus ad ve-
C ritates propoſitas. Nam quoties aſſenſus iſte non fuerit firmus, iam fides non erit habitus ſupernaturalis, ſed habitus fidei acquiſitę, & humanę. Ideò dicitur communi quaſi prouerbio. *Dubius in fide infidelis eſt.* Nam, vt notat Suarez loco citato nu. 1. circa eaſdem res reuelatas, & circa eadem dogmata poſſunt à nobis elici actus fidei humanæ: & conſequenter reſultabit in intellectu habitus fidei acquiſitæ, & humanæ, qui manere poteſt, quamuis fides infuſa amittatur: vt
D contingit in hæretico.

Si verò loquamur de fide, quatenus dicit actum, ideſt de actu fidei elicito, videtur ita definiri poſſe. *Actus fidei eſt aſſenſus firmus in auctoritate Dei obſcurè reuelantis fundatus.* Ita Suarez loco citato, diſp. 6. ſect. 1. Dicitur autem actus fidei aſſenſus, qui eſt actus intellectus, vt ſignificetur ad actum fidei procedere intellectum per actum iudicij determinans illum ad vnam partem contradictionis, per concurſum volun-

luntatis, vt notat D.Th.2.2.q 2. art.1. Quia liberè ad vnam potius, quàm ad aliā partē intellectus inclinatur: qua ratione Auguſtinus dixiſſe videtur lib. de ſpiritu, & littera, cap. 31. *Quid eſt credere, niſi conſentire verum eſſe, quod dicitur?* Per illam ergo particulam *aſſenſus*, quæ loco generis ponitur in definitione aſſignata actus fidei diſtinguitur ab omni actu elicito voluntatis: Quia, quamuis actus fidei imperatus ſit à voluntate, eſt tamen elicitus ab intellectu. Additur verò in ea diffinitione actum fidei firmum eſſe debere, vt actus fidei ab opinione diſtinguatur, quæ etiam præbet aſſenſum, ſed formidoloſum, & aliquo modo dubium. A B

Quia verò hæc firmitas fidei, ſuo modo ſolet etiam tribui fidei humanæ, & multo magis cuicunque aſſenſui euidenti; propterea in allata definitione additum eſt aſſenſum, elicitum inniti *in auctoritate Dei reuelantis*. Per quam particulā actus fidei infuſæ, tanquam per ſuam differentiam eſſentialē diſtinguitur ab actu fidei humanæ, & à quocunque alio actu, tam ſcientiæ, quàm opinionis. C

Hunc eundem actum fidei definiuit, ſiue deſcripſit, vt loquamur cum Concilio Arauſica. cap.25. Apoſtòl. in epiſtola ad Hebr. cap. 11. dicens. *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum non apparentium*. Quibus ſanè verbis munus, & officium, propter quod principaliter datur fides, indicauit Apoſtolus, dum ait. *Argumentum non apparentium*. Planè aperiens, actum fidei totum eſſe poſitum in firmitate aſſenſus. Nam *argumentum eſt rei dubiæ faciens fidem* ex Cicerone, vt iam diximus. Et dictio græca ἔλεγχος ſignificat manifeſtationem, ſeu determinationem: vt interpretantur Chriſoſt. Theophil. & alij Græci. Per illam ergo particulam ſignificatum eſt à Paulo, vt exponit Chriſoſt. fidem debere eſſe aſſenſum, non minus firmum, quàm ſit aſſenſus euidens, quo intellectus conuincitur; & ex neceſſitate ad credendum D

indu-

A inducitur. Per illam ergo particulam τὸ *aſſenſus firmus*, chriſtiana fides ab humana diſtinguitur: & cum dixit Apoſtolus, fidem diuinam fore rerum non apparentium; totam fidei materiam complexus eſt; & actum fidei ab omni actu euidenti diſtinxit: declarans, quòd ea, quæ ſperantur, fide apprehenduntur; per quam in nobis exiſtunt in ſpe priuſquam compleantur ea, quæ minimè conſequi poſſumus, aut adipiſci, niſi fide præſuppoſita, tanquam fundamento ſpei, per
B quam illa, quæ ſperantur adipiſci queant, vt etiam Anſelmus, & D.Th.& Scholaſtici communiter exponunt.

Iſte actus ſupernaturalis fidei eſt omnino hominibus, vt dicebamus, ad ſalutem, tam primam, quàm ſecundam neceſſarius, nimirum tam ad iuſtificationem in præſenti vita, quàm etiam ad vitam æternam conſequendam: hoc eſt, tàm ad gratiam, quàm etiam ad gloriam, & beatitudinem. Etenim ſalus noſtra duplici illa ratione integratur, nimirum
C gratia in hac vita: quia qui habet gratiam (cum ſit in amicitia Dei per ſtatum, in quo habet gratiam) eſt certus, & ſecurus de ſua ſalute, ac etiam in actuali poſſeſſione ſummi boni ad vitam æternam. Fides autem eſt neceſſaria ad primam ſalutem, nimirum ad iuſtificationem; quia nemo iuſtificatur, neque iuſtificari poteſt, niſi fide credat, iuxta doctrinam Apoſtoli dicentis. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Eſt etiam neceſſaria fides ad conſequendam vitam æternam, de qua ne-
D ceſſitate intelligitur illud Pauli ad Hebræos cap 11. *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum*.

Supernaturales actus fidei neceſſarij ſunt ad ſalutem; non tàm neceſſitate medij ad vitam æternam conſequendam, quàm etiam neceſſitate præcepti, vt loquar cum Theologis: Tenētur enim fideles omnes ſcire res fidei, eaſdem credere, & confiteri debito, & opportuno tempore, adeò vt nullus homo poſſit aut iuſtificari, aut vitam æternam conſequi; niſi

ſcien-

ſciuerit dogmata fidei; eadem crediderit; & actus fidei ſu- A
pernaturalis, quoties opus fuerit, ediderit. Hæc ex communi ſententia Theologorum in 3. ſent. diſtinct. 25. & cum D. Th. 2.2. q. 2. art. 5. dicimus. Nam etiam vetus Eccleſia, quæ legi Moſaycæ, & Prophetis innitebatur, nullum dignius fundamentum iuſtificationis habuit, quàm fidei.

Actus fidei à nobis perquirendi, examinandique ſunt in actis ſeruorum Dei. Interiores autem fidei actus ſunt, qui re-
manent in intellectu: & ab intellectu habitu fidei informato B
eliciuntur, ſed intra ſeipſum; vt propterea immanentes dicantur. Hi autem actus immanentes ad tria capita à Theologis reuocantur: nimirum ad credere, ſcire, & intelligere: hiſque tribus actibus immanentibus, & interioribus, omnes operationes intellectus fidei habitu informati menſurantur. Quamuis verò hi tres actus materialiter diſtinguantur, ſiue mediatè, ſiue immediatè; ſunt tamen formaliter vna fides:
quia ab vno fidei habitu, ſiue mediatè, ſiue immediatè pro- G
ueniunt.

Pro intelligentia horum trium actuum, notandum eſt: alicui propoſitioni tripliciter aſſentiri poſſe; nimirum per firmam intellectus adhæſionem, ex auctoritate dicentis ex quodam diſcurſu; & ex libera voluntate. Veritas namque cuiuſuis propoſitionis tripliciter cognoſci poteſt; nimirum vel in ipſis terminis, vt loquimur ſcholaſticè, cognoſcendo
veram connexionem in propoſitione prædicati cum ſubie- D
cto: ex qua connexione terminorum, & eorum ſignificatione cognoſcatur veritas propoſitionis: & iſte aſſēſus dicitur intellectus, ſiue intelligentia. Aſſenſus verò, qui præſtatur alicui propoſitioni ex diſcurſu dicitur ſcientia, & denique aſſenſus, qui in ſola auctoritate dicentis innititur, quamuis ſignificata terminorum explicitè non cognoſcantur; credulitas appellatur, & fides.

His

A His ita declaratis ex doctrina Apoſtoli, allati tres actus comprobantur. Eſt enim primus actus internus ab habitu fidei proueniens credulitas, quæ & baſis reliquorum eſt, de quo Paulus ad Hebr. cap. 11. num. 6. hæc habet: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator &c.* Et iſte fidei actus innititur in auctoritate, & qualitate dicentis hoc, vel illud. Quemadmodum fertur de Socratis diſcipulis, qui cùm aliquid ignorarent, vel alicuius di-
B cti intelligentiam non penetrarent: ad magiſtri auctoritatem recurrebant, dicentes. *Ipſe dixit.* Ad diuinam itaque auctoritatem actus fidei, qui eſt credere, ſe recipit, & eidem innititur, nec reſpicit rem dictam, ſed tantùm dicentis auctoritatem contemplatur.

Hunc fidei actum per triplicem reſpectum trifariam cõtemplantur Theologi, vt aliud nimirum ſit credere Deo; aliud credere Deũ, & aliud credere in Deũ. Quã diſtinctionẽ
C habet Pater Auguſt. ſer. 181. de tempore, in quo de ſymb. agit, & illa verba, *Credo in Deum* ponderat: *Non dicit, credo Deum, vel credo Deo, quamuis & hæc ſaluti neceſſaria ſint*, inquit. *Aliud eſt enim credere in illum, aliud credere illi, aliud credere illum. Credere illi, eſt credere vera eſſe, quæ loquitur. Credere illum eſt credere quia ipſe eſt Deus. Credere in illum, eſt diligere illum. Credere vera eſſe, quæ loquitur, multi & mali poſſunt: credere autem ipſum eſſe Deum, & Dæmones poſſunt. Crede-*
D *re verò in Deum, ſoli nouerunt, qui diligunt illum: qui non ſolùm nomine Chriſtiani ſunt, ſed & factis, & vita; quia ſine dilectione fides inanis eſt.* Hæc, & ſimilia habet tract. 29. in Ioann. & ſerm. 61. de verbis Dom. Ex qua ſanè Patris Auguſtini credulitatis declamatione, manifeſtum eſt, vt adnotatrit S. Th. 2. 2. q. 2. art. 2. ad 1. & Caiet. ibid. & Durand in 3 diſt. 23. q. 7. n. 6. non multiplicari actus fidei, aut actus credendi ſed vnum, & eundem actum diſtingui per diuerſas habitudines ad ob-

iectum formale fidei, qui eſt Deus reuelans. Ita tamen, vt A
perfectiſſimus fidei actus, qui reliquos reſpectus complecti-
tur, explicetur per hoc, quòd eſt credere in Deum; per quem
ſanè ſignificatur fides, quæ per dilectionem operatur.

Ex priori credendi actu prodeunt reliqui fidei actus. Nam
actus intelligendi aliquod dictum, per firmam, & ſtabilem
intellectus adhęſionem, ex actu credẽdi habetur. Quia actus
intelligendi auctoritatem dicentis non reſpicit; ſed fertur in
rem dictam, & firmiter adhæret rei ſic dictæ: iudicans omni- B
no verum eſſe, quod dicitur. Qui actus, quatenus eſt fidei, ex-
primitur ab Apoſtolo in epiſt ad Hebr. cap. 11. in illis verbis:
*fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei: vt ex inuiſibilibus
viſibilia fierent.* Creationem rerũ omnium nec ſenſus, nec ra-
tio, ſed ſola fides nos docet. Philoſophi enim illud axioma,
quaſi primum phyſices principium: *ex nihilo nihil fit*, ſtatuẽ-
tes, creationem negauerunt. Hinc Ariſtoteles docuit, mun-
dum fuiſſe Deo coæternum. Plato cenſuit, mundum produ- C
ctum quidem eſſe à Deo, ſed ex materia, quæ Deo coextite-
rit, fueritque æterna, & increata: ſed nos ex nihilo à Deo, &
materiam, & mundum formatum credimus. Illa igitur fir-
ma adhæſio intellectus, per quam certiſſimè, & indubitan-
ter aſſentimur alicui propoſitioni, iudicantes vera eſſe om-
nia, quæ in Scripturis habentur, & quæ ab Eccleſia tanquam
à Deo reuelata proponuntur; intelligentia dicitur, & expri-
mitur per actum intelligere. D

Ex quibus reuelatis, tanquam ex primis principijs, noſter
intellectus theologicos diſcurſus ad eruditionem ſui, & alio-
rum deducit. Qua ratione Theologiã propriè, & formaliter
ſcientiam eſſe diximus in quæſtionibus noſtris miſcellaneis
diſp. 2. Quanquam alij eminentiori modo, quàm reliquas, eã-
dem Theologiam ſciẽtiam eſſe dixerint. Quia nimirum ver-
ſatur circa ſacras litteras, & ea, quæ ab Eccleſia proponuntur

firma

A firma quadam adhæſione per actũ fidei innititur,& inde de-
ducit concluſiones:ex quibus gignitur actus ſciendi. An verò
iſte ſit verus diſcurſus fidei remotæ, vel proximæ, an inter
obiecta formalia, & materialia verſetur, aſſumendo ra-
tionem formalem credendi pro medio ſyllogiſtico ad infe-
rendam veritatem rei reuelatæ, vel inter ipſa obiecta mate-
rialia ex duobus creditis inferendo tertiam propoſitionem,
quæ ſit fidei; doctiores videant has ſubtilitates theologicas
B apud Suar.de tripl.vir.diſp.6.ſect.4.& reliq.ab eo citatos:ſuf-
ficiat nobis ex habitu fidei, produci aliquando quoſdam
actus ſciendi.

Hunc fidei actum aperuit Apoſtolus illis verbis. *In repro-
miſſione etiam Dei non hæſitauit diffidentia; ſed confortatus eſt
fide.* de Abraham loquebatur Apoſtolus, *dans gloriam Deo:
pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit potens eſt facere.* Ita-
que Abraham ſciebat per adhæſionem firmam intellectus.
C Nam vbi nos legimus *pleniſſimè ſciens*; græcè habetur dictio
πληροφορηθεὶς, quæ valet idẽ, quod *pleniſſimè perſuaſus*: videlicet
nihil omninò hæſitans, Deum omnipotentem potuiſſe cen-
tenario qualis ille erat, ad ſeruandam promiſſionem conce-
dere filium, in quo benedictionem hæreditatis, & ſobolis
promiſſæ acciperet: quodque eadem de cauſa, quamuis iam
centum, & ſexdecim circiter annorum exiſteret, vnicumq;
tantum hæredem ex Sara haberet, Deo iubente hæredem
D occidere; firmus tamẽ perſtitit in fide per ſcientiam, hoc eſt,
per quendam quaſi diſcurſum: quod nimirum Deus poſſet
eundem ſuſcitare ad ſeruandas eidem promiſſiones. Quæ
Abrahæ certitudo, & firmitas aſſenſus, ſiue firma adhæſio
his, quæ Deus illi promiſerat (quamuis appareret quędam
in diuinis promiſſionibus contradictio, & in facto impoſ-
ſibilitas, quæ vim naturalem excederet.) ſcientia ab Apo-
ſtolo appellatur; hanc nos ab habitu fidei gigni docuimus.

Quia

Quia verò habitus interiores virtutum, tàm fidei, quàm A aliarũ, non cadunt ſub iudicio Eccleſiæ, niſi per actus exteriores, & materiales, ideò licet actus fidei proprij ſint interni: vt tamen aliquos Dei ſeruos, & ancillas fidem interius habuiſſe monſtretur, eiuſdẽ fidei actus externi, ex illorum actis examinãdi erũt, ſolũmodo enim actus fidei exterior eſt ſenſibile ſignũ, ex quo per verbũ, vel hominis actionẽ exteriorem interior fides ſignificatur; & per quandam analogiam ſigno tribuitur nomen ſignati. Nobis tamen, quibus acta ſer- B uorum Dei conſideranda veniunt, vt in his fidei ſigna dignoſcantur, quàm diligentiſſimè in his externis verſari conuenit.

Nec à ſacris erit diſcedendum oraculis in his exquirendis ſignis, quæ quidem cum primis in poteſtate faciendi miracula, vel in eorundem patratione ſigna fidei, & eius notæ repoſuerunt. Dicebat enim Chriſtus Marc. vlt. *Signa autẽ eos, qui crediderint hæc ſequẽtur: in nomine meo dæmonia eijcient: lin-* C *guis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* Sed quia certò conſtat, non omnes fideles miracula edidiſſe à primis etiam Eccleſiæ exordijs, quamuis fidem ſuſcepiſſent, & Chriſto nomen dediſſent, propterea nec de ſingulis fidelibus verba Chriſti ita intelligenda ſunt, vt ſtatim ac aliquis credidiſset, ac baptizatus fuiſset, illicò miracula ederet: Miracula nãque ad fidei propagationem tantùm pa- D trarunt Apoſtoli, qua de cauſa cum primis neceſsaria cenſebantur. Sed quia de miraculis in tertio libro, vt puto, à nobis agendum erit; hęc quę minimè cenſentur præſeferre plenam ſanctitatem, & ſanctitatis notam ex habitu fidei viuæ, vt loco prædicto probabimus; propterea ad clariora fidei formatæ ſigna nobis recurrendum erit, nimirum ad opera.

Operibus enim, quæ ex charitate Dei, & proximi prodeunt

A deunt perfecta ſanctitas, & formata fides comprobatur: iuxta illud Apoſtoli Iacobi in ſua canonica cap. 2. *Fides ſi non habeat, opera mortua eſt in ſemetipſa: καθ' ἑαυτὴν ſecundum ſeipſam.* Dixit autē, vt puto, *in ſemetipſa* Iacobus: vt quodā modo innueret fidem ſine operibus non eſſe veram fidem. Quod aſſeruiſſe multos Patres tradit, ac docet Cornelius à Lapide in illud Iacobi §. denique. Quia ſcilicet non eſt fides viua, ardens, perfecta, & charitate formata, quæ per dilectionem
B non operatur, ſed eſt mortua. Quia fides docet, & iubet facere opera bona. Si ergo ea non fecerit aliquis etiam mendax cenſetur. Ita Dydimus in allegato Iacobi loco. *Fides*, ait, *mortua, non eſt fides, ſicut homo mortuus non eſt homo.*

Communis eſt ergo illa diſtinctio fidei formatæ, & informis; viuæ, & mortuæ, quam communiter Theologi habent cum Magiſtro in 3. ſententiarum diſt. 23. & cum D. Th. 2. 2. quæſt. 4. art. 3. vbi communis doctrina Theologorum eſt, fi-
C dem à charitate, ſicut à forma perfici. Non quidem quòd charitas ſit forma eſſentialis fidei. Cum enim forma ſit, quæ dat eſſe rei, & à qua vnaquæque res ab alia diſtinguitur: ſi diceremus, charitatem eſſe formam eſſentialem fidei, fides non diſtingueretur à charitate; imò idem omnino eſſet cum charitate. Intelligendi ſunt ergo Theologi analogicè, quòd nimirum charitas reddat meritorios actus fidei, meritorios inquam vitæ æternæ, & Beatitudinis. Hinc S. Pater Auguſti-
D nus lib. 15. de Trinit. cap. 18. dicebat: *Quantum bonum eſt*, Supple charitas: de hac enim loquebatur, *Sine qua ad æternam vitam neminem bona tanta perducunt?* Etenim per imperium charitatis actus fidei ad aliqualem perfectionem pertinent: proptereà charitas dicitur, formā præſtare fidei. Quamobrē Apoſtolus ad Galatas c. 5. dicebat, *In Chriſto Ieſu, nec circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Et in 1. ad Corinth. cap. 13. *Si habuero*

M *omnem*

omnem fidem, inquit, *ita vt montes transferam, charitatem autem non babuero, nihil ſum:* Et Pater Auguſtinus tract. 9 in primam epiſtolam Ioann. *Adde*, inquit *Fidei dilectionem, vt fiat fides, qualem dicit Apoſtolus, quæ per dilectionem operatur.* A

Quoniam igitur in conſcribendo Dei famulos in Sanctorum Catalogo fides neceſſariò prærequiritur; fides inquam formata, & viua, ac vera, nechon etiam certitudo fidei, Beatitudinis, & Gloriæ Serui Dei poſt mortem, quantùm fieri poteſt: quæ certitudo fidei, ſi abſit ab actibus alicuius, opera illius bona fore, nullo modo ſuſpicari poſſumus, propterea nota ſanctitatis alicuius Dei famuli ex ratione fidei, ſolis ex operibus tãtũ elucеſcit teſte eodẽ Apoſtolo Iacobo loco citãto in illis verbis. *Quid proderit, fratres mei, ſi fidẽ quis habere dicat, opera autem nõ habeat? nunquid poterit fides ſaluare eum?* quaſi dicat, nequaquam, eum ſaluare poterit. Si ergo fides ſine operibus neminem ſaluare poteſt: planè conſtat, notam veræ fidei, quæ ſaluat hominem, expiſcandam eſſe ex operibus bonis poſt baptiſmum: atque ex his operibus bonis externis habitus fidei talis, qualis requiritur in Dei famulis canonizandis, expiſcandus erit: præſertim ex operibus, quæ à charitate prodeunt, & à qua actus virtutũ omnium habent, vt ſect. præced. diximus, vt ſint in gradu heroico. Opera enim hæc in actis alicuius Dei ſerui ſi aderunt, manifeſto probabũt argumento in eo Dei ſeruo fidem formatam extitiſſe. B C

Poſſunt etiã ſigna fidei in Dei ſeruis, & in actibus ipſorum, ex cuſtodia præceptorum colligi: quorum primum eſt ſcire dogmata fidei: quæ nimirum in ſymbolo Apoſtolorum Nicenæ Synodi, & in Symbolo Athanaſij recenſentur. An verò fideles omnes teneantur articulos fidei ſcire explicitè, vel implicitè, illos ſcire ſufficiat. An aliquos explicitè, & alios implicitè, diſputabunt Theologi in 3. ſent. diſt. 25. & cum D. Th. 2. 2. quæſt. 2. art. 5. illud certum eſt, quod cum quilibet Chri- D

ſtianus

A ſtianus teneatur explicitè credere, & ſcire pertinentia ad officium ſuum, vt rectè dicunt Siluest. verbo fides num. 6. & Angel. ibid. nu. 7. & Sacerdotes, atque Epiſcopi præſertim ad id teneātur. Cū ſimus igitur in materia graui canonizationis, non ſufficiet, vt puto, quòd aliquis canonizandus dicatur habuiſſe fidem: ſed inquirere oportet actus aliquos, in quibus is, de quo agitur, explicitè ſe ſcire, & credere omnes articulos fidei profiteatur. Quamobrem ſi agatur de non Martyre, B inueſtigare neceſſarium arbitror, an fuerit baptizatus, vbi, & quo tempore: An ſimiliter ſuſceperit ſacramentum confirmationis, vbi, & quando. Et denique an ſciuerit fidei ſymbolum, & illud conſueuerit recitare, quoties, qua occaſione, quàm attentè, & deuotè. Hi enim externi actus fidei ſigna exiſtunt.

Pari ratione ab habitu fidei procedit in Dei famulis ſollicitudo conuerſionis infidelium ad Chriſtianam fidem, Hæ C reticorum ad Catholicam Religionem, Schiſmaticorum reductionem ad Romani Pontificis obedientiam: peregrinationes ad loca infidelium propagandæ fidei cauſa, prædicatio Euangelij, conuerſio peccatorum, frequentia Sacramentorum: hæc enim, & ſimilia ſunt ſigna externa habitus fidei in eo, qui talia fecerit.

Aliud præceptū fidei eſt eiuſdē explicita confeſſio verbis, & moribus debito, & opportuno tēpore faciēda. Habeturq; D hoc præceptum expreſſum Matth. 10. n. 32. Chriſto dicēte. *Omnis ergo, qui confitebitur me corā hominibus, confitebor & ego eū corā Patre meo, qui in Cælis eſt; qui autem negauerit me corā hominibus, negabo & eū corā Patre meo, qui in Cælis eſt.* Vbi notat doctiſſimus Ioannes Maldonat. verbum gręcum ὁμολογεῖν ideſt, *confiteri*, poſitum ex phraſi hebraica pro verbo התודה *hitwadah* hebraico, quod propriè ſignificat non ſolùm confiteri, ſed etiam palam, & gloriando quodammodo aliquid

confiteri: quaſi dicat Chriſtus latinè, quiſquis me confitendo gloriabitur coram hominibus de tali confeſſione: gloriabor & ego in eo coram Patre meo. Quia, vt dicebat Apoſtolus Rom. 10. *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Hæc enim externa confeſſio fidei, in eo gradu glorificationis, eſt confeſſio fidei in gradu heroico, quæ in canonizandis requiritur. Quamobtem quamuis ad primam ſalutem, ideſt iuſtificationem, & ad gratiam recipiendam ſufficiat actus fidei internus: ad ſalutem tamen ſecundam, ideſt, ad gloriam conſequendam ſi occaſio ſe obtulerit diuinæ gloriæ, neceſſaria eſt externa, & explicita fidei confeſſio. Ad quam etiam quiſque fidelis tenetur ad proximi vtilitatem, & pro defenſione cuiuſcunque virtutis theologicæ, ac Euangelij. Quilibet enim Chriſtianus non ſolùm ſcire, & credere fidei dogmata tenetur, ſed etiam, ſi occaſio aduenerit, aut quoquo modo ſe obtulerit quocunque in caſu verbis, & motibus, & veſtibus Religionem Chriſtianam publicè profiteri debet: & hoc iure diuino, vt docent D. Th. 2. 2. q. 3. art. 2. & ibi expoſitores omnes, & reliqui Theologi in 3. diſt. 25. Summiſtæ in verbo Fides, Azor. tom. 1. inſtit. lib. 8. cap. 7. Tolet. in Summ. lib. 4. cap. 1. Suar. de tripl. virt. diſp. 14. ſect. 2. Ad quam fidei confeſſionem expreſſam fideles omnes tenentur, quamuis id faciendum eſſet cum quouis periculo etiam mortis. Nam quamuis liceat aliquando fideli perſecutionem declinare; nunquam tamen licet alicui fidem occultare, ſi fuerit de fide interrogatus ab aliquo in odium Chriſti. Ita D. Th. 2. 2. q. 3. ar. 2. & communiter Doctores relati, ac etiam Summiſtæ in verbo fides, & hoc ſiue publicè, ſiue priuatim interrogetur, vt docet Suar. loco citato ſect. 3. §. hæ verò diſtinctiones.

In actibus igitur Seruorum Dei nõ Martyrum attendendum erit, quibus in Regionibus Dei famulus commoratus

fuerit,

A fuerit, & vbi vitam traduxerit. An nimirum vixerit inter Hæreticos: an aliquando ad infideles peregrinatus ſit: qua de cauſa ad eos tranſierit: quibus occaſionibus: qua facultate ad externas nationes, nimirum ad infideles tranſmigrauerit: an fuerit, videlicet miſſus ad eos à ſuperioribus: an ſponte, & ſine facultate prius obtenta illos adierit: an habuerit cum eis de Religione colloquia: & in his, quæ dixerit, quæ docuerit, & interrogatus quid reſponderit: in moribus etiã, qua-
B liter cum eis ſe geſſerit. Ex his enim omnibus ſigna, & notæ fidei elucent; vt inde ex habitu, & actibus veræ fidei chriſtianæ ſigna externa, & ex ſignis externis ſanctitatis notas cuiuſcunque Dei famuli, & ancillæ meritò liceat ab Eccleſia expiſcari.

Remanet inquirendum quodnam argumentum ſanctitatis ſumatur ex actibus fidei, & illorum exercitio. Reſpondeo ex nudis, & ſolis fidei actibus nullum ſumi efficax ar-
C gumentum ſanctitatis, niſi ex confeſſione veræ fidei cum diſcrimine capitis. Quia ſolus iſte fidei actus tenet gradum heroicũ, nec poteſt elici ſine charitate. Dixi ex confeſſione veræ fidei, quia ſi aliquis Hæreticus perſiſteret in confeſſione fidei chriſtianæ erroribus admixtæ, etiamſi hoc faciat cum diſcrimine capitis; hæc tamen confeſſio nullam adminiſtrat ſanctitatis notam; ſed ea tantùm confeſſio, quæ doctrinæ catholicæ innititur.

D Verùm quia huiuſmodi fidei actus poſſunt ſtare cum peccato mortali, videlicet prædicatio fidei chriſtianæ, peregrinatio ad infideles ad procurandam illorum conuerſionem, diſputatio cum hæreticis, vt ab erroribus reſipiſcant, zelus conuerſionis eorundem, zelus propagationis fidei, & reliquà alia, quæ fidem internam indicant; propterea diximus ex ipſis tantùm actibus nullum poſſe ſumi efficax argumentum ſanctitatis. Et ratio eſt manifeſta; quia ſanctita-

tis nota, & argumentum efficax ſumitur à fide formata charitate: ſed ex prædictis actibus nullum ſumitur efficax argumentum fidei charitate informatæ: ex conſequenti, neque ſanctitatis argumentum ex ipſis ſumi poterit. A

CAP. II.

De notis Sanctitatis ex virtute ſpei, & eius actibus. B

EIDEM ſequitur ſpes: ſpei autem vocabulum multipliciter ſumi poſſe conſtat: & quidem communiſſimo ſignificatu, quæcunque expectatio futuri euentus, ſeu boni, ſeu mali apud Scriptores ſpes aliquando dicitur. Quo in ſenſu Cicero epiſt. ad Att. lib. 1. *Spem malorum*, dixit, & Dido penes Virgilium ait: C

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem?

Vbi dolor dicitur ſperatus, & ſpes de dolore. Quam tamen locutionem impropriam eſſe ipſa ratio demonſtrat. Et S. Pater Auguſtinus in enchirid. cap. 8. id ipſum pluribus probat argumentis.

Interdum verò ſpes magis propriè accepta ſumitur pro re ipſa, quæ ſperatur, in quo ſenſu Propheta dicebat in pſ. 15. *Dominus ſpes eius eſt*, & in pſ. 90. *Tu es Domine ſpes mea*. Etenim ſpem appellari beatitudinem ipſam manifeſtum eſt ex illis verbis Apoſtoli ad Tit. cap. 3. *Expectantes beatam ſpem*. Vbi ſpei vocabulo beatitudo, & gloria ſignificatur. Et ad Roman. c. 8. in illis verbis. *Spes, quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis quid ſperat?* Vbi Paulus de reſurrectione, & gloria corporis noſtri loquebatur, quã expectamus, & nõ habemus in præſenti ſæculo, vbi & ſpẽ appellat id quod ſperatur. D

Alio

A Alio modo ſumitur ſpes pro quodam affectu appetitus; quatenus reſpicit bonum futurum: & eſt idem quod expectatio alicuius futuri boni. In quo ſenſu Pater Auguſtinus loco citato loquitur. Et S. Clemens referens verba Petri, quæ dixit quando Pontificem ſibi ſucceſſorem eum conſtituit, cum hortaretur ad onus ſuſcipiendum, & de periculis ſermo incidiſſet: *Scio, inquit, quod conſtanter, & fortiter feras: reſpiciens ad illam ſpem, quæ tibi apud Deum patientiæ præpa-*
B *rat coronam.* Hac igitur ratione ſumpto vocabulo ſpei dupliciter conſiderari poteſt affectus iſte ſpei, nimirum vel vt pertinet ad appetitum ſenſitiuum, vel vt pertinet ad appetitum rationalem. Priori modo affectus ſpei eſt quædam naturalis paſſio, quatenus homo appetit quædam bona caduca, futura, & ardua; illaque ex quadam certa fiducia cupit, atque expectat. Et hæc non facit ad rem noſtram; eſt enim ſpes humana, quam Plato merito vocauit ſomnium vigi-
C lantium.

Alio modo ſumitur ſpes, prout ſpectat ad appetitũ rationis, qui eſt in volũtate. Et in hoc ſenſu loquimur de ſpe: non quidẽ pro appetitu illo, aut actu ſperandi, de quo idẽ Apoſtolus ait, *ſpe gaudentes*, & rurſus: *Spe ſalui facti ſumus.* Sed pro virtute quadam, & habitu ſupernaturali infuſo à Deo, quo voluntas noſtra habet, vt inclinetur ad ſperandum ſupernaturalia bona ardua, & difficilia; quæ à ſolo Deo tribui
D poſſunt. Quæ quidẽ bona ſupernaturalia nulla ratione homo ſperare poſſet, niſi voluntas tali habitu ſupernaturali informata foret. De qua virtute Gerſon p. 4. in ſer. de S. Nicol. dixit. *Spes eſt ſalutis anchora, vitæ noſtræ fundamẽtũ, dux itineris, quo itur ad Cælum: in qua ſalus noſtra conſiſtit, & quæ de terris animas velut quibuſdam catenis cælitus à Deo dependentibus innexas euehit ad ſumma.*

Spes hoc modo ſumpta inter virtutes theologicas poſt

virtutem fidei ſedem habet: quia per fidem huius virtutis A
obiectum dignoſcitur: & charitatem ſpes pręcedit, tum maxime quia ſecundum ſe prior eſt amor concupiſcentiæ, ad quem iuxta D. Th. ſpes pertinet, quàm amor amicitiæ, qui propriè ad charitatem ſpectat: qua de cauſa ſpes priori loco enumeratur in 1. Corinth. 13. poſt fidem, ante charitatem medio in loco collocauit Apoſtolus Paulus. Concil. item Trident ſeſſ. 6. c. 7. iuſtificationem deſcribens, motum ſpei prius explicauit, & dilectionis ſupernaturalis principium fo- B
re ſuppoſuit: ideo pro more de ſpe, & eius actibus tractaturi, vocabula declarata cum ſint, reliqua aggrediamur.

Spes igitur, quatenus eſt virtus ſupernaturalis, radicem habet in fide. Quia niſi Beatitudo, & vita ęterna ex habitu fidei, qui reſidet in intellectu, vt poſſibilis apprehendatur; ſperari non poteſt, vt docet D. Th 2. 2. q. 18. art. 3. Quocirca in eo homine, in quo nullus aderit ſupernaturalis habitus fidei, nec ſpes poterit eſſe: quatenus ſpes eſt ſupernaturalis habitus. C
Quod diſertè Pater Auguſtinus docuit cap. 8. in Enchirid. *Quid enim*, inquit, *ſperari poteſt, quod non creditur?* Hinc in Hæreticis, & Infidelibus, in quibus nullus eſt habitus ſupernaturalis fidei, nec etiã habitus ſupernaturalis ſpei poteſt eſſe. Nam licet Hęretici ſperent Beatitudinẽ, vt dandam à Deo, hanc tamen ſi qui ex illis ſperant, humana, & naturali fiducia ſperant, non autem per habitum ſpei infuſum, quem vnà cum habitu fidei amiſerunt; ac propterea non vt D
bonum arduum, ſed vt facilem Beatitudinem ſibi confingunt, & ideo ab operibus bonis abſtinent, & à ratione ſpei meritò excidunt, cui bona opera connecti debent. Ethnici quoque ac Infideles, vel quandam in campis elyſijs beatitudinem ſenſualem ſibi confinxerunt, vel omninò deſperantes à ſpe exciderunt.

Theologicas ſubtilitates de ſpe ſupernaturalis habitus,

quas

A quas diſputant cum D. Th. 2. 2. q. 17. Theologi, & cum Magiſtro ſent. in 3. diſt. 23. hic omittamus; certò affirmantes, ſpem, quæ diuinis promiſſis innititur, eiuſque auctoritate fulcitur, inter habitus infuſos, & virtutes theologicas omnino fore connumerandam. Et fides ipſa docet hoc credere; cum expreſsè habeatur in ſacris litteris 1. Corinth. 3. Apoſtolo dicente. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas.* Eam his verbis definiuit P. Auguſtinus. *Spes, eſt certa expectatio*
B *futuræ Beatitudinis proueniens ex gratia, & meritis præcedentibus.* Quam Patris Auguſtini definitionem exponit Gerſon Cancellarius Pariſienſis par. 2. cum agit de ſept. virtut. in tract. de virtute ſpei: quòd nimirum ſpes dicatur *certa expectatio* ad excludendam hæſitationem. Quia de ratione ſpei eſt firmitas abſq; aliqua fluctuatione animi. Dicitur etiā, ſpē eſſe expectationem, ad differentiam comprehenſionis, quæ eſt in patria, in qua nihil expectatur, ſed omnia præſentialiter
C ter poſſidentur.

Dicitur tertiò, ſpem fore expectationem futuræ Beatitudinis, ad differentiam timoris ſeruilis, qui potius eſt expectatio futuræ miſeriæ. Dicitur quoque ſpes expectatio futuræ beatitudinis prouenientis ex gratia, ideſt ex Dei benignitate, & liberalitate ad diſcrimen deſperationis, quæ Dei ſeueritatem tantùm conſiderat. Denique dicitur in ea definitione hanc expectationē prouenire ex præcedentibus
D meritis, & hoc ad differentiam præſumptionis, quæ innititur in ſola, & nuda Dei bonitate, ac benignitate, cum exiſtimet beatitudinem adipiſci non poſſe ex meritis; poſthabito bonorum operum exercitio ad ſcelera relaxat habenas, cum tamen ſpes è contrariò hominem excitet ad bonum, & exercitia bonorum operum.

Verùm quamuis prædicta definitio ſatis explicet naturam ſpei, retento tamen rigore theologico, ſic eam definien-

niendam cenſeo ex Valent.tom.4.diſp.2.q.1.*Spes eſt virtus theologica, qua voluntas fertur in Deum, vt eſt beatitudo noſtra difficilis ad conſequendum: ſed quæ obtineri diuino ex auxilio queat, atque medijs ad eum finem diuinitus inſtitutis*. In qua definitione dicitur primò, ſpem eſſe virtutem theologicam, quæ particulæ ponuntur tanquam genus commune omnibus virtutibus theologicis, quæ propterea ſic dicuntur, quia in Deum feruntur tanquam in obiectum formale. Hunc habitum ſpei propriè virtutem eſſe probat optimè Suarez in opere de tripl.virt.tract.2.diſp.1.ſect 6. concl.2. tum quia nimirum eſt qualitas à Deo infuſa per ſe, & immediatè: tum quia obiectum eius eſt optimũ, & actus honeſtiſſimus, quæ ſunt de ratione virtutis. Per hanc virtutem ferri voluntatem noſtram in Deum, vt eſt beatitudo noſtra, dicitur in allata definitione, vt virtus ſpei diſtinguatur à fide, & charitate. Nam fides dirigit, & perficit noſtrum intellectum in quo ſubiectatur, non autem voluntatem in qua ſubiectatur ſpes, & licet etiam charitas ſubiectetur in voluntate: non tamen in ea ſubiectatur; vt voluntas feratur in Deum veluti obiectum beatificans, ſed vt obiectum amabile; per quod ſpes diſtinguitur à charitate. Spes enim dirigit voluntatem in beatitudinem, non quomodocunque conſideratam, ſed ſub ratione boni ardui; & ad conſequendum difficilis, non tamen impoſſibilis, ſed vt bonũ poſſibile ad conſequendum. A B C

Ex qua definitione breuiter explicata liquet apertè huius virtutis proximum, & principale obiectum, circa quod verſatur, Deum ipſum eſſe; & reliquos actus, quibus Deus nobis coniungitur: nimirum actus amandi, videndi, atque fruendi Deum. ita D.Th.1.2 q.11.art.3 & 2.2.q.17.art.2. & 5. Caiet.eod.art.2. Franciſc.Suar de tripl.virt. tract 2. qui eſt de ſpe diſp.1. concl.1. & 2. Dicunt alij obiectum primarium ſpei fore beatitudinem ipſam dandam nobis à Deo in patria. D

Ita

A Ita Durand.in 3.diſt.26.q.2.& Paludanus cum eo,ſed nobis huiuſmodi ſubtilitates non ſunt habendæ in numero in præſenti opere: quia non faciunt ad noſtrũ inſtitutũ, cui ſufficit cognouiſſe ſpẽ eſſe virtutẽ theologicã, & quod primaria, & præcipua materia ipſius ſit beatitudo æterna,vt dãda à Deo.

Cumq; ratio formalis ſpei ſit Deus ipſe, vt daturus homini beatitudinem, ſiue ſeipſum,vt dicunt alij,ſub ratione obiecti primarij beatitudinis: propterea quæcunque ardua
B ſunt,& à ſolo Deo dari poſſunt in ordine ad beatitudinem conſequendam,ſub ratione ſecundarij obiecti cadere poſſunt ſub virtute ſpei,vt docet Valent.tom.3.diſp.2. quæſt.1. punct.1.& Suar.de tripl.virt.tract. de ſpe diſp.1. ſect.1. concl.3. Quamobrem auxilium diuinum,gratia habitualis iuſtificans,& remiſſio peccatorum cadunt ſub obiecto ſpei. In quo ſenſu dicebat Apoſtolus Hebr. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ,vt miſericordiam conſequamur*, Et Ambroſ.
C lib.de pœnit.dicebat. *Nemo poteſt agere pænitentiam,niſi ſperauerit indulgentiam.* Sic etiam dona Spiritus ſancti,virtutes, & cætera omnia,quibus quaſi quibuſdam gradibus ad ſupernam, & cæleſtem patriam peruenitur, ſperari poſſunt, hoc habitu ſpei ſupernaturalis, vt docet D.Th. 2.2. q.17. art.2. veluti eiuſdem habitus obiecta ſecũdaria. Pari ratione beatitudo proximi ſperari poteſt, quatenus ratione charitatiuæ vnionis vt bonum proprium à fidelibus reputatur,quod tra-
D dit D.Th.art.3. quemadmodum etiam conuerſio peccatorũ ad meliorem frugem,hæreticorum ad fidem Catholicam,& infideliũ ad lumen fidei, quæ diuino innitũtur auxilio,& ſub habitu ſpei cadunt.In quo ſenſu dixerim ego locutum fuiſſe Paulum,quando dicebat. *Cupiebam ego anathema eſſe pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei.* Nam cum obiectum formale ſpei ſit Deus, & omnia, quæ beatitudinem reſpiciunt, tàm propriam, quàm proximorum, dummodo à ſolo Deo

con-

concedi poſſint per merita Chriſti; hæc omnia cadunt ſub A
obiecto materiali ſpei: & de illis poſſunt elici actus ſpei ſupernaturalis virtutis.

Eſt autem hic reaſſumenda diſtinctio, quam præcedenti capitulo poſuimus de fide formata, & informi: quæ pariter diſtinctio locum habet in materia de virtute ſpei. Vt nimirū alia ſit ſpes informis, qualis eſt actus elicitus ab homine exiſtente in peccato mortali, qui quidem actus eſt ſpei informis, cum careat habitu charitatis, & gratię: Nam charitas eſt B
vinculum perfectionis, vt dicebat Apoſtolus, ac propterea actus huiuſmodi in peccato mortali elicitus nō eſt actus ſpei ſupernaturalis, niſi materialiter, vel eſt ſpei acquiſitæ, & humanæ; cum innitatur meritorijs operibus. Loquimur enim de homine, qui hunc actū eliciat in peccato mortali, in quo ſtatu nequit ab eo ſperari vita æterna. Eſt igitur alia ſpes formata, quæ formam accipit ab operibus bonis, & meritorijs; cuius actus eliciuntur ab homine exiſtente in gratia, & in C
charitate. Huiuſmodi enim actus verè, & propriè dicuntur actus ſpei vitam habentis, & faciunt ad aliquam notam ſanctitatis. Quapropter conſiderandus erit in actibus ſeruorum Dei, quia ſolus actus ſpei nudè conſideratus nullius ſanctitatis eſt nota, ſed actus ſpei, qui charitate, & ſanctis operibus fuerit conſociatus.

Et quia notæ ſanctitatis ſumūtur primariò ab obſeruantia illorū, quæ cadunt ſub pręcepto: propterea dari præceptum D
de actu ſpei conſtat, itaut quiſquis fidelis teneatur actum ſupernaturalem ſpei elicere. Sententia eſt D. Th. 2. 2. q. 242. art. 1. & cum illo idipſum docent reliqui Theologi, non ſolùm Thomiſtæ, ſed alij cum Magiſtro in 3. ſent. quod etiam tradit Valent. tom. 4. diſp. 2 q. 4. p. 1. & Franciſcus Suarez de tripl. virt. tract. 2. diſput. 2. ſect. 1. qui dicit, iure diuino teneri hominem hoc præcepto ſpei, cum de hoc actu ſpei tāquam

de

A de actu, qui cadit ſub præcepto loquantur ſacræ litteræ. Nã lib. 1. Paralipom. cap. 10. inter alias Saúlis iniquitates recenſetur, quòd, *nec ſperauit in Domino*. Et Propheta in pſ. 4. ad diuinum cultum excitans fideles, & ad ſperandum, dicebat. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino*. Et pſal. 9. ait. *Sperate in eo omnis congregatio populi*. Et Apoſtolus in prima ad Timoth. cap. 6. dicebat. *Præcipe diuitibus non ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo*. Et ad Tit. cap. 2. de actu

B ſperandi idem Apoſtolus ait. *Apparuit gratia Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo expectantes beatam ſpem*. Vbi illud verbum *expectantes*, dicit actum ſpei: dictio verò *ſpem* ſumitur pro re, quæ ſperatur, nimirum pro vita æterna. Et ad Hebr. cap. 9. *Confugiamus*, inquit, *ad propoſitam ſpem: quam ſicut ancoram habemus animæ tutam, & firmam*. Et Pater Auguſtinus tract. 33

C in Ioann. *Quam multa*, inquit, *nobis mandata ſunt de ſpe? quis poteſt omnia intelligere? quis enumerando ſufficere?* Ex quibus omnibus liquidò conſtat, præceptum extare de actu Spei eliciendo.

Sed dubium eſt apud Theologos, quando quis teneatur ex præcepto elicere actum ſpei? Certum eſt enim, quòd cũ ſit præceptum affirmatiuũ nec non obligat ſemper in quocunque tempore, ſed pro loco, & tempore. Dubitatur igitur,

D quo tempore obliget. Et quidem doctè Franciſcus Suarez de tripl. virt. tract. 2. diſp. 2. ſect. 1. num. 3. diſertè docuit, non poſſe tempus præciſum deſignari, in quo quis teneatur elicere actum ſpei, ſed relinquendum hominis arbitrio. Eſt autem notandum cum Bonau. in 3 diſt. 26. q. 4. poſſe dupliciter actum ſpei ab aliquo elici, nimirum formaliter, & virtualiter, & hunc formalem actum interius, vel exterius poſſe elici. Interius quidem cum aliquis mentem eleuans in Gloriæ

æter-

æternæ contemplationem, illam deſiderat adipiſci. Sed de A
internis actibus non iudicat Eccleſia. Exteriùs verò actus
Spei elicitur, cum verbis ſe explicat aliquis; ac dicit ſe ſperare
vitam æternam, idque cum debitis circumſtantijs, ac funda-
mentis aperit. Virtualiter verò dicimus, aliquem elicere actũ
Spei, cum aliquod facit externum opus, in quo actus ſpei in-
cluditur. Vt cũ quis petit efficaciter aliquid à Deo: vel effi-
caciter dolet de peccatis; vel aliquid ſimile facit. Niſi enim
talis homo ſperaret, ſe poſſe conſequi à Deo quod petit; ne- B
quaquam illud poſtularet. Pari ratione, niſi peccator ſperaret
remiſſionem peccatorũ, minimè de peccatis doleret. Quã-
uis igitur homo non teneatur quacunque occaſione ſuper-
ueniente actum ſpei formalem elicere; aliquando tamen te-
netur propter diſpoſitionẽ hominis, vel propter occurrentes
difficultates: vt docet Suarez loco citato diſp. 2. ſect. 1. n. 2. in
fine. Verùm ſub iudicio Eccleſiæ in cauſis Canonizationum
non veniunt ſub ratione ſpei illi actus, qui virtualiter inclu- C
dunt actum ſpei, ſed actus expreſſi requiruntur, qui formali-
ter ad virtutem ſpei pertinent.

Breuiter igitur dicitur hoc præceptum tunc maximè ob-
ligare, cũ aliquis ab aliquo monetur de vtilitate ſpei, & de il-
lius neceſſitate ad rectè, ac piè viuendum, vt Gloriam æternã
à Deo promiſſam cõſequatur. Sicut enim in hoc caſu forma-
lis actus fidei eliciendus erit; ſic etiam quando eſt ſermo
de Gloria, ac Beatitudine à Deo præſtanda, tunc tenetur D
homo ſaltem implicitè actum virtutis ſpei elicere. Cum
quis etiam eſt in aliqua extrema neceſſitate conſtitutus; ita
vt à ſolo Deo auxilium expectare poſſit, nimirum vel mor-
te imminente, vel perſecutionibus, vel aliquibus alijs neceſ-
ſitatibus, quis appetitus fuerit, in quibus humano ſubſidio
ſe derelinqui compererit; tunc homo formaliter in Domino
Deo ſpem ſuam erigere tenetur. Quoties etiam aliquis reco-

gitat

A gitat peccata ſua, quorum multitudine deterretur, atque conteritur animum fide erigere tenetur & ſperare peccatorum remiſſionem. Pari ratione in tentationibus, & alijs ſimilibus occaſionibus fidelis quiſque actum Spei tenetur elicere, atque ſperare à Domino auxilium, qui non patitur quemquam tentari ſupra id quod poteſt, & ita à tentationibus, ac dæmonum inſidijs liberabitur.

Ex his præceptis, quibus obligamur ad eliciendos actus
B Spei colligere poſſumus, atque cognoſcere in diſcuſſione actorum alicuius Dei ſerui, an is habuerit exercitium habitus Spei ſupernaturalis. Nam ex frequentatis actibus exiſtentia habitus colligitur: & conſequenter ex frequentatis actibus Spei ſupernaturalis exiſtentia quoque ſupernaturalis habitus haurietur: quamobrem ſigna, quæ habere poſſumus in præſenti vita in actis alicuius Dei famuli de virtute ſpei; ſunt opera bona, & meritoria ex Dei gratia, & auxilio ſuper-
C naturali ab eodem elicita. Præcipua verò ſigna huius habitus ſupernaturalis ſpei exiſtunt plurima: Cuſtodiam enim vigilantiſſimam mandatorũ Dei, & Eccleſiæ, ac Superiorum ex affectu ſpei prouenire conſtat. Cũ etenim, vt dicebamus, obiectum ſpei ſit Beatitudo ſub ratione ardui: & Chriſtus dixerit aliquando cuidam adoleſcenti. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* ex conſequenti cuſtodia vigilantiſſima diuinorum mandatorum, nec non etiam Eccleſiaſticorum
D præceptorum, ac inſtitutorum regularium, in quibus aliquis Dei ſeruus ſit profeſſus, in quarum cuſtodia pij viri cũ in primis ſtudent ſe exercere tã rigoroſè, vt ne latum vnguẽ ab his diſcedant: hæc certè vigilantia ab habitu Spei prouenit. Quę doctrina frequens, & communis eſt Sanctorum. Sic enim S. Anſelm. in cap. 5. epiſt. ad Rom. *Probatio*, inquit, *operatur ſpem, quia vnuſquiſque ex eo, quod per tribulationes inſuperabilis probatus eſt, incipit habere Spem, ideſt certitudinem*

diui-

diuinæ gloriæ, quæ humanæ rationi vana videtur, ſed teſtimonio A
virtutis firmatur. Et S. Bernard. in lib. moral. ſent. *Spem*, inquit, *noſtram triplex ratio diſcutit, & roborat humilitas collatæ ſapientiæ, firmitas conſtantis patientiæ, veritas inſpirationis occultæ.*

Pari ratione inter ſigna virtutis Spei quæ reponuntur, eſt deſideriũ perfectionis ſpiritualis, per quã homo Deo coniungitur. Quamobrẽ inter ſigna virtutis reponuntur, voluntaria ſenſuum mortificatio, carnis maceratio, & alia huiuſmodi, in B
quibus homo exercetur, vt Deo coniunctus viuat. De quibus ſignis dicebat Apoſtolus. *Caſtigo corpus meũ, & in ſeruitutem redigo, ne, cum alijs prædicauerim ipſe reprobus efficiar.* Cũ his ſtat etiam alacritas in ſufferendis perſecutionibus, ac tribulationibus pro Chriſto: de qua alacritate dicitur in Actibus Apoſtolorum. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliã pati*, hæc enim ſpes in illo Chriſti Domini innititur. *Beati eritis, cũ* C
maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cælo.

Spem indicant ſupernaturalem ex habitu infuſo continuata quoque in bonis operibus exercitatio, vſus, & frequentia Sacramentorum, & alia huiuſmodi exercitia, quæ ex effectu ſpei Beatitudinis prouenire certum eſt. Timor quoque filialis, quo timet aliquis Deum, ne ab æterna Gloria, & D
à Deo in perpetuum ſecludatur, vnde procedit timor peccandi: ne Deus offendatur: certiſſima ſigna ſunt habitus ſupernaturalis Spei. De hoc enim timore dicitur in pſ. 18. *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi.* Ad quod reſpiciens S. Gregor. lib. 8. in Iob explicans illud cap. 7. *Sicut mercenarij dies eius*, ſic præclariſſimè dicebat. *Electus quiſque vitam ſuam quaſi dies mercenarij penſans, tantò fidentius Spe*

ten-

A *tendit ad præmium, quanto nunc robuſtius perdurat ad laboris incrementum. Qui ſic decurſus præſentis temporis penſat, dies cum operibus numerat; & ne à labore vacua tranſeant vitæ momenta, formidat; aduerſis gaudet, paſſione reficitur, mærore refouetur: quia ſubſequentis vitæ præmijs tanto ſe remunerari largius conſpicit, quanto pro amore illius quotidianis ſe motibus impedit.*

Deſiderium quoque mortis quem habet aliquis aliquando Dei famulus, vt quantocius Deo coniungatur; iuxta illud
B Pauli. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Signum erit certiſſimũ ſpei ſupernaturalis: quas in voces ſępiſſime Dei famulus S. Nicolaus Tolentinas erumpebat. Tale profectò deſiderium ab habitu ſpei procedere non eſt dubium.

Ab hac igitur virtute ſpei, & ab eius ſimilibus actibus, ſancti, ac pij viri euangelicæ doctrinæ, ac regularis obſeruantiæ ſtudioſiſſimos ſeſe manifeſtant. Aliquãdo formaliter verbis
C actum ſpei producẽdo: vt dum gloriam æternam ſe deſiderare aperiunt; tribulationes libenter ſe ſuſtinere, ac deſiderare affirmant propter retributionem, quam à Domino expectant. Aliquando verò virtualiter tantùm ſpem ſuam aperiunt; cum in obſeruantia ſimplicium, vel ſolemnium votorum, quę aliquando emiſerunt vigilantiſſimi exiſtunt: voluntariæ paupertatis amiciſſimi, ſi fuerint Regulares, in obedientia hilares, circa continentiam timidi, & in conſtitutio-
D nibus, conſuetudinibus, ac in ritibus ſui inſtituti conſeruandis ſolertiſſimos ſe manifeſtant. In macerando quoque corpore, ſenſibusque mortificandis Dei ſerui, tam frequentes eſſe conſueuerũt; vt à ieiunijs, & à flagellis vix, aut nunquam ſeſe temperent. Hæc omnia, & alia plura chriſtianæ perfectionis monumẽta Spei ſupernaturalis effectus, & ſigna ſunt virtualia. Sed formalia cum primis inquirẽda, & examinanda erunt: per quæ ſigna Sanctorum geſta, & acta examina-

ri oportet, vt inde aperto argumento colligatur, ad ſanctita- A
tis notam habitum Spei infuſæ non ſolum eos habuiſſe, ſed
etiam exercuiſſe, dum hic nobiſcum militarunt.

Verum quia tota Spei ratio in interioribus poſita eſt acti-
bus, de quibus nullum poteſt Eccleſia ferre iudiciũ; & quot-
quot diximus actus ſimul cum peccato ſtare poſſunt: cũ pec
cato inquam mortali: cum etiam pauciſſimi ſint peccato-
res fideles, qui remiſſionem peccatorum aliquãdo non ſpe-
rent à Deo, ac etiam vitam æternam; propterea dicendum B
exiſtimo ab actibus Spei, & à deſiderio mortis, à ſpe remiſ-
ſionis peccatorum, & ab alijs ſimilibus actibus etiam verbis
expreſsis, nullum poſſe ſanctitatis argumentum efficax ſumi.
Et ratio eſt eadem, quam diximus capite præcedenti, quia
nulla poteſt dari ſanctitatis nota ſine charitate: at prædicti
actus ſpei, & quotquot alij ad eam virtutem ſpectant, ſine
charitate elici nequeunt; & informes reperiuntur; quales
vnuſquiſque noſtrum in dies experitur, & ideo cautè pro- C
cedendum erit in ferendo iudicio de Sanctitate alicuius ex
prædictis tantùm actibus.

CAP. III.

De nota Sanctitatis ex actibus charitatis in Deum. D

CHARITATIS vocabulo, quæcunque ſit eius
origo, aut deriuatio, ex communi acceptione
amorem honeſtũ inter aliquos ſignificari cõ-
ſtat; quatenus gratuitò nimirum amantur. In
quo ſenſu hoc vocabulum ſumpſit Cicero
lib. 1. de Natura Deorum, vbi ait: *Prata, & arva, & pecudum*
greges diliguntur, quatenus ex eis fructus capiuntur; hominum
cha-

A *charitas, & amicitia gratuita eſt.* Et in lib. de amicitia ſubindicans quàm honeſtus amor, & quàm indiſſolubilis charitatis vocabulo ſignificetur, dicebat. *Charitas, quæ eſt in parentes, & liberos dirimi, niſi deteſtabili ſcelere non poteſt*. In qua pariter ſignificatione amoris actualis, & indiſſolubilis Spiritus ſanctus, dicebat Hierem. 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans tui*.

Sed in hoc Capitulo à nobis ſumitur pro habitu quodam
B ſupernaturali à Deo infuſo, quo voluntas noſtra fertur in Deum: de cuius excellentia verè dicebat Apoſtolus. *Charitas eſt vinculum perfectionis:* beatitatis, ſanctitatisq; culmen. Quia omnium virtutũ actus tã theologalium, quàm moralium charitate ſolidãtur, atque perficiuntur. licet autẽ charitas theologalis virtus vnus tantùm ſit habitus in humana voluntate à Deo infuſus, & vna tantùm virtus: quia tamen duos habet pedes, vt loquamur cum Auguſtino in pſal. 33.
C nimirum dilectionem Dei, & proximi; vt feratur in Deum propter illum, & in proximum propter Deum; propterea conſiderantes bipartitam charitatem in præſenti capitulo ſermo noſter erit de charitate, quatenus fertur in Deum: & in ſequenti de eadem virtute, quatenus fertur in proximum.

Charitatis autem diuinæ, ideſt amoris erga Deum, naturam, & eſſentiam quis valeat explicare? In hac enim vna
D virtute perfectio reliquarum virtutum omnium, & tota ratio diuini cultus eſt poſita teſte Patre Auguſtino in epiſt. ad Hieron. in expoſitione illius loci Iacobi in epiſt. canon. dicentis. *Qui offenderit in vno factus eſt omnium reus*. Explicans enim Pater Auguſtinus quid ſit pietas, & qua ratione colatur Deus: totam cultus rationem in charitatem refundit, dicens. *Quid autem eſt pietas, niſi Dei cultus? & vnde ille colitur, niſi charitate? Charitas igitur de corde puro, & conſcientia*

bona, & fide non ficta, magna & vera virtus eſt: quia ipſa eſt finis præcepti. Meritò dicta eſt fortis ſicut mors; ſiue quia nemo eam vincit ſicut mortem, ſiue quia in hac vita vſque ad mortem eſt menſura charitatis. Ex quibus efficaciam charitatis, effectus eiuſdem, & alia plura de charitate docuit: cum tamen ſufficienter de hac vna virtute nemo dicere valeat. A

Vt autem more ſolito procedamus, à definitione nimirum; dicemus ex Theologis cum Auguſtino, quòd *Charitas eſt rectiſſima animi affectio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum.* Quia tota ratio charitatis in affectu amoris, & dilectionis eſt poſita: Ita ex Magiſt. in 3. ſentent. diſt 27. Dicitur autem charitas rectiſſima affectio, quia nihil rectum excogitari poteſt; quàm affectio commenſurata primæ Regulæ rationis, quæ eſt ipſe Deus; quapropter idipſum adhuc exprimens Pater Auguſtinus dicebat in lib. de doctrina Chriſti. *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ſe, & ſe, atque proximo propter Deum.* Et in lib. de moribus Eccleſ. cap. 11. dicebat. *Eſt autem charitas virtus coniungens nos Deo, qua ipſum diligimus* Et licet hic potius actus charitatis deſcribatur, quàm habitus: ex his tamen deſcriptionibus quid ſit Charitas, & quàm excellens habitus non obſcurè colligitur. B C

Charitatem eſſe virtutem, ſiue qualitatem aliquam, inde conſtat, quia facit bonum habentem, inclinat ad bonum rectum, & ab ea habet voluntas noſtra, vt facile, delectabiliter, & ſuauiter inclinetur ad Deum ſuper omnia amandum. Cumq, directè feratur in Deum, & Deum habeat pro obiecto, hinc charitas habet, vt ſit virtus ſupernaturalis theologica: quia inclinat noſtram voluntatem, vt feratur in Deum; non quomodocunque, ſed in Deum vt amandum, & amandum ſuper omnia; vt ens nimirum ſupernaturale. Ad quem amorem ſupernaturalem excedentem noſtras vires cum D

volun-

A voluntas ex ſe moueri non poſſit; neceſſariò dicere oportet eam excitari, ac moueri ab aliqua virtute ſupernaturali: quam ſupernaturalem virtutem, ac qualitatem Charitatem dicimus. Deus enim eſt obiectum charitatis; non vt prima veritas, quemadmodum eſt obiectum fidei; neque vt eſt beatitudo noſtra coniunctam habens difficultatem aſſecutionis: qualiter eſt obiectum Spei: ſed Deus eſt obiectum materiale Charitatis, quatenus eſt in ſeipſo. Vt docet D. Th. 2. 2.
B quæſt. 23. art. 5. & cum eo reliqui Theologi. Et eſt eiuſdem Charitatis obiectum formale; quatenus eſt ſummum bonum amabile, quo maius excogitari nequit in eſſe ſupernaturali. Ita D. Thom. 2. 2. quæſt. 23. art. 5. ad 2. & art. 6. in corpore docet. Quod etiam Suar. de trip. virt. tract. 3. diſp. 1. ſect. 2. ſatis diffusè explicauit.

Quod autem per Charitatem homo Deo coniungatur, vt allatus P. Auguſtinus dicebat, ratio amicitiæ id manifeſtè
C probat. Nam de ratione amicitiæ eſt ſecundum ſe, vt reuocetur ad amorem beneuolentiæ: quòd amicus nimirum, propter ſe ametur, non propter aliquod cōmodum amantis. Requiritur etiam ad rationem amicitiæ mutuus amor, cum quadam redamatione, & electione: ac etiam, vt talis amor amicitiæ aliqua communicatione bonorum adnitatur, quibus vterque amicus participet; denique requiritur, vt mutuus hic amor amicitię ambobus amicis ex aliquibus
D officijs, & ſignis ſit cognitus. His præhabitis, ac præmiſſis Charitatem conſtituere hominem Dei amicum probatum, remanet ex eo; quod inclinat hominem ad amādum Deum propter ipſummet Deum, non vero propter aliquod ſui commodum; & illum amat non tantum, quia ſe redamari ab eo intelligit, ſed etiam quia bona tam corporalia, quam ſpiritualia, quæcunque illa ſint; à Deo ſe recepiſſe agnoſcit; à quo etiam ſibi nouit æternam, ac futuram beatitudinem

fuiſſe præparatam. Manifeſtum eſt igitur per habitum Charitatis veram amicitiam inter Deum, & hominem intercedere. Quod etiam docet D. Th. 2.2. quæſt. 23. art. 1. & fusè probat Valent. tom. 4. diſp. 3. quæſt. 1. punct. 2. & plures alij Theologi: ex conſequenti, itaque Charitatem verè, & realiter hominem Deo coniungere dicendum eſt. A

Quod verò homo per habitum charitatis diligat Deum ſuper omnia, res eſt manifeſta: tum ratione amicitiæ, tum ratione bonitatis diuinæ, per quam eſt obiectum amoris, & eſt ſummè diligibilis per actum ſupernaturalem. Sed nõ poteſt voluntas humana elicere actum ſupernaturalem amoris, niſi eleuetur ad ſtatum ſupernaturalem per habitum, vel virtutem ſupernaturalem: & non eſt alia virtus ſupernaturalis à qua poſſit eleuari voluntas humana ad actum amoris ſupernaturalis, niſi charitas: ergo charitas eſt virtus, qua Deũ diligimus per actum ſupernaturalem: Minor propoſitio huius diſcurſus eſt manifeſta ex iam dictis; ita vt nulla alia indigeat probatione. B C

Charitatis neceſſitas in nobis ex dictis ſatis probata remanet: præſertim vbi de ſanctitate alicuius ſerui Dei agitur ad effectum Canonizationis: cuius quidem neceſſitas talis ac tanta eſt, vt reliquæ virtutes ruant, ni charitatis ſubſidio confoueantur. Quapropter Pater Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 18. loquens de charitate dicebat: ipſam fidem vtilem non eſſe, niſi adſit charitas. *Sine charitate quippe fides poteſt quidem eſſe, ſed non & prodeſſe.* Et lib. 3. de verb. dom. ſerm. 13. qui eſt quinquageſimus in ordine 10. 10. dicebat. *Quale bonum eſt charitas? Quid pretioſius, quid luminoſius, quid firmius, quid vtilius, quid ſecurius ea? Nihil enim poſſunt cætera dona ſine charitate. Adde charitatem, & proſunt omnia, detrahe charitatem, & nihil proſunt cætera.* Et in enarrat. ad pſal. 91. Poſtquam docuiſſet Deum nihil aliud nos docere, D

niſi

A niſi fidem ſpem, & charitatem: nonnullaque de fide, ac ſpe dixiſſet; denique de charitate ait. *Charitas enim, quæ tertia nobis adiungitur ad fidem, & ad ſpem, maior eſt ſupra fidem, & ſupra ſpem. Quia fides eſt rerum, quæ non videntur: erunt autem ſpecies cum viſa fuerint. Et Spes rei eſt, quæ non tenetur: adueniente ipſa re, non erit iam Spes, quia tenebimus, non ſperabimus. Charitas autem non nouit, niſi creſcere magis, magisque: ſi enim amamus, quem non videmus, quomodo amaturi ſumus* B *cum viderimus*. Citatur etiam à Gregorio de Valentia to. 3. vbi agit de charitate. Auguſtinus lib. 6. contra Iulian. c. 117. ſub his verbis. *Qui recte*, inquit, *amat proculdubio recte credit, & ſperat, qui verò non amat, inaniter credit, etiam ſi ſint vera quæ credit*. Sed locum in Auguſtino inuenire non valui, nec ille liber tot habet capita: forte fuit error librariorum, ſed præfat. in pſal. 31. poſt medium. *Si fides*, inquit Auguſtinus, *ſine dilectione ſit, ſine opere erit: ne autem multa cogites de opere* C *fidei, adde illi Spem, & dilectionem, & noli cogitare quid opereris, ipſa dilectio vacare non poteſt*. Et S. Iren. lib. 4. aduerſ. hæreſ. cap. 25. planè ſupponit fidem non minus, quam prophetiam, ac aliam quamcũque gratiam gratis datam ſeiunctam à charitate vacuam eſſe: idque ex ſententia Apoſtoli confirmat dicens. *Et neque agnitionem, vt ſcribit* ſupple *Apoſtolus, ſine dilectione, quæ eſt erga Deum præſtare aliquid, neque myſteriorum comprehenſionem, neque fidem, neque prophetiam, ſed om-* D *nia vacua, & fruſtrata eſſe ſine dilectione*. Et S. Cyprianus in ſerm. de zelo ex doctrina Apoſtoli id ipſum ſupponit.

Itaque præcipuum ſtudium theologalium, & etiam aliarum virtutum, cum primis in examinandis charitatis operibus conſtitui debet: & ad trutinam charitatis acta reliqua expendenda erunt: vt ex gradibus charitatis reliquarum operationum, quæ ab alijs virtutibus procedunt, valor, & meritum innoteſcat.

Charitatis actum, quo homo tenetur diligere Deum, cadere ſub præcepto, norunt & docent omnes Theologi: quamobrem non continetur propriè inter præcepta Decalogi, ſed tanquam omnium præceptorum fundamentum ſupponitur. Vt docet D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 3. & 2. 2. quæſt. 44. art. 1. Equidem tam arctè charitatis præcepto alligantur homines: vt dixerit Deus Deuteron. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Et Deuter. 10. dicebat Moyſes. *Nunc Iſrael quid Dominus Deus petit à te; niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum.* Quamobrem interrogatus Chriſtus Seruator noſter ab vno ex Legiſperitis, quodnam eſſet præcipuum mandatum legis, reſpondit. *Diliges Dominum Deum tuum ex tota corde tuo: hoc eſt maximum, & primum mandatum.* Matt. 22. Et ratio eſt in promptu: quia omnis actus ad ſalutem neceſſarius tanquam medium cadit ſub præcepto: ſed charitatis actus eſt ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem, iuxta illud primæ epiſtolæ Ioannis. *Qui non diligit manet in morte.* Charitatis igitur actus cadit ſub præcepto: ita vt qui illum neglexerit ſuo loco, & tempore, vt ſtatim dicemus, peccet mortaliter: ac proinde obſeruantia huius præcepti cum primis attendenda erit in actibus illorum, de quorum Beatificatione agitur. An nimirum ſuo loco, & tempore actus dilectionis Dei in gradu heroico, vt tenebantur, protulerint.

Quomodo ſit diligendus Deus ex affectu charitatis explicare oportet: quia modus etiam dilectionis, quatenus eſt de ſubſtantia actus, cadit ſub præcepto charitatis. Vt autem id explicetur, notandum ex doctrina D. Thom. & Caiet. 2. 2. q. 44. art. 4. ad prim. tria in quocunque actu conſiderari poſſe nimirum ſubſtantiam actus, modum intrinſecum, & extrinſecum actus. Exempli gratia in actu exhibendi reuerentiam

A tiam parentibus, ad quam filij tenentur ex præcepto: honor exhibitus pertinet ad ſubſtantiam actus: modus intrinſecus, qui ſecundo requiritur, ad ſubſtantiam actus erit: vt ſi parentes alendi ſint, id fiat loco, & tempore, & quantum ex neceſſitate illis debetur. Propterea ſi quis parentibus in neceſſitate conſtitutis non exhiberet neceſſaria ad eorundem victum, & veſtitum: aut id non faceret loco, & tempore; deficeret ab intrinſeco modo obſeruantiæ illius præcepti: & B conſequenter actus ille imperfectus cenſeretur, nec præcepto ſatisfeciſſet, qui defeciſſet in prædictis, quãuis extra locũ, & tẽpus neceſſaria parẽtibus miniſtraſſet. Ad modũ extrinſecum pertinet aliqua accidentalis circumſtantia: vt ſi quis aleret parentes abundanter; pluſquam neceſſitas requireret; vt videretur liberalis: in eo caſu liberalitas ad modum extrinſecum pertineret, quatenus habet rationem finis.

His igitur prænotatis, certum conſtituatur non cadere C ſub præcepto modum extrinſecum, ſed tantum modum intrinſecum: quia neceſſariò modus iſte requiritur ad ſubſtantiam actus. Quamobrem ad noſtrum propoſitum præceptum charitatis, & dilectionis Dei non ſolum homines obligat ad actum, ſed etiam ad modum intrinſecum actus, quia eſt de intrinſeca ratione actus, & actus cadit ſub præcepto, non ſolum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam quo ad modum intrinſecum: cum præſertim videatur præceptum D dilectionis Dei verſari circa modum, ac propterea latum à Deo conſtat, non vno, ſed pluribus in locis ſacrarum litterarum, non ſemel, ſed pluries iteratum: nimirum Deuter. 6. deinde Matthæi 22. tum Marci 12. poſtremò Lucæ 10. Quibus in locis hiſce verbis dictum eſt nobis. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis*: vel vt alibi dicitur, *ex tota fortitudine tua*. Quid verò his vocabulis accipiendum ſit declarat D. Thom. 2, 2. quæſt. 44.

q.44.art.4.& 5.ad longum, vt nimirum mentis nomine veniat intellectus: quo aliquis percipit quid ſit amandum. Cordis nomine veniat voluntas imperans, qua aliquis id præſtare vult, & amare id quod cognouit diligi debere. Animæ appellatione veniant corporei ſenſus, vna cum appetitu ſenſitiuo. Et virium denique vocabulo, ac fortitudinis nomine, omnis corporea facultas intelligatur: qua proſequendum eſt bonum, quod amatur. A

Diligendus eſt itaque Deus ex præcepto Charitatis tanquam vltimus finis, & vt ſummum bonum, ac ex conſequenti diligendus eſt ſuper omnia, quia ſic diligitur ratione ſui. Nam cum Deus ſit ſummũ bonũ, ideſt bonũ ſuper omnia bona; tunc rectè diligitur, & actus dilectionis eſt intrinſecè bonus, cum tam obiectiuè, quàm pretiatiuè, vt Theologi loquuntur, diligitur ſuper omnia; ita vt quicquid non eſt Deus minus diligatur, quàm Deus, & ſi faciendum ſit aliquid contra Dei legem, vel amittenda vita, aliquod membrum, facultates, honor, parentes, filij, aut aliquid aliud creatum: quodcunque ſit illud, tunc homo magis tenetur eligere vitæ, & quarumcunque rerum creatarum diſpendium, quã Deum offendere. Ita Theologi cum D.Th.2.2. quæſt.44.& Suarez de tripl. virt. tract.3. diſp.5. ſect.2. num.1. Quæ doctrina communis eſt omnium Theologorum reliquorum in 3. ſent. diſt. 28. Quibus etiam ſubſcribunt Canoniſtæ, & Summiſtæ in verbo Charitas, Ita Angelus num.5.& Silueſt. ibid. & hæc doctrina fundatur in dicto Chriſti Domini. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; & poſt hæc non habent amplius quid faciant.* B C D

Quando autem aliquis teneatur elicere actum externum vel internum dilectionis diuinæ ex præcepto charitatis inueſtigare contendunt Theologi, de quo Sot lib.1. de nat. & grat.cap.22.& lib.2.cap.12.de iuſt.& iur.quęſt.3.art.10.Valent.

A lent.tom.3.diſp.3.q.19. punct.1. & Nauar. in man. cap.11. nu.7.& ſeq. & alij plures. Et ſiquidem cum primum ad rationis vſum aliquis peruenerit, vel circa eam ætatem; dum conſiderat quantum debeat Deo ad conuertendum ſe ad eum per actum dilectionis,& charitatis teneri tradũt Theologi:referendo nimirum ſeipſum, ſuaque omnia in Deum, tanquam in finem vltimum,ſummumque hominis bonum. Sed quia, vt alibi diximus,Eccleſia non iudicat de occultis,
B atque internis actibus, ſed tantùm de externis;propterea ad externos charitatis actus nos deuenire oportet.

Primum quidem charitatis actum tunc fieri putarem ab homine,cum adhuc puer actus aliquos Religionis,& diuini cultus ederet: eo modo,quo tali in ætate cõſtituto licet puerulo. Poteſt enim fieri,vt quãuis explicitè talem actum puer non eliciat; ſed actus aliquos ediderit pietatis erga Deum,& illius Sanctos; ex his certè interpretatiuè poſſumus argu-
C mentari puerum talem, & quemcunque hominem ſatisfeciſſe huic præcepto charitatis.

Similiter quando aliquis aliquod inſigne beneficium à Deo accipit; nimirũ ſi vocetur ad Religionem,promoueatur ad ſacros Ordines, ad dignitates Eccleſiaſticas, ad ſufferendum perſecutiones, & mortem pro gloria Dei: quando Dei honor defendendus ſit aduerſus illos, qui blaſphemijs, aut alio modo diuinum contemnunt honorem. Omnibus
D his in occaſionibus, ac ſimilibus homo tenetur elicere charitatis erga Deum actus.

Tandem inſtante morte omnes Chriſtiani per actum dilectionis Dei ſuper omnia ſe conuertere in Deum tenentur, & elicere actum charitatis externum: atque ad eliciendum hunc actum taliter tenentur, vt peccarent mortaliter, niſi ſaltem interpretatiuè, & interius actum huiuſmodi eliciant. Quæ omnia diligenter expendenda, & conſideranda

ſunt

ſunt in actibus illorum, de quorum Beatificatione ſeu Canonizatione agendũ erit. In Canonizatione enim non ſufficit Dei famulos, ac famulas interpretatiuè tales actus ediidiſſe, quia de his nulla habenda eſt ratio in foro iudiciali Eccleſiæ, ſed expreſsè hos actus elicere cum illi teneantur; atque in foro iudiciali formiter ſint probandi: propterea obſeruanda ſunt verba, & actus Seruorum Dei: quæque dixerint, quæque fecerint, in quauis occaſione ex iam relatis nimirum instante morte, in carceribus, in perſecutionibus, & in alijs ſimilibus capitibus: vt de charitate illorum iudicium ferri in foro Eccleſiæ poſſit. A B

Quia verò Beatitatis, ac Sanctitatis titulus non cõceditur, niſi his, qui in euangelicis virtutibus perfecti extiterint, propterea, vt dignoſcantur reliqui ab his, quibus concedi conſueuit ab Eccleſia, obſeruare oportet tres gradus hominum dari, qui in Dei amore per charitatem obuerſantur; & actus diuini amoris elicere conantur; quos Theologi cum D. Th. 2. 2. q. 24. art. 9. ita diſtinguunt: vt alij dicantur incipientes, alij proficientes, & alij denique perfecti. Incipientes hi dicuntur; qui ex aliquo habitu virtutum, & ex affectu diuini amoris facilè reſiſtunt tentationibus, & paſſionibus perpetuò ad peccandum mortaliter incitantibus; cum quibus eſt continua lucta, ac bellum, totumque iſtorum ſtudium verſatur, vt à peccatis recedant. Proficientes verò dicuntur, hi qui cum iam facile diabolicis tentationibus, ac ſuperſtitionibus reſiſtant; & à peccatis mortalibus quamfacillimè recedant non dimittendo priorem conatum, nec ab occulta lucta recedendo; totis viribus in acquirendis virtutum habitibus per illorum exercitium incumbunt, vt ad Dei charitatem perueniant. Denique poſtremus gradus perfectorum eſt: illorum nimirum Dei Seruorum, qui ſedatis iam corporeis paſſionibus; & ex habitu virtutum ad quaſcunque virtutum C D

A tutum operationes prompti, ac faciles exiſtentes tanto feruore, & ardore Deum diligunt; vt nihil aliud die, noctuque cogitent, aut deſiderent; niſi à corporeis vinculis affectu, atque vſu ſaltem ſolui; vt Deo fruantur, & Deo mente, & corde coniungantur, illudque Apoſtoli perpetuò ilitonant. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*.

Quamuis igitur charitatis ſumma perfectio, per quam, vt dicebamus, coniungimur Deo, & Deus diligitur, quantum
B diligibilis eſt ab humana creatura; minimè in hac præſertim vita poſſit adipiſci; ſed in futura huius amoris integrà adeptio, & eius actus intenſio reſeruetur, gradum tamen illum charitatis, quo homo omnia quæ charitatem tollunt, nimirum peccata mortalia, per gratiam declinat; poteſt homo in hac vita adipiſci. Hunc enim diuinæ charitatis gradum in præſenti vita omnes incipientes, & proficientes de virtute in virtutem aſſequuntur; cum non ſolùm tam incipientes,
C quàm proficientes omnia peccata mortalia vitare curent, in quo incipientium totum verſatur ſtudium; ſed etiam virtutes aſſequi procurant; quibus promptius, & facilius ea ipſa peccata longe deuitent.

Eſt etiam alter charitatis gradus, quo non ſolùm homo peccata mortalia omnia vitat; ſed etiam cuncta vitare ſtudet, quæ charitatis ſummæ adipiſcendæ impedimento eſſe poſſunt; & remorari voluntatem, ac mentem valent, quo mi-
D nus liberè, & expeditè in Deum ferãtur: Hunc quoque gradum charitatis homines aſſequi poſſe in hac vita tradidit D. Th. 2.2.q.184.art.2 & cum eo communiter alij. Non quidem quod homo poſſit in hac vita omnia peccata venialia vitare, vt dicebant Pelagiani: ſed nomine impedientium ſummæ charitatis motus, intelliguntur bona temporalia, & aliquis terrenorum amor, non vero peccata venialia; vt D. Th. loco citato explicat. Si verò impediẽtium charitatem vocabulo

bulo accipiantur tam bona temporalia, quàm peccata venialia; dicemus ad eum gradum charitatis perueniſſe hominem, qui cum ad mortalia non inclinetur; neque circa illa molestiam aliquam patiatur, & actus virtutum promptè eliciat: totus nihilominus in eo, incumbit ſtudio, vt etiam venialia vitet, & de venialibus, in quibus humana debilitate incurrit ſummo mœrore afficitur; ac proinde in his flendis vehementer conteritur. Qui igitur ad hũc peruenerint charitatis gradum; eò perueniſſe dicemus, quò homo in hac vita peruenire poteſt. Non quidem quod vltra progredi nequeat, ſed ad eum gradum perueniſſe dicitur; quia venialia omnia ſummo conatu euitare curat. Qui ſanè charitatis gradus in actis Seruorum Dei non Martyrum examinandis inueſtigare, cognoſcere, ac perſpicere oportet: vt nota perfectæ ſanctitatis in eis agnoſcatur ex virtute charitatis. A B

Ad hunc ſanè gradum charitatis fideles omnes præſertim Epiſcopi, & Regulares contendere debent: quia Epiſcopalis ordo perfectionis eſt, & altior etiam ordine Regulari; Quapropter frequentiores etiam, & feruentiores in eliciendis his diuinæ charitatis actibus tenentur eſſe, quàm cæteri. Quamobrẽ in actis illorum conſiderandũ erit qualiter omnes ſuos actus in Deũ, vt ſummũ bonum contulerint: an etiã pro Dei amore regularem habitum ſuſcipiendo, ſic in eo vixerint, vt ab inſtituto, nec latum vnguem receſſerint: an Epiſcopi peccatorum, Hæreticorum, Infideliumque conuerſionibus pro Dei amore ſtudeant: pro Dei amore ſuccurrant neceſſitatibus proximorum; infirmis inſeruiant; & omnes ſuas actiones quantum fieri poteſt in Deum, vt ſummum bonum dirigant. C D

Charitatis verò in Deum notæ, & ſigna externa, quæ charitatis effectus ſunt: quia nimirum charitas in voluntate alicuius exiſtens hos producit effectus, plures, ac plures aſſignan-

A gnantur præſertim zelus diuini cultus, & honoris; vt nimirum Deus ab omnibus ametur, & colatur. Deſiderium moriendi, vt Deo omnimodè vniatur; vehementiam diuini amoris præſefert. Quia amans nihil aliud concupiſcit magis, quàm ſuo dilecto vniri. Gaudium quoque internum externis ſignis expreſſum, præſertim cum de Deo fuerit ſermo: cum aliquando videlicet ſeruus Dei aderit in Eccleſia, & viderit Deum glorificari, aut diuinas cani laudes audierit, guB ſtus iſte in Dei Seruis nota eſt diuini amoris. Pax etiam interna in quibuſcunque aduerſis nota eſt diuinæ charitatis; iuxta illud, quod de ſe dicebat Apoſtolus ad Roman. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculũ, an perſecutio, an gladius? Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatu-*C *ra aliqua poterit nos ſeparare à charitate Dei*. Hæc ibi Paulus: vbi ſingula ſi explicare vellemus; longius quàm par eſſet tractatus iſte diffunderetur. Illud dixiſſe ſufficiat in geſtis Sanctorum, & in actis Seruorum Dei de quorum Beatificatione, ſeu Canonizatione agitur: ea maximè aduertenda, atque expendenda fore; quæ actus charitatis reſpiciunt, & Dei amorem ſubindicant. Lætitia quoque ſumma ſi contigerit aliquid pro Deo pati nota eſt diuini amoris, iuxta illud D quod legimus in actibus Sanctæ Agnetis, & aliorum Sanctorum.

Extaſes quoque, ſiue raptus contingentes aliquibus Dei Seruis; cum de Deo, de cæleſti gloria, aut de paſſionibus Martyrũ agitur, & de illorum gloria, cũ deſiderio quodam patiendi, hæc & alia ſimilia ſigna externa planè manifeſtant voluntatem inflammatam eſſe diuina charitate: & talis ſerui Dei animam diuino amore flagrare: præſertim vbi dolo-

rem

rem maximum de culpis venialibus ediderit. Etenim quã- A
uis venialia peccata leuia ſint, peccata tamen ſunt: atque ideo cauenda, & deflenda: vt de Sancta Catharina Senenſi legimus, quæ cum aliquando de diuinis ageret cum ſuo confeſſario, tantiſperque inieciſſet oculos ad quendam in Eccleſia tunc intrantem: adeo amarè defleuit hanc culpam, vt à lachrimis nullis Confeſſarij ſuaſionibus temperari poſſet. Hæc profecto charitatem, & diuinum amorem adeſſe indicant in eo, qui talia dederit ſigna, & quia charitas reliquas B
virtutes perficit, propterea de ſanctitate talis animę fauorabiliter pronunciandum erit.

Diuinæ charitatis actus ſecundum quantitatem, (vt ſic loquamur) non erunt prætereundi; ſed ſigillatim enumerandi in actis Seruorum Dei, de quorum Beatificatione agitur. Quamobrem obſeruare oportet voluntatem diuino amore inflammatam actus amoris dupliciter elicere poſſe: nimirum vel interruptè, vel abſque aliqua interruptione al- C
terius actus, in aliquo alio virtutum genere. Hi namque qui tali amore Deum proſequuntur, quamuis propter huius vitæ neceſſitates interdum in Dei amore remittere cogantur, & vacare his rebus inferioribus: frequentiſſimè tamen quoad fieri poteſt poſthabitis curis ſęcularibus diuino amori vacare actualiter ſtudent. Quia tamen actus iſti charitatis frequentiores in aliquibus, minus frequẽtes in alijs eſſe poſſunt; propterea neceſſe erit attendere in his Dei ſeruis, an D
actus charitatis, & diuini amoris frequentes fuerint, an de raro producti. Ex frequentatione namque actuum, habitus charitatis magis, vel minus intenſus haurietur, & ex actibus aliqui erunt intenſiores, minus intenſi, ac remiſſiores alij.

Cum igitur tota ratio charitatis diuinæ in actibus interioribus animæ ſit poſita; de quibus non iudicat Eccleſia: propterea licet ab his aliquod ſanctitatis argumentũ hauriri

poſſit

A poſſit; non tamen omnino efficax, quia charitatis actus, licet tàm ab his, qui in numero incipientium ſunt, eliciantur, quàm ab alijs, qui in numero proficientium conſtituuntur, quorum animas cælo frui poſt præſentis vitæ curſum certiſſimum eſt: Beatitatis tamen, ac ſanctitatis titulus, neque his, neque prioribus, ſed tantùm perfectis dari conſueuit: & verè dari debet in Eccleſia. Ratio ſumitur ex illis Chriſti Domini verbis dicentis ad ſuos Apoſtolos, & ad
B ſectatores Apoſtolicæ doctrinæ. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Ac etiam quia heroibus tantùm in chriſtiana profeſſione Sãctitatis, ac Beatitatis titulus concedi debet. Heroes verò, vt ſuo loco diximus, hi ſunt, qui, cum ſupra homines virtutum exercitio exiſtant, quodammodo Deificati cenſentur: ſicut de ſeipſo dicebat Apoſtolus, dum adhuc in terris militaret. *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*. Talibus ergo, & non alijs ſanctitatis titulus concedi debet.

C

CAP. IV.

De nota Sanctitatis ex actibus charitatis erga proximum.

D CHARACTEREM Chriſtianæ Religionis, & Euãgelicæ doctrinæ, dilectionem proximi, & charitatem erga illum Saluator conſtituit: Dei etenim dilectio naturalis communis eſt omnibus creaturis, non ſolùm rationalibus, ſed etiam ſuo modo his, quæ ratione carent. Et nulla fuit aliquando gens adeo barbara, quæ Deum, ac deitatem quoquomodo cognoſceret: quæ eiuſdem cultum, ac dilectionem legibus non decerneret. At in doctrina Chriſti ſpeciale eſt dogma vnà cum dilectione Dei, proximi quoque dilectio-

ctionem præcipere, itaut charitatis euangelicæ virtus his A
duobus capitibus perficiatur: nimirum dilectione Dei, &
proximi.

Ad eundem habitum charitatis infuſæ, qua diligimus Deum, pertinere quoque actus dilectionis, qua proximum amamus, & diligere tenemur, docent Theologi. videatur Suar.de tripl.virt.tract.3. diſput.5.ſect.4.num.3. Monemur enim & præcipimur diligere *æque* Deum, ac proximum ſuo modo. Quæ doctrina eſt me iudice Patris Auguſtini in epi- B
ſtola ad Hier. ſuper illa verba epiſtolæ canonicæ D.Iacobi. *qui offenderit in vno factus eſt omnium reus*. Ibi poſt medium epiſtolæ explicans Pater Auguſtinus verba Apoſtoli ad Roman.13. *Plenitudo legis eſt charitas*, ait, *Nemo diligit proximum, niſi diligens Deum, & hoc quantum poteſt proximo impendat, quem diligat tanquam ſemetipſum; & ille diligat Deum; quem ſi ipſe non diligit, nec ſe, nec proximum diligit*.

Actus dilectionis proximi cadunt ſub præcepto; quem- C
admodum de diuina dilectione capite præcedenti diximus, & adeò ſtrictè, vt, qui contra hanc proximi dilectionem aliquid commiſerint, mortaliter peccent; doctrina eſt de fide ex 1. epiſt. Ioann. cap. 3. dicentis, *Qui non diligit manet in morte, omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt, & ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem*. Ideſt manet in macula peccati habitualis, quæ
macula remanet poſt actum peccati, indeque manet in rea- D
tu, & in obligatione æternæ damnationis. Ita interpretatur locum allatum ex epiſtola Ioannis Angelicus Doctor, & dum dicit talem non habere vitam æternam in ſemetipſo manentem: de gratia locum intelligit Caiet. vt ſit ſenſus, talem, qui non diligit proximum, non exiſtere in gratia, qua obtinetur vita æterna. Et ratio cur præceptum iſtud ad mortale nos obliget, in promptu ex Sacra Theologia habetur:

A quia nimirum, quæcunque ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria ſunt, cadunt ſub præcepto ad mortale obligante, ſed dilectio proximi eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem ex doctrina Ioann. iam allata; tum ex alijs pluribus locis Sacrarum Scripturarum. Ex conſequenti, quemadmodum tenemur ex pręcepto diligere Deum, pari ratione dilectio proximi cadit ſub præcepto.

Hoc præceptum dilectionis proximi totam conſperſit
B Sacram Scripturam: habetur Leuit. 19. his verbis. *Diliges amicum tuum, ſicut te ipſum.* Vbi dictio *amicum* non ſumitur latè, ſed ſignificat proximum, vt interpretatur D. Th. 2.2. q.44.art.7. & communiter omnes Theologi: idque manifeſtum eſt ex hebraica dictione רע quæ ſignificat vicinum, alteri aliquo modo coniunctum, non quidem cohabitatione tantùm Ciuitate, aut loco, ſed vel ſaltem natura. Ea enim dictione hebraica breui compendio exprimitur, quinam ſint
C diligendi, quòd ita explicat Angelus in verbo Charitas ex S.Bonau.in 3.diſt.28.art.1.quæſt.1.& 2. quod præcepto dilectionis hæc omnia diligenda ſunt, ſummum bonum, quod eſt Deus, vel cui ſummum bonum poteſt vniri, vel actualiter vnitur per amorem, & cognitionem, vt ſunt Beati, vel vnitur in habitu, vt iuſti viatores, & exiſtentes in purgatorio, vel poteſt ſaltem vniri, vt peccatores, & alij homines proximi. Itaque nomine, ſiue amici, & vicini vocabulo ve-
D niunt omnes omnino homines, ſiue ſint fideles, ſiue infideles; ſiue Catholici, ſiue Hæretici, ſiue ſint viui, ſiue iam mortui, niſi conſtet de illorum vltima damnatione.

Vt autem præceptum hoc Charitatis erga proximum lucidius adhuc explicetur, obſeruare oportet, præceptum hoc ſpectare ad amorem beneuolentiæ, & amicitiæ, diligendumque fore proximum ex doctrina Chriſti, non quidem amore concupiſcentiæ, hoc eſt propter aliquod proprium

commodum; ſed amore beneuolentiæ, vt nimirum velimus A
bonum proximo, non propter nos ipſos, ſed propter ipſum,
cui volumus bonũ. Et quia is amor proximi eſt duplex; nimirum naturalis, & ſupernaturalis: cũ naturaliter diligamus proximum, vt amicum, & humanæ naturæ ac vitæ participem, & ei bona volumus, quæ ad naturam, & morum honeſtatem pertinent: amore autem ſupernaturali, qui eſt à charitate infuſa, diligitur proximus propter Deum, nimirum vt ad imaginem, & ad ſimilitudinem Dei factum, vtq; capax eſt B
Beatitudinis, & gloriæ; & tenemur hoc amore diligere illum, deſiderando eidem gratiam, gloriam, beatitudinem, remiſſionem peccatorum, Dei perfectam cognitionem, & ſi fuerit peccator, eius conuerſionem; reductionem ad agnitionem veræ fidei, ſi fuerit Infidelis, vel Hæreticus. Itaque tenetur Chriſtianus, velle proximo ex charitate infuſa quæcunque bona neceſſaria ſunt illi, non ſolum ad vitam ſubſtentandam, ſed etiam ad gloriam, ac æternam beatitudi- C
nem conſequendam.

Quod autem hæc proximi, ac fratrum dilectio ad Chriſtianam Religionem ſingulariter, tanquam illius nota, ſiue character, pertineat: docuit Chriſtus Ioann. 13. num. 34. his verbis. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.* Cuius quidem characteris Chriſtianæ Religionis, & Chriſti ſcholæ ciſræ, ac notæ, ſunt illa verba iam recitata, præſertim illud *nouum*, & illud D
ſicut, & illa repetitio, *diligatis inuicem*. Cur autem nouum ſit dictum hoc mandatũ dilectionis proximi à Chriſto; quęrũt Interpretes. Et quidem Græci Patres, Chryſoſt. Cyrillus, Theophilactus, Eutymius, & alij: & inter Latinos Rupertus nouum dici hoc mandatum arbitratur: quòd in veteri lege iuberemur, proximum noſtrum, ſicut nos ipſos, diligere: nunc autem pluſquam nos ipſos diligere iubeamur. cum

iu-

A iubeamur ita nos mutuo diligere, ſicut Chriſtus dilexit nos, cũq; Chriſtus nos pluſquã ſeipſum dilexerit, hinc nos quoque debere diligere proximũ pluſquam nos ipſos tradunt, & ideo nouum dici putant Pater Auguſtinus tract. 65. in Ioan. & Beda ſuper hũc locum, mandatum hoc nouum appellari, quod nos renouet, & exuto vetere homine nouo nos homine induat huius præcepti obſeruantia: alij alia dicunt.

Mandatum hoc nouum appellatum dixerim ego, quod
B deſuetudine antiquatum cum videretur apud Iudæos, illud Chriſtus tanquam præcipuũ; & ſingulare perfectionis dogma in ſuis ſectatoribus renouauit, formamq; huius dilectionis expreſſit in dictione *ſicut*; vt non tantùm ſicut nos ipſos inuicem diligamus, vt habebatur in lege veteri, ſed *ſicut dilexi vos*, inquit Chriſtus. Scilicet, eo modo quo Chriſtus dilexit nos; qui quamuis ab hominibus, contemneretur, irrideretur, dedecoraretur, & iniurijs afficeretur, dilatauit
C tamen erga nos viſcera charitatis, & charitate cum hominibus certauit. Id expreſſit Ioãnes me iudice in ſua canonica cap. 4. cum loqueretur de hac mutua dilectione, dicens. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum miſit Deus in mundum, vt viuamus per ipſum*. Et ſicut Chriſtus dilexit nos nimirum vſque ad effuſionem ſanguinis, ita pariter ſi opus fuerit diligamus nos inuicem vſque ad effuſionem ſanguinis pro ſalute ſpirituali. Quod ſimiliter expreſſit ibi-
D dem Ioannes in verbis ſubſequentibus, dicens. *In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris*.

Nouum denique dixit hoc præceptum Chriſtus, quia non agebatur in eo loco de dilectione proximi in vniuerſum, ſed de dilectione mutua diſcipulorum Chriſti, ſectatorumq; Euangelij ad ſe inuicem, quod expreſsè habetur.

apud Ioann. in 1. epiſt. cap. 4. vbi oſtendens, quàm arctè charitatis vinculo teneamur diligere nos inuicem, & explicans quodammodo verba Chriſti, & mandata quæ reliquerat fidelibus in nocte Cœnæ, qua ratione, & ad quos extenderetur mandatum Chriſti, dicebat. *Chariſſimi diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo eſt, & omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt.* Ex qua ſane natiuitate credentes in Chriſto Fratres in primitiua Eccleſia dicebantur, & ideo illud capitulum clauſit Ioannes, dicens. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Nomine autem Fratris ex phraſi Apoſtolica noui teſtamenti ſignificantur omnes fideles tàm viui, quàm defuncti; qui nimirum eiuſdem Religionis ſunt, ac ſcholæ: nam etiam in veteri teſtamento, qui erant ſub lege Moſayca fratres dicebātur. Ex qua ſane doctrina colligi videtur ad Infideles non ſe extendi præceptum illud Chriſti, vt teneatur aliquis, videlicet effundere ſanguinem pro ſalute corporali alicuius Infidelis. Doctiores doctiora excogitabunt, ego ſubſcribam, & palinodiam recantabo. A

B

C

Adeò ſtrictè de hac dilectione proximi locutus eſt Saluator noſter, vt de illa nunquam ſatis ſibi dixiſſe videretur. Nam idipſum reiterauit cap. 15. Ioan. dicens: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* rurſus, *hæc*, inquit *mando vobis, vt diligatis inuicem*. Tantaque ſollicitudine iuſſit Chriſtus cuſtodiri hanc dilectionem mutuam inter Euangelij ſectatores, vt hunc erga proximum amorem, & obſequiū, tanquam veræ perfectionis, atque Chriſtianitatis notum characterem eſſe voluerit dicens. *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Omiſit Dominus miracula, paupertatem, patientiam, fidem, ac reliquas virtutes; quibus primitiuæ Eccleſiæ Diſcipuli, atque Apoſtoli Chriſti doctrinam illuſtra- D

runt

A runt minime, ait, in miraculis cognoſcent omnes quòd Diſcipuli mei eſtis, aut in paupertate cognoſcent, vel in patiẽtia, ſed tantùm dixit Diſcipulorum Chriſti perfectionem Euangelicam in mutua dilectione, charitateque proximorum in ſuis ſectatoribus dignoſci.

Forma ſeruanda in dilectione proximi, etiamſi eiuſdem Religionis non eſſet, ſed diuerſæ, exprimitur Leuit. 9. in illis verbis. *Sicut te ipſum*. Sub qua etiam verborum forma illa

B ipſa dilectionis forma præſcribitur à Chriſto. Matth. 22. non quidem quod aliquis teneatur diligere proximum ſuum æque ac ſe ipſum, vt rectè animaduertit D. Th. 2.2. q. 44. art. 7. & cum eo quoque reliqui Theologi, & Ioann. Azor. tom. 2. inſtit moral. lib. 12. §. *ſecundo quæritur*. Quia iuxta dictamen rationis vnuſquiſque ſeipſum, & ſuum corpus, ac ſuas res in æqua lance pluſquam proximum, aut illius corpus, vel res diligere charitate ſupernaturali tenetur; ſecun-

C dum quam quiſque debet ſibi ipſi bona gratiæ, & vitæ ęternæ pluſquam alteri procurare: neque enim ſalus animæ licitè contemni, amitti, aut periculo obijci poteſt, vt proximus noſter ſit ſaluus: ſed illud *ſicut* dicit ſimilitudinem, vt, nimirum quemadmodum homo diligit ſe propter Deum, ſic propter Deum diligat proximum; quod eſt diligere aliquẽ ex debito fine: ſic etiam, vt illud *ſicut* per reſpectum ad obiectum, quod eſt bonum, ſumatur, vt quemadmodum, videli-

D cet aliquis ſibi vult bona tàm naturalia, quàm ſupernaturalia, ea ipſa proximo ſuo velit: non quidem propter commodum ſui, ſed propter commodum proximi. Quamobrem Pater Auguſtinus tract. 95. in Ioann. in illis verbis Domini. *Sicut dilexi vos*, illud *ſicut* poſitum eſſe ſcribit, vt diſtingueret à carnali dilectione dilectionem, de qua loquebatur. *Non ſicut ſe diligunt homines*, inquit Auguſtinus, *quoniam homines ſunt; ſed ſicut diligũtur, quoniã Dij ſunt, & filij Altiſsimi omnes.*

Hic Ordo poſtulat, vt homo non ſolùm facultates,& di- A
uitias, ſed etiam corpus proprium laboribus, ærumnis, car-
ceribus etiam,& certo mortis diſcrimini exponere teneatur
pro bono ſpirituali proximi ſui: non tamen licet alicui pro-
priam animam prodigere pro æterna ſalute proximi. Quia
charitatis ordo poſcit, vt quiſque propriam ſalutem ſpiri-
tualem,gratiam nimirum, & gloriam magis concupiſcat, &
velit,quàm ſalutem ſpiritualem proximi. Quocirca bona
ſpiritualia, puta gratiam, & gloriam, eorum augmentum B
magis mihi velle, & procurare teneor, quàm proximo. Te-
nebitur tamen Dei famulus,de cuius beatificatione ageretur
loco,& tempore temporalem animæ ſalutem, & vitam pro-
digere pro æterna ſalute proximi: quia longè pluris facienda
eſt ſalus æterna proximi, quàm temporalis propria. Quam-
obrem ſi ad illam comparandam neceſſe fuerit hanc pro-
digere,vel periculo exponere id omnino faciendum eſt, vt
nimirum Infideles conuertantur ad fidem Euangelicã, ſicut C
Apoſtoli omnes,& Martyres fecerũt, & alij. Nam S. Paulus,
& Paulinus pro fratribus animas poſuerunt. S. Sebaſtianus
vitam ſuam expoſuit morti, & martyrio, vt SS. Marcus,
& Marcellianus ex tentatione parentum nutantes in fide
confirmarentur. S. Vitalis Vrſicinum medicum in martyrio
nutantem corroborans, mortem, & martyrij laudem ade-
ptus eſt. Similia plura legimus in actis aliorum Martyrum,
& Sanctorum. D

Vt peccatores etiam à peccatis recedant, tenetur Chri-
ſtianus exponere ſe mortis periculo, vt Stanislaum Craco-
uienſem Epiſcopum feciſſe legimus. Hæc autem facienda
ſunt, vt Deus quantùm fieri poteſt ab hominibus colatur,
& Dei cultus in dies augeatur. S. Thomam Cantuarienſem
pro immunitate eccleſiaſtica id feciſſe ſcimus. Vt ab homi-
nibus etiam Deus non offendatur tenemur mortis etiam

peri-

A periculum ſubire: quemadmodum S. Ioannem Chryſoſtomum Conſtantinopoli feciſſe legimus repugnante ipſa Auguſta. Et hæc eſt doctrina Ioann. in prima epiſtola cap. 3. in illis verbis: *Et nos debemus pro fratribus animam ponere*. Ad quæ omnia tenentur homines ex præcepto charitatis toties, quoties proximus indiguerit facultatibus, conſilio, aut opera. Quapropter in actis ſeruorum Dei, de quorum canonizatione agitur, diligentiſſimè attendenda erunt opera, quæ ad
B curam ſpiritualem proximi pertinent.

Ab hoc præcepto charitatis, & dilectionis proximi opera tàm ſpiritualia, quàm corporalia, quæ ex beneficentia procedunt, & miſericordiæ opera in Eccleſia appellantur, originem habent. Eſt enim miſericordia, ſi conſideretur nominis impoſitio, quidam humanus affectus ſeu compaſſio alterius miſeriæ, cum voluntate eam ſubleuandi: eſt etiam quaſi charitatis quidam effectus ex doctrina D. Thom. 2.2.q.30.
C quatenus à charitate ſupernaturali imperatur. Opera igitur ea, quæ miſericordiæ dicuntur ſub titulo eleemoſynæ comprehenduntur: circa huius miſericordiæ actus, atque opera ſtrictam inquiſitionem futuram in die Iudicij Sacræ teſtantur ex ore Chriſti litteræ; ac proinde cum dura de his quæſtio à ſeueriſſimo iudice habenda ſit eo die, & charitatis erga proximum opera externa ad hæc, tanquam ad propria capita reducantur; propterea in geſtis, & actibus illorum,
D qui Beatitatis, ac Sãctitatis titulo decorandi in Eccleſia militanti proponuntur, quàm diligentiſſimè acta ex miſericordia, & beneficentia in proximum expendenda veniunt. Dicit enim Chryſoſt. in Matth. *Miſericordia eſt ſalutis præſidiũ, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum: hæc eſt, quæ iuſtos probat, Sanctos roborat, Dei cultores oſtentat*. Quin etiam, ſi Ambroſio credimus in epiſt. 1. ad Timoth. cap. 5. *Omnis ſumma diſciplina Chriſtiana in miſericordia, & pietate eſt.*

Ea

Ea propter in actis Seruorum Dei non Martyrum ſpeciale examen de operibus miſericordiæ habeatur: vt ex operibus exterioribus, quæ cadunt ſub iudicio Eccleſiæ, charitatis habitus in Dei ſeruis dignoſcatur: horum enim acta propterea inquiruntur ab Eccleſia, vt certioretur de gloria, & beatitudine illius, cuius acta examinantur. Cumque Chriſtus certò dixerit ſe dicturum his, qui in actibus miſericordiæ ſe exercuerint. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*. Propterea certum erit in Eccleſia certitudine fidei, illum Dei famulum translatum poſt mortem in gloriam, quem miſericordiæ opera exercuiſſe conſtabit, & circa hæc actus virtutum in gradu heroico protuliſſe probabitur. A B

Quatuordecim ſunt hæc capita miſericordiæ, quæ memoriæ cauſa ſolent comprehendi à Doctoribus duobus verſibus quos ponit D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 2. Durand. in 4. diſt. 15. quæſt. 7. Silueſt. verbo Eleemoſyna. Medin. Cod. de eleemoſ. q. 21. Nauar. in manual. c. 24. num. 4. & plures alij, tàm ex Theologis, quàm ex his, qui caſuum conſcientię materiam tractant. Horum verſuum alter complectitur eleemoſynas, ſiue opera miſericordiæ ſpiritualia, corporalia alter, & eſt huiuſmodi. C

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

cuius quidem verſus ſingulæ voces vnum ex miſericordiæ operibus ſubinſinuant. Et prima quidem dictio *Viſito*, ad infirmos, & in carceribus detentos: viſitandi hoc munus retulit Saluator dicēs: *Infirmus eram, & viſitaſtis me, in carcere, & veniſtis ad me*. Pro quibus quidem operibus, ac illorum exercitio habentur non ſolùm hoſpitalia, & Xenodochia innumerabilia, præſertim hic Romæ, & per totam Italiam, ſed etiam Confraternitates plurimæ, in quibus Chriſtifideles etiam ex nobilioribus his in operibus exercentur, nimirum D

A in viſitandis, paſcendiſque infirmis, & in carceribus detentis.. Cuius quidem exercitij actus heroicus dicitur apud Clement. in conſtit. Apoſt. lib. 5. cap. 2. dum agens de diuerſis eleemoſynis. *Quod ſi poſſet*, inquit ſupple aliquis fidelis, *venditis ſuis bonis eos carceribus liberare, Beatus cenſebitur, & amicus Chriſti*. Et de infirmis, quāuis ad hoc opus pertineat eleemoſynas præbere Noſocomijs, in quibus neceſſaria miniſtrantur: ad gradum tamen heroicum hic actus
B non attingit, ſed proprijs manibus hoc facere heroicitatem ſapit: vt ſanctum Ludouicum feciſſe ſæpiſſimè legimus in actis, & Bulla Canonizationis.

Poto, altera ex allati carminis vox, & ſitientes reſpicit: cuius operis meminit Chriſtus ibid. Matth. 25. dum de admittendis ad Regnum ſe dicturum affirmat. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum*. Cuius poſſeſſionis rationem dum conſcribit, ait, *Sitiui, & dediſtis mihi bibere*.

C *Cibo*, ideſt paſco ad eſurientes refertur, qui cibo à fidelibus ex miſericordia aluntur: & nō ſolùm ſunt aliqui Regulares Inſtituti in Eccleſia, qui pauperibus alimenta miniſtrāt; ſed ſunt etiam ferè innumerabiles perſonæ, & hoſpitalia, ac Confraternitates, quæ eleemoſynas ex inſtituto habeant diſtribuendas ſtatis diebus, & temporibus. Quibus Regularium inſtitutis, hoſpitalibus, ac Confraternitatibus, dum Fideles præſtant eleemoſynas diſtribuendas, illos prædictis
D eleemoſynis paſcere eſurientes non eſt dubium. Verùm ſibi ipſi detrahere victum, & neceſſaria, vt egens, & pauper paſcatur, Is actus pertingit gradum heroicitatis, ad quem Apoſtoli excitant Chriſtifideles.

Redimo, captiuum, ſeruituteque mancipatum conſiderat. Et præter Confraternitates aliquas in Eccleſia Romana hac de cauſa inſtitutas eſt etiam Religio S. Trinitatis, & alia, quæ S. Mariæ de Mercede, dicitur ad redemptionem capti-

captiuorum maximè inſtitutæ, quæ ſingulis annis mini- A
ſtros aliquos ex hac, vel illa Prouincia tranſmittunt ad Barbaros, & Infideles, vt ſoluta pecunia captiuos redimant. Quamobrem qui prædictis Confraternitatibus, ac Regularium inſtitutis eleemoſynas tribuerint, proculdubio Redemptionis meritum adipiſcuntur: ſed actus heroicus vlteriùs progredi debet. De qua redemptione in gradu heroico S. Paulinus Nolanus plurimum commendatur; quòd, videlicet ad redimendum viduæ filium ſeipſum in B
ſeruitutem tradiderit.

Tego, in allato verſu, ideſt veſtibus operio, ad mendicum, & nudum refertur; veſtibus carentem, & his extremè indigentē: cuius operis ſimiliter tanta eſt dignitas, vt iſtis quoque in extremo die dicturus ſit Chriſtus. *Nudus eram, & operuiſtis me*; ac proinde, *venite benedicti, poſſidete paratum vobis regnum*. Cuius virtutis gradus heroicus in eo poſitus eſt, quod aliquis Dei ſeruus detractis, vel dimidiatis ſibi ve- C
ſtibus nudum operiat: quod S. Martinum legimus feciſſe, dum adhuc catechumenus eſſet.

Colligo, peregrinum ad hoſpitium reſpicit: hodie enim cum publica habeantur hoſpitia, quæ antiquitus non habebantur; huius operis vſus in oppidis non eſt adeo frequens. Sunt etiam Xenodochia ad receptionem peregrinorum. Quamobrem vix in vſu exiſtunt hæc opera apud ſingulares perſonas, de quibus quamplurimum Sacris in Litteris, ac D
hiſtorijs Abraham, & Loth, alijque famuli Dei commendantur. Sed eleemoſynas dando Xenodochijs, ac Confraternitatibus ea de cauſa inſtitutis, etiam peregrinos ea eleemoſyna fideles ſe ſuſcepiſſe ſciant. Huius operis gradus heroicus exemplis plurimis ex Vitis Patrum, & actis Sanctorum manifeſtus eſt; quorum aliqui relinquebant cellam, ac proprium hoſpitium, vt in eo Peregrini hoſpitarentur, &

A de ſe ipſo Iob.cap.31. dicebat. *Foris non manſit peregrinus; oſtium meum viatori patuit*. Quod etiam Abraham feciſſe conſtat; quem ſediſſe in oſtio tabernaculi legimus, vt tranſeuntes ad hoſpitium inuitaret. Quamobrem in occurſum eorum currebat: & Loth in ſero peregrinos vt reciperet ad portam Ciuitatis ſe conferebat; & etiam nolentes rogabat, vt ad eius domum pergerent his verbis. *Obſecro Domini, declinate in domum pueri veſtri*.

B *Condo*, denique ad cadauera defunctorum refertur: quibus in operibus fideles plures hodie exercentur, quòd plures, ac plures Confraternitates hac de cauſa inter Chriſtianos inſtitutæ habentur; & in cadaueribus ſepeliendis ſuam impendunt diligentiſſimè operã, curando ſepulturam, præſertim pauperum, ac derelictorum: quæ Confraternitates Mortis, vel Suffragij dici conſueuerunt. Quamobrem, qui his Confraternitatibus eleemoſynas præſtiterint ſciant, pro-
C fecto huius ſancti operis non perdidiſſe meritum, imo Deo gratiſſimas eſſe has eleemoſynas. Verùm heroicitas huius actus altiora reſpicit: cuius heroicitatis exemplum in Tobia legimus, qui relicto conuiuio cum periculo capitis mortuos ſepelire curabat; de quo cap.2. ſic legimus. *Poſthac vero cum eſſet dies feſtus Domini, & factũ eſſet prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio ſuo. Vade & adduc aliquos de tribu noſtra, timentes Deum, vt epulentur nobiſcum. Cumque abijſſet re-*
D *uerſus nunciauit ei, vnum de filijs Iſrael iugulatum iacere in platea: ſtatimque exiliens de accubitu ſuo relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus, tollensq; illud portauit vſque ad domum ſuam occultè, vt; dum Sol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum*: Is eſt actus heroicus huius operis, quem Dei famuli attingere debent.

Carmine quoque alio complectuntur reliqua miſericordiæ opera, quæ ſpiritualia dicuntur à Theologis, & ſingulis quo-

quoque carminis vocabulis vnum ex illis ſpiritualibus A operibus correſpondet. Carmen eſt huiuſmodi.

Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.

In quo verſu ſex dictionibus ſeptem reliqua miſericordię opera ſpiritualia complectuntur, quæ ſunt: peccantes corrigere: ignorantes docere: dubitantibus recte conſulere: pro ſalute proximi Deum orare: conſolari mæſtos: ferre patienter iniurias: & offenſam remittere. Quæ humanæ pietatis officia hominibus Chriſtianis ad ſalutem neceſſaria cum ſint, B à Dei famulis, de quorum canonizatione agitur, in gradu heroico exerceri debent.

Per illud verbum *Conſule* ſignificatur, teneri hominem ad præbendum rectum conſilium proximo indigenti; tùm quo ad ea, quæ animæ ſalutem reſpiciunt; tùm etiam quoad regimen temporale. Ea igitur voce ſignificatur eleemoſyna, qua docetur ignorans, ſic enim prædictam dictionem Doctores iam allati interpretantur. Et Spiritus ſanctus in C Eccleſ. cap. 18. nu. 13. ſic ait. *Animi miſericordiam qui habet, docet, & erudit quaſi paſtor gregem ſuum.*

Caſtiga, peccantem ſubintelligi debet, vel auctoritate, vel admonitione, & correctione. Iudices enim, qui delinquentes ex iuſtitia corrigunt, ac puniunt, non ſolùm non peccant; quin etiam meritorium opus edunt. Et in actis Seruorum Dei attendi debet: an fuerint Superiores: an ſubditi hi, de quorum canonizatione agitur. Si fuerint Superiores: an D corripuerint ſubditos; ſi verò inferiores; an ex charitate iuxta Chriſti præceptum peccantem proximum correxerint etiam; cum diſcrimine vitæ: vt S. Raimundum feciſſe ſcimus cum Rege Aragoniæ, & Sanctum Stanislaum cum Rege Poloniæ.

Remitte, ſupple offenſam. Eſt enim ſpeciale Chriſti Domini præceptum, quo tenemur remittere offenſam: itaut teneatur

A neatur homo, quouis tempore, quouis in loco, quacunque ex offenſa, deponere animi odium in proximum, ita vt nunquam proximum odiſſe liceat tuta conſcientia. Quamobrem in Eccleſiaſt. cap. 28. dicitur. *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.*

Solare; triſtem, & afflictum reſpicit, quem tenetur homo demulcere verbis, atque operibus. De qua virtute omnium perfectorum perfectiſſimus Dei ſeruus Iob plurimum ſe
B commendabat, & heroicitatem actus oſtentabat, dicens: cap. 29. *Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum, iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimento, & diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inueſtigabam, conterebam molas iniqui, & dentibus illius auferebam prædam ſi voluiſsem ire ad eos, ſedebam primus. Cumque, ſederem, quaſi Rex circumſtante exercitu, eram ta-*
C *men mærentium conſolator.*

Fer, id eſt ſuſtine: quod vocabulum oneroſum, & grauem conſiderat, etiam ſi procederet ad iniurias, quem patienter ſuſtinere ex affectu miſericordiæ docemur. Ita illud Chriſti: *Si percuſserit te in vna maxilla, præbe illi alteram.* & iuxta illud Pauli. *Alter alterius onera portate.* Et in priori epiſtola ad Theſſalon. cap. 5. ait. *Rogamus autem vos fratres; corripite inquietos; conſolamini puſillanimes; ſuſcipite infirmos; patientes*
D *eſtote ad omnes; videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* Hi enim ſunt actus virtutis charitatis ex miſericordia in gradu heroico.

Ora, Eſt poſtremum vocabulum: quo docemur, debere nos Deum orare pro noſtris proximis, vt Deus & Dominus noſter dirigat eos in viam ſalutis, atque ad Beatitudinem perducat. Non ſunt enim in orationibus aliqui excludendi, ſed omnes ſigillatim comprehendendi: quemadmodum facit

cit Eccleſia, quæ pro omnibus hoſtibus orationes effundit? A
Nam pro Ethnicis orat, vt relictis Idolis illuminentur: deprecatur Deum pro Iudæis, vt conuertantur: pro Hæreticis, vt ab erroribus liberentur: & denique pro Schiſmaticis, vt ad vnitatem Eccleſiæ redeant. Hæc ſunt exercitia veri famuli, & famulæ Dei.

His igitur actibus dilectionis charitas in proximo exercetur, & opera miſericordiæ allatis vocabulis exprimuntur. Ad quæ omnia homo tenetur ex præcepto charitatis toties, B quoties proximum his, vel ſpiritualiter, vel corporaliter indigere cognouerit: & peccabit mortaliter quicunque non proferet hos actus, quando proximum aliquo illorum operum extremè indigere cognouerit. Verùm in Dei famulis, ac famulabus, quorum, vel quarum acta diſcutiuntur, per reſpectum ad canonizationem, omnes actus virtutis ex miſericordia eliciti gradum heroicum attingere debent.

Remanet denique conſiderandum, quodnam argumentum C Sanctitatis ab actibus charitatis erga proximum hauriatur. Et efficaciſſimum quidem, ac præſtantiſſimum Sanctitatis argumentum ab actibus charitatis in gradu heroico factis ab aliquo erga proximum hauriri certum eſt, ex verbis Chriſti Domini, qui certò aſſeruit, ſe dicturum his, qui prædicta exercuerint opera miſericordiæ. *Venite benedicti Patris mei, & poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*. Eſt enim charitas erga D proximos lapis Lydius, in quo vera alicuius Dei famuli Sanctitas comprobatur ex doctrina euangelica dicente Chriſto. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem*. Qui alibi etiam dicebat. *In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem ad inuicem habueritis*. Cumque hæc mutua dilectio, & charitas non tam ſit lapis Lydius perfectionis euangelicæ, quam etiam nota charitatis, quæ in gradu heroi-

A heroico dari nequit, niſi proximus propter Deum diligatur; hinc ex eo quod aliquis diligat proximum in gradu heroico; efficax quoque argumentum ſumetur eundē diligere Deū, ad cuius ſimilitudinem creati ſumus. Cōtrario quoque argumento ab odio proximi, pariter aliquem Deum odiſſe colligitur. Quę ratio eſt Iacobi in ſua Canonica cum ait. *Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt: quomodo poteſt diligere Deum, quem non videt?* Conſequenter igitur à charitate erga proximum, & eius actibus, omnimoda perfectio euangelica colligitur: & omnimoda ſanctitatis nota inde expiſcatur. Quia charitas eſt, quæ dat formam, vitam, & ſpiritum fidei, ſpei, & reliquis omnibus virtutibus.

Ad normam igitur operum miſericordiæ iam relatorum, geſta Sanctorum ex Dei charitate diligentiſſimè expendere oportet, præſertim non martyrum: quia vera ſanctitas non ex ieiunijs, non ex cilicijs, non ex oratione, non ex alijs ſimilibus dignoſcitur ſatis; ſed ad Charitatis capita inprimis reuocari debēt, tanquam ad trutinam, & menſuram euangelicæ ſanctitatis iuxta conditionem, & ſtatum vniuſcuiuſque Dei famuli, ac famulæ, de quibus agetur. Nam in moniali intra clauſtra detenta, non erunt hæc rigorosè conſideranda, ſicut nec etiam in Regulari, qui ſubeſt Superiori, quibus nec clauſtris exire permittitur, niſi ex licentia Superioris. Verùm in Epiſcopo, in Principe, in clerico ſæculari, in parocho, & in aliquo Dei ſeruo coniugato cuncta miſericordiæ opera inquirenda, exquirenda, & diligenter examinanda erunt. Quia illa omnia non ſolum exercere, ſed etiam vt ab alijs exerceantur, omni ſtudio prædicti Dei famuli procurare tenentur; ne quid in Epiſcopo, in Superiore, & parocho ad animarum, & proximorum, ſalutem procurandam deſit.

SECTIO QVARTA. A

De nota Sanctitatis ex actibus virtutum moralium, ſeu Cardinalium.

HVMANARVM omnium virtutum parentes, ac genitores eſſe decreuerunt Philoſophi, ac Theologi, quatuor illas virtutes, quæ morales communiter, & B
Cardinales, nimirum Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, & Temperãtiam. Indubitatumque id adeo eſſe conſtat apud omnes; vt quotquot alias virtutes agnouerunt, eas ſub his quatuor capitibus, vel vt partes ſubiectiuas, vel poteſtatiuas earũdem recognouerint. Quáobrem in his quatuor virtutibus, & in exercitio illarũ, veram virtutis moralis, tã infuſæ, quam acquiſitæ rationem poſuerunt, & ſanctitatis, ac C
perfectionis euangelicæ culmen in eiſdem, & illarum actibus poſuere Theologi. Quapropter cum in ſuperiori ſectione de notis ſanctitatis, quæ colliguntur ex virtutibus Theologalibus egerimus, ſupereſt etiam de notis ſanctitatis nunc agere, quæ hauriuntur ex actibus virtutum moralium.

CAP. I.

De Sanctitatis nota ex actibus Prudentię. D

PRVDENTIA primum inter Cardinales, moralesq; virtutes locum, ac ſedem, tam apud Philoſophos, quàm Theologos obtinet. Prudentiæ autem vocabulum ſumptum conſtat à porrò videndo, teſte Iſidoro lib. 10. Ethim. cap. 5. *Prudens*, inquit, *dicitur, quaſi porrò videns; perſpicax*

A *ſpicax enim eſt, & incertorum videt caſus.* Græci Prudentiam dicunt φρόνησιν παρὰ τοῦ φρονεῖν, quod ſapere, intelligere, & cogitare ſignificat, cum affectu ad rem cogitatam. Hoc autem infinitiuum verbi φρονέω fit à voce φρένος; quæ mentem denotat: ita vt φρόνησις ſignificet præuiſionem incertorum futurorum, ex mentis, & intellectus perſpicacitate; ſi dictionis græcæ energia, & latinæ quoque vocis τὸ Prudentia vis, ac ſignificatio attendatur. De qua quidem virtute prolixè ſanè Phi-
B loſophi cum Ariſt. in 6. Ethic. ad Nicomach. & Theologi cum Magiſt. ſentent. in 3. diſt. 26. & cum D. Thom. 2. 2. quæſt. 47. per quindecim articulos, & alij alibi diſputant.

De hac virtute agendum eſt quantum ſufficit ad noſtrum inſtitutum. Quamobrē notandum erit ex D. Th. 2. 2. q. 47. art. 13. quod reperitur triplex prudentia, nimirum mala: prudentia bona, ſed imperfecta: & denique perfecta prudentia. Prudentia prior nomine tantùm talis dicitur; cum
C re vera talis non ſit, quia in conſilio verſatur, ac iudicio, diſponitque media ad aliquem malum finem. Huiuſmodi eſt prudentia peccatorum, & malorum hominum; de quibus dicebat Chriſtus Luc. 6. *Filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt.* Et Paulus ad Rom. 8. dicebat. *Prudentia carnis mors eſt.*

Prudentia verè bona, ſed imperfecta dicitur illa; quæ quamuis ordinet, & diſponat media accōmodata ad aliquē
D bonum finem; vtputa ad lucrandum, vt mercator facit, & ſimiles; quia tamen finis huius prudentiæ non eſt finis completus vitæ humanæ; inde fit, vt deficiat à perfecta ratione prudentiæ, cuius finis ad quem ordinat media, neceſſariò bonum eſſe debet per reſpectum ad vitæ humanę perfectionem; præſertim ſpiritualem. Quamobrem tertia, & perfecta prudentia eſt, vt docet D. Thom. loco citato, *Quæ ad bonum finem totius vitæ rectè conſiliatur, iudicat, & præci-*

P 2 pit.

pit. Quæ prudentia verè, & ſimpliciter prudentia dicitur. A

Reſpectu igitur ad praxim à nobis de prudentia perfecta agendum cum ſit: quatenus nimirum intellectiua virtus eſt, & practica directiua humanarum actionum in bonum finem totius vitæ ſpiritualis per actum imperij. Hanc certè virtutem in Dei ſeruis canonizandis neceſſariam eſſe ſubindicat Eccleſia in hymno, quem canit pro ſanctis Confeſſoribus: dum de vnoquoque illorum ad excitandum fideles eorundem exemplo ad virtutem, ex eleganti correctione B S.D.N. Vrbani VIII. canit.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobriam duxit ſine labe vitam,
Donec humanos animauit auræ
Spiritus artus.

Prudentiam definiebant Stoici *eſſe ſcientiam bonorum, malorum, & meliorum.* Speuſippus in libro de definitionibus Platonis latius eandem explicans dicebat. *Prudentiam eſſe* C *ſcientiam bonorum, & malorum; diſpoſitionem homini felicem præbentem, qua quid agendum ſit, & quid non iudicamus.* S. Ambroſius lib. 1. de offic. cap. 24. dicebat. *Prudentiam in veri inueſtigatione verſari, & ſcientiæ plenioris infundere cupiditatem.* Cicero quoque lib. 1. de officijs idem videtur ſenſiſſe cum ait. *Prudentia, quæ in veri cognitione conſiſtit; maximè naturam attingit humanam.* Et lib. 2. de Inuentione non longè à fine dicebat. *Prudentia eſt rerum bonarum, & malarum,* D *& vtrarumque ſcientia.* Quod etiam adnotauit D. Th. 2. 2. quæſt. 47. art. 2. ad 2. Quæ omnes definitiones indigitare videntur prudentiam eſſe habitum ſpeculatiuum. Nihilominus nobis de prudentia in hoc ſenſu non eſt agendum, cum neque intelligentia, neque ſcientia rationem generis in diffinitione prudentiæ retineat: ſed potius ratio habitus retinere debeat locum generis: cum prudentia ſit virtus in ordine

ad

A ad mores. Hanc igitur virtutẽ magis propriè definire ſi velimus, dicemus cum Philoſopho lib. 6. Ethic. cap. 5. *Prudentia eſt habitus intellectus vera cum ratione actiuus circa ea, quæ bona, & mala homini ſunt.* Et antea dixerat. *Prudentis eſſe, proprium poſſe conſultare de his, quæ ſibi bona ſunt, aut mala homini ſunt.* Dixerat quoque. *Prudentis eſſe, proprium conſultare de his, quæ ſibi bona ſunt, atque vtilia.* Cumque conſultare poſſint etiam mali, & peccatores: quia tamen bona, &
B vtilia conſultare nequeunt, niſi boni: propterea dixit Ariſt. ibid. cap. 12. & 13. *Non poſſe quempiam prudentem eſſe, niſi fuerit bonus.*

Dicamus igitur ſic. *Prudentia eſt virtus intellectus, qua in quouis negocio occurrente nouimus, quid honeſtum ſit, quid turpe.* Ita prudentiam definiuit Leonardus Leſſius cap. 1. de obligat. iuſt. dubit. 1. In qua definitione ponitur virtus loco generis. Quod autem prudentia ſit virtus, res eſt manifeſta,
C tum apud Theologos, tum apud Philoſophos, præſertim apud D. Th. 2. 2. quæſt. 47. art. 2. & reliquos omnes. Et ratio eſt manifeſta: quia prudentia facit bonum habentem, & opus eius reddit bonum, cum ſit regula reliquarum virtutũ cardinalium, inter quas, vt diximus, primum obtinet locum: ita vt prudentia det reliquis rationem virtutis. Nam, vt docet D. Thom. ibid. & art. 1. ad 3. ad prudentiam pertinet applicatio rectæ rationis ad opus. Quia verò applicatio non
D fit ſine appetitu recto; ideo prudentia non ſolum habet rationem virtutis intellectualis, ſed etiam habet rationem virtutis moralis.

Dicitur etiam in definitione, prudentiam eſſe virtutem intellectus. Per quam particulam diſtinguitur prudentia à reliquis virtutibus ex ſubiecto. Nam reliquæ virtutes, nimirum iuſtitia, fortitudo, & temperantia non pertinent ad intellectum, ſed ad voluntatem, in qua ſubiectantur: at

prudentia cum ſit virtus intellectus; propterea per ſcientiam,& rationem P. Auguſtinus, & alij iam relati eam definiebāt. Ratione quoque probatur, prudentiam eſſe virtutem intellectualem: quia tres ſunt actus prudentiæ, videlicet iudicare, conſultare, & imperare: qui quidem ſunt actus intellectus ex Ariſtotele lib. 6. Eth. cap. 5. & alibi: igitur etiam prudentia erit virtus intellectualis. Conſequentia patet, quia habitus eſt eiuſdem naturæ cum actibus. A

Dicitur quoque in definitione prudentiæ, virtutem eam eſſe: *qua noſcimus in quouis negocio occurrente, quid honeſtum ſit agere, & quid turpe.* Quibus in verbis explicatur obiectū, effectus, & finis prudentiæ. Obiectum enim prudentiæ eſt conformitas practica cum recta ratione per ſynderæſim, circa virtutum fines attingendos debitis medijs. Quamobrem neceſſe eſt, vt prudentia cognoſcat etiam quid turpe ſit: quia contrariorum eadē eſt diſciplina. Atq; ſicut virtutis eſt facere bonum, & vitare malum; ita prudentiæ eſt noſſe bonum, vt agatur, & malum, vt euitetur: non quidem in communi, ſed in ſingulari. Non enim eſt prudens ille, qui nouit in genere quidnam ad quamcunque virtutem requiratur; ſed eſt prudens, qui ſingulis in actionibus nouit determinatè circumſtantias ſingulares neceſſarias ad honeſtatem illius actus in ſingulari, videlicet locum, tempus, modum, &c. quod etiam D. Th. docuit 2. 2. quæſt. 47. art. 1, 2. & 3. & ex doctrina Ariſt. 6. Ethic. cap. 5. manifeſtum eſt. B C D

Quapropter in actibus Seruorum Dei, in quibus examinantur prudentiæ actus; attendendum occurrit quid hic, & nunc in bonum egerit prudens: præſertim in electione mediorum, vt virtutum fines attingeret. Exempli gratia, vult quis Deo ſe conſecrare, & mundi pericula declinare. Hunc finem vt attingat hic, & nunc eligit ſeceſſum, vel ingreditur aliquem Regularē inſtitutū ſeruatis ſeruādis hic, & nunc cū

A debitis circumſtãtijs. Præſcribere enim media accommodata ad conſequendum finem formalem cuiuslibet virtutis per medium accommodatum ad hunc, vel illum finem, ad prudentiam per actum conſultationis pertinet. Quo in ſenſu, vt puto, dicebant Stoici. *Prudentiam eſſe ſcientiam bonorum, malorum, & mediorum.* Conſultationem ſequitur iudicium: quod pariter eſt actus intellectus: qui, poſtquam ponderauit rationes vtriuſque partis circa hoc, vel illud medium eligen-

B dum; ſtatim decernit tale medium fore eligendum. Et demum per actum imperij iubet hoc medium eligi debere: vt virtutis alicuius operatio ad finem debitum dirigatur.

Tres iam prædicti actus, quamuis ad virtutem prudentiæ ſpectent; actus tamen imperij propriè eſt actus elicitus à prudentiæ habitu: vt tradit D. Th. 2. 2. quęſt. 47. art. 8. & Ariſt. 6. Ethic. cap. 5. quod Valentia tom. 3. diſp. 4. quæſt. 1. punct. 3. fusè probat. Cum enim virtutis actus in quodam medio con

C ſtituatur inter exceſſum, & defectum; imperijq; ſit præſcribere terminum ſiue ſtatum medium inter exceſſum, & defectum in agendo: propterea diximus, præcipuum actum prudentiæ imperium eſſe cum ſollicitudine in adeptione virtutum. Et ratio eſt in promptu. Quia *Prudentia eſt habitus vera cum ratione factiuus*, vt dicebat Philoſophus. Ille igitur actus magis propriè ad prudentiam pertinet; qui magis immediatè coniungitur operi. Sed imperium magis immedia-

D tè operi coniungitur, quàm dubitatio, & iudicium, quæ ad prudentiam pertinent: ergo actus imperij eſt magis proprius virtutis prudentiæ.

De hac virtute extant præcepta tum moralia, tum diuina. Naturali etenim iure, & diuino tenemur omnes prudenter agere quidquid agimus. Omnia enim præcepta affirmatiua de actibus virtutum, præſupponunt præcepta affirmatiua prudentiæ circa tales actus; qui neceſſariò prudenter

fieri debent, ex recta nimirum electione mediorum, præfinita per virtutem prudentiæ; & ſimiliter negatiua præcepta prudentiæ præſupponunt. Quamobrem Prouerb. 4. dicitur. *Acquire prudentiam, accipe illam.* & cap. 9. *Ambulate per vias prudentiæ.* Et Chriſtus Saluator Noſter Matth. 10. dicebat. *Eſtote ergo prudentes, ſicut Serpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Sic etiam Apoſtolus ad Rom. 12. de hac ipſa virtute dicebat. *Nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos.* Ex quibus, & alijs pluribus manifeſtum eſt, teneri fideles: quotquot ad euangelicam perfectionem aſpirant, ad agendum prudenter quidquid agunt, iuxta illud vetus prouerbium. *Quidquid agis prudenter agas.* A B

21 Cumque prudentia, vt virtus eſt, circa bonum practicum tam proprium, quàm etiam aliorum verſetur: propterea de partibus, & ſpeciebus prudentiæ agendum à nobis erit, vt his cognitis in expendendo acta piorum virorum, ea, quæ ad virtutem prudentiæ ſpectant, agnoſcantur. Ex partibus autem prudentiæ aliæ ſunt integrales, aliæ ſubiectiuæ, aliæ dicuntur partes potentiales. Integrales, ſiue quaſi integrales dicuntur à D. Th. illæ, quæ concurrunt ad actus prudentiæ. Sed de his nihil ad nos in præſenti tractatu, cum ad intellectum, & memoriam interiores animæ potentias pertineant: & harum potentiarum actus, vtpotè immanentes, non ſubdantur iudicio, aut externo examini militantis Eccleſiæ. *Memoria* enim eſt cognitio præteritorum. *Intelligentia*, præſentium. *Docilitas* eſt cognitio per alterius eruditionem. *Solertia* eſt cognitio per propriam inuentionem. *Ratio* eſt cognitio parta per illationem vnius ex alio. *Prouidentia* eſt ordinatio aptorum mediorum ad finem debitum. *Circunſpectio*, eſt animaduerſio circunſtantiarum negotij. *Cautio* eſt machinatio quædam aduerſus ea, quæ obſtare, & impedimento eſſe poſſunt in producendo aliquem virtutis actum. C D

A actum. Hæ autem omnes dicuntur partes integrantes prudentiæ, reſpiciuntque operantem: vel quantum ad naturale temperamentum, vel quantum ad circunſtantias operationis: de quibus eodẽ modo iudicium ferrent, qui acta Seruorum Dei diſcutiunt: propterea de his ſatis.

Ad virtutem prudentiæ propriè ſpectant partes, quæ dicuntur poteſtatiuæ, ſiue potentiales, & aliæ quæ ſubiectiuæ appellantur. Priores dicuntur potentiales, quia ſunt, quaſi

B quædam inſtrumenta, per quæ actus prudentiæ perficiuntur: & ſicut potentię animæ tales dicuntur, quia ad eliciendũ animatas operationes ſunt quædam quaſi inſtrumenta: ſic etiã potentiales partes prudentiæ appellantur: de quibus D. Th. 2.2.q.51. Leſſ. lib. 1. de oblig. iuſt. c.2. dub. 5. Tales ſunt *Eubulia*, cuius actus eſt benè cõſulere. *Synesia*, cuius actus eſt iudicare ſecundum communes leges. *Gnome*, cuius actus eſt iudicare ex principijs altioribus pręter communes leges ſe-

C cundum rationem naturalem; prout caſus, & circunſtantiæ expoſcunt. Cum enim prudentia verſetur circa ſingularia agibilia; & conditiones indiuiduales hic & nunc attendat: propterea aliquando à legibus communibus recedendum erit, ſi caſum illę non attingant: & iuxta naturalẽ rationẽ ex virtute prudentiæ iudicandum erit; ex doctrina D. Th. 1. 2. quęſt. 57. art. 6. & Valent. tom. 2. q. 3. de virtutib. punct. 2. Quę omnia conſideranda erunt in geſtis piorum virorum,

D iuxta ſtatum, & conditionem illorum, de quibus agetur. Ad occurrendũ enim malo, quod ex praua conſultatione contingere poſſet; donum Conſilij ſuis famulis, ac famulabus à Deo infunditur, vt in omnibus prudenter agant.

Partes ſubiectiuas prudentiæ vocant Theologi, quę virtuti prudentię ſubijciuntur, veluti ſpecies ſuo generi: & hę ad duo capita reuocantur, nimirum ad prudentiam gubernatiuam, quam ciuilem & politicam appellant: & pruden-

tiam particularem; quæ reſpicit bonum agibile rectum conueniens operanti: quam monaſticam prudentiam appellant Philoſophi. Hęc enim prudentię ſpecies non reſpicit bonum aliorum, ſed ſolum bonum operantis. Quamobrem in actibus Seruorum Dei maximè conſiderandum erit; quid egerint in aliquibus ſingularibus caſibus. Vt D. Th. Aquinas, puellam, quæ ad labefactādam eius pudicitiam immiſſa fuerat, arrepto titione fugauit. Legimus etiā de monacho quodā in Thebaide, cū à meretrice furtim immiſſa ſolicitaretur ad lapſum; appoſitis digitis ſuper ignem, dum tentaretur, ſibi ipſi dicebat, vt experiretur an ignis infernalis incendia ferre poſſet: atque ita tentationi occurrebat. S. Benedictus tentatus carnis illecebris nudus inter vepres volutabatur. Franciſcus ſuper ignitos carbones, & aliter alij Dei famuli. Præſertim verò in electione ſtatus attendenda erit prudentia particularis Seruorum, ac famularum Dei. A B

Prudentia gubernatiua, quę verſatur circa bonum agibile per reſpectum ad alios; hæc non omnibus iuſtis infunditur, vt doctè Valentia ex D. Th. probat, ac demonſtrat to. 2. in diſp. de virtutib. quęſt. 7. punct. 2. ad vlt. Nec omnibus Dei famulis eſt neceſſaria; ſed tantum his, qui regimini fuerint pręfecti: & his, quibus animarum cura cōmiſſa eſt. Hi enim tenentur media eligere aptiora, quibus ſubditi facilius, & aptius ſalutem conſequantur. Hęc autem prudentia gubernatiua tot habet ſub ſe ſpecies, quot ſunt gradus illorum, qui regimini aliorum pręficiuntur: quamobrem primò eſt prudentia regnatiua, & legiſlatiua, quę eſt in Principe circa bonum commune Ciuitatis, & Regni. C D

In his igitur Dei Seruis, & actis illorum, quibus cura animarum commiſſa fuerit; attendi debet, quas leges ediderint ad regimen Reipublicę pro bono ſpirituali, & temporali ſuorum ſubditorum. Et in Summis Pontificibus pruden-

A tia circa bonum commune Eccleſię; Concilia, Conſtitutiones, & Decreta edita ad mores vniuerſalis Eccleſiæ componendos, ſi quæ ediderint, contemplanda erunt. Eſt Prudentia gubernatiua in Epiſcopis circa bonum commune ſuæ Dięceſis. Eſt in inſtitutoribus Regularium prudentia in conſtitutionibus formandis. Atque ita de alijs Dei ſeruis videnda hæc erunt, contemplando illorum acta, & decreta, vt virtus prudentiæ in his agnoſcatur.

B Eſt etiam prudentia politica; quæ verſatur circa bonum Ciuitatis, & reperitur non ſolum in Principe, ſed etiam in Magiſtratibus, & Senatoribus; qui tenentur conſulere, quod eſt optimum Reipublicæ. Sicut etiam tenẽtur quotquot viuunt in aliqua regulari Congregatione: & ſunt de corpore alicuius Conuentus, Congregationis, aut Collegij, in quibus de bono alicuius Eccleſiæ, Conuentus, aut regularis inſtituti multoties agi conſueuerit; inquirendum erit in

C eorum actis, qualiter ſe geſſerint Dei famuli, dum ferrent ſuffragia de negocijs ſuæ Congregationis, atque Conuentus.

Eſt prudentia œconomica, quæ verſatur circa bonum familiæ: quæ conſideranda erit in Dei famulis, ac famulabus, præſertim in coniugatis, & viduis. De qua prudentia dicebat Apoſtolus ſcribens ad Timotheum circa inſtitutionem mulierum, vt admoneret mulieres ſeniores, dicens. *Anus vt prudentiam doceant*. Quamobrem in expendendo acta ali-

D cuius Epiſcopi, non ſolum conſideranda venit prudentia particularis; ſed etiam prudentia œconomica circa regimen familiæ, nimirum ſeruorum, & aliorum: quos intra domeſticos parietes ſecum in obſequium ſui, & Eccleſiæ retinet, quæ etiam conſideranda erunt in Dei famulabus viduis.

Eſt denique prudentia militaris, ad quam tenentur Reges, & Duces, quando coguntur aliquando parato milite, vel

Regna

Regna propria tueri, vel occupata recuperare, vel ex iuſto A
bello in defenſione Eccleſię arma ſumere; vel ad propagandum Euangelium ab Ethnicis poſſeſſa inuadere. Nam, qui Dei cultum ſuis in regionibus impediunt, & ſubditos à vera Dei cognitione arcent, iniuſtè regna poſſident, ac iuſtè à regionibus, ac prouincijs, quas occupant, armis expelluntur.

5 In examinandis igitur actibus Seruorum Dei non martyrum attendere oportebit ſtatum, & conditionem ſerui, ac famulæ Dei, de cuius Canonizatione, aut Beatificatione B
agitur. Subditus nimirū, an Superior alicuius inſtituti fuerit Epiſcopus, an ſimplex Sacerdos. Ad illos enim ex munere pertinet omnes ſibi ſubditos in primis verò ad Dei cognitionem dirigere, & à peccatis quantum ſibi licet remouere; ſubditi verò Præpoſitis, ac Superioribus obedire. Hinc Pater Auguſtinus in regula dicebat. *Præpoſito tanquam Patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omnium veſtrum curam gerit*. Non enim æqua eſt conditio omnium Seruorum, ac C
Famularum Dei; & quemadmodum non omnium virtutum actus in omnibus Dei ſeruis, ac Dei famulabus requiruntur; ita pariter non ijdem prudentiæ actus in omnibus inquiruntur; ſed plures in vno, quàm in alio, iuxta conditionem, & ſtatum eiuſdem Dei ſerui, de quo agitur.

6 Duas iam præſcripſimus prudentię genera, ſiue ſpecies, nimirum particularem; & gubernatiuam: inter quas duas, dignior re vera cenſeri debet prudentia, quæ contempto D
proprio bono ad bonū cōmune pluribus ſe erigit; quàm illa, quæ particularia tantùm curat. Quamobrem quicunque neglectis proprijs bonis, ciuili & publicæ curæ dant operam; non ſunt cenſendi prudentes ea vulgari, & populari prudentia; quæ ſolùm eſt ſuimet contemplatiua. De qua loquebatur Euripides apud Ariſt. in 6. moral. ad Nicomach. c. 8. quæ, etiam ſi ſtrictè loqui velimus, prudentia cenſeri non

mere-

A mereatur. Verè enim prudens eſt, qui maius bonum ſibi parat: maius autem bonum eſt publicum, & commune multis; ideo, qui multis prodeſt verè ſe perficit, & hoc eſt officium Charitatis, & veræ prudentiæ; propterea, qui publicis oneribus dant operã, ſunt verè prudentes ciuili prudentia, rectèque moralem virtutem eleuat, & ad gradum eminentiorem prudentiæ perducit. Quamobrem dicebat de his Apoſtolus in prima ad Timoth. cap. 5. num. 17. *Qui benè præſunt*

B *Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè, qui laborant in verbo, & doctrina.*

At quæret fortaſsè aliquis: num illi, qui neglectis publicis curis ſe totos contemplationi tradunt prudentes cenſeri debeant, vt in Eccleſia Chriſti Solitarij, Eremitæ, Anachoretæ, & ſimiles Dei ſerui, quibus adnumerantur in Latina Eccleſia Carthuſienſes, & Camaldulenſes, & Ariſt. quidẽ lib. 6. moral. ad Nicomach. c. 7. negatiuè ſentit, dicẽs.

C *Quocirca Anaxagorã, Taletem, cæteroſq; viros ſapientes quidem eſſe dicunt, prudentes verò nequaquam: cum videantur ea, quæ ſibi vtilia ſunt ignorare.* Similiter Plato in Timæo aſſeruit; Philoſophum in rebus agendis ſe deridendum patefacere; ac propterea carere recta ratione agibiliũ: & pro his quoque Philoſophis ratio ſtare videtur: nam cum proprius actus prudentiæ ſit imperare, ac qui toti ſe contemplationi addicunt, non habeant quibus imperent; præſertim ſi ſint ſoli-

D tarij, ac in eremis vitam degant: profectò videtur; hos non poſſe exercere actus prudentiæ, ac proinde adnumerandos non eſſe prudentibus.

Difficultati cum diſtinctione reſpondendum cenſeo. Cum enim actus imperandi dupliciter conſiderari poſſint, nimirum reſpectu ſui, & reſpectu aliorum: Et quidem reſpectu ſui quatenus homo eſt animal ratione præditus; per prudentiam poteſt imperare appetitiuæ, ac executiuæ facultati

vt

vt eligat hæc, vel illa media ad finem ſupernaturalem A
conſequendum. Quamobrem dicemus cum Caietano, &
S. Thoma 2.2.quæſt.47.art.12.hos homines, qui neglectis
humanis quærunt diuina; non eſſe quidem prudentes prudentia
ciuili, quæ longo rerum vſu cóparatur, cenſendos tamen
prudentes quadam eminentiori prudentia, nimirũ prudentia
heroica, atque diuina; quatenus ſolitudinem, ac receſſum
eligunt, tanquam medium, quo proximiùs ad finem
vltimum Beatitudinis perducuntur: dummodo hi, qui ſecedunt, B
non adeò negligant proximos, vt ob eorum negligentiam
illi ipſi in perniciem dilabantur. Huius prudentiæ monaſticæ
in gradu heroico ſpecioſa habemus exempla in Baptiſta
Ioanne cum venit in omnem regionem Iordanis prædicans
baptiſmum pœnitentiæ: in Antonio, Hilarione, Benedicto,
Franciſco, Auguſtino, & alijs Religionum inſtitutoribus:
qui è ſeceſſu erumpentes aggregarunt, quos ad cæleſtia
prouocare contendebant. C

Sed quia, vt dicebamus alibi, inter virtutum actus dantur
gradus maiores, & minores intenſiores, & minus intenſi.
Nulli dubium eſſe debet, prudentiores cenſendos eſſe illos
Dei ſeruos, prudentia quidem heroica, qui quodammodo
neglecta ſolitudine, & ſeceſſu, vbi Dei gloriam id expoſcere
cognouerint: actus ciuilis, ſeu politicæ prudentiæ exercere
minimè recuſabunt; quin etiam onera, & magiſtratus non
reſpuent, vt Deo magis, ac magis, quantum eſt ex ipſis, inſeruiant. D
Quæ quidem heroica virtus ſingulariter in ſanctis
Apoſtolis, ac primitiuæ Eccleſiæ Patribus apparuit: qui licet
certi eſſent cum Epiſcopatu vocari in capitis diſcrimen,
onus tamen admittebant, & præfecturam in bonum proximorum,
etiam cum diſcrimine capitis aſſumebant. In quo
genere ſuſpicienda videtur S. Martini virtus, qui extremo in
agone conſtitutus, quamuis iam mori exoptaret, lacrimas

intuens

A intuens ſuorum diſcipulorum, & voces dicentium. *Cur nos Pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis, inuadent enim gregem tuum lupi rapaces*. Conuerſus ad Dominum illas in voces erumpit. *Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius non recuſo laborem*. Quibus quidem in verbis prudentiæ ciuilis virtutem in gradu heroico planè oſtendit. Quia qui multis prodeſt verè ſe perficit, & maius bonum eſt multis; quàm ſibi ſoli prodeſſe.

B Ad hanc virtutem prudentiæ acquirendam iuuat lectio ſacrorum librorum, & contemplatio eorum, quæ de actis Sanctorum in Hiſtorijs Eccleſiaſticis habentur. Non enim gignitur prudentia exercitatione intellectus circa ea, quæ agenda ſunt: niſi hæc ipſa exercitatio experientiæ ex caſibus ſimilibus, & diſſimilibus ſumptæ innitatur, necnon etiam doctrinis ſeniorum, & Sanctorum Patrum. Quamobrem præceptum de his addiſcendis traditur nobis Sacris in

C Litteris Eccl. 6 his verbis. *Si dilexeris audire, ſapiens eris: in multitudine Presbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei poſſis audire, & prouerbia laudis non effugiant à te, & ſi videris ſenſatum, euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.* Et Ariſt. lib. 6. cap. 11. *Peritorum*, inquit, *hominum, & ſeniorum, ſeu prudentium pronunciationibus, & opinionibus abſque demonſtratione, non minus quàm demonſtrationibus attenden-*

D *dum eſt: qui namque ex ipſa experientia vſum habent principia intuentur*. Nec minus ſapienter Ioannes Caſſian. Collat. 2. cap. 10. ex ſententia Abbatis Moyſis: *Vera*, inquit, *diſcretio: non niſi vera humilitate acquiritur, cuius humilitatis hæc erit prima probatio; ſi vniuerſa non ſolùm, quæ agenda ſunt; ſed etiã quæ cogitantur Seniorũ reſeruẽtur examini: vt nihil quis pro iudicio credens, illorũ per omnia definitionibus acquieſcat: & quid bonũ, vel malè debeat iudicare eorum traditione cognoſcat.*

Hæc

Hæc igitur attendenda erunt in actibus ſeruorum Dei, vt illorum actorum lectione, conſiderationeque non ſolùm in nobis ipſis gignatur prudentia, ſed etiam in ipſis ſeruorum Dei actis cognoſcere liceat Iudicibus ea diſcutiétibus, num nimirum ex ſacrorum librorum lectione, vel auditu prudentiá adepti fuerint hi, de quorum cultu agitur. Quamuis itaque virtus prudentiæ tantæ ſit dignitatis, quantæ diximus, atque oſtendimus tam ratione ſui, quàm ſuorum partium; nihilominus cum formalis eius ratio in internis actibus animi conſiſtat; de quibus actibus Eccleſia non iudicat; & actus externi non tam ad rationem ſanctitatis faciant, quàm ad moralem virtutem prudentiæ, vt virtus moralis eſt: propterea dicendum videtur nullum efficax ſanctitatis argumentum ſumi poſſe ex nudis prudentiæ actibus, niſi hi ipſi prudentiæ actus innitantur Fidei Chriſtianæ, & doctrinæ Euangelicæ, reliquisque virtutibus, de quibus infra à nobis erit agendum. Nam quamuis virtutes reliquæ, de quibus ſect. 5. agetur ad partes vel integrales, vel ſubiectiuas, vel potentiales Moralium, ſeu Cardinalium virtutum referantur, & ad has reducantur, tanquam ad ſua vel genera, vel quaſi genera: nihilominus quia ad actus vnius tantùm virtutis ſanctitas referri nequit; Propterea in actis Seruorum Dei, licet actus prudentiæ ſint inquirendi, vt prudentiam eos habuiſſe conſtet, & habuiſſe quidem perfectè probetur: non propterea de illorum ſanctitate ex ſolis prudentiç actibus efficax haurietur argumentum; cum omnes actus prudentiç ſaltim materialiter, cum mortali peccato ſtare valeant.

CAP.

A

CAP. II.

Iuſtitiæ virtus, illiuſque actus ad Sanctitatis notam expenduntur.

B IVSTITIÆ vocabulum, vt ad virtutem pertinet, & virtutum actus reſpicit, dupliciter; accipi poteſt, nimirum largè, & ſtrictè: & largè quidem pro quocunque virtutis actu ſumitur. In qua ſignificatione viri boni in ſacris Litteris tam veteris, quàm noui Teſtamenti viri iuſti appellantur; & facere iuſtitiam ex phraſi veterum oraculorum, idem eſt quod facere bonum, in quocunque virtutum genere. In qua ſanè vocabuli ſignificatione dicebat Chriſtus Matth 7. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scri-*
C *barum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Hoc eſt niſi fuerit veſtra virtus perfectior, & ſuperior Phariſæorum virtute, non intrabitis in Regnum Cælorum. Ratio prædictæ ſignificationis vocabuli ex eo ſumitur, quòd omnis virtus in quadam æqualitate, & proportione debita ſecundùm regulam rationis collocetur; à qua cum receditur ſiue per exceſſum, ſiue per defectum actus humanus in vitium erumpit: propterea conuenienter omni virtuti iu-
D ſtitiæ nomen tribuitur. At iſtó modo, & ſub hac conſideratione non agimus in hoc capitulo de virtute iuſtitiæ.

Alio modo ſumitur iuſtitiæ vocabulum ſtrictè pro ſpeciali virtute, ex quatuor virtutibus moralibus, quas Philoſophi agnoſcunt ac enumerant: quę ſpecialis virtus iuſtitiæ pro munere habet, debita reddere, & æqualitatem inter plures conſtituere: & in hac ſignificatione iuſtitiæ vocabulum hic conſideratur ſpecialiter à nobis. Iuſtitiam virtutem eſſe per-

fectiorẽ reliquis virtutibus moralibus Philoſophi, & Theologi pluribus ex capitibus tradunt: ex obiecto nimirum, quod eſt iuſtum, & rectum: ex materia, quæ eſt amplior, quàm in cæteris virtutibus; cum verſetur circa materiam omnium virtutum, per reſpectũ ad alterum: ex officio, quia eſt ad bonum alterius, non ad bonum ipſius, qui operatur: Eam enim ad alterum eſſe res eſt certa apud omnes Theologos cum D.Th.2.2.quęſt.58.art.1.muneris quoque iuſtitię eſſe, conſtituere æquale inter duos; certum eſt apud omnes. Quibus ex capitibus apertè probatur, iuſtitiã perfectiorem eſſe reliquis virtutibus. Etenim bona propria communicare alijs eſt quid diuinum; quod facit iuſtitia; non verò reliquæ virtutes: ac propterea non ſibi ſoli nata eſt, ſed alijs etiam, cum quibus concordiam, pacem, & ſocietatem, quantum eſt ex ſe, tuetur. A B

Iuſtitiæ igitur vocabulo intelligimus *habitum, quo quis perficitur ad iuſtè agendum in omni loco, & in quocunque ſtatu hominum*. Nulla enim ſocietas humana, violata iuſtitia, diu conſeruari poteſt: vt propterea neceſſaria cenſeatur in familiæ, Ciuitatis, & totius orbis terrarum bono tuendo pro cõmuni hominum ſalute. Hanc adeo neceſſariam ad hominũ contubernium virtutem. Cic. lib.1. de inuent. & lib.2. de offic. iuſtitiam definiuit, quod ſit *habitus animæ communi vtilitati proſpiciens*. Quæ definitio potius iuſtitiæ legalis naturam explicat, cuius eſt condere leges, & ſtatuta ad bonum commune; quàm ſit definitio iuſtitiæ communis. C D

Vt autem vera eius definitio hauriatur, aduertendum eſt, quod cum omnis virtus ſit habitus electiuus, vt docet Ariſtot. lib.2. Ethic. & habitus ſpeciem ſortiantur, ac diſtinguantur per actus: & actus per obiecta; ex conſequenti illa eſt conueniens vniuſcuiuſque virtutis definitio; in qua eius natura per proprium actum, & obiectum explicatur.

Cum

A Cũ igitur iuſtitia ſit virtus, quæ reſpicit, vt vnũquemq; alterum dirigat: inter quos æqualitatem dati, & accepti conſtituit, vt docet D.Th.2.2.q 57. pari ratione actus proprius iuſtitiæ erit reddere vnicuique, quod ſuum eſt: quamobrem ſic rectè definitur iuſtitia: *quod ſit* nimirum, *conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuens*. Quæ definitio ſumpta eſt ex Vlpiano l. *Iuſtitia*, ff. de iuſt. & iure, & eam habet Iuſtinianus in inſtitutionibus eodem titulo: communiterque B omnes iuris conſulti illam approbant: ſicut etiam P. Auguſt. lib.1.de lib.arbitr.cap.13. & lib.de quantit. anim. c.9. lib.8. de Trinit.cap.6.& lib.83.quæſt.26.eandem etiam approbat D.Th.2.2. quæſt.58.art.1. docetque hanc iuſtitiæ definitionem conuenientem eſſe ſi rectè intelligatur.

Explicetur allata definitio per ſingulas particulas. Dicitur primò, quod ſit iuſtitia *voluntas conſtans*: ideſt voluntas habitu virtutis firmata, & cõſtabilita in propoſito reddẽdi vni- C cuique quod ſuum eſt, & quod illi debetur. Non quidem quod virtus iuſtitiæ voluntas ſit, vel actus voluntatis; ſed eſt habitus, ſubiectatus in voluntate, qui facit vt voluntas velit reddere vnicuique, quod illi debetur: qua ratione dicitur *conſtans*. Nam niſi adeſſet in voluntate habitus, qui ſit de difficile mobili, vt dicunt Philoſophi, non eſſet conſtãs.

Dicitur etiam iuſtitiam eſſe *perpetuam voluntatem*: quia per hanc virtutem iuſtitiæ homo inclinatur ad reddendum D perpetuò vnicuique ius ſuũ: qui autem ſemel, aut bis, ter, aut quater, & non ſemper vellet reddere vnicuique ius ſuum, non eſſet verè iuſtus, nec haberet hanc virtutem: adeò quidẽ, vt quãuis à iuſtitiæ formula quis declinaret, & alterum lęderet, ac propterea iniuſtus fieret: nihilominus iuſtitiæ virtus, vt virtus eſt in ſeipſa vbique ſui ſimilis, & immutata maneret: neque enim ſi aliquis recedit à iuſtitię dictamine, id fit vitio iuſtitiæ, ſed praui, ac ſcelerati hominis peruerſa natura

qua immemor ſeminis iuſtitiæ alterum lædit. A

Per eam verò particulam, *ius ſuum cuique tribuendi*, poſitam in allata definitione declaratur obiectum iuſtitiæ. Pro cuius obiecti declaratione obſeruandum eſt τὸ *ius* diuerſimodè accipi à Doctoribus. Nam aliquando accipitur pro arte, & legum peritia, qua homines, leges, regulas, & præceptiones iuris dicundi cognoſcunt: in quo ſenſu dixit Celſus, quod *ius eſt ars boni, & æqui*. Et in hoc ſenſu licet ius proueniat à voluntate reddendæ iuſtitiæ, non tamen ad rē noſtrā facit. Aliquando ſumitur ius pro auctoritate: in qua ſignificatione dixit Cicero in oratione pro Archia. *Quare ſuo iure noſter Ennius ſanctos appellat Poëtas*. Suo iure dixit pro ſua auctoritate. Tertiò pro ipſa lege ſumitur: in qua ſignificatione loquitur Gratianus; & dicitur communiter ius diuinum pro diuina lege, ius humanum pro lege humana, ius canonicum pro lege canonica, & ſimilia. Sumitur etiam ius pro ſententia lata per iudicem ad fauorem alicuius. Denique ſumitur ius pro æqualitate merito alicuius correſpōdens: quāobrem non ineptè Accurſius expoſſuit *ius ſuum*, pro merito. Hac igitur ratione in definitione iuſtitiæ ponitur, quia hæc virtus habet pro obiecto tribuere cuique, quod illi debetur ex merito, vel aliquo alio titulo, qui reducitur ad meritū, ſiue præmio afficiendi ſint homines ſi boni fuerint, ſiue pœna, mali ſi extiterint. His enim duobus capitibus, præmio ſcilicet, & pœna omnem conſtare Rempublicam Solon dicere ſolebat. Conſtitutio igitur æqualitatis in Republica eſt terminus, & obiectum iuſtitiæ, vt virtus moralis eſt. B C D

Ex hac iuſtitiæ declaratione, colligitur iuſtitiam propriè, & formaliter virtutem eſſe; quia bonum facit habentem, & opus eius eſt honeſtum: conſtituere enim in actionibus humanis, quibus homines inter ſe communicant, debitam proportionem, & æqualitatem eſt per ſe honeſtum, ac rectę

A rationi conſentaneum; ac proinde virtutis opus, quod facit;
vt qui ſtudet in his bonus ſit,& bonus cenſeatur.

Colligitur etiam ex dictis, diſtingui iuſtitiam ab omnibus
alijs virtutibus. Nam à virtutibus intellectualibus, & à Pru-
dentia diſtinguitur ratione ſubiecti: cum hæc ſubiectetur in
voluntate, illæ verò quæ dicuntur intellectuales; ſicut Pru-
dentia, ſubiectentur in intellectu. A virtutibus theologicis
diſtinguitur, quòd illarum obiectum ſit Deus; iuſtitiæ verò
B obiectum ſit conſtituere æquale inter homines: per quam
eſſentialem differentiam virtus iuſtitiæ à reliquis virtutibus
ſecernitur: vt etiam Myſing in tit. 1. inſtit. adnotauit nu. 15.
Diſtinguitur etiam à fortitudine, & temperantia, quòd hæ
virtutes ſint ad ſeipſum, iuſtitia verò ſit ad alterum à ſe di-
ſtinctum; & per reſpectum ad alterum diſponat hominem,
ac perficiat. Diſtinguitur etiam ab eiſdem ratione obiecti:
quia fortitudo verſatur circa ſufferendos dolores; temperan-
C tia in temperando ſe à delectabilibus, non autem in conſti-
tutione æqualitatis inter duo diſtincta ſuppoſita.

Colligitur denique hominis ad ſeipſum non poſſe dari
iuſtitiam propriè conſideratam Quia nulla poteſt dari homi-
nis ad ſeipſum iniuria, neque debitum, ac proinde neque
æqualitatis conſtitutio: niſi per quoſdam conceptus rationis
ſecundùm diuerſas conſiderationes eiuſdem ad ſeipſum.
Quamobrem nec inter patrem,& filium datur vera ratio iu-
D ſtitiæ ex doctrina Ariſt. lib. 8. Ethic. D. Th. ac reliquorum
Theologorum.

Notandum quoque erit; quòd cum iuſtitia, vt diximus,
alterum reſpiciat; propterea tàm ratione huius reſpectus,
quàm ratione æqualitatis conſtituendæ, quod eſt iuſtitiæ
obiectum, præſupponit aliquod debitum alicui ex partibus,
inter quas æquale conſtituendum erit: & hinc emanant par-
tes tàm ſubiectiuæ, quàm potentiales, iuſtitiæ. Partes autem

ſubiectiuæ dicuntur, quæ ſubijciuntur iuſtitiæ, tanquam ſpecies ſub genere: quia retinent, & participant veram, ac formalem rationem iuſtitiæ particularis per duplicem reſpectum, vel totius ad partes, vel partium inter ſe: iuxta doctrinam D. Th. 2. 2. queſt. 61. art. 1. Per reſpectũ enim partium inter ſe, & ad conſtituendum æquale inter partes, habetur ſpecies iuſtitiæ commutatiuæ. At verò per conſtitutionem ęqualitatis inter totum, & partes, habetur iuſtitia diſtributiua, quæ eſt altera ſpecies iuſtitiæ particularis. A B

Ex aliquo autem defectu, vel ex parte debiti, vel ex parte æqualitatis conſtituendæ, virtutes erumpunt; quas Philoſophi, & Theologi partes potentiales iuſtitiæ appellant: quia nimirum per eas exercentur aliqui actus, qui habent aliquid commune cum virtute iuſtitiæ: cum tamen ex alio capite deficiant à formali ratione iuſtitiæ. Ex eis enim aliquæ præſupponunt debitum, & formaliter debitum; ſed deficiunt à conſtitutione æqualitatis: aliæ conſtituunt æquale, ſed à formali ratione debiti deficiunt: vt ſunt Religio, Pietas, Obſeruantia, Obedientia, Gratitudo; & ſimiles: inter quas etiam enumerat D. Th. Iuſtitiam, quam dicũt vindicatiuam. Liberalitas quoque, Magnificentia, & Affabilitas, inter partes potentiales iuſtitiæ recenſentur. Quæ omnes virtutes, cum inter duo verſentur, & ſint ad alterum, ad virtutem iuſtitię referuntur à Theologis; quia per actus harum virtutum, iuſtitiæ actus exercentur: de quibus aliquid dicemus breuiter; quatenus harum virtutum cognitio poteſt inſeruire ad examinandum geſta piorum virorum. C D

Loquamur itaque primo de Iuſtitia commutatiua, quæ conſtituit æquale inter ciues: nec aliud habet obiectum, niſi reddere cuique, quod ſuum eſt ex debito particulari: ita vt qui accipit fiat ditior, & qui ſoluit fiat pauperior. Cuius iuſtitiæ materia ſunt bona particularia, circa quę hęc virtus verſatur.

A ſatur. Exercetur autem hæc virtus iuſtitiæ commutatiuæ in emptionibus, venditionibus, reſtitutionibus, & alijs contractibus publicis, aut priuatis; qui inter homines ſecundùm proportionem arithmeticam interueniunt.

Iuſtitia diſtributiua eſt virtus, quæ inter totum, & partes ęquale conſtituit; nimirum inter bona, quę ſunt totius Reipublicę, & veluti cōmunia ciuibus: habita nimirū ratione dignitatis illorum, quibus bona illa ſunt diſtribuenda. Huius iuſti-
B tiæ diſtributiuæ rationem bona communia tenent, & in diſtribuendis his verſatur: quæ, quamuis æqualiter omnibus debeantur, non tamen diuidūtur æqualiter; ſed habita ratione dignitatis perſonarum. Vt ſi diſtribuenda ſint ſpolia ex iuſto bello acquiſita; quamuis æqualiter Duces, Tribuni, ac milites pugnauerint; nihilominus in diſtributione ſpoliorum ratio diſtributiuæ iuſtitiæ expoſcit, maiorem partem ſpoliorum cedere debere Duci, quàm Tribuno, & Tribuno
C quàm militi, ſecundùm proportionem geometricam. Cuius iuſtitiæ diſtributiuæ ratio propria in Principe, ac Superiore per reſpectum ad ſubditos conſiderari debet.

Quia verò ex doctrina Apoſtoli fideles, & ſectatores Euangelij, actus iuſtitiæ tàm diſtributiuæ, quàm commutatiuæ diligentiſſimè tenentur exercere; iuxta illud Rom. 13. *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: nemini quicquam debeatis.*
D Propterea in diſcutiendis ſeruorum Dei actis conſiderandum occurret, qualiter ſe geſſerint in obſeruantia, & in exercitio actionum iuſtitiæ tàm commutatiuæ, quàm diſtributiuæ, iuxta ſtatuta Reipublicæ, in qua vixerunt: ita tamen vt nequaquam in quibuſcunque Dei ſeruis, omnes iuſtitiæ actus ad cuiuſcunq; iuſtitiæ ſpeciem requirantur: (quos nam actus iuſtitię exequi poterit ſolitarius, qui ab hominum cōmercio ſeceſſit?) Sed attenta conditione, & ſtatu vniuſcuiuſ-

que ſerui Dei, iuſtitię actus ab vnóquoque illorum requirantur: qui ſtatui, & conditioni illius correſpondere poterunt; ſiue ſubditus, ſiue Pręſul extiterit is, de quo agitur; cui in primis diſtributiuæ iuſtitię ratio cordi eſſe debet. A

2 Exordium igitur ſumatur à Religione in examinãdo partes potētiales iuſtitię: hęc etenim tum Deũ reſpicit: tũ etiam, vt ait D. Thom. 2 2. q. 106. art. 1. in ſua ratione materialiter obiecta Pietatis, Obſeruantię, Obedientię, & Gratitudinis complectitur. Deo enim debentur omnia, & nunquam ei poſſumus reddere ęquale. Quamobrem tàm ratione debiti, quàm etiam ratione reſpectus ad alterum, Religio ad virtutem iuſtitię pertinet: deficit tamen à ratione ęqualitatis. Eſt enim Religio virtus moralis, quę hominem inclinat, vt Deo tanquam omnium Creatori, & Domino debitum cultum, & honorem exhibeat, quam Pater Auguſtinus lib. 83. q. 31. ex Cicerone hac ratione definiuit: *Religio eſt virtus, quæ Superioris cuiuſdam naturæ, quam diuinam vocant, cultum, ceremoniamque affert.* Clarius ſic. *Religio eſt virtus, quæ debitum cultum Deo, tanquam primo rerum omnium principio exhibet.* Nam quemadmodum hominibus ob potentiam, ſapientiam, virtutem, & cuiuſuis perfectionis excellentiam debetur quidã cultus, ſeu honor; quo illam eminentiam cum quadam noſtri demiſſione teſtemur, ita Deo ob ſingularem, & infinitam in omni genere perfectionis ſummã excellentiam, quã habet, vt Deus eſt, debetur ei quidã ſingularis honor, veluti tributum quoddam, cum demiſſione, quę propriam ſubiectionem proteſtetur, quod tributum cum demiſſione, cultus appellatur. Eſt autem cultus, & honor huiuſmodi quædam manifeſtatio excellentiæ alterius, illius nimirum, cui cultus, & honor exhibetur. Religio itaque, nihil aliud intendit, niſi Dei excellentiã manifeſtare; & ratione prædictæ excellentiæ diuinam venerari maieſtatem. Quamobrem per B C D

A actus Religionis homo ſuam erga Deum ſubiectionem
proteſtatur, illumque ceremonijs,inclinationibus,ac proba-
tis ritibus,fatetur auctorem eſſe,fontem,& originem, bono-
rumque omnium Creatorem, Dominum, & Datorem.

Cum autem duplex ſit bonorum genus à Deo recepto-
rum,ad homines pertinentium; externum nimirum, & in-
ternum; ratione vtrorumque homo tenetur exhibere Deo
cultum, & honorem per ſui ipſius demiſſionem ad ſuæ ſub-
B iectionis proteſtationem. Et quidem pro bonis internis,ho-
mo, ſiue humana mens ſubijcitur Deo per actus deuotio-
nis, & orationis; ſicut etiam ſubijcitur per actum vouendi,
præſertim per vota eſſentialia alicuius Regularis inſtituti; vt
per ſanctam virginitatem: de qua Pater Auguſtinus lib. de
ſancta virginitate cap.8. *Per virginitatem*, inquit, *integritas*
carnis vouetur, conſecratur, & ſeruatur. & cap. 11 eiuſdem li-
bri ait: *Nec nos hoc in virginibus prædicamus, quòd virgines*
C *ſunt; ſed quòd Deo dicatæ ſunt pia continentia.* Virginitas enim
eſt virtus, per quam homo proteſtatur ſe velle Deo firmiter
inſeruire. Per vſum quoque Sacramentorum homo ſubijci-
tur Deo. Vſu enim Sacramentorum proteſtatur homo
Deum eſſe gratiæ Authorem, per quem mentes noſtræ af-
ficiuntur, vt Deo magis coniungamur.

Aliud eſt bonorũ humanorũ genus externum: quo voca-
bulo tàm bona corporis, quàm diuitiarum comprehendun-
D tur. Per bona corporis Deo cultus exhibetur actibus adora-
tionis, quæ ſunt genuflexio, inclinatio, adoratio, & alia
huiuſmodi exhibita Deo per latriæ actus. Nam honor, qui
Sanctis, tanquam Dei amicis, & familiaribus exhibetur, non
eſt actus latriæ, ſed hyperduliæ, aut duliæ.

Bonis deniq; omninò externis, vt ſunt diuitiæ, dupliciter
cultus Deo exhibetur, videlicet mediatè, vel immediatè ſi
ad ſacrificij vſum exhibeantur, & in ædificijs tẽplorum, ſiue
alta-

altarium inſumatur: mediatè verò Deo per hæc cultus exhibetur; dando eadem miniſtris ſacrorum, & ad vſum ſacrificiorum; vel ad decorem templorum; aut etiam ad ipſos ſacerdotes alendos ea ipſa expendantur. Omnes enim hi actus ad virtutem Religionis pertinent, & potiſſimum in actis piorum ſunt exquirendi: cum Religio ſit virtus moralis cęteris nobilior, & dignior: quia magis immediatè, quàm reliquæ Deum attingit: quamuis obiectum illius non ſit Deus, ſed Dei cùltus, & honor. A B

Pietas eſt altera ex his virtutibus, quæ inter partes potētiales iuſtitiæ recenſentur: de qua D. Th. 2. 2. quæſt. 101. cuius virtutis vocabulū, licet ſumatur pro omni virtute, qua Deo ſeruimus & pro ipſa etiam Religione; hic tamē ſumitur per reſpectum ad parentes, quibus in primis poſt Deum quisq; debet vitam, & illud eſſe naturale, quod habet: quamobrem ratio debiti in hac virtute manifeſta eſt. Deficit tamen à vera ratione iuſtitiæ defectu æqualitatis conſtituendæ; quia parentibus non poteſt reddi æquale. Hanc virtutem ſic deſcribit P. Auguſtinus lib. 83. q. 11. *Pietas eſt, per quam ſanguine iunctis, patriæque, & beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus*. Quæ deſcriptio ijſdem omnino verbis tradita fuerat à Cic. lib. 2. de inuent. In ea ſanguine coniunctorum vocabulo parentes in primis ſignificantur: cultus verò nomine in allegata definitione, nō ſolùm intelligitur honor, & teſtificatio ſuperioris excellentiæ, ſed etiam alimentatio, quam parentibus filij exhibere tenentur. Vtrum autem hoc ſit de ratione formali obiecti pietatis, an per accidens illi cōueniat; quia nimirum accidit parentes alicuius infirmari, aut ad inopiam redigi; viderint Theologi 2. 2. quæſt. 101. Religio autem cæteris paribus, præponi debet pietati, iuxta illud Hieronymi ad Heliodor. *Percalcatum perge patrem, percalcatam perge matrem, ad vexillum Crucis euola, ſummum genus* C D

pie-

A *pietatis eſt in hac re crudelem eſſe.* Ex qua doctrina cõſtat, examinandum in actis piorum virorum, qui ad regulare inſtitutum tranſierunt; qua ratione ſe geſſerint erga parentes, antequam ad regulare inſtitutum tranſirent.

Obſeruantia, de qua D. Th. 2.2. quæſt. 102. eſt altera virtus, quæ ad iuſtitiam reducitur; & viros virtute, ac dignitate pollentes reſpicit; qui reliquos gubernant, vel regimini ſunt aptiores; Magiſtratus nimirũ, Seniores, Sanctiores, ac Superiores omnes, quibus reliqui ſubijciuntur: & definiri poteſt
B quod *ſit virtus cultum deferens Superioribus, & alijs perſonis excellentibus, quæ homines gubernãt, vel gubernare ſunt idoneæ.* Et quamuis æquale inter partes rectè conſtituatur per hanc virtutem: deficit tamen a formali ratione iuſtitiæ ex parte debiti: quia videlicet Obſeruatia cultũ exhibere docet alteri; non ex aliquo debito iuridico, ſiue vero ac reali, ſed tantùm ex morali quodam reſpectu. Tenentur enim homines
C exhibere cultum, & honorem Regi, ac Superiori. Siquis autem Superiori caput minimè inclinauerit, non propterea iure videtur puniendus, ſed tantùm redarguendus. Huius virtutis actus præcipuus, ad noſtrum inſtitutum deſeruiens, erit æquo animo ferre moleſtias, aſperitatem, moroſitatem, ac iniurias ſenum, magiſtratus, ac ſuperiorum: ita vt homo propterea ab obſeruantia eis debita minimè deficiat, iuxta monitum Eccleſiaſtici.

D Obedientia eſt virtus ad alterum, de qua D. Thom. 2.2. q. 104. & dicitur obedientia, quaſi obaudientia: definiturq; quod *ſit virtus, qua exequimur actus à Superiore præceptos; quia præcepti ſunt.* Præceptum enim eſt formale obedientiæ obiectum: & vbi nullum interceſſerit præceptum, neque obedientię virtutis actus dari poſſunt. Nam obedientia materialiter ad actus omnium virtutum extenditur; quatenus actus virtutum omnium, legibus, ſtatutis, aut decretis præ-

cipiuntur. Ampliſſimæ verò huius virtutis laudes extant A
apud ſanctos Patres. Hieron. epiſt. 8. ad Demetr. cap. 15. Auguſtinum etiam de Ciuit. cap. 12. ait. *Obedientiam in præcepto commendari, & matrem quodammodo eſſe, & cuſtodem omnium virtutum.* Gregor. lib. 35. moral. cap. 12. & lib. 4. in 1. Reg. cap. 5. Quoties igitur aliquis exequitur aliquid, quod ei præceptum fuerit, obedientiæ actum elicit: & ſubditi tenentur obedire Superioribus quibuſcunque in omnibus, in quibus non excedunt limites ſuæ poteſtatis. B

Sed in his exequendis obedientiæ actibus ſeruandus eſt ordo: vt Deo nimirum primò obediatur, deinde hominibus, iuxta illud Petri in actibus Apoſtolorum. *Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus.* Filij tenentur obedire parentibus. Coloſſ. 3. *Filij obedite parentibus per omnia.* Superiori Eccleſiaſtico potius, quàm ſæculari, fideles in rebus religioſis obedire tenentur: iuxta illud Christi Domini. *Omnia quæcunque dixerint vobis ſeruate, & facite.* Et Apoſtoli ad Hebr. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, tanquam rationem reddituri pro animabus veſtris.* C
Superiori ſæculari in omnibus, quæ ad laicum regimen pertinent, ſubditi tenẽtur obedire, iuxta illud Apoſtoli ad Tit. 3. *Admone illos Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe,* & in 1. Petri 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ.*

Obedientia tres potiſſimum conditiones requirit; videlicet, cæcitatem, promptitudinem, & fortitudinem. Nam in D
executione illorum, quæ præcepta fuerint à Superioribus adeo cæcè debent procedere ſubditi, præſertim Regulares, vt nullo modo velint iudicare de præcepto Superioris. *Credas tibi ſalutare quicquid Præpoſitus præceperit* (inquit Hieronym.) *nec de maiorum ſententia iudices, cuius officium eſt obedire, & implere, quæ iuſſa ſunt dicente Moyſe: Audi Iſrael, & tace, ſiue obſerua vt facias.* Et hæc eſt illa obedientia

cæca;

A cæca, quam Sancti Patres tantopere commendant.

Altera conditio Obedientiæ eſt promptitudo ad exequendum præcepta Superiorum, vt nimirum non expectetur à Dei famulo ſtrictum Superioris præceptum; non differat Dei ſeruus in obediendo; non tergiuerſetur; non ſe excuſet; non lentè, aut cum torpore ad opus accedat. De qua obedientia Bernardus ſermone de virtute obedientiæ ait, *Verus obediens mandatum non procraſtinat, ſed parat aures*
B *auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri; & ſic ſe totum intra ſe colligit, vt mandatum peragat imperantis*. Et quia Regulares tàm viri, quàm mulieres obediētiæ votum emittunt; in diſcutiendis eorum actis in primis conſiderare oportet qualiter, & quàm promptè ſe habuerint in executione eorum, quæ illis præcepta fuerint: præſertim in iјs, quæ ad Religionis exercitia, ad regularem diſciplinam, aut mortificationem pertinent.

C Veri obedientis tertia conditio eſt; vt ſit fortis in aggrediendo opus præceptum à Superiore; nec detrectet exequi difficilia; ita vt poſtquam incœperit aliquod opus non reſiliat ob occurrentes difficultates. De hac fortitudine obedientię multa ſcribit Chryſoſt. hom. 2 in 2. ad Corinth. Caſſian. de inſtit renunciat. cap 10. Baſil. in monaſt. conſtit. cap. 20. hæc habet. *Oportet in primis, qui ſe ad huius vitæ rationem contulerit*, id eſt ad monachatum, *ſtabili, firma, immobilique volunta-*
D *tis conſtantia ſit*. Et infra. *Deinde animi firmitate tanta, vt ad mortem vſque conſtantiam Martyrum exhibeat; tum diuinis præceptis retinendis, tum obedientia intra miniſtros ſuos conſeruanda; hoc enim totius vitæ inſtitutum eſt caput*. Plura quoque alia de virtute obedientiæ dici poſſent; ſed hæc ſatis, vt in actis piorum veræ obedientiæ actus dignoſcantur.

Gratitudo eſt altera virtus, quę ad iuſtitiam pertinet: quia eſt ad alterum, ſaltem ex debito morali: de qua D. Th. 2. 2.

quæſt. 106. & eius vox à gratiæ vocabulo deriuatur, & multoties idem eſt gratia, quòd gratitudo: quando nimirum gratiæ vocabulum ſumitur pro virtute ipſa. Quia beneficiũ gratuitum per aliquam viciſſim gratiam compenſatur, quo pacto vocabulum hoc Ariſt. accepit 4 Eth. cap. 1. cum dixit. *Gratia ei, qui dat exhibetur*. Et Seneca. *Gratiam parit gratia*. Gratiaque hoc modo ſumpta, eſt ipſa gratitudinis virtus; quam S. Pater Auguſtinus lib. 83. quæſt. in quæſit. 31. his verbis ex Cicerone ſumptis definiuit. *Gratia eſt, in qua amicitiarum, & officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur*. Itaque ratio huius virtutis in eo collocatur, quòd per eã conuenienti aliquo modo remuneretur gratuitum beneficium ab aliquo acceptum. Vtrum autem ſit vna tantùm virtus, an plures; ita tamen, vt identificetur cum Religione, Pietate, & Obſeruantia, quatenus earum obiecta reſpicit; viderint Theologi cum D. Th. loco citato. A B

Ad hanc gratiæ retributionem, & gratitudinis virtutem tria ſaltem pertinent. ſcilicet beneficium agnoſcere: quod fit debita beneficij æſtimatione, & acceptatione: beneficium laudare; quod fit gratiarum actione; beneuola gratiæ proteſtatione, cum quadam ſui ſubmiſſione ad ſuum benefactorem directa: denique gratiam benefactori referre, aliquid ei retribuendo pro loci, & temporis, aliarumque circumſtantiarum opportunitate. Quando verò quis debeat omnes tres iſtos actus exercere, & illa tria prædicta officia in benefactorem conferre, & quantum retribuendum ſit, & quando gratia referenda: hæc iudicio prudentum ex circunſtantijs incidentibus iudicanda ſunt. C D

In actis igitur piorum virorum, ac ſeruorum Dei, de quorum canonizatione agitur, examinandi erunt actus omnium prædictarum virtutum, quæ ad iuſtitiam pertinent, ſiue tanquam partes potentiales, ſiue ſubiectiuæ, ſiue integrales, præ-

A præſertim quatenus ab ipſiſmet Dei ſeruis ordinati fuerint
ad finem eminentiſſimum,& ſupernaturalem. Non ſolùm ,
vt ex frequentatis actibus , & in exercitio prædictarum vir-
tutum , iuſtitiæ habitus in aliquo ſeruo Dei recognoſcatur :
ſed etiam vt ex fine ſupernaturalis eiuſdem habitus intenſio,
& gradus heroicus virtutis; qui pręcisè requiritur in Beatifi-
candis, atque Canonizandis,manifeſtus apparet : hac enim
ratione perfectę iuſtitiæ rationes in illorum actis cognoſcen-
B tur; & iuſtitiæ habitus Dei ſeruos habuiſſe perſpicuum erit.

Maxima quidem virtus exiſtit iuſtitia,vt vidimus , & qui
verſabitur circa illius actus per partes ſubiectiuas , poteſtati-
uas,ac potentiales adeò eminentem ſanctitatis gradum hau-
rient, vt meritò ſanctiſſimi cenſeantur. Nam ſanctitas ipſa
ſacris in Scripturis iuſtitia appellatur, vt diximus. Et quidem
exercitio actuum Gratitudinis,Obedientię,Pietatis,Religio-
nis Obſeruantiæ , alijsque enumeratis partibus iuſtitiæ ma-
C ximum ſanctitatis alicuius colligitur argumentum : ſi actus
prædicti,illorumq; exercitium cadant in fidelem aliquem,
Chriſtianis imbutum inſtitutis. Sanctitatis autem , quod di-
cimus argumentum,non quidem ex vno,vel altero illorum
actuum,aut ex omnibus ſeorſim conſideratis,& vti ſingulis,
colligitur, ſed collectiuè ex omnibus . Quamobrem quoties
acta alicuius Dei ſerui examinanda veniunt , ac exquirenda
ad effectum Canonizationis, vel Beatificationis ; vbi plures
D Dei ſeruum , vel Dei famulam peregiſſe actus virtutis ad iu-
ſtitiam pertinentes conſtiterit : ſiue reducantur ad partes
ſubiectiuas, ſiue ad partes potentiales iuſtitiæ, ſiue integran-
tes; ex ipſis certè non infirmum , ſed maximum ſanctita-
tis argumentum haurietur .

A

CAP. III.

Fortitudinis actus ad Sanctitatis notam explicantur.

FORTITVDINIS vocabulum, & eius vis primò depuretur: vt à reliquis ſignificationibus, quæ ad rem noſtram non faciunt, ſecernatur. Fortitudo igitur ſignificat aliquando robur tàm corporis, quàm ſpiritus. Quapropter quaſcunque validas vires fortitudinis vocabulo ſignificamus, ſiue ad bonum, ſiue ad malum referantur: ſub qua ſignificatione in bonum ſæpiſſimè à Spiritu Sancto in libro Iudicum 16. Sampſonis fortitudo cõmendatur: quemadmodum etiam in libro Iob. cap. 40 in malum de fortitudine Diaboli textus ſacer loquitur. Sed tranſeamus iam ad ſpirituales habitus, in quibus fortitudinis vocabulũ ſecundariò conſideratum vnum ex ſeptem Spiritus Sancti donis ſignificatur; cuius Spiritus doni ab Iſaia cap. 11. enumerantur. Fortitudinis quoque vocabulo ſignificatur quæcunque animi virtus, & quodcunque animi robur; per quod quis in officio ſe continet circa bonum honeſtum; ſpretis quibuſcunque rebus, ſiue iucundis, ſiue acerbis, quibus homo poſſet allici ad peccandum. Sub vocabulo etiam fortitudinis de qua agimus generatim complectuntur omnes virtutes: quemadmodum diximus iuſtitiam vniuerſaliter ſumptam reliquas quoque virtutes complecti.

B

C

D

De fortitudine in hoc ſenſu, & in hac generali ſignificatione loquitur S. Ambroſius lib. 1. de offic. cap. 36. cum ait. *In duobus generibus fortitudo ſpectatur animi, primò vt externa corporis pro minimis habeat, & quaſi ſuperflua deſpicienda*

magis,

A *magis, quàm expetenda ducat: ſecundò, vt ea quæ ſumma ſunt, omneſque res in quibus honeſtas, & illud πρέπον cernitur; præclara animi intentione vſque ad effectum perſequatur.* Itaque fortitudo, iuxta S. Ambroſium, complectitur contemptum diuitiarum, honorum, & voluptatum, ac firmum propoſitum inhærendi bono honeſto, taliter, vt quibuſcunq; occurrẽtibus incommodis, homo ab eo bono honeſto non diuellatur. In hac eadem ſignificatione loquebatur de fortitudine
B Ambroſius cũ ſubintulit: *Iure fortitudo vocatur, quando vnuſquiſque ſeipſum vincit; irã cõtinet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur; non aduerſis perturbatur; non extollitur ſecundis, & quaſi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione.* Et Sanctus Proſper lib. 3. cap. 20. in hoc eodem ſenſu de fortitudine, quatenus complectitur omnes virtutes, loquitur cum ait. *Animi fortitudo ea debet intelligi, quæ non ſolùm diuerſis pulſata moleſtijs inconcuſſa permaneat; ſed etiam*
C *nullis voluptatum illecebris reſoluta ſuccumbat.* Sed de fortitudine, quatenus eſt, virtus in hac generali ſignificatione nobis loquendum non eſt.

Ex prædictis autem fortitudinis acceptionibus, nulla eſt, quæ faciat ad præſentem materiam, de qua agimus. Sumitur enim hic à nobis fortitudinis vocabulum, quatenus ſignificat peculiarem quandam virtutem, ſeu habitum, per quem animus noſter rectè ſe habet circa ea, quæ ſunt acerba, & ter-
D ribilia, quæque vt talia poſſunt deterrere animum ab officio rectæ rationi conſentaneo.

Vt autem lucidius explicetur, quænam virtus ſit Fortitudo; obſeruare oportet, omnẽ virtutẽ verſari circa directionẽ rationis; vt nimirum rectè ſe habeat ratio circa internos animi motus, & circa naturales paſſiones, ac affectiones, in quacunque occaſione, ne deflectat à recta regula. Quia verò nihil eſt in intellectu, quod pri us fuerit in phantaſmate,

R atque

atque in ſenſu: & ſenſibus occurrere poſſint interdum con- A
traria, & mala, vt ſunt dolores, torturæ, cruciamenta, & mors
ipſa, quæ in phantaſia apprehenſa, dolorem, & triſtitiam
afferunt: ac ad rationem delata poſſunt deterrere illam, &
efficere, vt ratio deflectat tam internè, quàm externè ab
operationibus à recta regula, quæ nos dirigit ad bonum ho-
neſtum. In prædictis enim apprehenſionibus periculorum
mortis, cruciamentorum, bonorum expoliationis, & ſimilia,
vt mala, peculiaris apprehēſa eſt difficultas. Propterea, vt quis B
ex decore, & rationis norma interius, exteriuſque ſe gerat, re-
quiritur peculiaris virtus, quæ noſtros affectus dirigat, quam
Fortitudinem appellamus.

Hæc virtus ex ſententia Ariſt. & D.Th. 2.2. vbi agit de
hac virtute quæſt 123. art. 1. ſic poteſt definiri. *Fortitudo eſt
virtus, quæ mediocritatem ſeruat inter fiducias, atque timores.*
Ita Ariſt. 2. Ethic. & lib. 3. cap. 7. clarius ait. *Qui igitur ea, quæ
oportet, & cuius cauſa oportet, & vt oportet, ſuſtinet, ac ti-* C
*met, & ſimili modo etiam confidit, fortis eſt, quippe cum pro di-
gnitate, & ſicut ratio præſcribit fortis vir, & patiatur, &
agat.* Eodem collimat deſcriptio Fortitudinis à Cicerone
tradita lib. 2. de inuentione: & totidem verbis ab Auguſti-
no etiam relata lib. 83. quæſt. 3. ſub his verbis. *Fortitudo
eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & malorum perpeſſio.* Ex
quibus omnibus deſcriptionibus, ſeu definitionibus Fortitu-
dinis, atque hominis fortis hanc, vt reor, fortitudinis defini- D
tionem colligere poſſumus. *Fortitudo eſt habitus, ſeu virtus
firmans animum ad agendum, vel patiendum ea, quæ recta ra-
tioni ſunt conſentanea.*

In hac allata definitione, ſiue deſcriptione Fortitudinis,
dicitur fortitudo habitus eſſe, ſeu virtus, quia eſt vna ex mo-
ralibus, & niſi eſſet habitus, virtus non eſſet. Nam, vt ali-
bi diximus, in vnico actu, vt actus eſt; virtutis alicuius ratio

non

A non cõſtituitur; ſed ad ratione virtutis requiritur, vt ſit qualitas aliqua, ſiue infuſa, ſiue acquiſita, & de difficilè mobili: quę nõ poteſt eſſe, niſi ſit habitus, qui ab Ariſtotele definitur: quod ſit difficilè mobilis. Conſtat enim, fortitudinem eſſe virtutem, quia facit bonum habentem, & opus eius eſt honeſtum.

Dicitur quoque in præallata definitione, ad rationem fortitudinis ſpectare, firmare animum ad agendum, vel pa-
B tiendum. Notandum igitur quòd, quemadmodum ars ſtatuaria verſatur circa lignum, æs, aut lapidem, veluti circa materiam aptam ad faciendum ſtatuam: nec aliud intendit ſtatuaria, niſi in illa materia imprimere ſeipſam. Ita virtus moralis intendit imprimere ſeipſam, ac ſuam perfectionem in actionibus externis; & paſſionibus humanis internis: circa quas ſe habet virtus, veluti circa materiam. In fortitudine autem paſſiones frenandæ, ſunt timor, & audacia, ſeu fidu-
C cia, & triſtitia, interni quidem animi motus; ex quibus prodeunt actiones externæ. Sicũt igitur ſtatuariæ opus, non eſt lignum, lapis, aut æs, ſed ſtatua ex lapide, ligno, vel ære confecta: ita proprium opus fortitudinis non eſt timere abſolutè, neque audere, vel aggredi pericula; ſed dirigere hominem, vt audeat, quando audendum eſt, timeat, quando timendum eſt; aggrediatur pericula, quando aggredienda ſunt, & triſtetur moderatè, & cum decore, quando triſtari
D oportet: conſequenter igitur fortitudinis opus compactum exiſtat ex illa rectitudine, & paſſione interna, eſt timere, & audere, moderatèque triſtari.

Notandum etiã, in rebus moleſtis, quæ ab hominibus apprehendũtur vt talia: vel quòd sũt futura, vel pręſentia: ſi ſunt futura, vel vinci nequeunt, vel ſuperari poſſunt: ſi nequeant vinci, & ſub hac ratione apprehendantur, paſſio timoris in nobis gignitur. Si verò ſunt ex eo genere moleſtiarum, quę

vt ſuperabilia apprehenduntur, gignetur in nobis paſſio audaciæ ad aggrediendum malum, vt expellatur. At ſi moleſtum præſens extiterit; ex illius apprehenſione gignitur in nobis paſſio triſtitiæ. Quamobrem ex apprehenſione malorum præſertim externorum, interius in nobis vel excitatur ingens timor ad mali fugam, vel excitatur motus audaciæ ad mali repulſam, vel ad contemnendum illud malum, motus excitatur aggreſſionis, quando fortè pericula aggredienda non erunt. Neceſſaria eſt itaq; virtus aliqua, quæ dirigat rationem, & voluntatem; ne temerè aggrediatur pericula, ſed tunc ſolùm, quando aggredienda erunt; nec temerè audeat, quando non eſt audendum; nec magis quàm deceat, mortem timeat, cruciamenta, carceres, perſecutiones, aut amiſſiones bonorum, & ſimilia, nec triſtetur de malo ineuitabili, & præſertim vltra quàm deceat. Virtus igitur, quę habet ex officio, motus rationis noſtræ dirigere, ne in prædictis à recta regula deflectat, Fortitudo dicitur. Diſcrimen itaque fortitudinis, vt virtus eſt, per quod à reliquis moralibus virtutibus ſecernitur, in eo collocatur; quòd animum in malis, atque periculis firmet; dirigendo non ſolùm motus animi internos, ſed externos quoque actus ad regulam rationis. A B C

Differt autem fortitudo à iuſtitia, quòd hæc moueat animum ad agendum iuſte, & conſtituendam æqualitatem cũ altero à ſe diſtincto; differt à prudentia, quod hæc ſit habitus practicus in intellectu, prę̃ſcribẽdo voluntati, quæ media hic & nunc ſint aſſumenda ad hunc, vel illum finem: differt etiam à temperantia, cum hæc, vt videbimus, ſubiectetur in concupiſcibili appetitu: Fortitudo verò, in iraſcibili; illa appetitum tantùm moderetur; fortitudo verò non tantùm moueat, & moderetur; ſed firmet, ſtabiliatque animum, non tam ad agendum, quàm etiam ad ſuſtinendum. Inſuper D

reli-

A reliquæ omnes virtutes perficiunt potentias ad agendum: fortitudo verò perficiat animum tàm ad agendum, quàm etiam ad patiendum, ac ſuſtinendum.

Diximus quoque in definitione fortitudinis, hanc virtutẽ firmare animum ad agendum, vel patiendum ea, quæ rectæ rationi ſunt cõſentanea. Per quas particulas diſtinguitur hæc virtus fortitudinis ab audacia, ſeu temeritate, à deſperatione, & obſtinatione, ſicut etiam à timore: quæ paſſiones vel B animum non firmant; vel ſi firmant, verius dici debent indurare ad agendum, vel patiendum ea, quæ rectæ rationi minimè ſunt conſentanea. Hæc enim virtus fortitudinis in moderandis timoribus, & præſumptione verſatur: & conſequenter etiam in moderanda paſſione ſpei, ſeu inconſideratæ fiduciæ.

Obiecta autem omnia dura, atq; moleſta, acerba quoque, & terribilia quæcunque, quibus animus deterreri poteſt, & C dimoueri ab officio rectæ rationi conſentaneo, habent materiæ rationem, circa quam fortitudo verſatur. Itaque non quodcunque periculum, non quæcunque leuis difficultas præſtat materiam fortitudini, ſed grauia, & difficilia pericula, ac horribilia; quæ poſſunt inducere formidinem in virum conſtantem; nec ſolùm formidinem, ſed etiam timorem eiuſmodi inducunt, vt animus humanus deterreri poſſit, & inclinari ad operandum, quod rectæ rationi non congruit.

D Eiuſmodi ſunt carceres, exilia, bonorum amiſſio, corporei cruciatus, ſuffoſſio oculorum, mutilatio membrorum, captiuitates, fames, perſecutiones, & alia huiuſmodi, ſunt obiecta, circa quę fortitudo verſatur, veluti circa propriam materiam non quidem proximam, ſed remotam.

Cumque inter omnia ardua, & terribilia, terribiliſſima cenſeatur mors; quæ vltimum terribilium ab Ariſtotele dicta eſt: propterea fortitudinis virtus primariò circa mortem,

& pericula, quibus mors imminet, obfirmare animum cenſeri debet: ſecũdariò verò etiam circa reliqua ardua, & terribilia, vt ſunt carcerationes, pœnalitates, fuſtigationes, excarnificationes, perſecutiones, exilia, vituperationes, opprobria: bonorum expoliationes, & ſexcenta alia, quæ nos legimus in actis Sanctorum Martyrum. Atque in hoc ſenſu etiam Ariſt. lib. 3. Ethic. cap. 6. ait. *Ille propriè vir fortis dicetur; qui circa præclaram mortem impauidus fuerit, & circa ea, quæ mortem afferunt, cum ſunt proxima.* Cumque paſſiones, quæ ab hac virtute moderantur, potiſſimum ſint timor, audacia, & ſpes; quæ habent pro obiecto aliquid arduũ, & difficile: propterea dicendũ videtur in appetitu iraſcibili ſubiectari hanc fortitudinis virtutẽ, vbi paſſiones quoque prædictas ſubiectari certum eſt; quamuis in voluntate pariter reſideat ſuo modo virtus fortitudinis, vt docet Valent. tom. 2. in diſp. de virtut. q. 2 punct. 2. A B

Quia verò virtutes omnes verſantur circa bonum arduũ: hinc manifeſtum eſt proprium huius virtutis eſſe propugnare, & tueri aliquam aliam virtutem: in cuius nimirum officio rectæ rationi conſentaneo obfirmat animum Manifeſtè hoc patet ex doctrina D. Th. 2. 2. q. 123. art. 1. quò ſpectat illud Ambroſ. cap. 39. lib. 1. de offic. dicentis. *Non eſt diſcreta à cæteris animi fortitudo, quæ bellum cum virtutibus gerat; ſed quæ ſola defendat ornamenta virtutum omnium, & iudicia cuſtodiat: & quæ inexpiabili prælio aduerſus omnia vitia decernat, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduerſus voluptates; quibus aurem deferre neſciat: nec (vt dicitur) auc dicat, pecuniam negligat, auaritiam fugiat, tanquam labem quandam, quæ virtutem effœminet.* C D

Fortitudinis ſpecies propriè nullæ dantur: vt docet etiam D. Th. 2. 2. q. 128. quia fortitudo eſt virtus ſpeciei ſpecialiſſimæ, cum verſetur circa pericula mortis, vt talia ſunt. Nihilomi-

A lominus cum fortitudo reſpiciat difficilia, ad quæ aggredienda, vel aggreſſa tenenda, vel ſuſtinenda neceſſariæ ſunt virtutes aliquæ ſpeciales; quæ iuxta hunc, vel illum reſpectum humanum animum perficiant, atque corroborent; propterea excogitarunt Philoſophi, atque Theologi quaſdam virtutes, quæ ſunt veluti partes potentiales, & integrales eiuſdem fortitudinis.

Integrantes dicuntur aliquæ virtutes; non quidem ex eo,
B quod habitus fortitudinis intrinſecè ex eis coaleſcat; ſed quod neceſſariò requirantur, vt fortitudo perfectè ſuum officium exequatur, ideſt animum firmet, atque corroboret. Potentiales verò, quæ fortitudinem imitantur, animumque conſtabiliunt in periculis citra mortem, & in materia minus difficili. Ab Auguſtino autem Doctorum omnium Doctore in lib.83.q.31. quatuor tantùm videntur enumerari partes integrantes fortitudinis, videlicet magnificentia, fidentia,
C tia, patientia, & perſeuerantia: quas D.Th. optimè declarat 2.2.q.128.art.vnico in corpore, & ad quintum argumentũ. Quæ quidem enumeratæ partes, ſi per reſpectus ad materias minus difficiles ſpectentur, partes potentiales eiuſdem fortitudinis cenſebuntur: & ad numerum octonarium referuntur à D.Th.2.2.q.129.art.7.& q.134.& quæſt.136.art.5.& q.137.art.3. de quibus ſingulis dicere non eſt noſtri muneris, ſed tantùm de principalioribus.

D Cum enim fortitudinis officium in duobus actibus imprimis conſtituatur, in aggrediendo nimirum, & ſuſtinendo virtutes, quæ hos actus iuuant, nobis in hoc tractatu deſeruiunt. Nam ad aggredienda & ad ſuſcipienda pericula animi, fortitudo requiritur: ad quę promptitudinẽ prębant fiducia, & ſecuritas. Requiritur etiam ſtrenuitas in executione, quam tribuit magnificentia. Pari ratione ad ſuſtinendum aſpera duo requiruntur; primò quidem, ne animus infringa-

tur, quod præſtat patientia. Secundò ne animus diuturnitate malorum fatiſcens deficiat: ad quod iuuat conſtantia, & perſeuerantia, de quibus, omiſſis ſcholaſticis ſubtilitatibus breuiter agemus. A

Exordium autem ſumatur à fiducia; quæ quidem oritur ex certa ſpe futuræ retributionis, ac prȩmij: & eſt virtus perficiens animum, vt ardua aggrediatur citra mortem: & à D. Th. 2. 2. q. 129. art. 6. definitur ſic. *Fiducia eſt ſpes futuri auxilij concepta ex dictis aliorum, vel ex his, quæ ſunt in ſe, vel in alio.* Ratione itaque obiecti, quod eſt aliquid arduum, fiducia fortitudini aſſimilatur, & eſt quodammodo illius ſpecies. Quia verò non extenditur ad quodcũque arduum, & terribile; imo indirectè fertur in hoc ſingulare arduum: propterea à propria ratione fortitudinis deficit. Sub hac virtute comprehẽditur Securitas, & Magnanimitas. Securitas autem eſt perfectio quædam fidentiæ, & virtus conſtituens hominem ſine cura. *Eſt autem ſecuritas perfecta quies animi à timore.* Ita D. Th. 2. 2. q. 129. art. 7. Hæc virtus non eſt eadem cum fortitudine, ſed quædam eius conditio, quæ fortitudinem comitari debet. Huius enim munus eſt, confirmare animum aduerſus nimias anxietates, quibus in aggrediendo res arduas infirmari poſſet: excludens videlicet timorem, & anxias curas ob imminentia pericula. Eſt tamen in rebus arduis aggrediendis modus ſeruandus, & à ſecuritate nimia cauendum, niſi fortè aliquis diuinis verbis inniteretur, quibus vera ſecuritas inniti debet. B C D

Patientia animum firmat aduerſus triſtia, & ad ea ſuſtinenda, quæ ex pœnalitatibus præſentibus gignuntur: ne fortè animus ab obiecto præſenti oppreſſus, ab officio rectæ rationi conſentaneo deficiat. Eſt autem adeo homini chriſtiano neceſſaria hæc virtus; vt dicat Apoſtolus. *Patientia vobis neceſſaria eſt, vt reportetis repromiſſiones.* De hac virtute ſcripſit

A pſit latè Pater Auguſtinus, & Cyprianus in lib. de patient.
cap. 1. *Virtus* (inquit) *animi, quæ patientia dicitur, tàm ma-
gnum Dei donum eſt, vt etiam ipſius, qui eam nobis largitur, pa-
tientia prædicetur*. Et cap. 2. ſic eam definiuit, ſiue deſcripſit:
Patientia hominis eſt, qua mala æquo animo toleramus, ideſt,
ſine perturbatione triſtitiæ, *ne animo iniquo bona deſeramus,
per quæ ad meliora perueniamus*. Ex qua quidem definitione
Sancti Cypriani patientiam verſari circa mala præſentia,
B conſtat; totamque eius vim eſſe in ſubſtinentia pœnalitatum
præſentium, & permanentium.

Perſeuerantia quoque ad fortitudinem ſpectat: cum ſit
virtus, quæ animum perficit contra dilationem temporis,
ne deficiat ab opere rectæ rationi conſentaneo: dum ardua,
atque difficilia, & aſpera ſuſtinet. Itaque perſeuerantia ani-
mum firmat contra moleſtiam, quam Dei ſeruus aliquis for-
taſſis experitur ex temporis diuturnitate: ſiue in perficien-
C do aliquod bonum, quod ſtatim perfici nequeat: ſiue in ex-
pectando auxilium, per quod ſubleuetur à pœnalitatibus, &
moleſtijs præſentibus. Dum enim aliquis dolorem aliquem
patitur, certum eſt, grauiſſima affici moleſtia diuturnitate
temporis: & hinc dicitur. *Spes, quæ differtur, affligit animum*.
Contra hanc animi moleſtiam virtute perſeuerantię animus
firmatur, atque perficitur.

Conſtantia eſt virtus, quæ ad perſeuerantiam pertinet: &
D veluti fortitudinis quædam pars animum munit circa res ar-
duas, & difficiles; vt nimirum firmiter animum contineat in
bono contrà difficultates præſentes; prouenientes ex qui-
buſcunque circumſtantijs. Colligitur hæc doctrina ex D. Th.
2. 2. q. 137. art. 3. Poteſt enim fieri, vt ex pœnalitatibus præ-
ſentibus, quas aliquis Dei ſeruus, vel Dei famula æquo ani-
mo tolerat; aduenientibus fortaſſe aliquibus circumſtantijs
animus de proprijs viribus timere incipiat, ac propterea la-

befa-

beſactetur aliquando; quaſi de propria ſubſtinentia deſpe- A
rans: vt aliquibus fidelibus, dum torquerentur, accidiſſe legitur. Contra has cogitationes,& in his caſibus adeſt virtus Conſtantiæ, quæ animum firmat, ne labefactetur, aut deficiat.

Inter partes potentiales, ac integrales fortitudinis prædicti generis aliæ quoque enumerantur à Theologis: vt Longanimitas, Magnanimitas, & Magnificentia,quæ ad fortitudinis virtutem referri creduntur: quia circa ardua, & diffi- B
cilia verſantur. Sed iam enumeratas ſufficere putamus, quantùm ad præſens noſtrum inſtitutum attinet.

In actis itaque ſeruorum, ac famularum Dei non martyrum (nam de martyribus erit ſequens liber) ad notam ſanctitatis ex virtute fortitudinis conſiderandum erit;an aliquas perſecutiones,aut moleſtias tales Dei ſerui, vel Dei famulæ, quorum acta examinantur, ſint paſſi: ſiue in perſona propria, ſiue in rebus, & bonis, ſiue in fama, & honore, verbis, C
vel factis ab exteris, vel à domeſticis: quibus benè cognitis, & conſideratis ab iis, qui acta illorum diſcutiunt; attendendum erit, qualiter Dei ſerui, & Dei famulæ ſe geſſerint in his perſecutionibus, & in aduerſis: quandiu carceres, exilia,vel perſecutionem ſint paſſi:quomodo à prædictis moleſtijs liberati fuerint: quid interim Dei ſeruus, vel Dei famula egerint: quid dixerint, dum affligerentur: qualiter ſe habuerint cum perſecutoribus:& an contra illos aliquid fue- D
rint machinati. Quamobrem conſideranda erunt in his caſibus omnia ſeruorum Dei dicta, & facta: vt ex hiſce fiduciæ, patientiæ, conſtantiæ, perſeuerantiæ, ac fortitudinis actus dignoſcantur; attendendo præſertim cauſas pœnalitatum,an in his pœnalitatibus cauſam aliquam dederint: ſcilicet an iuſtè, vel iniuſtè perſecutiones contra illos inſurrexerint.

Verùm

A Verùm quia in Dei ſeruis canonizandis actus virtutum in gradu heroico elucere debent; propterea neceſſariò in omnibus fortitudinis actibus, nimirum in amplectendo difficilia, in perſeuerantia, & patientia, & dum ſuſtinet difficilia, in animi conſtantia; diligentiſſimè contemplanda erit promptitudo in agendo, vel ſufferendo; nec ſolùm promptitudo, ſed etiam delectabilitas in aggrediendo difficilia, vel in ſufferendo aduerſa: ita vt delectabilitas non aliunde
B in Dei ſeruo gignatur, quàm ex fine ſupernaturali, propter quem Dei ſeruus ſuſcipit difficilia, vel patitur moleſtias: non autem ex aliqua alia ratione, aut interiori, ſiue creato reſpectu. Sic enim ex promptitudine, delectabilitate, ac fine ſupernaturali actus fortitudinis in gradu heroico colligitur: quem ad veram ſanctitatis rationem, & euangelicam perfectionem præerequiri in Dei ſeruis manifeſtum eſt.

Eximium fortitudinis actum in vera Religione, ac vero
C Dei cultu martyrium præſeferre conſtat: de quo libro ſequenti agendum erit: ex reliquis verò Dei ſerui externis fortitudinis actibus, in quibus promptitudo, & delectabilitas non apparebit, ſiue illi actus ad partes potentiales, ſiue ad partes ſubiectiuas, vel integrales reducantur: debile quidem argumentum hauriri poterit: quod nos in cognitionem ſanctitatis alicuius manuducat ad effectum Canonizationis. Cum enim nō ſolùm reliqui actus huius virtutis à martyrio,
D vnà cum mortali peccato, vel cum aliquo vitio, ſeu inani gloria reperiri poſſint & fortitudinem à vera, ac recta virtutis ratione remouere valeant; hinc fit, vt ad ſanctitatis rationem, ad effectum Canonizationis debile à prædictis actibus ſumatur argumentum. Eccleſia namq; non iudicat, niſi de externis, & hi non omninò internos affectus aperiunt; quales ad veram fortitudinis rationem requiruntur: propterea aliunde quærendi erunt virtutis actus ad notam ſanctitatis.

CAP.

 A

CAP. IV.

De nota ſanctitatis ex virtute Temperantię.

VIRTVTES omnes nil aliud contendunt, niſi moderari exceſſus, & defectus noſtri appetitus; tàm iraſcibilis, quàm concupiſcibilis, & B noſtrarum potentiarum operationes ad regulas rectæ rationis dirigere. Inter eas virtutes, quæ habent ex officio frænare appetitum concupiſcibilem, & intra regulas rationis inter exceſſum, & defectum illius actus continere conantur; Temperantia primas tenet: quamuis inter virtutes cardinales, ſeu morales poſtrema ſit.

Temperantiam quaſi fontem, & verá virtutum omnium diſpoſitionem laudat S.Proſper Aquitan. lib.3. de vita contempl.cap.19.dicens. *Temperantia temperantem facit, abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, ſerium, verecundum. Hæc virtus, ſi in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, inſerit ſanctas, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, animi teporem deſiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam ſemper ab omni vitiorum tempeſtate defendit.* Quibus quidem in encomijs Temperantiæ quaſdam functiones Sanctus Proſper inſinuauit, non quod ipſa omnes hos actus eliciat, ſed quia, vt optima diſpoſitio, hominem ad eos actus præparat, & expeditum reddit. Hinc Pater Auguſtinus in lib.de morib. Eccleſ. cap.19. loquens de temperantia dicebat. *Munus eius eſt in coercendis, ſedandiſque cupiditatibus,*

quibus

A *quibus inhiamus ad ea, quæ nos auertunt à legibus Dei, & à fructu bonitatis eius, quod eſt beata vita.*

Virtutem Temperantiæ definiuit Picolomineus in libro eruditiſſimo de moribus, gradu 4. c. 29. his verbis. *Temperantia eſt moderatio voluptatis, & doloris ad ſenſũ tactus, & guſtatus pertinentis, appetitui concupiſcendi cõpetens, vt inde honeſtæ prodeant actiones.* Qualiter autem Temperantia verſetur circa dolorem, an per ſe, an verò per accidens, directè, vel

B indirectè, viderint alij: nobis ſufficiat cognouiſſe, Temperantiam habitum eſſe quendam, à quo delectabilia tactus, & guſtus frænantur, ac moderantur: & tota verſatur circa corporea, vt obſeruauit etiam Leonardus Leſſius de obligat. iuſtit. lib. 4. cap. 1. dub. 1. num. 3. Quamobrem ſic eam placuit nobis definire. *Temperantia eſt habitus virtutis, ſeu virtus frænans appetitum concupiſcibilem, ne præter rationem feratur in delectabilia tactus, atque guſtatus.*

C Dicitur primò in allata definitione noſtra, Temperantiam habitum eſſe virtutis, ſeu virtutem; idque patet ex communi conſenſu, tàm Theologorũ, quàm Philoſophorum, & ex peripatetica virtutis definitione: quia nimirum temperantia facit bonum habentem, & opus eius eſt honeſtum. In quo genere conuenit temperantia cum reliquis virtutibus Cardinalibus, ſeu Moralibus, de quibus huc vſque à nobis actum fuit.

D Diſtinguitur verò ab illis ex eo, quod aliquæ illarum circa actus intellectus verſentur, in quo ſubiectantur, vt prudentia; aliæ verò ſubiectantur in voluntate tantùm, vt iuſtitia; aliæ demum circa actus appetitus iraſcibilis verſantur, ad eos moderandos, vt fortitudo: Temperantia denique in refrænandis actibus appetitus concupiſcibilis tota verſatur, cum in eo ſubiectetur.

Differt etiam temperantia à reliquis habitibus virtutum ratione

ratione materię. Nã morales virtutes in primis moderantur A
actus animæ internos: at Tẽperantia tàm internos, quàm externos, & corporeos moderatur affectus: cũ circa delectabilia ſenſum pręſertim, guſtatum, & tactum verſetur: quam ob rationem in eius definitione dictũ eſt, Tẽperantiam eos affectus frænare. Hæc virtus moderationem appetitus concupiſcibilis in primis reſpicit; qui titillationibus, ſenſus, tactus, & guſtus in primis commouetur, quatenus hi ſenſus in vſu ciborum, potus, atque venereorum attrahitur: ac propterea B
temperantiæ materiam corporeas voluptates eſſe conſtat: non quidem omnes, ſed tantùm quæ nobis cum cęteris animalibus ſunt communes; ad quas vehementiſſimè appetitus noſter mouetur; quales ſunt, quæ ad vſum venereorum pertinent per tactum, & ad vſum cibi, & potus per guſtum.

Quæret fortaſſe aliquis; cur homo vehementius moueatur ad delectabilia tactus, quàm ad delectabilia odoratus, viſus, atque auditus. Cuius quidem vehementioris motus ea C
vt puto ratio reddi poteſt: quod videlicet ſenſus inſtrumenta potiſſimum homini ſint conceſſa, & animalibus ad conſeruationem totius naturæ; quæ duobus præcipuis fundamentis conſtabilitur; conſeruatione nimirum ſpeciei, & conſeruatione indiuidui. Cumque operationes, & actiones tactus, atque guſtus potius, quàm reliquorum ſenſuum operationes à natura ad conſeruationem ſpeciei, & indiuidui ſingulariter dirigantur: propterea natura animalis vehementius ad appetitiones tactus, & guſtus mouetur, quàm ad ſenſationes odoratus, viſus, atque auditus. Cumque hæc ipſa natura potius ſpeciei, quàm indiuidui conſeruationem attendat, atque intendat: propterea etiam vehementius ad operationes tactus, ad delectabilia contactus in venereis cõmouetur, quàm ad delectabilia guſtus, per cibum, & potum; quæ conſeruationem indiuidui reſpiciunt. Hi autem motus D

com-

A cōmunes tàm rationalibus, quàm irrationalibus animalibus cum exiſtant: vt rationalitate homo diſtingueretur à reliquis; leges, & præcepta huic ipſi naturæ indidit Deus; vt hi motus ad regulas rationis per virtutem, & habitum temperantiæ compeſcerentur.

Dicet fortaſſe aliquis, quod, cum Temperantia verſetur circa delectabilia Corporis, ad quæ ſenſus feruntur omnes: & tàm auditus, olfatus, ac viſus non minus in ſua obiecta

B ferantur, quàm guſtus, & tactus in ſua; cur potius ad moderationem ſolius tactus, & guſtus coarctetur virtus Temperantiæ, quàm ad moderationem reliquorum ſenſuum tendentium in ſua obiecta?

Reſponderi poſſe reor, ſenſus omnes æqualiter quidem moueri ad ſua obiecta, & appetitus etiam concupiſcibilis ad illa omnia æqualiter excitari, virtuſque, & habitus Temperantiæ non magis ad vnum compeſcendū motum, quàm ad

C alterum reſpicere, propriè loquendo; verſari tamen habitum Temperantiæ circa ea, quæ ſunt tactus, aut guſtus potius, quàm circa motus reliquorum ſenſuum, ideò dici: quia homo in illis maximè communicat cum brutis, quod non contingit in reliquis ſenſationibus. Vt igitur per rationis vſum diſtinguatur, & ſecernatur homo à reliquis animalibus ex virtutum habitibus, quorum bruta expertia ſunt: propterea dicimus, virtutem temperantiæ præcipuè verſari circa

D ca delectabilia tactus, & guſtus.

Valentia tom. 3. diſput. 9. q. 1. punct. 1. doctè quidem ſatisfacit quęſito dicens, virtutes morales nō verſari per ſe, niſi circa eos actus, ſeu ſenſationes, quæ ſecundùm ſe poſſunt habere rationem bonitatis, aut malitiæ moralis; appetitiones autem circa delectabilia aliorum ſenſuum, ex ſua natura non habent rationem bonitatis, aut malitiæ moralis, niſi aliquando per accidens; quatenus ſcilicet referri poſſunt ad ap-

petitio-

petitiones circa delectabilia tactus, vel circa obiecta aliarum A paſſionum. Appetitiones autem circa delectabilia ſecundũ tactum, & guſtum ex ſua natura poſſunt habere bonitatem, vel malitiam moralem, vt manifeſtũ eſt ex diuina, naturali, & humana lege prohibentibus exceſſus harum appetitionum, & operationum. Quamobrem neceſſaria extitit virtus aliqua, quæ moderaret exceſſus harum appetitionum, & hæc eſt virtus Temperantiæ.

Vt autem clariùs eadem explicentur notandum erit; inter voluptates corporeas, quæ medijs ſenſibus hauriuntur, B & appetitum concupiſcibilem excitant; aliæ alijs vehementiores eſſe, & aliæ alijs minus vehementes; quales ſunt voluptates, quæ hauriuntur ex odoratu, viſu, & auditu. Ex propria etenim natura huiuſmodi ſenſationes, ac voluptates nulla indigent moderatione, niſi per accidens; quando nimirum obiecta prædictorum ſenſuum alicui alteri obiecto coniunguntur; quod ad tactum, vel guſtatum pertinet: vt C cum de peccato Euæ ſcribitur. *Vidit lignum, quod eſſet bonum ad veſcendum, pulchrum oculis, aſpectuque delectabile*. Pulchritudo enim illius pomi, eatenus illexit oculos Euæ, quatenus coniungebatur guſtatui, cuius cauſa moderandus fuiſſet ab Eua appetitus concupiſcibilis. Pari ratione de peccato Dauidis dicitur 2. Reg. *Vidit mulierem ex aduerſo lauantem ſe &c.* Aſpectus enim iſtæ mulieris, eatenus moderandus erat à Dauide per virtutem Temperãtię, quatenus obie- D cto tactus coniungebatur, cuius ratione mulier potuit concupiſci. Odoratus etiam aliquando mouet appetitum ad aliquid appetendũ, vt cum quis olfacit aliquid comeſtibile, vel potabile. Cum igitur obiecta iſtorum ſenſuum per ſe non moueant, neque appetitũ concupiſcibilem vehementiſſimè alliciant, niſi per accidens; neque in appetitu illorum exceſſus dari poſſit, niſi per accidens; propterea neque

virtus

A virtus Temperantiæ verſatur per ſe circa obiecta prædictorum ſenſuum haud directè,ſed tantùm indirectè,& per accidens; quatenus obiecta odoratus, viſus, & auditus coniunguntur obiectis tactus, & guſtatus.

Sanctitatis notæ, & ſigna ex habitu, & virtute Temperantiæ in exercitio actuum eiuſdem virtutis circa refrænationem delectabilium, nobis expiſcanda remanent; ſigillatim verò ex partibus eiuſdem virtutis: quarum aliquæ (ſicut B in reliquis virtutibus Cardinalibus) dicuntur integrales, aliæ ſubiectiuæ, aliæ denique potentiales: in quarum virtutum, ac partium, ſeu habituum exercitio ſtat ratio virtutis Temperantiæ, & Sanctitatis ſigna. Qui enim in his exercentur virtutibus, profectò ex frequentatis actibus,virtutem, & habitum Temperantiæ verè adipiſcuntur: quapropter de ſingulis agendum erit; vt ſingulis cognitis de temperantiæ virtute iudicium ferri poſſit.

C Partes integrales Temperantiæ dicuntur perfectiones quædam; quæ comitantur Temperantiæ actum tam internè, quàm externè;vt talis actus omninò perfectus ab habitu temperantiæ prodeat. Dicuntur autem partes integrales; quia ex his actus temperantiæ quodammodo integrantur, atque perficiuntur. Sunt enim huiuſmodi partes integrales duę,nimirũ honeſtas,& verecundia:& honeſtas quidẽ ſic dicitur, quaſi honoris ſtatus ex Iſid.lib.10.Etim.& D.Th.2.2. D quæſt.141.art.2.Eſt autem honeſtas perfectio quædam,per quam quis vult facere, quod decet, ſeruato decore virtutis: ita vt ab eo nulla ratione declinet in exercitio actus temperantiæ, & nihil in eo actu turpitudinis,aut indecori appareat. Quamobrem Iſidorus dicebat illum honeſtum eſſe,qui nihil habet turpitudinis.Requiritur verò honeſtas in omni negocio ſecundũ pręcepta Iuris Inſtit.de iuſt.& iur.§.*Iuris præcepta*.Vt actus elicitus ab hac,vel illa virtute perfectus exiſtat.

Horror verò, ſeu timor turpitudinis exprobrabilis, verecundia dicitur, ex doctrina D.Th. 2.2. quæſt. 161. art. 2. quam appellat Cicero lib. 2. de partit. orat. *Cuſtodem omnium virtutum, dedecus fugientem, laudemque maximè conſequentem*. Eſt verecundia quædam paſſio timoris de turpi actu; vt Damaſcenus lib. 2. fidei Orthodoxę cap. 15. docet. Eſt enim verecundia quædam virtus media inter imprudentiam, & ſtuporem in actionibus, & colloquijs conſtitutam, vt nimirum homo agat, & loquatur, quæ expediunt, vbi, & quando conuenit. Quamobrem etiam Ariſt. lib. 4. Ethic. ad Nicom. c. 9. ait. *De verecundia autem quaſi virtus ſit aliqua, non attinet dicere: perturbationi enim, quàm habitui ſimilior eſt. Definitur itaque infamiæ metus quidam. Exiſtit autem ſimiliter atque actus, qui in rebus formidoloſis verſatur. Erubeſcunt enim ij, qui pudore afficiuntur: palleſcunt autem, qui mortem extimeſcunt: apparet igitur vtrumque ad corpus pertinere, quod quidem perturbationis potius, quàm habitus proprius videtur.*

Vt igitur actus Temperantiæ ſit perfectus conſociari debet honeſtate, & verecundia. Exempli gratia, cum aliquis in aliquo conuiuio ſeipſum cohibet, ne comedat, aut bibat ſupra neceſſitatem, decorem quoq; ſeruare tenetur: non ſolùm vt ea tantùm ſumat, quæ neceſſaria ſunt, non autem quæ guſtui delectabiliora exiſtunt: timens non ſolùm ne aliquid cōmittat quòd ſuam conditionem, ætatem, aut profeſſionē minus deceat; ſed etiam ne abſtinendo ab aliquibus minus ſumat, quàm decet ex indiſcreta verecundia, aut comitatis honeſtate, quia tam in exceſſu, quàm in defectu ratio vitij poſita eſt.

Partes, quæ vt ſubiectiuę virtuti temperantiæ aſſignantur, quædam virtutes sūt, quæ ad tēperantiam tanquam ad ſuum genus referuntur, & in vniuersū ad quatuor capita reducuntur; quæ ſunt Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas, quæ etiam

pudi-

A Pudicitia nominatur, & Virginitas:quarum duæ priores circa delectabilia guſtus verſantur: & duæ reliquæ poſteriores delectabilia tactus per abſtinentiam à venereis reſpiciunt. Et quidem *Abſtinentia eſt quædam temperantia ſtatuens moderationem circa delectabilia guſtus in vſu ciborum.* Nō quidem quod aliqua creatura Dei ſit mala, ſed quia pro gloria Dei, aut carnis maceratione Dei famulo abſtinendum eſt à cibis. De hac virtute S.P.Auguſtinus lib. 10.Confeſſion.c.31.cum
B Deo loquens,& illius artes docens, dicebat. *Hoc me docuiſti Domine, vt quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.* Vt quemadmodum ſcilicet medicamenta ab infirmis ad ſalutem recuperandam ex decreto Medici ſumuntur in pondere, & menſura, cauendo ab exceſſu, & defectu, ita pariter alimenta ad vitam ſubſtentandam ex virtute abſtinentiæ in pondere, & menſura à Dei ſeruo ſumantur; cum debita moderatione, ab exceſſu ſcilicet, & defectu ca-
C uendo.

Sobrietas eſt altera ſpecies Temperantiæ, & pars ſubiectiua illius.Quæ ſobrietatis vox,quamuis,ſi largè ſumatur,circa omnem materiam ſenſuum verſetur,præſertim circa ea,quæ ſunt neceſſaria ad vitam ſubſtentandam; ſtrictè tamen *Sobrietas eſt virtus ſtatuens moderationem, & refrænans appetitum concupiſcibilem circa delectabilia in vſu potus*,iuxta doctrinā D. Th.2.2. q.143.art.1. Deriuatur autē eius vocabulū ab
D ebrietate; diciturque ſobrietas, quaſi ſine ebrietate. De hac virtute ſic legitur in Eccleſiaſt.cap 31.*Æqua vita hominibus. vinum in ſobrietate; ſi bibas illud moderatè,eris ſobrius.* Cumque vinum lætificet cor hominis, & inter alimenta, atque medicamenta,nullū ſit illo efficacius in agendo;adeò vt ſtatim, ac aliquis vinum deguſtauerit, ſpiritus eiuſdem reuiuiſcant, & exhilarentur; propterea in exercenda temperantia circa ſumptionem vini, & potus, maximè ab ex-

ceſſu cauendū erit omnibus Reipublicæ miniſtris, præſertim Eccleſiæ: vt dicitur diſt. 35. per totum, & diſtinct. 41. cap. *A crapula*, de vit. & hon. cler. Dei verò famuli à ſuperfluo vini vſu cauendum eſſe nemo non nouit. Memores enim eſſe debent decoris, honeſtatis, ac conuenientis verecundiæ ſeruorum Dei, vt his comitibus ſobrietatis actus omnino integer exiſtat, & gradum heroicum ſanctitatis ſeruus: atque famula Dei attingant. A

Caſtitas eſt quædam pars tẽperantiæ ſtatuens moderationem circa delectabilia tactus in venereis, vel ea ſpernendo, & reijciendo, vel his non aliter vtendo, quàm fas ſit per leges honeſti coniugij. Dicitur autem caſtitas à caſtigando: quia per hanc virtutem frænatur, & caſtigatur humana concupiſcentia, inſtar pueri alicuius, qui à Pædagogo cohiberi debet; ne præceps in exorbitantes à recta ratione appetitiones feratur: vt præclarè tradidit, ac docuit Ariſtot. lib. 3. Ethic. cap. 12. Eſt autem caſtitas ſecundùm ſubſtantiam eadem virtus, quæ dicitur pudicitia. Nam vt rectè docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 152. art. 4. Pudicitia caſtitas nominatur, quatenus cohibet appetitum venereum: pudicitia verò quatenus circa horum vſum, quamuis legitimum, debet eſſe pudor. Quamobrem Pater Auguſtinus lib. 14. de Ciuit. cap. 18. dicebat. *Ipſe etiam concubitus coniugalis, qui ſecundùm matrimonialium præſcripta tabularum procreandorum fit cauſa liberorum; quamquam ſit licitus, & honeſtus, remotum ab arbitris cubile conquirit*. Et eſt textus notabilis in cap. *Nicena*, & cap. *Aliter* diſt. 31. Itaque honeſtas, & verecundia partes integrales temperantiæ caſtitatem in primis comitari debent; vt is temperantiæ actus omninò perficiatur. B C D

Vel etiam dicamus diſtingui pudicitiam à caſtitate, quòd hæc reſpiciat directè actus ipſos venereos, & in his mode-

A moderandis verſetur: at verò pudicitia ex doctrina D. Th. 2.2.quæſt.152.art.4. ſit circa externa ſigna, de quibus Ariſt. lib.2.art.rhet. cap.6. Cumque hæc ſigna ſint manifeſtiora, quàm actus venereus, & maiorem afferant pudorem: meritò concludit D. Th. loco citato, vitanda fore huiuſmodi ſigna ei, qui caſtitatem cuſtodire contendit: quales ſunt, inquit, aſpectus impudici, oſcula, & tactus. Quamobrem pudicitiam eſſe ipſam caſtitatem cum quadam circunſtantia,
B & perfectione externa concludit, quatenus impudica ſigna cohibet, & frænat.

Virginitas denique eſt altera ſpecies Temperantiæ; quæ licet ex ſe non ſit virtus, quia poteſt amitti ſine peccato; quatenus tamen ad Deum dirigitur; & per eam homo firmo quodam animi propoſito ab omni actu venereo ſe abſtinet propter Dei amorem, conſeruando illibatam corporis puritatem, & integritatem; rationem virtutis induit. Hinc Pater
C Auguſtinus dicebat in lib. de nupt. *Virginitas eſt in carne corruptibili, incorruptionis perpetua meditatio*. Vt autem cuncta lucidiora fiant; videndum eſt quid per particulas allatas intelligatur. Non enim per corporis integritatem, vt adnotauit Valent. tom.3. diſput.9. quæſt.1. punct.2. Intelligitur corpus, quod nullo prorſus caſu corruptum fuerit: ſed quod nulla voluntaria obſcœnitate violatum exiſtat. Nam corpus, quod abſque conſenſu aliquo corruptum fuerit; & corru-
D ptio contigerit caſu; aut per vim; nequaquam dicetur perdidiſſe integritatem: iuxta illud S. Luciæ ad Tyrannum dicentis. *Nam ſi inuitam iuſſeris violari, caſtitas duplicabitur mihi ad coronam*. Per puritatem quoque corporis non intelligitur corpus nulla omnino fœditate pollutum, ſed corpus non pollutum per propriam voluntatem. Itaque vbi nullus eſt voluntatis conſenſus: nullus etiam poteſt dari, propriè loquendo, corporis lapſus: ſed eiuſdem corporis puritas, atque inte-

integritas omnino illibata manet. Cap. *tollendus* 32. quæſt. 5. A
in principio. Si autem per propriam culpam, ac voluntatis conſenſum integritas, ac puritas corporis obſcęnè violata vel ſemel fuerit, iã eo ipſo virginitas irrecuperabiliter amittitur. Et hæc dicta ſint de Virginitate, prout eſt quædam virtus moralis, & temperantiæ pars ſubiectiua, quæ honeſtate, ac verecundia comitari debet, ac perfici tanquam partibus eam integrantibus. Hæc vna virtus cæteris clarior, atque illuſtrior eſt apud homines. B

Remanet denique de partibus potentialibus temperãtię agere; videlicet de his virtutibus, quæ cum ex aliquo capite affines ſint temperantiæ; tamen ex aliquo alio capite à vera temperantiæ ratione deficiunt. Occupantur enim hæ virtutes in cohibendis appetitionibus quibuſdam circa delectabilia quædã: non quidem adeo vehementis delectationis, quemadmodum ſunt delectabilia tactus, aut guſtus. Et octo quidem ſunt; quæ inter partes potentiales recenſentur, C
nempè Continentia, Manſuetudo, Clementia, Modeſtia, Humilitas, Studioſitas, Eutrapelia, & Simplicitas, de quibus vnum verbum dixiſſe ſat erit.

Continentiæ quidem vocabulo ſolet intelligi caſtitas, & pudicitia, de quibus iam diximus: ſed hic continentia ſumitur pro quadam vi, qua exorbitantes motus voluntatis cohibentur; qui ſolent inſurgere ex impulſu paſſionum appetitus ſenſitiui mouentis voluntatem ad eos actus, qui ſunt D
contrarij rectæ rationi. De hac continentia agit D. Th. 2. 2. q. 155. & Ariſt. lib. 1. Ethic. Sed quia hæc cõtinentia, de qua loquimur, non compeſcit omninò paſſionum motus: propterea non eſt perfecta virtus: tantùm enim coadiuuat voluntatem, ne vincatur.

Manſuetudo cohibet, ac refrænat appetitum vindictæ: de qua D. Th. 2. 2. quæſt. 157. Et quia per manſuetudinem homo ſe-

A mo ſecernitur à feris, ſummoperè hæc virtus commendatur. Quamobrem dicebat Propheta in Pſalmo. *Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*. Et Chriſtus Dominus dixit. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*. Itaque ex ſua natura manſuetudo verſatur circa motus iræ inſurgentis ex accepta aliqua iniuria; cohibendo nimirum, & refrænando eos motus: ne quid fiat, aut committatur, rectæ rationi contrarium.

B Clementia tertio loco relata quandoque eſt eadem cum manſuetudine; præſcribitque medium in externa punitione. Quapropter ſi vindicanda ſit culpa alicuius, à clementia modus rectæ rationi conſentaneus in ea vindicta præſcribitur, & vt Angelicus docet loco citato, & q.158. art.1. eſt virtus propria Superiorum, ac Iudicum, quorum eſt punire delicta, & vindicare iniurias aliquibus illatas. Hinc Seneca lib.de Clement. dicebat, Clementiam eſſe virtutem lenita-
C tis ſuperioris in conſtituendis pœnis. Et quamuis ex D.Th. Clementia, & Manſuetudo conueniant cum temperantia in modo; differunt tamen in materia: quòd iſta verſetur circa motus iræ. Clementia verò circa pœnas alteri irrogandas.

Modeſtia virtus eſt duplicem dicẽs reſpectum, ad ipſum videlicet ſubiectum, in quo exiſtit, & ad alium extra ſe. *Eſt enim virtus, quæ* ſecundùm doctrinam D.Th. 2.2.quæſt 158. art.3. *prouenit ex quadam dulcedine affectus, per quam aliquis*
D *horret quicquid poteſt alium contriſtare*. Et ideò hæc virtus moderationem conſtituit in externis actionibus humanis, præſertim in motibus corporeis. Hanc docet S.Thom. 2.2. quæſt.143. art.vnic. habere tres partes, ſcilicet bonam ordinationem, ornatum, & auctoritatem: vt nimirum actiones fiant, quando fieri debent. Nam per bonam ordinationem diſcernitur, & cognoſcitur quid faciendum ſit, quid dimittendum, & quo ordine aliquid ſit agendum, vt omnia de-

center fiant; quod ſpectat ad ornatum: & denique, vt colloquia, riſus, & huiuſmodi, ſi quæ occurrunt, maturitatem quandam perſonæ conuenientem oſtentent, adhibita moderatione: quæ maturitas, auctoritas appellatur. A

Humilitas, quam D. Th. 2.2. q. 161. dicit eſſe quaſi ſpeciem quandam modeſtiæ, ab eodem inter partes potentiales Temperantiæ recenſetur; & virtus eſt, cohibens, & refrænans paſſionem ſpei, & audaciæ: vt humilis non velit quidquam ſibi attribui in quocunque genere, vltra id, quod B ipſi congruit: habita nimirum ratione propriæ dignitatis, & ſtatus: de qua virtute plura dicemus infra ſuo ſpeciali in loco. Etenim vt docet Angelus verbo *Humilitas*, & probat ex cap. *Quiſquis rebus.* diſt. 12. *non debet aliquis magis vileſcere in apparentia, quàm importet conditio ſua, & qualitas reſpectu illorum, cum quibus conuiuit: quia hac ratione potius eſſet ſuperſtitio*, vt idem dicit, *quàm humilitas*.

Studioſitas altera pars potentialis Temperantiæ, cohibet C nimium ſtudendi, ac ſciendi appetitum, qui collocatur in quadam vana curioſitate. Quamobrem hæc virtus temperat voluntatem, & appetitum ab illa curioſitate: vt ſcilicet nolit aliquis cognoſcere, aut ſcire, niſi ea, quæ expediunt, & congruunt ſtatui, ac conditioni ipſius. Quapropter ſtudioſitas curioſitati opponitur; quæ non ſolùm ſuperfluis, & inanibus dat operam ſtudijs; ſed etiam his intendit ob vanam delectationem, & gloriam. Cap. *Sacerdotes.* diſt. 38. contra quos dicebat Apoſtolus ad Roman. 12. *Non plus ſapere* D *quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Virtus igitur ſtudioſitatis compeſcit noſtrum ſuperfluum appetitum ſciendi, & ad regulam rationis eundem frænat.

Eutrapelia, vt tradit Philoſophus lib. 4. Ethic. c. 8. eſt virtus conſtituens modum conuenientem in honeſtis ludis, & iocis, ad animi relaxationem; quam animi relaxationem in-

terdum

A terdum virum probum ; ac Dei famulum vſurpare non de-
decet. De hac virtute agit D.Th.2.2.quæſt.168.art.2.& ſe-
quent. vbi hæc videri fuſius poterunt. Ex optima namque
vitæ ſpiritualis inſtitutione dandæ ſunt Dei famulis, & ancil-
lis ſingulis temporibus horæ nonnullæ ; concedendi ſunt
etiam dies aliqui, quibus honeſtis iocis, ac ludis dēt operam ;
vt promptiores poſtmodum exiſtant in his, quæ animam, ac
ſpiritum nutriunt. Cum enim homo anima, & corpore com-
B poſitus exiſtat, ad ſanitatē vtriuſque cogitanda fuere medi-
camenta, nutrimenta, & relaxationes : ne, dum vni plus ſatis
indulgetur, alterum deficiat.

Parcitas, ſiue ſimplicitas, ſiue moderatio, virtus quædam
eſt, per quam moderatè quis vtitur externis rebus ad corpus
pertinentibus : vt in ornatu, veſtibus, mobilibus, atque ſta-
bilibus, iuxta ſui ſtatus conditionē, vt nec ſuperfluè his vta-
tur; quod præſtat hæc virtus; quare parcitas etiā nominatur;
C neque in hoc genere externorum exquiſita requirat ; in quo
ſēſu hæc virtus, ſimplicitas quoque, ſeu moderatio appella-
tur, de qua virtute pulchrè, ſufficienter, & perſpicuè multa
D.Th.2.2.quæſt.169.ſub titulo de modeſtia in exteriori ap-
paratu ;

His rectè cognitis de partibus integralibus, ſubiectiuis,
& potentialibus virtutis Temperantiæ conſiderandum erit
in actis piorum diſquirendis ; quænam in cibo, potu, ac in
D veſtitu vnicuique illorum conueniant, iuxta ſtatum, condi-
tionem, & profeſſionem vniuſcuiuſque Dei famuli, ac Dei
famulę; non enim ęqualiter veſtiri debet Epiſcopus, atque
Regularis : ſolitarius, & is, qui in Vrbe commoratur ; pari
ratione non eiſdē mobilibus vti debet mater familias in ſua
domo, ac monialis in ſua cella, ſed attēto ſtatu, cōditione, ac
dignitate ſeruorū, & ancillarū Dei eorum attendātur verba,
& actus, ioci, & veſtitus, qualiter videlicet ſe geſſerit Dei fa-
mulus

mulus, de quo agitur, in conuerſationibus, & hominum commercio. Similiter, qualiter ſe habuerit in victu, in ieiunijs, in abſtinentijs, & in reliquis exercitijs ad temperantiam pertinentibus. Si verò Dei famulus, de cuius canonizatione ageretur, litteras ſacras profeſſus fuiſſet; ſcripta illius omnia recognoſcẽda videntur, vt nihil curioſitatis redoleat, ſaltem in eius matura ætate. Qualiter in primis ſe geſſerit aliquis Dei ſeruus cum mulieribus, tam in publicis, quàm in priuatis colloquijs, cum Principibus, & Magnatibus, cum diuitibus, & pauperibus; cum ſæcularibus, & Eccleſiaſticis. Vt ex omnibus illorum actibus, & his frequentatis candor pudicitiæ, ac puritatis, ſobrietas, & abſtinentia, in ſumptione cibi, ac potus; morum ſimplicitas, ac virtutum Temperantiæ actus plurimi dum probantur, temperantiæ habitus in Dei famulo agnoſcatur: & ex his ſanctitatis ſigna hauriantur ad effectum Canonizationis. Dummodo in his ipſis Temperantiæ actibus promptitudo, & in promptitudine delectabilitas appareat: vt ex promptitudine, & delectabilitate Dei ſerui in actibus elicitis ab eo propter ſolum finem ſupernaturalem gradus virtutis heroicę agnoſcatur. A B C

Illud tamen omittendum nulla ratione puto; quod ad noſtrum inſtitutũ de ſanctitatis nota conducit; conſiderãdo nimirũ, quale argumentũ ſanctitatis ex prędictis actibus & exercitio illorũ ſumatur. Cũ enim non ſolùm infideles, ac Ethnici plurimi modeſtiſſimi, aliquando continentiſſimi, ac tẽperantiſſimi circa delectabilia tam potus, quã cibi, & rerum venerearum habiti fuerint: ſicut etiã Hæreticos, ac Turcas habere ſuos Sanctones conſtat; qui ieiunijs, & abſtinentię, quãtũ humana patitur natura, interdum operam dant: atq; etiã à venereis ita ſe temperant, vt ferro, ac igne propria edoment membra: propterea dicimus ex actibus Temperantię; ac partium huius virtutis, ſi agatur de viro fideli in communio- D

A ne S.R.E. conſtituto; maximum quidem hauriri argumentum; non tamen integrum, atque perfectum: quia cauendum eſt tum à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis, vt Chriſtus Saluator noſter non ſemel docuit: tum quia multoties Angelus Sathanæ transfigurat ſe in Angelum lucis, vt cum de carnis mortificatione agemus infra probabitur. Sunt enim mira, quę de Diogene ſcribit Laertius, & habet Lucianus, ac reliqui plures ex veteribus ſcriptoribus. In
B tanto enim contemptu rerum omnium peruenerat, ac in eo gradu temperantię circa ea, quę cibum, potumque ſpectant; vt ſolis lupinis victitans, peram cum his ferens, & aquę potu contentus delicatiora edulia nec quęreret, nec oblata admitteret: in dolio dormiret, doliumque ſibi palatium exiſtimãs reliquos irrideret: vt propterea in profundiſſima Temperantia Sanctitas reponenda nequaquam ſit: niſi ea ipſa alijs quoque virtutibus comitetur: ac iudicio Sanctæ Ro-
C manæ Eccleſiæ comprobata extiterit; cuius eſt de Sanctitate cuiuslibet iudicium ferre.

D

SECTIO QVINTA. A

De quibuſdam alijs virtutibus in gradu heroico, ſingulariter exquirendis in actis ſeruorum, & ancillarum Dei non Martyrum.

CHRISTIANA Religio licet certò ex
Chriſti doctrina Cælum, vitamq; ęter- B
nam promittat Euangelij Sectatoribus:
hanc tamen ingentem fælicitatem his
ſolùm ſpondet, qui chriſtianam humili-
tatem, paupertatem, deuotionem, pie-
tatem, charitatem, & reliquas virtutes
tenere ſtuduerint: quæ veræ Religionis, & chriſtianæ perfe-
ctionis notę exiſtunt à quibus qui defecerint, à reliquis etiam
defeciſſe meritò ſuſpicari poteſt. Quia verò cum agitur C
de ſeruis, ac famulabus Dei non martyribus canonizandis,
multo plura, quã in martyribus inquirẽda, exquirẽdaq; ſunt.
Propterea ad librum de notis ſanctitatis illuſtrandum, ſubne-
ctendum fore exiſtimaui ſingularem tractatũ de notis ſancti-
tatis ſeruorum, & ancillarum Dei, ex quibuſdam virtutibus
ſpecialibus hauriendis, & in Dei famulis non martyribus
ſingulariter inquirendis: quæ quamuis ſub quatuor virtuti-
bus Cardinalibus, ſiue moralibus comprehendantur, & ſint D
quaſi partes poteſtatiuę, vel quaſi ſubiectiuę, aut integrantes
illarum: quia tamen à Chriſto ſingulariter fidelibus com-
mendantur, propterea peculiari cõſideratione in actis ſeruo-
rum Dei indigent: vt in diſcuſſione, & exercitio illarum ha-
bitus priorum refulgeant. Ac propterea à nobis per infra-
ſcripta capita conſiderandæ erunt.

A
CAP. I.

De nota ſanctitatis ex terrenorum contemptu.

TERRENORVM nomine intelliguntur bona, quæ in ipſa terra, ſeu in hominum æſtimatione radicē habent ἐπίγεια à Græcis dicta,
B ſiquidē ſic dicta eſſe conſtat, quod è terra exhalēt, & veluti vapor cito euaneſcāt, vel quia ad animum, ſed potius ad corpus pertineāt: cuius ſubſtantia cum ſit tota terrea, hæc ipſa quoque, quæ ad ipſum ſpectant terrena dicuntur. Hæc autem terrena bona ad duo capita, nimirum ad honores, & ad diuitias reducuntur.

Terrenorum, & quidem bonorum maximum, ac ſummum apud homines cenſetur honor, vt Ariſt. lib. 4. Ethic. &
C cum eo reliqui omnes docuerunt. Quia vt dicit D. Th. 2. 2. honor eſt teſtificatio, ſiue teſtimonium excellentiæ illius, cui honor exhibetur. Omiſſis itaque diuerſis, ac varijs honoris conſiderationibus, ſumitur hic honor pro municipali, nimirum pro aliqua dignitate in Republica; quæ honor dicitur, quia dignitati honor debetur: qua de cauſa ſemper ciuiles dignitates collatæ alicui à Republica ſummo in pretio apud homines extiterunt: vt Imperiū, Regnum, Ducatus, & aliæ
D ſæculares dignitates, quemadmodum etiam in Eccleſiæ politia Pontificatus, Epiſcopatus, Presbyteratus, & reliqua huiuſmodi, quæ munus aliquod eccleſiaſticum annexum ferunt: & apud fideles ſumma fuerunt ſemper in æſtimatione.

Ex terrenis igitur bonis, de quibus ſermonem habere intendimus prædictæ dignitates, eccleſiaſticæ, & ſæculares, ſeu honores municipales intelliguntur; quorum contemptus, an nota ſit ſanctitatis explicandus eſt.

Nam

Nã licet dixerit Apoſtolus. *Qui Epiſcopatũ deſiderat, bonum opus deſiderat*. Tunc tamen hoc Apoſtolum dixiſſe conſtat: quia martyrium Epiſcopatui plerumq. annectebatur. Cum autem poſtmodum ſtatus Epiſcopalis, & reliquæ dignitates, tàm Eccleſiaſticæ, quàm ſeculares multis expoſitæ fuerint periculis conſcientiæ, propter opes, honores, peccandi occaſiones, ac reliqua occaſionem afferentia, quominus mens ad Deum liberè feratur: propterea illas contempſiſſe, & oblatas non admiſiſſe, aut ablatas equo animo toleraſſe, commendabile aliquando in Eccleſia extitit. Honores namque, ac dignitates, tàm eccleſiaſticas, quàm ſeculares contemptui habere ex humilitate; vt nimirum liberius Deo inſeruiatur, gradum virtutis heroicum retinet: verùm motiua inquirere contemptus dignitatum prædictarum ex alijs alicuiùs Dei ſerui moribus oportet: vt gradus virtutis heroicus dignoſcatur ad ſanctitatis notam. Sic enim ſanctiſſimi, ac doctiſſimi Patres fecerunt, qui quantum in illis fuit has dignitates admittere ſemper detrectarunt; nec niſi compellante ſuperiore inuiti acceptarunt. Ita fecerunt Sancti Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius Magnus, Bernardus, Anſelmus, Thomas Aquinas, & alij plures. A B C

Declinandi verò has dignitates in his Dei famulis notitia humanæ imbecillitatis motiua præſtitit, & humilitas profunda ex propria naturæ lapſæ cognitione. Tàm multæ etenim dotes in homine requirũtur; vt quis idoneus ad Prælaturam cenſeatur præſertim ad Epiſcopatum, & ad alia quæcunque onera, quibus animarum cura incumbit: vt patet ex Apoſtolo 1. ad Timoth. cap. 3. & ad Tit. cap. 1. vt arrogantiæ, ac præſumptionis exiſtimare ſe his cenſentur; præditum eſſe muneribus, quæ ad ea miniſtranda requiruntur. Quamobrem humilitatis eſt aliquando, & vt plurimum, dignitates, ac honores in Eccleſia etiam oblatas recuſate. Meritò itaque D

Dei

A Dei ſerui, quod eas dignitates interdum contempſerint in Eccleſia celebrantur, atque laudantur. Quemadmodum ſanctum Bernardum recuſaſſe Mediolanenſem, ac Ianuenſem Epiſcopatum: illius in Breuiario Romano teſtatur historia his verbis. *Elucebat in eo humilitas, miſericordia, benignitas: contemplationi autem ſic addictus erat, vt vix ſenſibus, niſi ad officia pietatis vteretur, in quibus tamen prudentiæ laude excellebat: quo in ſtudio occupatus, Genuenſem, ac Mediolanenſem,*
B *aliosque Epiſcopatus oblatos recuſauit; profeſſus ſe tanti officij munere indignum eſſe.* De ſancto etiam Thoma Aquinate ſub die 7. Martij ſimilia legimus in eodem Breuiario his verbis. *Ab Vrbano Quarto Romam vocatus adduci non potuit, vt honores acciperet. Archiepiſcopatum Neapolitanum etiam deferente Clemente Quarto Pontifice recuſauit.* Plures quoque Dei ſeruos dignitates eccleſiaſticas declinaſſe cognouimus, ac propterea collaudatos ab Eccleſia.

C Pari ratione agens Ioannes 22. de S. Ludouico Epiſcopo Toloſano in Bulla *Sol Oriens*. lata pro eius Canonizatione §. 10. hęc habet. *Miranda res, & aliàs inſueta, vir namque virtutum poſitus in ſublimi, iuri primogenituræ renunciauit, & regno, regalis ſolij ſpreta forma pro regno corruptibili, æternum, ac plenum delicijs regnum mercans.* A Clemente V. laudatur S. Petrus Cęleſtinus, quòd Summo Pontificatui aliquando renunciauerit; cum & tanto oneri ſeipſum minus idoneum
D iudicauerit, vt habetur in Bulla *Qui facit magna* lata pro eiuſdem Dei famuli Canonizatione, in qua Summus Pontifex §. 12. hęc habet. *At verò hic vir habens ſimplicitatem miram, & in ſpectantibus ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ inexpertus, vt pote qui à teneris annis ad ſenium elongatus, à mundo cor ſuum mundanis rebus non accõmodauerat; ſed diuinis, reflectens prudenter ſuæ conſiderationis intimæ oculum ad ſeipſum, honori papatus ceſſit, & oneri liberè, & ex toto: ne ob prædicta*

poſſet

poſſet ex ſuo regimine quodcunque periculum vniuerſali Eccleſiæ prouenire. A

Quia tamen de dignitatibus renunciandis, vel acceptandis, deque honorum contemptu in gradu heroico certa regula vix dari poteſt; cum meritum huius contemptus, à tempore, loco, & ſpiritualibus circumſtantijs ita pendeat, vt aliquando illa non acceptaſſe crimini ſit tribuendũ; propterea ab hac conſideratione ſuperſedendo ad diuitiarum, & reliquorum terrenorum bonorum contemptum, noſtra ſe conferat oratio. B

Sed quærendum prius videbatur; quodnam ſanctitatis argumentum ſumatur ex honorum, dignitatumque contemptu. Certum igitur, & conſtitutum ſit, à contemptu honorum, ac dignitatum non ſumi argumentum efficaciſſimum ſanctitatis: cum ſtare poſſit peccatum mortale cum hoc ipſo contemptu: imo etiam ex inani quadam gloria, & ſuperbia contingere poſſit is honorum contemptus: vt apud C Laertium in Diogene legimus. Nam is cum domũ Platonis ingreſſus, ſtragulamque veſtem nudis, & ſordidis conculcaret pedibus dixiſſe fertur. *Platonis faſtum conculco*. At ille reſpondiſſe, & quidem benè: *Altera quidem Diogenes elatione*: ſupple meum faſtum calcas: ſignificans, non ex virtute humilitatis, aut honorum contemptu Diogenem ſtragulam veſtem conculcaſſe, & nudis pedibus inceſſiſſe; ſed ex inani quodam faſtu, & gloriola. Nam multi etiam his noſtris temporibus ſummos honores, & ſummas dignitates contempſiſſe conſtat: vel vt liberius ſibi ipſis inſeruirent: vel alijs de cauſis potius terrenis, & politicis, quàm ſpiritualibus, & vt Deo liberius inſeruirẽt, oblatas dignitates non acceptarunt. D

In diuitiarum autem contemptu virtutis rationem adeo firmam eſſe exiſtimamus, vt illis rennunciaſſe ſpeciale ſemper fuerit virtutis indicium, dummodo contemptus eò dirigatur,

A gatur,vt illa ipſa bona, & diuitiæ rectè diſtrahantur,rectèque
expendantur, ſi aderunt: in hoc enim virtutis ratio, & ope-
ris meritum collocatur. Quamobrem Dei ſerui, hunc diui-
tiarum contemptum multipliciter iuxta ſacrarũ litterarum
dogmata ſubindigitare conſueuerunt; nimirum vel eas non
appetendo ſi deſint, vel eaſdem rectè diſpenſando ex virtu-
te liberalitatis, atque etiam oblatas non acceptando: vt vi-
delicet his actibus liberalitatis, magnanimitatis, atque chari-
B tatis in proximum virtutis oſtendant excellentiam.

Eſt autem Liberalitas pars quædam potentialis iuſtitiæ;
cum ſit ad alterum; & dupliciter rectum vſum diuitiarũ ho-
mini pręſcribit,tollendo cum primis impedimẽta recti vſus;
diuitiarum amorem videlicet,& affectum; deinde inclinan-
do hominem directè ad earundem largitionem, huicque
largitioni modum præſcribendo. Ex quibus apparet, libera-
litatem immediatè verſari circa æſtimationem, & affectum
C diuitiarum, vtrique modum imponendo, vt nimirum æſti-
mentur, & amentur in ſuo gradu; cum affectu, & prompti-
tudine expendendi, largiendique eas loco, & tempore, ex
affectu Pietatis, Religionis, Charitatis,& Miſericordię, quod
eſt expendere diuitias,quãdo ratio dictat;quę ratio ad virtu-
tem liberalitatis maximè pertinet: vt D. Th. 2. 2. quæſt. 117.
art. 1. 2. & 3. & Ariſt.lib.4.Ethic.cap.1.& alibi docuerunt.

Ad hæc omnia ipſæmet diuitiæ nos excitant: ſi attenda-
D tur quid ipſæ ſint, quàm viles, quàm exiguæ, quàmque
incertæ, & inſtabiles; quantas curas, atque moleſtias ſecum
poſſeſſori afferant, quàm paucis natura ſit contenta; quàm
periculoſum eaſdem poſſidere: & denique quod *Beatius
eſt magis dare, quàm accipere*, ex Chriſti Seruatoris noſtri
doctrina: qui bona cæleſtia his certò promiſit, qui pro eius
amore diuitias contempſiſſent, dicens. *Qui non renunciat
omnibus,quæ poſſidet,nõ poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et alibi *Qui*

reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. A

Diuitiarum itaque, & horum terreſtrium bonorum cōtemptus ſeruis, ac famulabus Dei ad euangelicam perfectionem aſpirantibus cum primis neceſſariò prærequiritur. Hæc enim eſt Chriſti doctrina. Nam adoleſcenti cuidam quærenti ab eo quid ſibi faciendum eſſet, vt vitam æternam certò adipiſceretur. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* B Chriſtus cum reſpondiſſet, aduertiſſetque perfectiorem ſtatum eundem appetijſſe, & tàm in terris, quàm in cælis inter perfectos collocari deſideraſſe, ad heroicam libertatem eundem excitauit, dicens. *Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.*

Duplicem itaque diuitiarum vſum in allatis verbis docuit Chriſtus, alterum in obſequium Dei, alterum in obſequium, & miniſterium proximorum, ad ſubleuãdam videlicet pauperum, & indigentium miſeriam; quamobrem poſtquam adoleſcenti dixiſſet. *Da pauperibus*, ſubintulit. *Sequere me.* Docuerat enim paulo ante Saluator noſter, renunciandas eſſe diuitias ex eius amore, & his, qui cauſa ipſius bona renunctaſſent, præmij centuplicatem promiſerat. In qua perfectiſſima doctrina, heroicum virtutis gradum eſſe poſitum, pluribus in locis Saluator non ſemel tradidit in euangelicis ſermonibus: vt huius diuitiarum contemptum neceſſariò prærequiri in Euangelij Sectatoribus oſtenderet. C D

Verũ ab hoc diuitiarum contēptu nudè conſiderato efficax ſanctitatis argumentum nequaquã ſumi poſſe perſpicuũ eſt, niſi ſanè doctrinæ, & fidei innitatur; & à circũſtantia finis debiti, qui eſt Dei amor, & Chriſti ſequela contemptus circumſtantietur. Diuitias namque in ſummo gradu etiam aliquos ex Philoſophis Ethnicis contempſiſſe manifeſtum eſt.

A eſt. Etenim quàm nihili duxerit diuitias Diogenes apud Laert. lib. 6. de vit. Philoſoph. quis plenè exprimat? De eo enim ita ille ſcribit: *Murem percurrentem aſpiciens, ac neque cubile quærentem, neque vitantem tenebras, neque quidquam voluptuarium deſiderantem, ſtatus ſui rationem adinuenit, duplicato primum, vt quidam volunt, palliolo ſordido; quod etiam ſuper eum dormire neceſſitate cogeretur; ſacculum quoque habuit, in quo inerant cibaria, omnibusque locis ad omnia vtebatur;*
B *prandens, dormiens, ac diſputans. Et cum ei Alexander Magnus, roga me, dixiſſet quid vis; tum ille, ne mihi,* inquit, *vmbra offeceris*. Hæc Laertius de Diogene. Et apud quoſdam ex antiquis Philoſophis tantus fuit diuitiarum contemptus, vt de Crate Thebano referat Hieronymus; cum ad ſtudia litterarum properaret; ſummum auri pondus in mari proieciſſe, affirmans virtutes, & diuitias ſimul poſſideri non poſſe.
C Hæreticos quoque aliquos mirum in modum contempſiſſe diuitias hiſtoriarum monuméta plurima tradiderunt. Nam de his, qui dicti ſunt pauperes de Lugduno, & de alijs, qui Vualdenſes dicebantur, ſcribit Prateolus lib. 14. tit. 13. ver. *pauperes de Lugduno*, & lib. 20. tit. 12. verbo *Vualdenſes*: qui originem, nomenque traxerunt teſte Ænea Siluio in lib. de orig. Bohem. cap. 35. à quodam Vualdo; qui, cum diues admodum eſſet, opibus relictis, pauperibusque diſtributis,
D paupertatem euangelicam ſe ſecuturum prætendens, impios errores ſub hoc velamine adumbrans; plurimos decipiebat. Quo etiam in numero venerunt, qui fraticelli, ſeu fratres de paupere vita dicti ſunt: qui omnes ſub extrema paupertate, & diuitiarum deſpectu, impia dogmata diſſeminarunt. Ex quibus apertè conſtat, ex ſolo diuitiarum deſpectu, non admodum efficax ſanctitatis argumentum ſumi poſſe, niſi euangelicis præſcriptis rectæ, &

orthodoxæ fidei innitatur: directuſque fuerit circumſtantiæ A
finis debiti: quod fiat nimirum propter Chriſtum, & Dei
amorem. Quæ circumſtantia defuit Crati Philoſopho, ac
Diogeni, alijſque eius farinæ hominibus, qui re vera propter
quandam inanem gloriam tantummodo diuitias deſpe-
ctui habuerunt. Hæreticis quoque iam recenſitis, fraticel-
lis nimirum, atque Vualdenſibus, & alijs, ſimilibus inte-
gritas doctrinæ orthodoxæ defuit. Sed vbi finis, & doctri-
na fuerint integræ; vtique certum eſſe debet talem diui- B
tiarum deſpectum, maximum, ac efficaciſſimum ſancti-
tatis argumentum ſubminiſtrare ex doctrina Chriſti in ſua
Eccleſia.

Eſt autem adeo neceſſaria ad Chriſtianam perfectionem
aſſequendum hæc diuitiarum abdicatio, & iſte pauperta-
tis amor: vt Chriſtus à principio vſque ſuæ prædicationis:
quando nimirũ primò aperiens os ſuum, vt Beatitudinis ra-
tionem homines doceret, & Beatitudinis adipiſcendæ me- C
thodum deſignaret; à paupertate exordium ſumpſerit,
dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum
Cælorum*. Pauperes autem ſpiritu dixiſſe conſtat, quia non
quoſcunq; Beatos eſſe dixit, qui ſe à diuitijs abdicaſſent, ſed
eos tantùm, qui, vt dicebat Beatus Auguſtinus, ſiue pau-
peres ſint, ſiue diuites non habent diuitijs addictum ani-
mum. Et doctiſſimus Ioannes Maldonatus loco citato ad-
notat τὸ *Spiritum*, ſæpè pro voluntate poni, vt apud Mat- D
thæum 26. & Marcum 14. dixit Chriſtus. *Spiritus quidem
promptus eſt, caro autem infirma*. Et Apoſtolus ad Rom.
cap. 9. dicebat de ſe ipſo: *Cui ſeruio in Spiritu meo*, ideſt, in
mea voluntate. Et in prima ad Corinthios 7. Paulus vult
Virginem eſſe *ſanctam non ſolùm corpore, ſed etiam Spiritu*:
ideſt caſtã, non ſolũ facto, ſed etiã volũtate. Quibus ex locis li-
quet ſignificari à Chriſto in loco cit. Matthæi, nõ in qualibet

etiam

A etiam vera paupertate collocandum verum diuitiarum contemptum. *Nec omnem voluntariam paupertatem*, ait Maldonatus, *ſignificari putandum eſt; ſed eam, quæ propter Regnum Cælorum, aut ſponte ſuſcipitur, aut patienter toleratur*. Quæ paupertas verè, & propriè virtutis gradum heroicum retinet.

Hanc Chriſti ſententiam, atque doctrinam, contemplans Ambroſius lib. 13. in Luc. cap. 6. pulchrè aduertit; quòd B quamuis Euangeliſtæ, dum Chriſti ſermonem in monte referunt, & in diſponendo Beatitudinum numero diſſentire videantur Lucas, & Matthæus: quòd is octo Beatitudinum capita recenſeat, Lucas verò quatuor tantùm capita Beatitudinum enumerauerit: vterque tamen Euangeliſta in primo paupertatis capite conſentiunt. *Primam Beatitudinem hanc vterque Euangeliſta poſuit*, inquit Ambroſius: & rationem aſſignans ait. *Ordine enim prima eſt, & parens quædam,* C *generatioque virtutum: quia qui contempſerit ſæcularia, ipſe merebitur ſempiterna; nec poteſt quiſque meritum regni cæleſtis adipiſci, qui mundi cupiditate poſſeſſus emergendi non habet facultatem.* Ex hac ſanè ſanctiſſimi viri doctrina, quæ communis eſt Doctorum omnium, ac Sanctorum Patrum, planè conſtat inter acta illorum virorum, qui cum aliqua ſanctitatis opinione deceſſerunt, diuitiarum contemptum primam obtinere ſedem: atque adeò quodammodo ex Chriſti do- D ctrina, cum de alicuius ſerui Dei non martyris beatificatione aut canonizatione agitur; quaſi in exordio inquiſitionis, inueſtigandum eſſe, qualiter ſe geſſerit circa hunc diuitiarum contemptum.

Ratio huius capitis eſt manifeſta, tàm ex doctrina Chriſti, quàm ex verbis Ambroſij. Cùm enim cultus Beatificationis, & Canonizationis nemini de more concedatur in Eccleſia; niſi his, qui ex frequentatis virtutum actibus in gradu

heroico eiſdem habitibus referti apparuerint, iſteq; cõtemptus diuitiarum, veluti *Parens quædam, generatioque virtutum ſit*. vt loquar cum Ambroſio: propterea is, cui contemptus iſte diuitiarum defecerit: virtutes quoque reliquas defeciſſe, vel neceſſe eſt, vel ſaltem ſuſpicari poſſumus. Nã ſi quæ fuerunt in aliquo virtutes morales, in quo non appareat diuitiarum, quem diximus, contemptus; illæ vtique virtutes morales gradum heroicum minimè tenebunt; & ex conſequenti planum erit, nullum cultum cõcedi debere illi, qui ab hoc contemptu diuitiarum defecerit; niſi de martyre ageretur. A B

Ex hac doctrina altera non minus efficax ratio hauritur contra eos diuites, qui à contemptu diuitiarum, aut recta diſtributione illarum defecerint. Nõ enim cultu aliquo in Eccleſia militanti aliquem venerari conſueuit cultu Beatificationis, ſiue Canonizationis; niſi haberetur certitudo probabiliſſima, eundem ſempiterna perfrui gloria. *Sed non poteſt quiſquam meritum Regni cæleſtis adipiſci*; (inquit Ambroſius) *qui mundi cupiditate poſſeſſus emergendi non habet facultatem*: & ille tantùm emergendi habet facultatem, vt idem dicit, *Qui cum contempſerit ſæcularia, merebitur ſempiterna*. Igitur qui ab hoc diuitiarum cõtemptu defecerit: eundem à ſempiternis quoque bonis defeciſſe ſuſpicari poſſumus, ac per conſequens, cum de huiuſmodi viro nulla certitudo haberi nequeat, quòd ſempiterna perfruatur gloria, eidem in Eccleſia nec cultus, nec veneratio licitè exhiberi, nec inter Sanctos, aut Beatos connumerari poterit. C D

Quæ tandem rationes ex Chriſti doctrina comprobantur, ac ſtabiliuntur. Is enim gradus Beatitudinum referens; nimirum quo pacto homines ad Beatitudinem peruenire poſſent, primum locum Paupertati ſpiritus, hoc eſt voluntariç paupertati tribuit. *Beati pauperes ſpiritu, quoniã ipſorum eſt*

Regnum

A *Regnum Cælorum*. Quod Regnum tanta certitudine pollicetur; vt non per verbum futuri, ſed præſentis temporis Chriſtus explicarit, vt morali quadam ratione certò ſcirent paupertatis amatores eo ipſo contemptu terrenorum ius quoddam ad beatitudinem habere.

Sanctum Franciſcum perfectum habuiſſe diuitiarum cõtemptum, & animo ab eis alieno vixiſſe legimus in Romano Breuiario his verbis. *Qui quodam die pauperem pro Chriſti*
B *amore flagitantem pecuniam, cum præter conſuetudinem repuliſſet; repentè eo facto commotus largè ei miſericordiam impertiuit. Et ex eo die Deo promiſit; ſe nemini poſcenti eleemoſynam negaturum. Cùm verò poſt in grauem incidiſſet morbum, ex eo aliquando confirmatus, cæpit ardentius colere officia charitatis: qua in exercitatione tantum profecit, vt euangelicæ perfectionis cupidus, quicquid haberet pauperibus largiretur. Quod ferens iniquius Pater, eum ad Aſſiſinatem Epiſcopum duxit;*
C *vt coram illo bonis cederet paternis: qui relictis etiam veſtibus Patri conceſſit omnia, illud ſubiungens; ſibi in poſterum maiorem facultatem fore dicendi, Pater noſter, qui es in Cælis*. Hæc de ſancto Franciſco verè paupere in Romano Breuiario.

Dicebamus liberalitatem non tam tollere diuitiarum affectum, quàm etiam largitionis modum præſcribere his, qui diuitias poſſiderent: quem Chriſtus ſectatoribus ſuis neceſ-
D ſarium eſſe declarauit, cum adoleſcenti formam perfectionis ab eo quærenti reſpondit. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Subinferens: *& veni ſequere me*. Hoc ſe feciſſe profitebantur cum Petro Apoſtoli reliqui Matth.19, dicentes. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quod propriè Apoſtolorum eſt, atque credentium,* inquit Hieron. lib. 3. in Matthæum. Meritò itaque Summi Pontifices in Bullis pro alicuius Dei ſerui Canonizatione in-

ter eiuſdem virtutes, ac merita hunc diuitiarum contemptum cum debito fine, ac circumſtantijs enumerant. A

Heroicus igitur diuitiarum contemptus, ex Chriſti doctrina, in recta etiam earundem diſtributione collocatur. Nā licet verè aurum, & diuitias contempſiſſe diceretur, qui vel nollet illas habere, vel habitas proijceret in mare; ſicut Cratem Thebanum feciſſe diximus; contemptum tamen hunc non docuit Chriſtus; neque probat Eccleſia: ſed eum, qui in Dei cultu cedit; & proximorum egeſtatem, ac miſeriam B pauperum ſubleuandam reſpicit. Propterea Summi Pontifices in Bullis Canonizationum aliquorum Regum, Principum, ac Magnatum id maximè attendunt; conſiderando, qua ratione bona terrena, & diuitias diſtribuerit. Porro in Dei quidem honorem, ac cultum illa bona diſtributa cēſentur, quæ in fabrica, & dote Eccleſiarum, pro alendis diuini cultus miniſtris inſumuntur. Hinc Eugenius Tertius in extrauag. *ſicut per literas* lata pro Canonizatione S. Henrici C Primi Romanorum Imperatoris laudat hunc Dei ſeruum. *De fundatione Bambergenſis Eccleſiæ, & multarum aliarum, quarundam quoque Epiſcopalium ſedium reparatione, & multiplici eleemoſynarum largitione*. Et de ſancto Ludouico Franciæ Rege loquens Bonifacius Octauus in extrauag. *Gloria, Laus*, lata pro eius Canonizatione, oſtendens quàm piè, quàmque ſanctè hic Dei ſeruus diuitias, ac pecunias ſibi à Deo iure regio collatas diſtribueret: de illius munificentia D hæc habet § 12. *Muros quoque, ſeu mœnia Ciuitatum, & Caſtrorum quamplurimorum, quæ in illis partibus*, ideſt, in Syria, & Terra Sancta *à fidelibus tenebantur fecit reparari ſolemniter, eaque alias muniri plenariè, prout neceſſitas ſuadebat*. Et parum infra loquens Summus Pontifex de reditu Regis Sancti in Franciam, deque operibus, in quibus ibi tunc degens ſtudebat, ait. *De Procerum ſuorum conſilio ad partes Fran*

ciæ

A *ciæ remeauit, nunc ſanctis inſiſtens operibus, nunc Monaſteria, & Hoſpitalia pauperum, nunc domos alias diuinis obſequijs dedicandas, quæ longum eſſet enarrare per ſingula conſtrui faciendo; eis de bonis proprijs amplis dotibus deputatis &c.* Et de S. Brigitta loquens Bonifacius Nonus in extrauag. *Ab origine* vbi §. 33. de ſtudio eiuſdem in ſacris fabricis verba faciens, & qua ratione facultates proprias ſancta vidua expenderet, ac diſtribueret in his, quæ Dei cultum reſpiciunt, ait. *De pro-*
B *pria quoque facultate reparauit in partibus ſuæ originis multa Hoſpitalia deſolata*, & parum infra §. 34. *In loco etiam de Vatzeno Lyncomēſis Diœceſis de ſuis facultatibus vnum venerabile Monaſterium canonicè conſtrui fecit pro ſexaginta monialibus ſub clauſura manentibus, & viginti quinque fratribus Ordinis Sancti Auguſtini, Sancti Saluatoris nuncupati.* Hanc etiam rectam diuitiarum diſtributionem ad Dei cultum videre licet in alijs ſeruorum Dei actis, ac geſtis, in quibus tàm à Sa-
C cris Canonibus, quàm ab Eccleſiæ Patribus plurimum laudantur, qui ſacris fabricis proprijs expēſis operam dederunt.

Aliud caput, in quo terrenæ facultates, ac diuitiæ ex liberalitate legitimè probantur expenſæ, & iuxta doctrinam euangelicam rectè diſtributæ, proximorum egeſtas reſpicit. Qui quidem diuitiarum vſus tantopere probatur, atque laudatur in ſacris Veteris, ac noui Teſtamenti litteris, vt ſolus is diuitiarum vſus ſufficientiſſimè videatur pietatem, ac ſan-
D ctitatem cuiuſcunque viri redolere. Hunc etenim diuitiarum contemptum, & vſum non ſemel, ſed iterum, atque iterum Chriſtus in Regulis perfectionis edocuit: illi enim, vt pluries retulimus, adoleſcentulo de perfectione cogitanti, & regulas ab eo percontanti reſpondit. *Si vis perfectus eſſe, vēde omnia quæ habes, & da pauperibus.* dicebat etiā. *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Et in die generalis iudicij, atque examinis, iuſtis dicturum ſe profeſſus eſt. *Quod*

vni

vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Quamobrem nunquam ſatis de hac eleemoſynarum largitione dici poſſet. Vſus huiuſcemodi diuitiarum, maximè eccleſiaſticarum, quemadmodum alendis pauperibus expendi debeat, ſanctiſſimus Chriſti Athleta Laurentius declarauit: qui martyrij deſiderio flagrans ſanctum Sixtum Pontificem ad martyrium præeuntem cũ cerneret, Eccleſiaſticos theſauros, quorũ cura ei commiſſa fuerat, diſtribuiſſe oſtendit: quò ad ſubeundum martyrium paratior, atque expeditior foret. *Noli me derelinquere Pater ſancte,* inquit, *quia theſauros tuos iam expẽdi, quos tradidiſti mibi.* Et Tyranno non tàm petenti, quàm extorquenti theſauros, eos per manus pauperum in cæleſti ærario collocaſſe profeſſus eſt. *Nam* (inquit) *facultates Eccleſiæ, quas requiris, in cæleſtes theſauros manus pauperum deportauerunt.* Diuino enim amore carere non poteſt; qui proximos egentes, & ad Dei ſimilitudinem factos tantopere diligit: vt ſeipſum, ſuaque omnia contemnat, & pauperum neceſſitatibus totum ſe tribuat. A B C

Et quia hæc recta diuitiarum diſtributio, ex heroica liberalitate, sãctitatis nota eſt apertiſſima: propterea in Bullis Canonizationum eius meminere Summi Pontifices; vt Gregorius Nonus loquens de Sancto Franciſco in Bulla Canonizationis hæc habet §. 3. *Hic denique Patris Abrahæ imitatus veſtigia, mente de terra, & de cognatione ſua, necnon de domo Patris eius egrediens, vt expeditius curreret ad brauium vocationis cæleſtis, & anguſtam portam poſſet facilius introire, ſarcinam terrenæ ſubſtantiæ depoſuit, ſe illi conformans, qui, cum diues eſſet, pro nobis factus eſt pauper: eamque diſperſit dedit pauperibus, vt ſic eius iuſtitia in ſæculum ſæculi permaneret.* Et de ſancto Homobono Cremonenſi, eiusque erga pauperes pietate, ac munificentia ſic loquitur Innocentius Tertius in extrauag. *Quia pietas,* lata pro eius Canonizatione. D

A ne. *Inter alia verò pietatis opera, quæ tam circa pauperes, quos ſecum in propria domo tenebat, curabat, & pariter procurabat; quàm circa alios indigentes, quibus viuentibus humanitatis officium, & mortuis ſepulturæ beneficium conſueuerat deuotus impendere, diligentius exercebat.* De ſancto Ludouico quoque Franciæ Rege Bonifacius §. in extrauag. *Gloria, Laus &c.* lata pro eius Canonizatione ipſius erga pauperes liberalitatem, & munificentiam collaudans. §. 12. dicit *Multos milites,*
B *& alios Chriſtianos redimi faciens, eis de munificentia regia, tàm veſtes, quàm cætera neceſſaria victui, prout ſingulorum ſuadebat conditio, miniſtrabat.* Sanctus etiam Ludouicus Toloſanus miro erga pauperes ferebatur amore: vt teſtatur Ioannes 22. in extrauag. *Sol oriens,* ſic enim habet §. 1. *Mira verò compaſſione ad pauperes ferebatur; quibus largas, tàm priuatas, quàm publicas eleemoſynas faciebat.* Sed relictis innumerabilibus alijs teſtimonijs, quibus ſeruorum Dei erga pauperes liberalitas commendatur: quæ de S. Carolo in extrauag.
C *Vnigenitus æterni &c.* afferuntur à Paulo Quinto; non ſolùm huius ſerui Dei pietatem erga pauperes quàm maximè efferunt; ſed ex ſola hac virtute ſanctitas illius, me iudice, apertè comprobatur. Duo enim præclariſſima legimus de illo exempla, quibus diuitiarum, & terrenorum bonorum ex liberalitate contemptus, ac rectus vſus demonſtratur: alterum in renunciatione bonorum Eccleſiaſticorum, quæ ab
D auunculo Pio Quarto in commendationem receperat; alterum in diſtractione perampli patrimonij, vt egentibus ſubueniret. De priori ſic loquitur Paulus Quintus loco citato §. 27. *Poſtquam enim ad Eccleſiam regendam Mediolanenſem, & ad chriſtianam religionem animum appulit: vt expeditior agere poſſet, quod agendum ſuſceperat: maioris Pœnitentiarij officium, Archipresbyteratum Baſilicæ S. Mariæ Maioris de Vrbe, Ordinum Regularium complurium Regnorum, & natio-*

num

num honorificentiſſimas clientelas, ſeu protectiones, opulenta munera, gradusque Eccleſiaſticos, & patrimoniales redditus ſua ſponte reliquit. Illa enim omnia à Summo Pontifice recenſita onera, maximos in Vrbe ſecum ferunt prouentus; quæ propterea ibi enumerantur, vt diuitiarum contemptus illuſtrior in Dei ſeruo conſpiciatur. A

Et quia iuſtitiæ adminiſtrandæ onus, Epiſcopali, atque Archiepiſcopali muneri eſt annexũ, in quo Iudici cauendũ fore à donis recipiendis ſexcenties Spiritus ſanctus in ſacris oraculis docuit; Carolus Dei ſeruus ab his ſuſcipiendis maximè cum cauiſſet, Paulus V. in prædicta extrauaganti §.20. hæc habet. *Et vt ſanctè, & iuſtè coram Deo, & hominibus omnia tractaret, à muneribus etiam viliſſimis abſtinuit*: nimirum dum regeret Eccleſiam. B

De diſtractione bonorum patrimonialium, & recta Eccleſiaſticorum prouentuum adminiſtratione, ſic loquitur Summus Pontifex §.15. *Eoque proceſſit pauperibus ſubueniendi ſtudium, vt Vritanum Principatum, reliquum patrimonij ſui, nec tenuis redditus, diſtraheret, & quadringenta millium ſcutorum pretio, quamuis vili inde percepto, diuerſis pijs locis Mediolani tantùm pecuniæ pauciſſimis horis attribueret*. C

Sed pijs viris nec fœminæ ceſſerunt in hac recta diuitiarum diſtractione, atque contemptu: cũ ipſę quoque his vilibus, terreiſque quiſquilijs contemptis, atque diſtractis cæleſtia lucrari ſtuderint: meritò itaque ſanctæ quoque mulieres à Summis Pontificibus commendantur in Bullis Canonizationũ. Legimus enim de S. Heduige Polonię Duciſſa, quod viro vita iam functo, quamuis ad Monaſterij clauſtra ſeſe reduxiſſet, abſtinuit tamen à voto paupertatis, vt haberet vnde indigentibus porrigeret. Ita Clemens Quartus ſcribit in extrauag. *Exultat cunctorum*, lata pro eius Canonizatione dicens in fine §.4. *Et licet, quæ regularis diſciplinæ fuerunt,* D

A *quantum ſuo licebat ſtatui præ cunctis monialibus obſeruaret, votum tamen profeſſionis emittere, & renunciare proprio renuit; non ob aliud (prout fertur) niſi vt haberet vnde palmam porrigeret inopi, & aperiret munificentiæ dexteram indigenti*. De S. Brigitta Bonifacius Nonus verba faciens in extrauag. *Sol Oriens*. §. 31. hæc habet. *Conſiderans ſemitas domus ſuæ, ne panes comederet otioſa manus ſuas aperuit inopibus, & palmas ſuas extendit ad pauperes. Inexhauſta enim charitatis officia*

B *erga egentes, infirmas, & abiectas perſonas ob Dei reuerentiam exercuit indefeſſè. Admirabilis, & ſpectata humilitatis extitit; itaut nonnunquam cum pauperibus Peregrinis incognita ſimul ſedens apud Monaſterium S. Laurentij in Paliſperna de Vrbe Ordinis S. Claræ eleemoſynam reciperet, & oſcularetur cum gratiarum actione: & frequenter proprijs manibus ob Dei reuerentiam reparabat pauperum veſtimenta*. Hæc ibi ſub Dat. Romæ nonis Octobris Pontificatus ipſius anno 2. qui

C fuit Dominicæ Incarnationis 1391. Ex quibus huius Dei famulæ vigilantia, ſtudiumque in recta ſuorum bonorum diſtractione colligitur. His enim virtutibus, contemptu terrenorum, rectaque diuitiarum diſtributione Dei ſeruos, ac famulas Cælum lucrari, remiſſionem peccatorum adipiſci, virtutibuſque in dies augeri ſacræ teſtantur vndique litteræ; ſacraque oracula paſſim

D confirmant, Chriſto dicente. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*.

CAP.

CAP. II.

De notis, & ſignis ſanctitatis ex maceratione carnis.

A

GESTA, & acta ſeruorum Dei non martyrum, quę per ordinem ad Canonizationem inueſtigantur, poſthabenda quidem erunt, in quibus nullum ſtudium circa carnis, corporisque mortificationem apparuerit: quamobrem nec ſanctitatis de his ſuſpicionem habere conuenit, nec de cultu, aut veneratione eorundem in Eccleſia Dei, vt puto, agere licebit. Sanctitatem enim illorum tantùm probat, ac veneratur Eccleſia in non martyribus; quos in carnis caſtigatione, & ſenſuum mortificatione ſtuduiſſe comperit. Quapropter nullas legimus in Eccleſia Sanctorum hiſtorias, aut Bullas Summorum Pontificum latas pro Sanctorum Confeſſorum, aut Virginum Canonizatione, in quibus carnis, & ſenſuum macerandi ſtudium in eiſdem plurimum, vt par eſt non commendetur. B C

Carnis autem, & corporis noſtri maceratio ad pœnitentiæ virtutem reuocatur, quæ ſub tribus capitibus ad temperantiæ virtutem ſpectantibus conſideratur; nimirum ad Ieiunium, quod in temperando ſe à cibis, & lautitijs poſitum eſt: ad nocturnas vigilias, quarum ratio eſt in temperando ſe à ſomno, & dormitione, ac corporis quiete: & ad rationem nuditatis eiuſdem corporis, de quibus intelligi debet Apoſtolus cum de ſeipſo ait. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*. In abſtinentia cibi, & potus per ieiunia caſtigatur corpus contra vitium gulæ, non ſolùm ex defectu nutrimenti ſuperflui, ſed defectu etiam lautitiarum, tàm in cibo D

per

A per eſcas viles, quàm in potu, ſi aqua ſitis extinguatur. Per
nuditatem caſtigatur caro, vt frigus patiatur; in veſtitu per
cilicium inferius, & rude veſtimentum exterius. In ſomno
quoque caſtigatur caro noſtra per chaumenias, ideſt, dormi-
tiones in terra, & quaſcunque alias carnis, & corporis affli-
ctiones.

Hæc autem tria, nimirum ieiunium, nuditas, & vigiliæ in
actibus pœnitentiæ apud Hebræos coniungebantur, vt do-
B ctè conſiderauit Gaſpar Sanctius c. 58. Iſaiæ nu. 22. Et hinc
fortaſſe factum eſt, vt ieiunium in ſacris litteris, afflictio, ſeu
humiliatio dicatur ab adiuncta aſperitate cilicij, & vigilia-
rum in cinere expreſſarum. Hoc tradunt omnia fermè loca
Sacrarum Scripturarum, in quibus nomen ieiunij inuenitur.
Vt Ionæ cap. 3. cum dicitur, quòd ad Ionæ prædicationem:
Crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiu-
nium, & veſtiti ſunt ſaccis, à maiori vſque ad minorem. Et in
C lib. Iudith cap. 8. & in lib. Eſdræ cap. 4. & 3. Reg. cap. 21. vbi
agitur de Achabo: & in eo exẽplũ integrũ mortificati homi-
nis exprimitur ſub ratione ieiunij his verbis. *Scidit veſtimen-*
ta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam; ieiunauitque, & dor-
miuit in ſacco, & ambulauit dimiſſo capite. Quæ tria ſub hu-
miliationis vocabulo complexus eſt Dominus in eodem li-
bro 3. Reg. cum de eodem Achabo dixit ad Eliam. *Nonne*
vidiſti humiliatum Achab coram me? Humiliationem voci-
D tans ieiunium cilicio, & cineri adiunctum, humiliatumque
hominem dicens ieiunio, nuditati, & vigilijs ſtudentem.

Abſtinentia autem cibi, & potus, quanti ſit meriti apud
Deum, quàmque neceſſaria ſectatoribus euangelicæ per-
fectionis, ſanè Chriſtus aperuit, cum inter Beatitudines, ſiue
beatitudinis adipiſcendæ ſecura media hæc quoq; recenſea-
tur, dicens: *Beati, qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini.* Et talis,
ac tantus cibi, & potus fuit inter fideles in exordio floren-

tis Ec-

tis Eccleſiæ abſtinentiæ rigor: vt Caſſianus lib. 2. de inſtit. A
renunciant. cap. 5. hæc habeat. *Etenim ſuccedentes,* ſupple priores Dei ſerui, nimirum Apoſtolis *in ſecretiora ſuburbiorum loca agebant vitã tanto abſtinentiæ rigore diſtrictam, vt etiam his, qui erant Religionis externæ, ſtupori eſſent: tàm ardua erat conuerſationis eorum profeſſio.* Et quidem vix aliquando credibilia videntur, quæ de abſtinentia ſeruorum Dei referũtur: nam D. Hieronymus Pauli Primi erèmi cultoris abſtinentiam admirans, quòd palma nimirum victum, & B
veſtitum Dei famulo præſtaret: vt dictis fidem faceret addidit. *Quod ne cui impoſſibile videatur Ieſum teſtor,* inquit, *& ſanctos Angelos eius, in ea eremi parte, quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidiſſe me monachos, de quibus vnus triginta iam per annos clauſus, hordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit. Alter in ciſterna veteri (quam gentili ſermone Syri cubam vocant) quinque caricis per ſingulos dies ſuſtentabatur.* Et in vita S. Hilarionis idem Hieron. teſtis omni exceptione maior, habet. *Herbarum ergo ſucco, & paucis caricis, poſt triduum,* C
vel quatriduum deficientem animam ſuſtentabat. Hæc, & alia plura in Dei ſeruorum actis leguntur ferè in immitabilia, ne dicam nobis incredibilia.

Tantæ abſtinentiæ, ac ieiuniorum prædictam rigoroſam rationem idcirco aſſumebant Dei ſerui; vt carnem, ac eius motus reprimerent, & edomarent. Teſtis eſt Hieronymus ibidem in vita S. Hilarionis, quòd aliquando is Dei ſeruus D
pertentatus à Satana libidinum incendijs, hæc ipſa carnis incendia ieiunijs extinguebat. *Titillabat itaque ſenſus eius,* inquit Hieron. *& pubeſcenti corpori inſolita voluptatum incendia ſuggerebat. Cogebatur tyrunculus Chriſti cogitare, quod neſciebat, & eius rei animo pompam voluere, cuius experimenta non nouerat. Iratus itaque ſibi, & pectus pugnis verberans, quaſi cogitationes cæde manus poſſet excludere: ego te,* inquit, *aſelle*

faciam

A *faciam vt non calcitres, nec te hordeo alam, ſed paleis; fame te conficiam, ac ſiti, graui onerando pondere, per æſtus indagabo, & frigora; vt cibum potius, quàm laſciuiam cogites.* Hæc ſunt, quæ de mira abſtinentia, rigoroſoq; victu Pauli Primi Eremitæ, ac Hilarionis beatiſſimus ſcribit Hieronymus.

Abſtinentia tamen quantumuis rigoriſſima, ſufficiens ſanctitatis argumentũ Eccleſiæ Dei non præſtat; niſi gradus heroicitatis in hac ipſa abſtinẽtia eluceat, & alijs euangelicis
B virtutibus fuerit coniuncta: vt manifeſtum eſt ex Sacris Scripturis. Chriſtus enim Dominus Phariſęos plurimum ieiunaſſe teſtatur, & ab eorum quidem inſtituto, ac ieiuniorum more recedendũ docuit, dicens. *Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* Et Eſai. 58. *Nunquid tale eſt ieiunium,* inquit Deus, *quod elegi? per diem affligere hominẽ animã ſuam: nunquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum, & cinerem ſternere? nunquid iſtud vocabis ieiunium, & diem acceptabi-
C lem Domino?* Quaſi diceret Deus per Prophetam; nequaquã. Quem locum paraphraſticè Sanctius expreſſit his verbis. *Nunquid illud à vobis ieiunium exigo; quod nihil habet ſolidæ, atque internæ, ſed tantùm fucatæ ſanctitatis ſpeciem? Nunquid vt corpus maceretur inedia, & vos ipſos externa tantùm cæremonia affligatis? Nunquid, vt in circuli formam, caput flexili ceruicis inclinatione curuetis, vt induti ſacco, & aſperſi cinere in ſordibus eſſe, atque ſquallore ſignificetis? Nun-
D quid hoc mihi ieiunium probare vultis? Nunquid hũc diem acceptum mihi fore exiſtimatis?* Ieiunauit enim in Scripturis Sacris Achab, qui nullũ ſanctitatis; quin potius impietatis ſpecimen pręſetulit. Ieiunauerũt quoque ad Ionę prædicationẽ viri Niniuitæ; quos tamen Sanctos extitiſſe nemo dicet. Quã doctrinã Patres quoque tradidere. Nam S. Gregorius ho. 16. in Euang. hæc habet. *Nemo ſibi abſtinentiam ſat eſſe putet; cum per Prophetam dicatur, frange eſurienti panem tuum.*

Si verò à longa, & diuturna cibi, potuſque abſtinentia A argumenta ſanctitatis ſumere velimus, nec illud erit ſufficiens. Nonnulli enim ſunt, qui ex naturali temperamento diu viuunt ſine alimento. De quodam Paolaccio Ariminenſi ſcribit Bernardinus Corius in hiſtoria Mediolan. par. 3. ſub anno 1340. pag. 217. Homo quidem is erat ſimplex, ac rudis. quòd per plures annuales Quadrageſimas & integras omninò à cibo, & potu vini, quin etiam à quacunque alia materia comeſtibili abſtinebat: ſoliuſque aquæ B calidæ potu ſuſtentabatur. Pluries inquiſitus inquit, & pro tali tempore ab Inquiſitoribus, & Epiſcopis re peruestigata, rem comprehenderũt, vt narratum eſt ab oculato teſte rem accepiſſe ſcribit Corius. Is tamen Paolaccius ſanctitatis alicuius indicium nunquam præſetulit: quin etiam transacto quadrageſimali tempore vltra modum comediſſe ſcribit idem Auctor. Palladius quoque in Lauſiaca cap. 32. mira de quodam monacho abſtinentiſſimo, qui dicebatur C Ero, ſcribit. *Fuit, inquit, is vitæ inſtituto admodum ſubtili, ac accurato: adeo, vt multi dicant; quibus cum eo interceſſit conſuetudo: quod ſæpe non niſi poſt tres menſes comedebat contentus communione Sacramentorum, & ſicubi ei apparuiſſet olus agreſte. Accepi autem ego quoque eius experientiam cum Beatiſſimo Albino cum irem in Scetem. Aberat autem Scete à nobis quadraginta milliaria; in his quadraginta milliaribus nos bis comedimus, & ter aquam bibimus: ille verò cum* D *nihil guſtaſſet pronunciauit quindecim pſalmos, &c.* De illius profunda memoria multa ſcribit Palladius, & demum à perfectione prædictæ vitæ excidiſſe refert.

Extat opuſculum doctiſſimi Liceti de his, qui viuunt ſine alimento: lib. namque 1. c. 1. & ſequent. & lib. 3. cap. 13. plures recitat Hiſtorias: quibus planè oſtendit, homines plures, & prolixas interdum inedias retinuiſſe ſine detrimento:

A mento: & poſſe quidem hominem ſeptem integros dies ſine cibo viuere ſcribit Mercur.var.lect.lib.6.c.8. Idque,narratũ ſibi: & olim id etiam factitaſſe, & nunc Græcorum aliquos monachos facere; in monte Sancto certum eſt, aliquos ſeptem, & vltra dies abſque vllo cibo viuere. Lucianus quoque in Philopſeude,fabulam recitat cuiuſdam Antigonis medici; qui teſtabatur hominem quendam, poſt vigeſimum diem, quàm mortuus fuerat: (ideſt pro mortuo
B habitus) reſurrexiſſe, qui medicus teſtatur ſe hominem illum, & ante, & poſtquam reſurrexit, ſeu reuixit, & ex illo accidenti in ſe reuerſus fuerat, cognouiſſe; atque ab infirmitatibus nonnullis poſtmodum eundem curaſſe. Scaliger ſenior, monachum quendam per quindecim dies ſine interitu famem toleraſſe ſcribit. Locum refert Licetus diſput. 19. de ferijs altricis animæ. Quandam etiam mulierem quadraginta dies abſtinuiſſe refert. Ex auctoritate quoque Al-
C berti Magni, & Sueſſani; atque etiam libri, qui inſcribitur Chron.Chronic. habetur, militem quendam longo tempore ſine cibo, & potu vixiſſe ſub anno Domini 1198 Et apud Eburones Canonicum quendam ſexdecim dies integros ſine cibo, & potu tranſmiſiſſe teſtatur idem Licetus,ex auctoritate Ioãnis Vuier tractatu de ieiunio. Quin etiã Henricum Gaſteldium anno 1545. vltra quadraginta dies abſtinentiam ab omni penitus alimento protraxiſſe affirmat: quẽ
D propterea Sanctitatis famam apud vulgum adeptũ teſtatur. Puellam pariter quatuor integros menſes ieiunaſſe ſcribit,& aliam quoque refert puellulam circa annum Domini 1600. apud Bernenſes per plures mẽſes abſtinuiſſe. Plura alia apud Licetum videri poterunt diligentius, & curioſius de nonnullorum abſtinentia à cibo, & potu; ſed prædicta retuliſſe ſufficiat,vt liqueat ex ſola abſtinentia cibi, & potus nullum ſumi poſſe ſanctitatis argumẽtum. Nam plures etiam ex hy-

V 2 pocriſi

pocriſi ieiunaſſe Chriſti teſtimonio conſtat. Quamobrem niſi alijs virtutibus hæc abſtinentia conſociata appareat, minimè ei fidendum erit. A

At verò ſi abſtinentia reliquis virtutibus coniuncta fuerit præſertim humilitati, & charitati proximorum, maximũ præſtabit nobis ſanctitatis argumentum: heroicitatis enim gradũ talis abſtinentia præſefert. Quãobrem dicebat S. Gregorius hom. 12. in Euang. *Nemo ſibi abſtinentiam ſat eſſe putet, cũ per Prophetam dicatur: frange eſurienti panem tuum. Illud ergo ieiuniũ Deus approbat, quod ad eius oculos manus eleemoſynarũ leuat, quod cum proximi dilectione agitur, quod pietate conditur.* B Sic etiam docuit Caſſianus lib. 5. de inſt. renunc. c. 10. & collat. 21. c. 14. & idipsũ probat ex loco Iſaiæ c. 58. in quo Deus agens de ieiunio, & heroici ieiunij ſigna ſubindicans hæc habet. *Nonne hoc eſt magis ieiuniũ quod elegi? Diſſolue colligationes impietatis; ſolue faſciculos deprimentes; dimitte eos, qui confracti ſunt liberos; & omne onus diſrumpe. Frange eſurienti panem tuum; & egenos, vagosq; induc in domum tuam. Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam non deſpexeris.* C Quæ verba præclarè ſic paraphraſticè reddidit Sanctius loco citato Iſai. *Hoc mihi ieiunium gratum, & acceptum eſt. Diſſolue pactiones, quas iniquè contraxiſti: rumpe chirographa, quibus tibi à debitore cautum eſt: neque deprimas illos, qui licet à te legitimè debitum contraxerint, ſoluendo tamen non ſunt: liberos, & ſecuros eſſe iube eos, quibus anguſta eſt, & afflicta fortuna: onus denique quod fractis iam viribus ſuſtinere non poſſunt, à miſerorum ceruicibus excute. Neque tãtum tibi à ſcelere abſtinendum, ieiunij tempore, ſed etiam pietati aliquid impendendum; quare fac, vt eſurienti de cibo, peregrino de hoſpitio, & nudo de veſtimento prouideas: & ſicut carnem tuam foues, neque illam deſpicis, ſic aliorum carnem, quam habere debes pro tua, ne deſpicias.* D Ex quo loco, & Caſſiani paraphraſi manifeſtum eſt in ſola abſtinen-

A ſtinentia cibi, & potus ſanctitatis notam fore collocandam; ſed in abſtinentia alijs virtutibus adiuncta. *Videtis ergo*, ait Caſſianus, *ieiunium nequaquam principale bonum à Domino iudicari; eo quod non per ſe ipſum, ſed per alia bona opera placitum Deo fiat.*

Quæret fortaſſe aliquis, quænam ſit abſtinentia in gradu heroico; quæ probanda erit ab Eccleſia, & fidelibus proponenda, vt imitentur: illa, inquam, ex Chriſti regulis, & do-
B ctrina, quæ ſe cælat hominibus, & ſoli Deo placere ſtudet; quia propter ſolum Deum aſſumitur: de qua dicebat Chriſtus. *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo, qui eſt in abſcondito.* Qui igitur ieiunat, vt ſoli Deo placeat, vt carnales motus reprimat, ac ſenſus edomet, vt habeat vnde tribuat indigenti; huius ieiunium, ſi reliquis virtutibus fuerit coniunctum, ſanctitatis notam præſtat.

C Meritò igitur Summi Pontifices in bullis latis pro canonizatione Sanctorum Confeſſorum, eorundem abſtinentiã, ac ieiunia dũ referunt, vnà cum his reliquas quoque virtutes enumerant: atque hoc argumento illorum commendant ſanctitatem. Ita Innocentius Quartus in Bulla *Magnis, & crebris*, lata pro Canonizatione S. Petri martyris; carnis, corporiſque caſtigationem in illo commendans ſic loquitur. *Et quia ſeruus delicatè nutritus proteruit in Dominum, car-*
D *nem ſuam aſſidua cibi, & potus paruitate reſtrinxit.* Sic etenim carnis macerationem per abſtinentiam cibi, ac potus, corporiſque caſtigationem in Dei ſeruis explicauit etiam Gregorius Nonus in Bulla *Glorioſus in maieſtate*, lata pro Canonizatione S. Eliſabeth Viduæ, Regis Vngariæ filiæ, de cuius ſtudio in carnis maceratione per ſubtractionem quoq; licitorum ſic loquitur. *Etiam licitis ſibi delicijs, quas offerebat ſtatus coniugalis excellentia, deductis pluries in contemptum,*

corpus delicatum, & tenerum reddebat aſſiduè parſimoniæ ſtudio maceratum. A

Cilicij, ac cilicinæ veſtis vſum ad edomandum corpus ſacræ litteræ probant, & Sanctorum Patrum hiſtoriæ ad notam pœnitentiæ confirmant. Niniuitas ad prædicationem Ionæ ſacco veſtitos fuiſſe ſacra teſtantur oracula. Et Achabum Regem Iſrael cilicium aſſumpſiſſe ad minas Eliæ c. 21. lib. 3. Reg ſcribitur. Ioannē quoque Baptiſtā, qui eius fuit ſanctitatis, vt Chriſto teſte maior inter natos mulierum B nullus ſurrexerit, veſte cilicina indutū ſacri Euangeliſtæ tradidere. *Habebat enim veſtitum de pilis Camelorum*: dicitur Matth. cap. 1. Et Patres Orientalis Eccleſiæ, ſanctiſſimosque viros cilicio indutos hiſtoriæ eccleſiaſticæ tradunt Nā in vita S. Pachomij legitur, quòd ad humiliandū corpus, carnēq; edomandam plerumque cilicium aſſumebat. Ita c. 14. In vita S. Abrahæ à S. Ephrem ſcripta, quæ habetur lib. 1. vitarū Patrum, de eius cilicina veſte, quaſi pro miraculo ſcribitur. C *Sed & aliud in eo per diſpenſationem miraculum geſtum eſt. In omnibus ſiquidem quinquaginta annis abſtinentiæ ſuæ veſtem cilicinam, qua indutus eſt, non mutauit.* Et cilicina quidem veſtis adeo coniuncta eſt ieiunijs; vt re vera nullibi Sanctorum Patrum acta legenda occurrant; in quibus cilicinæ veſtis vſus cum ieiunio legere non contingat ad carnis humiliationem, corporisque mortificationem.

Eccleſia quoque ſuadens nos ad pœnitentiæ actus, & ad D diuinam miſericordiam flectendam *in cinere, & cilicio*, nobis pœnitendum docet. Cū enim qui diuino obſequio ſe mancipant, in virtutibus ſe exerceant neceſſe ſit, ac præſertim initiari pœnitentiæ ſacris teneantur; propterea ieiunijs cilicina quoque veſtis ad pietatis, ac ſanctitatis notam adiungenda erit. *Nam, qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt*: dixit Saluator: planè demonſtrans, non conuenire ſectatori

euange-

A euangelicæ perfectionis veſtitum ſericum, ac mollem, ſed potius è contrariò rudem, & vilem.

Argumentum verò ſumptum ab amictu cilicino, & nuditate maioris non eſt efficaciæ ad ſanctitatis notam, quàm quod à cibi, & potus abſtinentia ſumitur. Mira namque, & incredibilia ſunt; quæ de Diogene Cinico, & eius nuditate Laertius ſcribit. Quòd nimirum palliolo quodam ſordido, vteretur; & in eodem duplicato dormiret; quòd nec ſtratum,
B nec opertorium quo tegeretur haberet; nudiſque pedibus incederet. In tanto tamen rerum contemptu, in tanta nuditate, ac rudi amictu, heroicæ virtutis ſpeciem nec aparuiſſe ſuſpicari licet: cum à vera Religione, ac etiam à cæteris moralibus virtutibus omninò Diogenes deficeret Compertum eſt enim, non ſolùm ſub rudi nonnullorũ eremicolarum amictu peſſimos delituiſſe homines, ac hodie deliteſcere; ſed etiã plures, ac plures in exteris remotisq; regionibus, non
C ſolùm apud Indos ſub clementiori, ſed etiam ſub frigidiſſimo aere nudos, ac diſcalceatos incedere, ſaltem ex aliqua parte corporis. Quin etiam nautæ, ruſtici, muliones, & alij huius generis homines, tam rudi amictu interdum veſtiuntur, & ſic nudi incedunt, vt omnes, & quoſcunque Dei ſeruos ſuperent; cum tamen ſub ea nuditate non ſolùm nullum pietatis ſpecimen appareat; ſed in aliquibus plura ſint vitia, atque peccata, quàm verba.

D Quòd autẽ rudis amictus nullam præſeferat ſpeciem ſanctitatis, illud ſaltem probat, quòd omnino cilicinam veſtem declinandam voluerint Patres Aegyptij, ſanctitate præexcellentes apud Caſſian. lib. 1. de inſtitut. renunc. cap. 3. de quo inſtituto ſic ille loquitur. *Quamobrem cilicinam veſtem, velut circumſpectam cunctis, atque notabilem, & quæ ex hoc ipſo non ſolùm nulla ſpiritui poſsit emolumenta conferre, ſed etiam elationis concipere vanitatem, quæque ad neceſſarij operis exer-*

citium; in quo monachum ſemper impigrum, expeditumque oportet incedere, inhabilis, atque inepta ſit, omnimodis refutarunt. A
Supple Patres Seniores. Ex qua doctrina liquet apertè, à veſtitu rudi, ac cilicino debile ſanctitatis ſumi poſſe argumentum; niſi gradum heroicitatis ex affectu ſupernæ charitatis attingat, alijsque virtutibus nuditas conſociata exiſtat.

Quæret fortaſſe aliquis, quibuſnam ſignis gradus virtutis heroicus in rudi veſtitu, ac nuditate colligi, ſiue cognoſci queat, qui ſanctitatis notam præſeferat. Et quidem cum virtutis ratio in medio collocetur, & extrema declinet: qui aſſumpſerit rudem amictum ex inſtituto ſuæ profeſſionis, iuxta ſtatum, & conditionem ſui ipſius; & ſi quid ad hæc cilicij addiderit, idq; hominibus cælare ſtuduerit; vt ſoli Deo placeat: eum vtique non propter homines, ſed propter Deum nuditatem affectaſſe, carnem caſtigaſſe, ſenſus edomaſſe manifeſtum erit, huncque virtutis actū heroicitatem ſapere, præſertim vbi perſonas delicatas, nobiles, & inſigniores, alijs euágelicis virtutibus refertas prædicta feciſſe cōſtabit: vt infra ex Bullis Summorum Pontificum latis in Sanctorum Canonizationibus demonſtrabitur. Ex quibus planè conſtabit commendari ab Eccleſia eos, qui ad carnis mortificationem, & humiliationis gratiam veſtes, & cilicia induunt, vt, dum caro affligitur, mens Deo liberius vacet. B C

Ieiunio ad corporis mortificationem, vigiliæ adhiberi conſueuerunt Sacris in litteris, quæ ſtrato cinereo, ac cineribus ſignificantur. Hinc Iob c. 42. dicebat. *Idcirco me reprehendo, & ago pænitentiam in fauilla, & cinere.* Loquebatur de ſtrato, in quo iacebat. Et cap. 12. lib. 2. Reg. de peccato Dauid. & pęnitentia agitur; cum puerulus iam natus in pœnam Dauidici criminis infirmaretur, de quo dicitur. *Deprecatusque eſt Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit ieiunio, & ingreſſus ſeorſum iacuit ſuper terram.* Subinferente quidem D

A vigilias Temperantia ex virtute pœnitentiæ ad ſanctitatis ſignum. Quapropter Caſſianus collat. 12. cap. 4. diſputans de puritate mentis, ac corporis conſeruanda, à ſomno cauendum docet, dicens. *Somnus denique ipſi naturæ debitus reſpuatur: vel certè, vt deceptor fraudulentiſſimus puritatis, & æmulus, atque contrarius caſtitati, attonita, atque ſuſpecta mente capiatur.* Et hac ratione in Eccleſia nocturnæ vigiliæ inſtitutæ habentur; Deique ſerui vigilijs, atque chaumenijs

B iam olim ſe exercebant; quantum fieri poterat: ducebantque noctes in pſalmis, & orationibus inſomnes. Nam de ſancto Antonio orbis miraculo ſcripſit Athanaſius in eius vita c. 6. his verbis *Inediæ autem, & vigiliarum in tantum patiens erat; vt incredulitatem viribus vinceret. Pernoctabat in oratione ſæpiſſimè, edebat ſemel in die poſt Solis occaſum, nonnunquam biduo, triduoque ſic permanens, quarta demum die reficiebatur. Sumebat verò panem, & ſal, potumque aquæ perparum*, & infra. *Quieti autem membra concedens iunco contexto,*

C *atque cilicio vtebatur; nonnunquam etiam ſuper nudam humum iacebat.* Hinc planè conſtat; argumentum ſanctitatis, quod à ieiunijs, & nuditate debile ſumitur; validiſſimum effici à vigilijs nocturnis in gradu heroico aſſumptis, & à noctibus inſomnibus ductis orandi, atque pſallendi cauſa: vt vigilijs, ac ieiunijs caro maceretur, Deuſq; ſpiritu alacriori colatur.

Mancipationem ſui ipſius in obſequium Deiq; cultum

D comparauit Chriſtus Saluator noſter ei, qui aratro terram ſcindit; qui, vt tuto progrediatur cogitur recta proſpicere: ita apud Luc. 9. ait *Nemo mittẽs manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei.* Qui locus communiter exponitur de perſeuerãtia in cæpto bono, ſiue ſit cõuerſio à peccatis ad bonum iuxta expoſitionem Gregorij homil. 3. in Ezech. ſiue Chriſti ſermo dirigatur ad eos, qui ſpiritualibus dant operam ſtudijs, in quibus perſeuerandum eſt: vt

inter-

interpretatur Euthimius in Lucam: ſiue Chriſtus de prædi- A
catoribus loquatur, vt ſenſit Origenes: ſiue aliter interpretanda ſit Chriſti parabola; illud quidem certum eſt Chriſtum de perſeuerantia fideles admonuiſſe.

Verùm qua de cauſa Chriſtus ſub parabola aratoris potius, quàm alterius rei de hac perſeuerantia fideles admonere voluerit; nemo quod ſciam aduertit. Cumque verborum Chriſti, ſacrique ſcriptoris, nec apices ſint poſthabendi; fruſtra aratori comparatos fuiſſe eos, qui bonis ſe addi- B
cunt operibus, vt Chriſto obſequantur exiſtimare dedecet. Quamobrem laboribus, & ærumnis plurimis, necnon aeris inclementiæ inniti Chriſti parabolam dicerem; quibus ſubiaceat is neceſſe eſt; qui vomere terram ſcindit: ſibi enim cum bobus, & animalibus pugnandum eſt; ferrum premendum, ac calcandum, durities terræ ſuperanda, ardoribus Solis ſubiacendum; & ſi quando etiam aer turbinibus, ac pluuijs agitatur, non propterea aratrum dimittendum C
erit. Chriſtum igitur docere puto voluiſſe, quòd is, qui diuinis obſequijs ſeipſum totis viribus addicit, laboribus plurimis, & afflictionibus ſe ſubijciendum intelligat. Nam cum ille, qui intus, ac foris nobis eſt hoſtis, nullis ferè alijs vtatur armis, quàm noſtri corporis ſenſibus: propterea primum ſeruorum Dei ſtudium circa macerationem carnis verſari debet, iuxta aliam quoque Chriſti doctrinam dicentis. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit* D
eam. Itaut ſui ipſius vnuſquiſque carnifex, ac tortor exiſtat, vt in Chriſti confeſſione martyrij palmam conſequatur. Ita Alexander Tertius in Bulla. *Contingit olim*, lata pro Canonizatione S. Bernardi Abbatis carnis macerationem in eo conſiderans: *in afflictione verò corporis ſui*, inquit, *vſque adeo ſibi mundum, ſeque mundo reddidit crucifixum, vt confidamus martyrum quoque cum merita obtinere Sanctorum, quæ*

confeſ-

A *confeſsionis ordine, & parſimonia vitæ tam longum conſtat duxiſſe martyrium.*

Sigillatim verò genera, ſpecieſque mortificandæ carnis, artes, & ſtudia fuſius conſiderauit, & expreſſit Innocentius Quartus in Bulla *Nouum matris &c.* lata pro Canonizatione S. Edmundi Epiſcopi Cantuarienſis: de cuius ſtudio in carne maceranda loquitur his verbis. *Et ne feruor ſpiritus ſuæ carnis extingueretur ardore, ſed mortificatione potius ac-*
B *cenderetur; ipſius aſſidui eam aſperitate cilicij edomans, eius libitum ante abſtinentiæ nexibus alligauit: vt non ſuo ducta voto, ſed ſpiritus voluntate ad licita tutè pergeret, & prouidè ab illicitis declinaret. Nam diſtrictis corpus macerauit ieiunijs antiquorum obſeruantiæ nouorum auſteritatem, quæ ſibimetipſi indixerat ſuperaddens, dum delicioſorum ciborum oblectatione deſpecta refectione contentus humilium communiū ieiuniorum tēporibus à permiſſis etiam elegit ieiunare cibarijs, & certis inſu-*
C *per in hebdomada diebus amplius abſtinere. Somni quoque prolixitatem, odiens diuturnis vacabat vigilijs, excuſſoque torpore orationi ſedulò inſiſtebat: cubilis enim ſpreta mollitie, ne requie delicata lenteſceret, illam membris indulgebat iacendo quietem, vt breui ſopore refectus protinus ſurgeret, ſeque genuflexionibus, & orationibus diutius deputaret.* Ioannes quoque 22. in Bulla *Vnigenitus Filius &c.* lata pro Canonizatione S. Thomæ Epiſcopi Herfordienſis, eiuſdem carnis macerandæ ſtu-
D dium commendans §. 5. ſic ait. *Ne autem terrenæ carnis inhabitatio deprimeret ſecum ſenſum cæleſtia cogitantem, ipſam, vt ſeruiret ſpiritui, vigilijs, & abſtinentijs, necnon pungenti cilicio, ſed & cibi, & potus parſimonia continua macerabat, abſtinens à vino ſæpius, ſciens quod in ipſo lubricum latet carnis.*

At ne in carnis macerandæ, corporiſque caſtigandi ſtudio mulieres viris ceſſiſſe viderentur, inque fragili ſexu robur

bur virile defuiſſe ſuſpicetur: illæ ipſæ artes, illud ipſum ſtudium, in his quoq; ponderetur ex Summorum Pontificum Bullis. Alexander enim Quartus in Bulla *Clara claris &c.* lata pro canonizatione S. Claræ, macerationem carnis in ea commendans ait. *Et vt carne depreſſa, conualeſceret ſpiritus, quo quiſque hoſte debilitato fit fortior: nudum ſolum, & interdum ſarmenta pro lecto habebat, & pro puluinari ſub capite, durum lignum, vnaque tunica cum mantello de vili deſpecto in hiſpido panno contenta. His humilibus indumentis ad operimentum ſui corporis vtebatur, aſpero cilicio de cordulis crinium equorum contexto, nonnunquam adhibito iuxta carnem: arcta quoque in cibo, & in potu diſtricta, tanta ſe in his frænabat abſtinentia; quod longo tempore tribus diebus in hebdomada videlicet ſecunda, quarta, & ſexta feria nihil penitus pro ſui corporis alimento guſtauit: reliquis nihilominus diebus, adeo ſe cibariorum paruitate reſtringens, quod aliæ de ipſa, quomodo ſub tam forti diſtrictione ſubſiſtere poſſet mirabantur.* Et Pius Secundus in Bulla *Miſericordias Domini, &c.* lata pro canonizatione S. Catherinæ Senenſis de illius in maceratione carnis ſtudio §. 11. parum poſt medium ſic loquitur. *Cilicio ſub veſte vtebatur, quo carnem macerabat, nullæ illi plumæ, nulla puluinaria erant, lectum ſibi ex tabulis confecerat; atque in eo iacens breuiſſimum ſomnum accipiebat; raro enim vltra duas horas, diu, noctuque dormiebat: reliquum omne tempus, vigilando, orando, prædicando, opera miſericordiæ agendo contriuit: ſpiſſis cordulis carnem ſuam macerauit.* Ne igitur prolixius caput hoc protrahatur loca iam allata ex Caſſiano, & Sanctorum Patrum ſcriptis, atque etiam ex Summorum Pontificum Bullis ſufficiant ad oſtendendum ex ſtudio ſeruorum Dei in maceratione carnis per abſtinentiam cibi, potus, per nuditatem, & vilitatem amictus ad mundi contemptum adhibitis, atque ex alijs laboribus, vigilijs, & virtutum exercitijs

citijs

A citijs Charitati coniunctis ad Canonizationes Sanctorum efficaciſſimum ſanctitatis alicuius ſumi poſſe argumentum, vt Fidei Chriſtianæ perfectio,& confeſſio in dies illuſtretur.

CAP. III.
De nota ſanctitatis ex frequenti Sacramentorum vſu.

B VOCABVLI *Frequentia* ſignificatũ ad titulum pręſentis Capituli explicandum aperire oportet, vt nota ſanctitatis ex Sacramentorum vſu hauriatur. Cuius quidem vocabuli, & eius ſignificati vim, ac energiam ab aduerbio frequenter omninò pendere conſtat. Et frequenter quidem fieri dicitur, quod bis fit in Authen.de defenſ.ciu.ad fin. Quãobrem ex vi illius Auth. frequentia induci videtur ex duabus tantùm vicibus ait Albericus à Roſate in dicto verbo
C *Frequentia*, & probat ex cap. *ita nos* 25.q.2. vbi cædes geminata Pontificum vſu, & conſuetudine patrata dicitur. Quibus ex verbis gloſa ſumit argumentum, quod duæ vices inducant conſuetudinem,& ex conſequenti frequentiã. Argumentũ quoq; optimũ habetur diſt.26. c.*vna tãtùm*,& quod notatur per Bern.in gl. in c.*Monaſteria* de vit.& hon. Cler. lib. 3. decret. tit. 1. in verbo, *frequentare*, dicit enim
D ibi gloſ.frequentiã ex duabus vicibus hauriri. Extẽditur etiã ſignificatio huius vocis apud iuriſprudẽtes ad tertiũ actũ. Ita Alber. in l. 1. C. *quæ ſit longa conſuetudo* ſuper rubr. d. legis verb. *ſedem quo vidimus ex quorum actibus*, & affert. l. *de quibus*, & l. *nam ad ea*, ſed leges iſtæ, & capitula non faciunt ad rem, quia loquuntur de frequentia, & de verbo frequentare in criminibus. Vt enim dicit gloſa Bernardi in cap. Monaſteria de vit.& hon.cler. *Remiſſionem veniæ crimina, niſi ſemel*

ſemel commiſſa non habent. l. 3. C. de epiſc. aud. *ſed vltra vnam vicem malum præſumitur*, & gloſ. in c. *ita nos* in verb. *Vſum*, tradit quòd *duæ vices in criminibus inducunt conſuetudinem: ſed in ciuilibus negocijs, nec etiam tres vices conſuetudinem inducunt*, cap. *cum Eccleſia*, de cauſ. poſſ. Ex quibus doctrinis planè conſtat frequentiam in criminalibus bino actu induci, at in ciuilibus requiri vltra tres actus. A

Sed in præſenti materia, quia agimus de virtutibus in gradu heroico ad effectum canonizationis; neque pro ſecundo, neque pro tertio actu verbum frequenter, aut vox *frequentia* accipi debet; ſed vlterius vocis illius ſignificationem extendere cogimur: quia loquimur de virtutibus, quæ in habitibus ſubſtantialiter conſiſtunt: habitus autem virtutum non generantur phyſicè ex vno, vel altero virtutis actu: ſed ex frequentatis actibus: frequentatio verò actuum non completur tribus vicibus; nec tribus, aut quatuor actibus habitus generantur; ac proinde, neque frequentia phyſicè loquendo prædictis compleri poterit. B C

Magis ad rem noſtram facit ſignificatio huius vocis *frequenter*, pro multoties: quemadmodum ſumitur in proœmio decretalium §. *ſane*. Sed adhuc magis propriè frequenter idem eſt, quod *ſæpius* in rubric. c. *non ſemel* 18. q. 2. Nam quod in allato capitulo dicitur per vocem *ſæpius*; quatenus diſtinguitur à *non ſemel*; cum Pontifex ait *non ſemel ſed ſæpius in anno Epiſcopi viſitent &c.* Rubrica declarat per verbum frequenter, & habetur hæc dictio c. *Quoniam frequenter*, vt lit. non conteſt. vbi etiam non tam pro ſæpe, quàm pro ſæpe ſæpius, & ſæpiſſimè ſumitur l. *item apud Labeonem* ff. de iniurijs: ſed magis propriè frequenter fieri dicitur, quod aſſiduè fit l. *nam & his* ff. de inoff. teſt. l. *& fine*, ff. de minori. D

A nobis itaque in hiſce poſtremis ſignificationibus verbum frequentia in præſenti Capitulo accipiendum videtur;

nimirum

A nimirum pro eodem, quod *ſæpius, multoties,* & *aſſiduè*. Hoc
verò vocabulum *aſſiduè* qualiter intelligendum ſit; explicat
Alexander Tertius in cap. *ſignificatum*, de præbendis, & di-
gnit. In quo cum facta fuiſſet inſtitutio cuiuſdam Capellanię
çum onere celebrandi *quotidie*, per verbum *aſſiduè*; per hoc
aliud *quanto frequentius poteſt*, Pontifex illā vocem interpre-
tatur, dicens. *Quam ſiquidem inſtitutionem eatenus confirma-
mus; vt prædictus Sacerdos, niſi infirmitate corporis fuerit im-*
B *peditus, aſſiduè debeat obſequium ſuum impendere Eccleſiæ me-
moratæ: & quanto frequentius poteſt ſalua honeſtate ſua, &
debita deuotione miſſarum ſolemnia celebrare: nec ſibi liceat, hoc
illi ſubtrahere, ſiue cauſa voluptatis, ſiue ſe ad aliam Eccleſiam
transferendo*. Ex quibus Summi Pontificis verbis ſignifica-
tum vocis *frequenter* planè coincidere videtur cum ſignifi-
cato vocis *aſsiduè*, & aduerbij *quotidie*: ideſt, quantum fieri
poteſt: itaut quæ fiunt toties quoties fieri poſſunt: nimirum
C ſæpius, & multoties, frequenter fieri dicantur.

His prænotatis de voce *frequenti* vidēdum ſupereſt, quæ-
nam ſint ea Sacramenta, quæ à Dei famulis, ac famulabus
frequentanda cenſentur. Cum etenim humanæ naturæ poſt
lapſum Protoplaſtorum ea ſit conditio, vt infirmitate, &
quotidiana, quaſi fragilitatis febre cruciata, nunquam in inte-
riori ſpiritus ſanitate, niſi ex ſpeciali Dei gratia quieſcat; pro-
pterea ex meritis Chriſti, de cæleſtibus quibuſdam medica-
D mentis hominibus à Deo prouiſum fuit; quibus collapſæ
ſpiritus vires recuperarentur, & poſſet homo integram in-
terioris ſpiritus ſanitatem adipiſci. Hæc ſunt ſeptem Eccle-
ſiæ Sacramenta, quæ cum è latere Chriſti fluxerint; & ſum-
mo eius beneficio relicta Eccleſiæ ſint; ſalutem animæ non
ſolum tuentur, ſed etiā ab ægritudinibus, & quotidianis mo-
leſtijs omninò eam liberant, proinde adeo homini Sacra-
menta neceſſaria exiſtunt; vt nec renaſci nobis liceat ſine
Baptiſmo,

Baptiſmo, nec ſanitatem animæ poſt lapſum recuperare abſque frequenti Sacramentorum vſu, nec integram ſanitatem abſque Sacramentis conſequi. Quapropter cum frequens Sacramentorum vſus attendi debeat in omnibus Christi fidelibus, in his maximè conſiderandus erit; quorum vita, & mores ad trutinam euangelicæ perfectionis reuocantur; vt fidelibus, veluti ſanctitatis exemplaria colenda, imitandaque proponantur. A

Verùm non omnium Sacramentorum frequens vſus ad ſanctitatis notā hic reuocatur à nobis, ſed iuxta euangelicam doctrinam: quia ſacro Baptiſmo ablutos eos iam ſupponimus, de quibus ad effectum canonizationis inquirimus: illorum tantùm Sacramentorum vſus deſiderandus in his erit; quibus, & maculæ animæ abluuntur; & eiuſdem ſanitas conſeruatur, Sacramentorum, videlicet Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ; de quorum frequentia tantùm inquiſitionem neceſſariò faciendam putamus; cum de actis canonizandorum inquiretur. B C

At quia Chriſtiano homini nefas cenſetur, ad Euchariſtiæ Sacramentum accedere, niſi prius quaſcunque ſordes, quantumuis leues per pœnitentiæ ſacramentum abluerit: ideo experimentum noſtri ex Apoſtolicis inſtitutis facere cogimur, ne Euchariſtiæ ſacramentum à nobis in iudicium aſſumatur: conſequens eſt, vt qui ad hæc ſacra tractanda myſteria frequens accedit; tum mentis puritatem, tum etiam conſcientiæ nitorem, talem etiam habere ſtudeat, qualem homo ex Dei gratia poterit in hac vita adipiſci. Quamobrem frequentia in vſu Sacræ Euchariſtiæ, & in peccatorum expiatione per ſacramentum Pœnitentiæ inprimis in actis ſeruorū, & ancillarum Dei beatificandorū, & canonizandorum attēdi, atque conſiderari deberi exiſtimo: quia frequens horum Sacramentorum vſus nota eſt delectatio- D

ctatio-

A ctationis, atque ſuauitatis internæ: & conſequenter Religionis virtus in gradu heroico eo ex vſu conſurgit. Propterea de nota ſanctitatis ex frequenti vſu ſacramenti Pœnitentiæ prius agendum erit, quàm de nota ſanctitatis ex vſu ſacramenti Euchariſtiæ; quòd illud ad iſtud præuium exiſtat.

Sacramentum autem Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum, non verò Baptiſmo nondum regeneratis, neceſſarium eſſe
B Tridētina Synodus decreuit ſeſſ.9.de iuſtific.c.14.& ſeſſ.24. de pœnit. can.2. cum quo Patres vndique concordant. Ambroſ.ad Virgin.Lap.c.3. Tertull.lib. de pœnit. & alij paſſim. Nullum enim efficacius ad refrænandum homines à peccatis excogitari potuit remedium, quàm eorundem peccatorū confeſſio. Ex hac enim conſcientiæ purgatione peccata ipſa ad oculos mentis ſigillatim cū ſuis fœditatibus, ac turpitudinibus reuocantur, atque in illarum cognitione cum Dei of-
C fenſa magis, magiſque eluceat, cum dolore etiam defletur. Qui dolor animam commouet; animæque pus vi doloris foras erumpens lacrymis abluitur, & anima vigore ſpiritus regeneratur.

Maximum itaque ſanctitatis argumentum ſumetur à frequenti ſacramenti Pœnitentiæ vſu: dummodo non ex ceremonia tantùm, aut ex quadam conſuetudine, ad aliorum imitationem id aliquis feciſſe videatur. Vidi enim ego quoſ-
D dam non ſemel, ſed bis, ac ter ad Confeſſarium accedere conſueuiſſe, ſingulo quoque mane cum eſſent celebraturi: qui tamen antequam ad Confeſſarium ſacramenti cauſa accederent, vanis verbis, collocutionibus ridiculis, murmurationibus etiam, ac iurgijs operam dabant, & ſtatim atque à Confeſſario conſurgebant vix recitato pſalmo ſibi ex pœnitentia iniuncto, ad eaſdem collocutiones reuertebantur, poſt quas iterum reuocatas collocutiones denuò Con-

feſſarium repetebant. Hi verò Sacerdotes, ac ſacra factu- A
ri erant. Verùm id non eſt frequentare Pœnitentiæ ſacra-
tum, vt reor, ſed ſacramentum pœnitentiæ irridere, aut
eius efficaciam non cognoſcere, ſeu cognitam omninò par-
uipendere.

Cum enim ſacramentum pœnitentiæ fletum peccato-
rum, quantumuis leuium à pœnitente expoſcat; & propoſi-
tum emendationis in pœnitente requirat; conſequenter
is tantùm propriè ſacramento pœnitentiæ frequenter vtitur; B
qui illius frequentia in dies perficitur, lacrymiſque madidus
ſemper à Confeſſario poſt Confeſſionem ſurgit; & ſe à qui-
buſcunq; maculis etiam leuiſſimis ſe emendat. Is, inquam,
verè dicitur ſacramento pœnitentiæ frequenter vti; & in hu-
iuſmodi frequenti vſu ſacramenti pœnitentiæ nota ſanctita-
tis apparet.

Quamuis enim peccatorum venialium tantùm labe Dei
ſeruos, ac famulas commaculatos cognouerimus ex actis C
Canonizationis, vel Beatificationis; illa tamen doctrina Ioan.
in ſua Canon. præ oculis ſemper ab omnibus quantumuis
perfectis erit habenda. *Si dixerimus, quoniam peccatum non
habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Vt
propterea Dei ſerui amariſſimè deflere ſoleant peccata, quã-
uis leuiſſima: quin etiam indignari ſi quando aliquis leuiſſi-
ma eſſe dixerit peccata, de quibus ſe accuſant. Quamobrem
de ſancta Catherina Senenſi ſcribit Surius ſub die 29. Apri- D
lis cap. 9. conſueuiſſe nimirum amarè, atque inconſolabiliter
deflere, quòd aliquando ad ſuæ ſororis perſuaſionem, ornan-
do corpori operam dediſſet. *Hanc autem culpam poſtea non ſe-
mel, tantis cum ſingultibus, & lacrymis confeſſa eſt, vt videri
poſſet grauiſſimo ſe ſceleri obſtrinxiſſe. Sciſcitante ex ea D. Ray-
mundo Confeſſario, num illo ornatu voluerit contra votum virgi-
nitatis venire, aut vlli homini placere, illaque reſpondente ſe*

quidem

A *quidem nihil voluiſſe minus; immo nihil ſibi tàm acerbum fuiſſe, quàm intueri homines, aut ab illis conſpici: at nihilominus tamen ſe reum eſſe æternæ damnationis. Raymundus culpam illam extenuare conabatur. Sed cum hoc illa ferret ægerrimè, ſurſumque erectis oculis diceret. O Deus qualis eſt hic meus Spiritualis Pater; qui etiam peccata mea excuſat? Adderetque loquens Raymundo; num debuit hæc creatura viliſſima, tot à ſuo Creatore præter meritum aucta beneficijs; bonas horas*
B *ornandæ putri carni ſuæ collocare? Ego nec ipſum quidem tartarum puto ſufficere huic peccato puniendo.* Ita ſentiunt de ſeipſis ſerui Dei, & de culpis à ſe commiſſis, quamuis ab hominibus leuiſſimæ cenſeantur.

Nam vt dicebat Propheta Iſaias cap. 64. *Et facti ſumus, vt immundus omnes nos; & quaſi pannus menſtruatæ omnes iuſtitiæ noſtræ.* Cum enim in Scriptura Sacra ex lege lata Leuit. cap. 15. omne vas, atque veſtimentum, & ſi quid
C aliud ſtando, ſiue ſedendo tetigiſſet mulier menſtruata, polluta cenſebantur: Propheta, vt ſubindicaret omnia opera noſtra polluta cenſeri debere, dixit omnes iuſtitias noſtras eſſe quaſi pannum menſtruatæ. Nemo igitur quantumuis perfectus poteſt adeo de ſuis iuſtificationibus confidere: vt ſacramenti pœnitentiæ vſum frequentem prætermittat. Quamobrem dicebat alibi Paulus. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Et Pater Auguſti-
D nus idipſum ſentiebat, atque docebat. *Dicere autem nobis inter familiaria colloquia conſueuerat* ait Poſſidius *poſt perceptum Baptiſmum, etiam laudatos Chriſtianos, & Sacerdotes abſque digna, & competenti pœnitentia exire de corpore non debere.* Loquebatur Pater Auguſtinus de his Dei ſeruis; qui cum opinione ſanctitatis inter fideles vitam tranſigunt; vt ex relatis eſt manifeſtum, & ex Romano Breuia-

rio in Auguſtino, in quo illa ipſa verba ſic referuntur. *Solebat autem dicere neminem, & ſi nullius ſceleris ſibi conſcius eſſet, committere debere, vt ſine pœnitentia migraret è vita.* Ex quibus planè verbis Auguſtinum locutum quidem conſtat, non de quibuſcunque Chriſtianis, ſed de his, qui euangelicam perfectionem profitentur in eo gradu, vt peccatorum venialium tantùm labe commaculatos interdum ſe ſentiant; quos abſque ſacramento pœnitentiæ non debere è vita migrare docuit. A B

Sacramenti verò pœnitentiæ is frequens, vſus populo Chriſtiano tàm neceſſarius in hiſce Dei ſeruis, & ancillis, quæ cum opinione ſanctitatis ex hac vita deceſſerint; tale ſui deſiderium reliquerunt in populis, vt de illorum, illarumque cultu per ſolemnem canonizationem agendum fore prudentiores cenſuerint; neque etiam tàm frequens deſiderandus erit in actis illorum; vt quotidie, vel pluries in die ad Confeſſarium acceſſerint. Sed quantò frequentiùs ipſimet Dei ſerui, ac famulæ eo ſacramento ſe indigere iudicauerint. Quamuis quotidianæ etiam Confeſſiones in eiſdem; & plures in eodem die ad Confeſſarium acceſſus expiandi ſe cauſa laudabiles, & commendabiles ſint. Quamobrem vbi ſacramentum pœnitentiæ aliquem Dei ſeruum, vel famulam frequentaſſe, etiam pluries in die, peccataque ſua quantumuis leuia amarè fleuiſſe conſtiterit hæc: profectò ſacramenti pœnitentiæ frequentia ad ſanctitatis notam erit accipienda. Ideo Summi Pontifices in Bullis Canonizationum hoc ipſum præ oculis habuerunt cum referunt vitam, ac mores ſeruorum Dei, quos fidelibus in Eccleſia imitandos proponunt, per ſolemnem eorundem Canonizationem. C D

Ita Innocentius III. in Bulla *Quia pietas* lata pro Canonizatione

A nizatione S. Homoboni Cremonenſis conſiderauit. In qua multa ſe cum iuramento accepiſſe teſtatur ab eo; qui per viginti annos huius ſerui Dei confeſſiones audierat. Et Ioannes XXII. in Bulla lata pro Canonizatione ſancti Thomæ Aquinatis; de huius ſancti frequenti confeſſione ſic loquitur §. 4. *Vt multi eum in carne manſiſſe incorruptum exiſtimarent: quod eiuſdem ſancti Confeſſor Ordinis memorati, qui longo tempore ipſius confeſſionem audiuerat, publicè (vt ad nos teſtimonio*
B *fide digno peruenit) coram omnibus die defunctionis eiuſdem aſſeruit dicens. Ego confeſsionem generalem iſtius ſancti audiui, de qua teſtificor, quia ita inueni eum purum, ſicut puerum quinque annorum.* Et in Bulla *Sol oriens* lata pro Canonizatione S. Ludouici Epiſcopi Toloſani: quã frequẽter hic Dei ſeruus confeſſariũ adiret, & ſacro pœnitentiæ ſacramẽto expiaretur teſtatur affirmans, quòd *antequam ſacro presbyteratu initiatus eſſet; & obſes in Catalonia detineretur: quoties ſibi audien-*
C *da foret miſſa, toties ad eam audiendam ſacramentali confeſſione ſe præpararet.* Et Innocentius Quartus in Bulla *Magnis, & crebris* lata pro canonizatione S. Petri martyris de illius puritate, ac frequenti Sacramenti pœnitentiæ vſu loquitur his verbis §. 3. *Ipſe nanque veritatis filius, & bonitatis alumnus; conuerſatione conſpicuus, ſpectabilis fama, & opinione mirabilis, miro præfulſiſſe nitore iuſtitiæ, virginitatem integrè cuſtodiſſe, nec mentis habuiſſe, nec corporis corruptelam,*
D *& nullius mortalis criminis ſenſiſſe,* ſupple labem, *firma ſuorum confeſſorum aſſertione monſtratur.* Suorum confeſſorum dixit: non ſolùm quia Dei ſeruus, cùm fuerit Regularis, & ex Superiorum ſuorum obedientia in diuerſis habitauerit Monaſterijs, plures, ac diuerſos habuiſſe confeſſores neceſſe eſt; ſed etiam vt ſubindicaret Pontifex, hunc Dei ſeruum pœnitentiæ ſacramentum frequentaſſe.

Bonifacius Nonus in Bulla *Ab origine &c.* lata pro canonizatione

nizatione S. Brigittæ §. 28. de frequenti huius ſeruæ Dei ſacramenti pœnitentiæ vſu loquens ait. *Et, ſuperſtite marito cum ſingulis ſextis ferijs confeſſa fuiſſet, poſt eius tranſitum veram confeſſionem ſemel ſaltem in die cum magna contritione ſtuduit iterare: tam amarè leuia, ſicut alij grauiſſima deplorans, & nihil de ſuis verbis, moribus, cogitationibus, & actibus præteriens indiſcuſſum.* Quæ quidem ſacramenti pœnitentiæ frequentia pro certo ſupponi debet in his omnibus Dei ſeruis; quos ſacræ Euchariſtiæ vſum frequentaſſe legimus. A B

Euchariſtia enim eſt aliud ſacramentum; cuius frequentiam in actis ſeruorum Dei non martyrum exquirendá, & inquirendá reor ad notá ſanctitatis. Eſt enim Euchariſtiæ ſacramentum Sacramentorum omnium maximum, vt Alexander Primus in prima epiſtola decretali ex doctrina Apoſtolica tradit: cuius verba referuntur in cap. *Nihil* de conſecrat. diſt. 2. *Si in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quam Corpus, & Sanguis Chriſti: nec vlla oblatio hac potior eſt: ſed hæc omnes præcellit: quæ pura conſcientia Domino offerenda eſt, & pura mente ſumenda, atque ab omnibus veneranda, & ſicut potior eſt cæteris, ita potius excoli, & venerari debet.* Idipſum docuit ex eadem doctrina Apoſtolica S. Dionyſ. cap. 5. lib. de Eccleſ. hierarch. & S. Ambroſ. lib. 4. de ſacram. cap. 6. hoc enim eſt ſacramentum diuini amoris admirabile pignus, fidelibus ſuis à Chriſto in Eccleſia relictum; ne vllo vnquam tempore à ſuis abeſſet. Dictumque eſt Euchariſtia, ideſt bona gratia; tum quia vitam æternam in ſe continet, qui eſt Chriſtus omnium gratiarum, & chariſmatum fons, & origo, vt habet Ioan. cap. 1. tum quia hoc ſacramentum nos à criminibus puros, & integros, atque à tentationum impetu incolumes ſeruat. Etenim tanquam cæleſte medicamentum animam præparat; ne alicuius mortiferæ perturbationis veneno, facilè infici, aut corrumpi queat. C D

A In hoc enim ſacramẽto contrectãdo virtus Religionis coruſcat: humana voluntas ad Dei, & proximi amorem inflãmatur: mentis quoque puritas, & conſcientię nitor in eo ſuſcipiendo maximè ſplendet. Cum enim hoc ſacro Altaris ſacrificio debitus Deo cultus, quantum homini licet, perſoluatur; & pro fidelibus tàm viuis, quàm defunctis preces offerantur; propterea in eo offerendo, & ſuſcipiendo virtutum omnium nitor, & Dei, proximique amor coruſcat.

B Neceſſe eſt enim, vt ſanctiſſimum hoc Euchariſtiæ ſacramentum, cum ſit ſacramentorũ omnium ex Chriſti præſentia ſanctiſſimum; ſãctitatem quoque impartiatur eì, qui deuotè illud tractat, & ſumit; ac proinde ſanctitas in ſumente augeatur: ideoque maximum ſanctitatis argumentum, ex frequenti Sacræ Euchariſtiæ vſu, in Eccleſia ſumatur.

Quamuis enim certò regula fidelibus præſcribi nequeat; quantum ſpectat ad frequentem vſum huius diuini ſacra-

C menti: ſi tamen ſtandum eſt ſacris Canonibus in cap. *Peracta*, quod eſt Anacleti in epiſtola prima Decretali: quotidie fidelibus erit communicandum. Dicitur enim ibi; *Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus: ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & Sancta Romana tenet Eccleſia.* Et cap. quotidie ex auctoritate P. Auguſtini lib. de eccleſiaſt. dogmat. cap. 53. quotidiana Euchariſtiæ ſumptio penes illos, qui ſe à peccati labe puros

D ſeruant, laudatur, atque comprobatur: idipſum ſimiliter traditur in cap. *Si quotieſcunque*, ex doctrina Ambroſij lib. 4. de ſacram. cap. vlt. & ex doctrina Hilarij in cap. *Si non tanta ſunt.* De conſecr. diſt. 2. Cum Sanctis itaque Patribus ſtando ſæpius communicandum erit fidelibus, vt hoc ſacramento pluries reficiantur. Conſtat enim ex traditione Apoſtolica conſueuiſſe fideles omnes, vt vidimus in primitiua Eccleſia, ſingulis diebus ſumere Euchariſtiam. Hinc ſanctus Chriſti

martyr Ignatius, Ioannis Apoſtoli diſcipulus in epiſtola, A quam ſcripſit ad Epheſios, hortatur fideles ad ſacram communionem frequentandam ſine diei alicuius præſcriptione, his verbis. *Date operã, vt frequentius congregemini ad Euchariſtiam: quando enim hoc agitur, expelluntur poteſtates Sathanæ.*

Patres quoque pluribus in locis hanc ipſam frequentiam docent: vt Ambroſius lib. 5. de Sacram. c. 4. Parens etiã Auguſtinus in lib. quinq. homil. in 41. libro etiam de bono perſeuer. cap. 14. & in epiſt. 118. ad Ianuar. Quemadmodum B enim fideles corpori in ſingulos dies alimenta ſubminiſtrare neceſſarium putant; ita etiam quotidie hoc ſacramento alendæ, & nutriendæ animæ cura Dei ſeruis, ac famulabus non abijcienda; ſed diligentiſſimè procuranda, & auidè hoc ſacramentum ſumendum erit; ſiue per frequentem illius ſumptionem, ſi de aliquo Dei ſeruo laico agatur; ſiue per frequentem; & quotidianam ad Altare ſacrificij oblationem, ſi C de ſacerdotibus ageretur. Nam ſiue ſit Epiſcopus, ſiue ſimplex ſacerdos is, cuius acta examinantur; quotidiani ſacrificij oblatio in quocunque illorum commendanda erit: nec ſolùm commendanda, ſed quaſi neceſſariò exquirenda in his Dei ſeruis, de quorum cultu in ordine ad canonizationem, ſiue beatificationem agetur. Cum præſertim Sancti Patres omnes, vt vidimus, & Catholici Doctores ad quotidianam, & frequentem ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem hortentur fideles omnes. D

Quin etiam Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 8. de hoc frequenti ſacræ Euchariſtiæ vſu loquitur per hæc verba. *Optaret quidem ſacroſancta Synodus, vt in ſingulis miſſis fideles aſtantes, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quò ad eos ſanctiſſimi huius ſacrificij fructus vberior perueniret.* Angelicus quoque

A Doctor 3.par.quæſt.80.art.10.agens de ſacramento Euchariſtiæ,& quærens de frequenti huius ſacramenti vſu, vbique toto illo articulo, & in reſponſione ad primum, ſecundum, & tertium argumentum, frequentem huius ſacramenti vſum comprobat, laudat, atque veluti laudabilem tuetur.

Ratio eſt in promptu: quia cum à Dei famulis, ac famulabus, de quorum cultu poſt mortem agitur, requirantur virtutes non tàm in actu, & habitu, quàm in gradu heroico; ex B conſequenti non ſufficit ſemel, bis, ter, aut quater in anno Euchariſtiam ſumpſiſſe, ſed pluries, ac pluries; vt inde colligere liceat delectationem in eius ſumptione: ex qua delectatione gradus heroicus virtutis, vt diximus dignoſcitur. Eſt enim in Sacerdote actus virtutis Religionis interdum celebrare; conſequenter in Dei ſeruo non ſacerdote, Religionis actus erit interdum ſacram ſumere Euchariſtiam: habitus igitur eiuſdem virtutis in frequenti celebratione, & frequenti C ſumptione Euchariſtiæ conſiſtit. Cumque, vt diximus heroicitas virtutum ex frequentia actuum illius generis, & in ſuauitate eorundem actuum conſtituatur: & frequens ſit quiſque in eo, in quo quàm maximè delectatur: propterea certum, ac indubitatum eſſe debet; quod vbi deerit frequens vſus Sacramentorum, præſertim Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, delectationem quoque illorum deeſſe neceſſe eſt: & ex conſequenti in eodem, cuius acta exquiruntur; D gradus heroicus virtutum deficiat; qui ad perfectam ſanctitatem requiritur, vt alibi oſtendimus.

Vt autem Sacerdotes ſuo muneri correſpondeant; frequentem vſum ſacramenti Euchariſtiæ in celebratione oſtẽdere coguntur. Epiſcopi enim ratione ſui muneris, & ſacerdotes omnes non legitimè impediti, quotidie ſacrum facere tenentur; quia, vt ex venerabili Beda habetur. *Sacerdos quilibet nullum habens impedimentum, & omittens ſacrum facere,*

quan-

quantum in ſe eſt, priuat ſanctiſſimam Trinitatem laude, & A
gloria: Angelos lætitia, peccatores venia, iuſtos ſubſidio, &
gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam Chriſti
ſpirituali beneficio, & ſeipſum medicina, & remedio contra quo-
tidiana peccata, & infirmitates. Quæ doctrina veriſſima
cum locum habeat in omnibus, & quibuſcumque Sacerdoti-
bus; multo efficacius in Epiſcopis, qui ſacrum facere maio-
ri vinculo coguntur, quàm ſimplices ſacerdotes. Tenetur
enim Epiſcopus primum pro ſe, deinde pro populo ſibi com- B
miſſo ſacrificium offerre pro peccatis; & ex conſequenti
peccabit ſaltem peccato omiſſionis Epiſcopus; qui in cele-
bratione miſſarum præter rationem negligens fuerit. Quod
tamen peccatum non committit ſimplex ſacerdos nullam
habens curam animarum, quamuis à culpa omnino non ſit
immunis.

Ea propter in actis ſeruorum Dei per reſpectum ad Bea-
tificationem alicuius Dei ſerui Epiſcopi, non ſolùm inqui- C
rendũ eſt, vt reor, quod Epiſcopus, de cuius vita, & moribus
ſit inquiſitio, frequenter celebrauerit miſſam, vt ſuo loco
dicemus: quin etiam frequentiſſimum extitiſſe oportet;
atq; etiam in frequenti celebratione ex actis eiuſdem guſtus,
deuotio, & feruor attendendus erit, vt delectatio, & ſua-
uitas, qua fruebatur in ſumenda Euchariſtia, & in ſacro
faciendo, ad notam ſanctitatis manifeſta fiant.

Cum igitur maximum ſanctitatis argumentum ex fre- D
quenti, & quotidiana Epiſcopi celebratione miſſarum ſacri
hauriatur; præſertim ſi celebratio præparationibus con-
uenientibus, deuotione, feruore, & alijs debitis circunſtan-
tijs conſociata fuerit: propterea Summi Pontifices, vt ſub-
indicarent hanc frequentem celebrationem miſſarum eorũ-
dem ad Beatificationem requiri, in Bulla Canonizationum
Sacerdotum de hac frequenti celebratione meminere, vt

Clemens

A Clemens Quintus in Bulla *Qui facit* lata pro Canonizatione S. Petri de Morono; quem quotidie celebraſſe teſtatur §. 7. dicens. *Ipſe enim ad matutinas laudes media nocte ſurgebat, ipſisq; dictis legebat pſalterium cum litania, & collectis quampluribus, & crebris genuflexionibus, & diſciplinis, carnem ſuam vitijs concupiſcentiæ configens; in aurora verò Miſſa per ipſum celebrata, iterum deuotè incipiens ibi Pſalterium.* Et Ioannes quoque XXII. in Bulla *Sol oriens* lata pro Canoni-
B zatione ſancti Ludouici Epiſcopi Toloſani de frequēti ſacrificij celebratione ſic loquitur §. 16. *Pontificatus etiam officium exercebat cum diligentia ſeruus hic Chriſtifidelis & prudens, miſſas dicendo aſſiduè, deuotiſſimè ordinès celebrando &c.* Et in Bulla *Vnigenitus* lata pro Canonizatione S. Thomæ Epiſcopi Herfordienſis idem Summus Pontifex loquens de ſerui Dei feruore cum miſſas faceret §. 8. *Orationi verò* (inquit) *inſiſtebat aſſiduè, ac ſui feruorem Spiritus demonſtrabat;*
C *in orationibus, & celebratione miſſæ abundanter ex oculis lachrymæ defluentes.* Paulus quoque Quintus in Bulla *Vnigenitus* lata pro Canonizatione ſancti Caroli, hanc ſerui Dei Miſſæ frequentem celebrationem maximè commendat, §. 26. dicens. *Quotidie ſacrificium Deo offerebat.*

Hic idem in Miſſa celebranda frequens vſus attendi debet etiam in actis cuiuſlibet ſimplicis Sacerdotis. Tenentur enim Sacerdotes non impediti quotidie ſacrum Miſſæ ſacri-
D ficium Deo offerre. Quamobrem quoties vita, moresque alicuius Dei ſerui ad trutinam euangelicæ perfectionis expendendi erunt, per reſpectum ad cultum, & honorem Beatificationis, ſiue Canonizationis eidem concedendum, hæc frequentia ſacrificij in eius actis inquiretur, & diligentiſſimè expendetur.

Illud tamen hic non omittam conſiderare: quod cum ſacerdotes ſimplices alicui Eccleſiæ, vel Capellaniæ, vel ali-

cui

cui Oratorio addicti fuerint; & celebrationi tenebuntur ex A
obligatione ſatisfaciendi Eccleſię; ſicut etiam Regulares Sacerdotes in ſuis Eccleſijs quotidie conſueuerunt Miſſas facere, vel ex obligatione ſatisfaciendi pijs Legatis, ſiue receptis à fidelibus eleemoſynis, vel etiam ex conſuetudine inſtituti; propterea in his frequentia celebrationis non eandem vim habebit argumẽti, niſi alijs fuerit coniuncta virtutibus, & circumſtantijs. Obſeruauit enim & obſeruando deflet Aluar. Pelag. lib. 2. de Planc. Eccleſ. cap. 5. pag. 14. fac. 2. B
Multæ dicuntur hodie Miſſæ, quaſi vel conſuetudinariæ, vel ad complacentiam, vel ad ſcelera cooperienda, vel ad propriam iuſtificationem. Nimirum, vt appareant iuſti. *Vnde & almus Franciſcus voluit, quòd in quocunque loco fratres contenti eſſent vna Miſſa; præſciens, fratres ſe velle iuſtificare per Miſſas, & ad quæſtum eas reducere, ſicut videmus hodie fieri.* Hæc ille auctor, qui floruit ſub Ioanne XXII. circa annum Domini 1320. Quamobrem quotidiana celebratio, ex qualitate per- C
ſonæ metienda erit: & in numero tunc tãtùm habenda, cum coniungetur debitis circunſtantijs præparationis ad ſacrum faciendum, per orationem, deuotam celebrationem, & ex celebratione quotidiani ſacrificij, quotidianæ quoque virtutis nota in celebrante conſurgent: videlicet humilitatis, charitatis in Deum, & proximum, ſufferentiæ in diuerſis, & alijs euangelicis virtutibus, quæ animam purificant, & hominem perficiunt. D

Vbi verò frequens ſacrificij celebratio his coniuncta fuerit circumſtantijs, & conditionibus perpolita, ſanctitatis ſigna profectò inde haurientur eximia: & in horum ſeruorum Dei Canonizatione, ſeu Beatificatione vtique in numero, & conſideratione frequens, & quotidiana Miſſæ celebratio habenda erit: Vt obſeruauit Ioannes Vigeſimus ſecundus in Bulla *Sol oriens* lata pro Canonizatione S. Ludouici Epiſcopi To-

pi To-

A pi Toloſani. Loquens enim de actis huius Dei ſerui antequam ad Epiſcopatum aſſumeretur, ſic ait § 5. *In tempore nanq; dicto ſacramentali confeſſione præmiſſa Miſſam audiebat deuotè: in magnis feſtiuitatibus cum præparatione multa corpus ſumebat dominicum: factus autem ſacerdos diebus ſingulis celebrabat.* Et in Bulla *Redemptionem* lata pro Canonizatione S.Thomæ Aquinatis §.3. ſic Pontifex loquitur. *Præmittebat diuina, vt roboraretur in ſchola, cum ſingulis diebus antequam*
B *lecturus aſcenderet cathedram, vel diſtraheretur ad alia, Miſſam vnam celebraret, aliam audiret &c.* Pari ratione Clemens Octauus in Bulla *Romana Catholica* lata pro Canonizatione S.Raymundi, de frequentia celebrationis Miſſæ illum laudat §.25. his verbis. *Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium ferè quotidie celebrabat. Quanta verò eſſet eius in ſacrificando animi puritas, ac deuotionis feruor, vel ex eo facilè exiſtimari poteſt; quod aſtantes ex ſolo aſpectu ad orationem incitarentur,*
C *ac petita à Deo Patre miſericordiarum beneficia, eius precibus impetrarent.* Vrbanus quoque Octauus nunc viuens Catholicæ Eccleſiæ clauum regens in Bulla *Rationi congruit* lata pro Canonizatione S. Philippi Nerij (quem canonizauit Gregorius XV. ſed morte præuentus Bullam Canonizationis expedire non valuit) de frequenti Sacroſanctæ Euchariſtiæ vſu, & ſacroſancti ſacrificij oblatione loquens §.36. hæc habet. *Perpetuo, atque ardenti ſtudio venerandum Euchariſtiæ*
D *colebat Sacramentum, vel enim laicus, vel ſacerdos celebrans, vel ægrotans in lectulo illius quotidiana ſuſceptione reficiebatur.*

In reliquis verò Dei ſeruis, qui ſacerdotali dignitate initiati non ſunt; ſicut etiam in mulieribus, quibus tantum tractare myſterium ex diuinis decretis non conceditur; ſacræ Euchariſtiæ frequens ſuſceptio conſideranda erit. Quamobrem Summi Pontifices, vt indicarent hanc frequentiam Sacramentorum, quaſi neceſſariò exquiri debere in Canoni-

zatione

zatione ſeruorum Dei, qui ſacris non fuerunt initiati, & ſanctarum quoque mulierum, ac virginum hác vnam frequentiam ſacræ Euchariſtiæ, quàm maximè attendunt, atque conſiderant; dum in dictis Bullis eorundem acta referunt. Ita Innocentius Tertius in Bulla *Quia pietas* lata pro Canonizatione S. Homoboni prędictę frequētiæ meminit dicens. *Media nocte ſurgens ad confitendum ei, matutinis ſemper laudibus cum intereſſet; Miſſæ quoq; officium, & alias horas cum ſumma deuotione frequentans, ita aſſiduis orationibus &c.* Bonifacius quoque Nonus in Bulla *Ab origine &c.* lata pro Canonizatione S. Brigittæ de frequenti ſacrorū myſteriorū vſu, ait §. 30. *Singulis quoque diebus Dominicis, & ſolemnibus cum deuotione, & lacrhymis ſumpſit venerabilis Chriſti Corporis Sacramentum.* Et de ſancta Catharina Senenſi Pius Secundus in Bulla *Miſericordias Domini* lata pro eius Canonizatione anno Domini 1461. De frequentatione ſacrorum myſteriorū, & frequentia ſacramenti Euchariſtiæ ſic loquitur §. 11. circa medium. *Nam cum vini, & carnium vſum prorſus abieciſſet, nec pulmentarijs vllis vteretur; ad extremum eo deducta eſt, vt nec legumina ederet, nec pane veſceretur, niſi cæleſti, quem verus Chriſtianus in Sacramento ſumit Altaris. Inuenta eſt aliquando à die Cinerum vſque ad Aſcenſionem Domini ieiunium perduxiſſe, ſola Euchariſtiæ communione contenta*, & parum infra. *Ad communionem Altaris, quæ illi ferè quotidiana fuit, quaſi ad cæleſtes nuptias inuitata eſſet, ſumma cum alacritate proficiſcebatur.* Hæc eſt illa alacritas, quæ ſuauitatem internam aperit, & heroicum virtutis gradum explicat: quem in canonizandis, ac beatificandis Dei ſeruis ex Apoſtolica doctrina, Romana requirit Eccleſia.

CAP.

A

CAP. IV.

De ſanctitatis nota ex orationis, meditationis, contemplationisque ſtudio.

QVAMVIS hæc tria in titulo poſita, nimirum,
Oratio, Meditatio, & Contemplatio ea ratio-
B ne diſtinguātur, vt orationis ratio in petitione
collocetur: Meditatio verò ſit quædam inte-
riorum ſenſuum longa cōſideratione diſcur-
ſus in rebus diuinis, & euangelicis dogmatibus, alijſque ex
Chriſti vitæ exemplis: vel, vt alij dicunt, Oratio, & Medi-
tatio diſtinguantur, quòd illa ſit vocalis, hæc verò mentalis:
quæ eſt communis orationis diuiſio: ac denique contempla-
tio ſit quædam ſuperiorum, & cæleſtium rerum per actum
C intellectus conſideratio, & intuitus: hæc tamen tria cum à
Dei ſeruis in actu orationis exequantur, ſub orationis ſtudio
comprehenduntur: præſertim quia Dei ſerui dum orant,
orando meditantur, & meditando feruntur in contempla-
tionem diuinorum: propterea nobis ſufficiet ad ſanctitatis
notam in Dei ſeruis ſtudium orationis conſideraſſe, in eoq;
ſtudio feruorem agnouiſſe. Nam ex feruore orationis erum-
pit anima in meditationem, & ex meditatione mens fertur
D in contemplationem rerum cæleſtium. Oratio itaque eſt ve-
luti ianua, & porta ad meditationē, & contemplationem; vel,
vt ita dicam, fons, & origo illorum trium exercitiorum, qui-
bus anima Deo coniungitur; & à terrenis ad cæleſtia tranſ-
fertur.

Quale autē ſanctitatis argumētum ab oratione hauriatur,
arduum eſt cognoſcere: cum eius tota vis in actibus internis
collocetur, ac poſita ſit. Illud tamen expiſcari conabimur

exter-

externis ex actibus, & ex his, quæ Patres, ac Summi Pontifices in actibus ſeruorum Dei obſeruarunt. Videamus igitur quid ſit oratio; vt ex eius definitione orationem quoque ad virtutē Religionis pertinere manifeſtum fiat. Dicit enim Damaſcenus lib. 3. fid. c. 24. *Quod oratio eſt aſcenſus mentis in Deum*. Cui conſonat illud Patris noſtri Auguſtini in ſermone de orat. & ieiunio. *Oratio eſt pius mentis affectus in Deum directus*. Et quia pietatis vocabulo cultus Dei completus, ideſt, informatus fide, ſpe, & charitate in primis ſignificatur: inde ſequitur orationem eſſe actum ad virtutem Religionis propriè ſpectantem. Ea propter vbi conſideranda occurrunt acta ſeruorum Dei, inter præcipuas ſanctitatis notas, & perfectionis ſigna Dei cultus, per orationem, meditationem, & contemplationem attendi debet: quia per illa tria homo mente, & ſenſibus, vt ita dicam extra ſe raptus, Deo coniungitur. A B

Quod autem Oratio ſit Religionis actus D. Th. 2. 2. q. 83. art. 3. oſtendit. Nam, vt ille docet, ad Religionem propriè pertinet, reuerentiam, & honorem Deo exhibere. Per orationem autem homo Deo reuerentiam exhibet; quatenus ſe eidem ſubijcit, & orando profitetur ſe eo indigere, tanquam authore bonorum omnium. Vnde manifeſtum eſt, inquit ſanctus Doctor, quòd oratio propriè eſt Religionis actus. Vt enim notat ibidem Caiet. qui petit aliquid ab aliquo, in petendo potentiam profitetur eſſe in illo, à quo petit ſibi auxiliandi: profitetur pariter in eo miſericordiam, prouidentiam, iuſtitiam, bonitatem, benignitatem, & pietatem; quamobrem ſperat exaudiri: fatetur quoq; Deum, quem orat, eſſe Prouiſorem, Creatorem, Dominum, & Redemptorem &c. In iſtorum verò cognitione, & conſideratione actus Religionis exercetur. C D

Dimiſſis igitur pluribus, quæ de diuerſis orationum generi-

A neribus dici poterant, ad duo capita, quæ ad rem noſtram facere poſſunt reuocabuntur, ad orationem nimirum mentalem, & vocalem. Sanè ſi ab oratione aliquod ſanctitatis argumentum excerpere liceat: ex vocali potius illud, quàm ex mentali deſumetur; cum vocalis in actibus extrinſecis ſit poſita; eiuſque frequens vſus antiquiſſimus exiſtat in Eccleſia: vt liquet ex epiſtolis S. Pauli Apoſtoli, præſertim ex ea, quæ eſt ad Epheſ. cap. 5. num. 18. dicentis, *Implemini*
B *Spiritu ſancto loquentes vobis metipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Quod orationis, & pſallēdi genus tam frequens extitit, vt nihil antiquius in Eccleſia tùm veteri, tùm Chriſtiana habeatur. Cuius rei plures rationes affert D. Thomas 2. 2. quæſt. 83. art. 12. oſtendens vocalem orationem propterea ab Eccleſia inſtitutam fuiſſe, quod omnium fidelium nomine ad Deum dirigitur. Quamobrem ex quadam quaſi
C neceſſitate factum tradit; vt oratio, quæ communis eſt fidelibus omnibus, vocalis exiſteret: primo quidē quia neceſſe videbatur, vt populus, pro quo oratio offertur, cognoſceret, quòd Deo offertur: Idq; fieri, niſi vocali oratione nō poteſt. *Et ideo rationabiliter inſtitutum eſt; vt miniſtri Eccleſiæ huiuſmodi orationes etiam altâ voce pronuncient; vt ad notitiam omnium poſſent peruenire.* Inquit D. Thomas. Altera ratio eſt, quia mens noſtra facillimè ab exterioribus obiectis di-
D ſtrahitur, & difficillimè in ſe ipſa, ſpiritualibusque obiectis conſiſtit; propterea ad mentem retinendam in Dei contemplatione, diuinorumque conſideratione, ea ipſa vocibus canenda, & perſonanda voluit Eccleſia, quæ mente contemplanda, ac peruoluenda à ſuis fidelibus deſiderabat. Quia vt affirmat D. Thomas loco citato: *per exteriora ſigna, ſiue vocum, ſiue etiam aliquorum factorum, mouetur mens hominis ſecundùm apprehenſionem, & per conſequens ſecundùm affectionē.*

Verùm ex oratione præciſè vocali, efficax omnino ſanctitatis argumentum ſumi nequit. Non ſolùm quia vnaquæque Religio, quantumuis falſa, ſuos habuit hymnos inter ipſa profana ſacra canenda; ſed etiam quia in Eccleſia Chriſti nulla fuit vnquam hæreticorum ſecta ex antiquis, aut recentioribus, apud quos pſalmodia ſuo loco, & tempore in vſu non extiterit. Ex omnibus Eccleſiaſticis hiſtorijs, necnon ex ipſiſmet Hæreticorum Inſtitutionibus res eſt manifeſta. A Luterani enim, Caluiniani, Anabaptiſtæ, Vſſitæ, & ſi qui alij ſunt huiuſce farinæ homines, ſuas hac tēpeſtate habent B Synaxes; ſtatis diebus, & horis conueniunt in Synagogis, in quibus poſtquā aliquos præcinuerint pſalmos & legerint aliquid ex ſacris libris, à proprijs interpretationibus, ac tranſlationibus aliquādo etiā ad praua dogmata cōſtabilienda verbo, & opere cōuertuntur; commiſcentes turpia, & obſcœna, cælibatui, & caſtitati bellum in primis indicētes. *Vt propterea* ex frequentia pſalmodiæ, & orationis vocalis (ſi deſint C reliquæ virtutes in actis alicuius prædefuncti Dei famuli) vel nullius roboris argumenta in cauſa ſanctitatis, vel admodum debilia hauriantur in Chriſtiano etiam, Regulari, & Clerico, qui ex proprijs inſtitutis, vel ex ſacris Ordinibus, aut ratione alicuius beneficij eccleſiaſtici, nocturnas, atque diurnas canonicas horas recitare tenentur. Quamobrem, vt pſalmodia, pietatis, ac deuotionis argumentum præſtet; non tàm externis, quàm internis vocibus concinenda D erit: ſicuti loco citato dicebat Apoſtolus. *Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino.*

Dixit autem Apoſtolus cantandum, & pſallendum in cordibus: quia mentalis oratio, quæ in meditatione collocatur; præcipuum locum in genere orationis occupat: tum ex teſtimonio Chriſti Domini Matth. 6. dicentis. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora*

Patrem

A *Patrem tuum in abſcondito*. Tum quia nec vocalis pſalmodia ſiue precum recitatio verè, ac propriè oratio dici poteſt; niſi mens ori coniuncta fuerit, ſaltem ex tendentia in Deum. Dum enim mens noſtra vocibus in orãdo iungitur, à quibuſcunque exterioribus ſeparata, efficacius, ac proptius in Deũ fertur; ac fide illuminatur, ſpe firmatur, & charitate inflammatur. Fides enim, & ſpes, duæ ſunt alæ, per quas oratio ad Deum conſcẽdit. Charitas autem orationis eſt vita; ad cuius B ornamentũ, ac decorẽ ſuperadduntur quaſi plumæ, ſiue pennæ humilitas, & deuotio. Hinc de ſe ipſo dicebat Apoſtolus 1. Corinth. 14. num. 15. *Orabo ſpiritu, orabo & mente, pſallam ſpiritu, pſallam & mente*. Non enim voluit Eccleſia, vt fideles voce tantùm pſallerent, & orarẽt; ſed vocali pſalmodiæ mentem adiungit, *vt hoc verſetur in corde, quod profertur in ore*. Sicuti dicebat P. Auguſtinus in Regula. Nam pſalmodia, quæ menti non iungitur, non cenſetur oratio; cum non ſit C oris ratio, ideſt, oris, cum mente coniunctio.

In eo igitur Dei famulo, qui cum ſanctitatis opinione deceſſerit; in quo pariter chriſtianæ perfectionis notæ ſplendeant neceſſe eſt; vis, & feruor quoque orationis deſideratur: vt charitas, ſiue amor eiuſdem erga Deum, & proximum eluceat. Quamobrem Clemens Quintus in Bulla Canonizationis S. Petri de Morono, quæ incipit: *Qui facit*. De feruore orationis vocalis in pſallendo poſita, verba faciens D ait. §. 7. *Hic beatus vir iam mortificatis ſpiritu carnis deſiderijs, & repreſſis, ſummè deuotus in Deo orando, aſſiduè animum ad Deum tenuit eleuatum. Ipſe etenim ad matutinas laudes media nocte ſurgebat; ipſiſque dictis legebat pſalterium cum litania, & collectis quàm pluribus, ac crebris genuflexionibus, & diſciplinis duris, carnem ſuam cum vitijs, & concupiſcentijs crucifigens: in aurora verò miſſa per ipſum celebrata iterum deuotè incipiens pſalterium vbi dimiſerat, orare vſque ad horam*

tertiam non ceſſabat. Quo in loco Pontifex ſpecificè, ac ſigillatim orationum vocalium meminit prędicti ſerui Dei,easq; longiſſimas oſtendit: vt ab Eccleſia probari, & exinde ſanctitatis ſigna hauriri pateat. Quod etiam Ioannes Vigeſimus ſecundus in Bulla *Sol oriens*, lata pro Canonizatione S. Ludouici Epiſcopi Toloſani, idipſum de hoc ſeruo Dei per eadem ferè verba tradidit. A

At vbi plurium virtutum actus apparebunt, quæ faciant ad notam ſanctitatis: argumentum ab ardenti meditatione, ab aſſidua, & deuota pſalmodia ſumptum, in cauſa Canonizationis alicuius Dei ſerui nō erit omninò contemnendum, quin maximi ponderis, ac momenti; dummodo feruor orationis ex alijs argumentis ſubodoretur. Cumque Eccleſia non iudicet de internis actibus, ſed tantùm de externis; propterea ex his orationis feruor eliciendus erit: nimirum ex aſſiduo, & quotidiano orationis ſtudio; ex tempore ad orandū deſtinato præſertim nocturno; ex locis ad hæc exercitia à Dei ſeruis ſelecta; & demū ex orandi modo. Quamobrem Summi Pontifices virtutem hanc orationis, & eius feruorem diligentius attendentes in actis ſeruorum Dei, de quorum Canonizatione agebatur; non ſolùm aſſiduitatem & tempus orationi magis accommodatum, nocturnum videlicet; ſed etiam loca, & in locis tempus, modum quoque orandi, quoad ſitum corporis aliquando conſiderarunt. B C

Et ex tempore quidem præciſè conſiderato, ſiue reſpicias quantitatem, ſiue qualitatem, nullum poſſe ſumi ſanctitatis argumentum, aut feruoris coniectura in oratione perſpicuum eſt: nam ab Eccleſia preces tum diurnæ, tum nocturnæ inſtitutæ ſunt; quas quotidie Eccleſiaſtici omnes, tàm ſæculares, quàm Regulares recitant. Et Regulares quidem; vt plurimum, ſurgunt media nocte ad matutini recitationem; in quo recitando duas ad minus inſumunt horas: vt D

ego

A ego ipſe experientia didici, dum Toleti in Monaſterio meæ Religionis Eremitarum S. Auguſtini, & alibi ſtudijs operam darem; tàmque religiosè in eo Monaſterio matutinæ recitabantur; vt, ſi quando feſtum duplicis claſſis occurriſſet in his recitandis, & canendis ſpatium trium, & quatuor horarum excederetur. Multo plus temporis in eo recitando Cartuſiani, Benedictini, atque Ciſtercienſes inſumunt; Cum tamen hi omnes in Sanctorum numero minimè ſint referē-
B di; quamuis etiam in reliquis horis diurnis, mane, & veſperi recitandis tantum temporis inſumere conſueuerint, vt nulla illis ad reliqua ferè opera ſuperſit hora: cum tamen ſanctitatis argumentum ad effectum Canonizationis nullum inde hauriatur; ſed diſciplinæ Regularis, & obſeruantiæ ſolùm habeatur.

Nocturnum tempus, præſertim à media nocte, & infra, ſatis accomodatum cenſetur ad ſenſus internos colligen-
C dos, & orationi ſtudendum; quòd externa obiecta, à quibus mens diſtrahitur, obſcurata remaneant. Propterea per hoc nocturnum orationis ſtudiū in Dei ſeruis, ac ſamulabus orationis virtus elucet, deſideriumque Deo vacandi cum omni pietate, & ardore conijcitur. Quàobrem de Saluatore ſcribitur Marci cap. 1. *Et diluculo valdè ſurgens egreſſus abijt in deſertum locum, ibique orabat.* Et alibi. *Et erat pernoctans in oratione Dei.* Et Dauid de ſe ipſo dicebat. *Media no-*
D *cte ſurgebam ad confitendum nomini Domini.* Innumerabilia quidem poſſent afferri loca, & exempla ex actis ſeruorum Dei, in quibus à tempore nocturno ſtudium orationis comprobatur. Nam de S. Antonio refertur, quòd interdum ab occaſu vſque ad Solis ortum orationi vacabat. Idipſum de ſe ipſo fatetur Hieronymus: nec alicubi ferè cōtinget legere acta ſeruorum Dei, in quibus etiam circa orationis ſtudium nocturni temporis ratio non habeatur. Nam de S. Thoma

Aquinate apud Surium cap. 9. hæc leguntur. *Horis nocturnis poſt breuem ſomnum, multum vacabat precibus, vt à Domino poſſet obtinere gratiam ſcribendi, & dicendi, quæ expediret.* A

Quamuis igitur firmũ nullum ſanctitatis argumentum ad effectum Canonizationis ex temporis electione ad orandum haberi poſſit; alicui tamen coniecturæ deuotionis, & pietatis locus erit: quatenus videlicet Dei ſeruus, tale eligit tempus ad orandum; quale requiri videtur ad mentem interius reuocandam, ad deuotionem excitandam, & ad feruorem ſpiritus augendum. B

Locum ſimiliter nihil conducere ad notam ſanctitatis non eſt dubium: quia cum Deus ſit vbique; vbique pariter orari poteſt, & adorari. Ex locis tamen nimirum ex templis, Eccleſijs, Oratorijs, & Altaribus, pietas, & deuotio eius, qui orat, ſubodoratur. Id verò non tã ratio ipſa quaſi iure gẽtium cõprobat, quàm etiã Religionis ſtilus peruetuſtus cõfirmat. Habuit enim Religio Moſaica tabernaculum, deinde templum: habuere loca alia Deo dicata Iſraelitæ, vt Maſpha, & Bethel, Moria, & Synagogas; in quibus pſallendi cauſa ſtatis horis conueniebant. Habuere Ethnici templa Idolis dicata in ſingulis Vrbibus. Et Religio Chriſtiana per totum orbem habet templa innumerabilia, in quibus fideles orandi cauſa conueniunt. Orationes autem his in locis Deo oblatas, gratiores fore Sacra Scriptura declarat. Nam in Sacra Geneſi cum Agar, & filius Iſmael defectu aquæ periclitarentur, & Iſmael moreretur, Angelus, qui apparuit Agarę teſtatus eſt Deum exaudiſſe orationem Iſmaelis de loco, in quo orauerat. *Exaudiuit Deus vocem pueri de loco, in quo eſt.* Erat enim, vt reor, ibi propè vetus Altare, quod aliquando Pater eius Abraham in Ægyptum proficiſcens cultus cauſa conſtruxerat. Et Salomon in dedicatione Sacri Templi à ſe conſtructi Dominũ orat, vt exaudiat orationes illorum, qui C D

A eo in teplo orauerint. Quę omnia ſuperuacanea cenſerentur: niſi orationis cauſa loci quoque ratio habere pium eſſet.

Loci verò reſpectum habuiſſe Chriſtum ſaltem ratione ſeceſſus perſpicuum eſt pluribus ex locis euangelicis. Nam cap. 6. Marci legitur, quòd cùm dimiſiſſet turbas, *abijt in montem*. Alibi dicitur. *Exijt in montem orare*. Et Lucæ cap. 6. ſcribitur eum ſecceſſiſſe in deſertum orationis cauſa. *Et cum ſolus eſſet orans aſcendit in montem, vt oraret*. Ad Oli-
B ueti quoque montem Chriſtum frequenter orationis cauſa ſeceſſiſſe, ſancti Euangeliſtæ teſtantur. Quaſi nos docere Chriſtus vellet locum quoq; aliquid conferre ad pietatem, & deuotionem in oratione captandã, vt Deo gratior exiſtat.

Hæc eſt ratio cur in actis ſeruorum Dei, & Bullis Canonizationum, in quibus de alicuius ſanctitate agitur, loca quoque ſæpiſſimè conſiderantur, in quibus Dei ſerui orare conſueuerunt. Scribitur enim de S. Nicolao Tolentinate, quòd
C orabat in quodam oratorio iuncto cuidam Altari. Clemens quoque Octauus in Bulla *Romana Catholica* lata ab eodem Pontifice pro Canonizatione S. Raymundi, de eadem materia verba facit §. 34. in hunc modum. *Orandi, contemplandiq; ſummam diuturno vſu adeptus eſt facultatem; nam etſi varijs, grauibusque negocijs detineretur, tamen vbi ſe ad orationem compoſuerat, tanta ſubito diuini Spiritus ſuauitate rapiebatur, vt omnium rerum mortalium cura exutus eſſe videretur: ac*
D *ſæpe intempeſta nocte clam obſeruatus eſt in ſecretiori templi receſſu, tam crebra, altaque ſuſpiria inter orandum edere, vt audientes ad lachrymas commoueret*. Et in Bulla *Benedictus Pater* lata pro Canonizatione S. Iacinthi, dę feruore orationis huius ſerui Dei loquitur idem Pontifex per hæc verba §. 13. *Diuini autem numinis propitiandi tanta cura, tantaq; ſollicitudine tenebatur, vt totas noctes in templo fundendis ad Deum precibus inſomnis perſæpe conſumeret*. Et tandem inter innu-

merabilia loca, quæ ex Summorum Pontificum diploma- A
tibus coaceruari poſſent; aliquid tandem ſubinferam de S.Carolo, quem Paulus Quintus canonnizauit: cuius feruorem orationis, & aſſiduitatem, & deuotionem conſiderans idem Pontifex in Bulla, quæ incipit *Vnigenitus æterni &c.* His verbis loquitur §.22. *Non quietis tempus vacabat ab opere, non refectionis; bonam enim noctis partem lectione, tum ſcriptione, tum oratione abſumebat, interdum in oratione pernoctabat, neque idcirco remiſſior mane in agendo erat; ita vt in actis* B
inter cætera conſignatum ſit; quòd cum aliquando Romæ in Catacumbis noctem, quam ieiunium præceſſerat orando inſomnem egiſſet; mane non ſolùm de corporis refectione, aut quiete non cogitauit, ſed valdè longa peregrinatione ſuſcepta ad B. Agnetis Eccleſiam pedibus proceſſit, vbi Miſſam agendo, & orando &c.

Clemēs quoque IV. loquēs de S.Heduige Poloniæ Duciſſa in Bulla *Exultat cunctorū* lata pro eius Canonizatione, orationis feruorē, humilitatē, intentionē, & deuotionē maximè C
cōmendat his verbis. §.9. *Diuinis officijs, & Miſſarum præſertim ſic attentè vacans ſolemnijs, quòd à Solis ortu vſque ad meridiem ab Eccleſia dum huiuſmodi dicerentur officia non diſceſſit; non torpore languida, nec accidia quantum perpendi poterat, malo interim fatigata: nec tamen ſeſsionis cum huiuſmodi ſolemnia cantarentur, quis eam exiſtimet ſe dediſſe quieti; cum tunc vel ſtaret erecta, vel curuato poplite oraret reflexa.*

Ex diſpoſitione corporis nullum efficax poteſt ſumi ar- D
gumentum ſanctitatis ad effectum Canonizationis. Quia vis orationis in intellectu, ex doctrina D.Thom. 2.2. quæſt. 83. art.1. & illius operationibus collocatur, nec facit ad illius eſſentiam, aut feruorem; an quis ſtans, ſiue genua flectens preces ad Deum fundat, dimiſſis, vel eleuatis oculis: quemadmodum Chriſtum feciſſe ſcimus cum Ioann. cap. 16. *Subleuatis in Cælum oculis*, dixit. *Pater venit hora clarifica filium*

A *tuum*: Sicut etiam cum voluit Lazarum reſuſcitare. Genuflexio tamen, & oculorum demiſſio, cùm ſit humilitatis nota modum orandi explicat: ſicut etiam diuini amoris, ac fiduciæ oculorum in Cælum eleuatio: propterea in actis ſeruorum Dei huiuſmodi corporis geſtus in numero habendi erunt. Quin etiam Sacri Euangeliſtæ videntur nos docere voluiſſe, Chriſti exemplo, modum orandi, de quo dicit Apoſtolus. *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationesque ad*
B *eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte cum clamore valido, & lacrhymis offerens exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Quibus in verbis duplex nobis in oratione forma præſcribitur: nimirum *ſuppliciter*, & *vehementer*. Suppliciter dicitur Chriſtum oraſſe, ideſt humiliter, & deuotè; quia humilitate, & deuotione oratio ſurſum aſcendit: propterea dicebat Apoſtolus Chriſtum obtuliſſe preces. *Supplicationesque ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere*. Humilitatem ex geſtu
C corporis expreſſerunt Euangeliſtæ, qui hanc ipſam hiſtoriam referentes dixerunt Luc. 22. *Et poſitis genibus orabat*. Et alter Euangeliſta dicit illum procubuiſſe in faciem ſuam. Vehementer verò Chriſtum oraſſe apparet ex illo Pauli dicentis. *Cum clamore valido, & lachrymis*, eum oraſſe: vel vt habet Lucas. *Et factus in agonia prolixius orabat*. Et ex hac orationis vehementia. *Exauditus eſt*, inquit Apoſtolus, *pro ſua reuerentia*. In actis S. Apoſtoli Iacobi, quæ habentur in
D Romano Breuiario, legitur, quod ei *aſſiduitas orandi ita callum genibus obduxerat, vt duritie, Cameli pellem imitaretur.*

Et quidem quantum ad aſſiduitatem, & quotidianum orationis exercitium, illud certum, & indubitatum ſit, adeò hanc aſſiduitatem orandi neceſſariam fore Dei ſeruis: vt ſine hac aſſiduitate feruorem adipiſci nequeant: qui prouenit ex habitu virtutis, datque orationi gradum heroicum. Hanc aſſiduitatem, & frequentem habitum orandi nos docens

Chri-

Chriſtus dicebat. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*. A
Luc. 18.& Apoſtolus in prima epiſt.ad Theſſ.cap.5.ait. *Semper gaudete, ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite, hæc eſt enim voluntas Dei in nobis*. Non quidem quod homo ab oratione deſiſtere nequeat ex præcepto Chriſti, aut Apoſtoli; cum hominibus, quantumuis perfectis dormiendũ ſit aliquibus horis, ac etiam comedendum: ſed aduerbium *ſemper* in allato Euangelij loco continuationem temporis non ſignificat, vt Maldonatus prçclarè docuit in allato Euan- B
gelij loco; ſed orationis inſtantiam congruis horis exprimit: non intermiſſis, ſaltem diebus, vt ego quoque interpretor: iuxta illud Prophetæ pſal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore ſemper laus eius in ore meo.* Dixit autem Propheta, *in omni tempore*, quod diſtinguitur in diurnum, & nocturnum, vt ſe orare innueret diebus, ac noctibus ſtatis horis, ex quadam aſſiduitate, quæ in Dei ſeruis canonizandis requiritur.

Stat etiam pro hac aſſiduitate orandi, certis dierum horis, C
ratio ipſa. Quia in Dei ſeruis virtutum, non ſolùm actus, ſed etiam habitus requiruntur; at ſine tali aſſiduitate, & continuatione orandi habitus adipiſci nequit: quia, vt dicunt Philoſophi, & Theologi ex frequentatis actibus, non autem ex interpolatis, habitus gignitur. Propterea vbi orandi aſſiduũ ſtudium à Dei ſeruis defuerit; feruorẽ quoque orationis deeſſe neceſſe eſt. Quamobrem S. Odilo Cluniac. Abbas, vt Auctor eſt Petrus Bleſſenſ. epiſtola 123. ad Epiſc. Lond. in ſuis D
exhortationibus ſcripſit, priſcos illos Patres Paulum, Antonium, Mutium, Hilarionem, Benedictum, eorumque patres meditari conſueuiſſe quotidie vna hora diei, paſſionis Dominicæ, noſtræque redemptionis beneficia. Et de ſancto Bernardino Senenſi Surius cap. 32. hæc habet. *Quotidie vna hora ſuæ deuotioni*, ſupple dabat, *atque interim nulli patebat acceſſus, neque Principi, neque Regi, ſed cogebãtur expectare omnes.*

Idipſum

A Idipſum Summi Pontifices conſiderarunt in actis ſeruorum Dei, quos canonizarunt, ad conteſtandam ſanctitatem alicuius ſerui Dei, vel famulæ: vt Gregorius IX. in Bulla *Mira circa nos*, in qua loquitur de S. Franciſco, cuius Seraphici viri ſpiritum contemplans ſic ait. *Gratia Spiritus ſeptiformis accepta, octoque ſibi aſſiſtentibus beatitudinibus euangelicis, Bethel domum Dei, ad quam ſeipſum præparauit per quindecim gradus virtutum, qui myſticè in pſalterio con-*
B *tinentur aſcendit; & ibidem Altare cordis Domino conſtruens, aromata deuotarum orationum obtulit ſuper eo per manus angelicas in conſpectu Domini offerenda*. Et Alexander Quartus in Bulla *Clara claris* lata pro Canonizatione S. Claræ Aſſiſinatis, hanc Dei famulam de feruore orationis collaudans circa medium dictæ Bullæ hæc habet. *Vigilijs inſuper, & orationibus aſſiduè dedita, in his præcipuè diurna, & nocturna tempora expendebat*.

C Quia verò non minus laudabile fuit ſemper in Eccleſia pſallere, & vocali oratione Deum collaudare, quàm ipſi intereſſe; propterea idipſum Summi Pontifices in canonizandis laicis aduerterunt: vt Innocentius Tertius in Bulla *Quia pietas* lata pro Canonizatione S. Homoboni Cremonenſis, cuius ſerui Dei feruorem, & orationis deuotionem, præſertim, dum ſacra fierent in Eccleſia, & horæ ſacræ recitarentur commendans ait. *Adeò in lege Domini meditabatur die, ac*
D *nocte, vt ei ſeruiens in timore; & ſecundùm Prophetam media nocte ſurgens ad confitendum ei, Matutinis ſemper laudibus intereſſet. Miſſæ quoque officium, & alias horas cum ſumma deuotione frequentans ita aſſiduis orationibus inſiſtebat, vt in certis horis, aut inceſſanter oraret, aut horas ipſas aliquando præueniret*. Et parum infra magis expreſsè vocalem orationem in ipſo collaudans ſubintulit. *Qui nimirum ante crucem Domini ex aſſiduitate ſe proſternens, opus quodlibet faciendo, ſtan-*

do, ſtando, ſedendo, iacendo ad orationem labia mouere continuè A
videbatur. Ex quibus ſanè, hucuſque allatis, manifeſtum eſt
inter ſanctitatis notas orationem, qua creaturæ rationalis erga Deum amor oſtenditur, præcipuum tenere locum: ac
meritò Summi Pontifices in Bullis Canonizationum, quę ex
probatis informationibus extrahuntur; plurimum verſari in
expendendo ſtudium orandi, & feruorem orationis eorum,
quos in Sanctorum albo adſcribendos cenſuerunt.

B

CAP. V.

De nota ſanctitatis ex virtute humilitatis.

VIRTVTEM humilitatis non agnouerũt Ethnici Philoſophi; ac proinde nihil de ea. Quin
potius eam deteſtantes; deiectionem animi,
ac conſternationem exiſtimarunt; eam vbique G
in illorum libris reſpuentes, ac quantum fieri
poterat ab hominibus reijcere contendentes. Chriſtus Seruator noſter è cælo eam in terras attulit, vt homines hac
virtute ad cælos eueheret, Deoque coniungeret: proinde
de hac virtute, veluti de fundamento euangelicæ perfectionis dicebat. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*.
Quãobrem quãtum fieri potuit in hominum animis eam inſerere conabatur, vt propterea ſępiſſimè in hęc verba erum- D
peret. *Qui ſe humiliat exaltabitur*. Nobis igitur, qui ſigna ſanctitatis inueſtigamus; quid argumenti ex illa ad effectũ Beatificationis, & Canonizationis haberi poſſit, aperiendum eſt.

Ad partes poteſtatiuas Temperantiæ humilitatem pertinere certum eſt. Et hac ratione definitur à D. Thom. 2. 2.
quæſt. 161. art. 1. ad 1. *Humilitas eſt virtus, qua quis defectum ſuum conſiderans, ſe in infimis ſecundùm modum ſuum continet*.
Et in

A Et in reſponſ.ad 2. *Eſt laudabilis,* inquit, *ſui ad ima deiectio.* Ioannes Rusbrochius in lib.de præcipuis virtut.cap.1.agens de humilitate. *Humilitas*, inquit, *eſt animi demiſſio,* ideſt, *interna quædam, & profunda cordis, & animi coram celſiſſima Dei maieſtate, & inclinatio, & ſubmiſſio*. Et D. Bernardus agẽs de gradibus humilitatis in principio hanc virtutem ſic definiuit. *Humilitas eſt virtus, qua homo veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit*.

B Ex his humilitatis definitionibus plura ſe ſe offerunt, quæ nos ad cognitionem huius virtutis manuducunt. Et primò quidem liquet humilitatem gigni in vnoquoque noſtrũ, ex cognitione ſui ipſius coram Deo, tanquam in lumine poſiti. *Quia ad illud lumen veritatis conſtitutus homo, ſeipſum, & ſine diſſimulatione inſpicit, & ſine palpitatione dijudicat.* inquit Bernardus ſerm.42. in cant. Dum enim aliquis coram Deo, & Angelis conſtitutus, qualis ipſe ſit conſiderat, tum ani-
C mo, tum corpore: quàm nimirum mente inſipiens, quàm ad malum pronus, quàm ad bonum ſegnis, & infirmus, quàm leuis, & inſtabilis, quantis peccatis obnoxius, corpore quantis miſerijs ſubiectus, quàm addictus ſpurciſſimis etiam actibus, quàm putridus, ſeipſum in ſeipſo conſiderans, aduertit nihil poſſe, nihil eſſe, pendere omnino ſuum eſſe à diuina bonitate, tanquam imago pendet à ſpeculo, ſicut pondus ſuſpenſum à virtute manutenentis, ſicut lumen
D à Sole, & ſicut vmbra à corpore, homo ſibi ipſi vileſcit, & hac vilitate virtus humilitatis in eo gignitur. Perſpicuum eſt igitur hanc humilitatis virtutẽ ex modeſtia innaſci, quæ animo frænum inijcit, ne inſolentius ſupra naturam ſuam tollatur ex affectu ſuperbiæ; quæ nihil eſt aliud, quàm immoderata cupiditas, ſiue exiſtimatio propriæ excellentiæ.

Humilitatis effectus interni, qui nimirum in voluntate ſedem habent, plures à Theologis enumerantur; videlicet contem-

contemptus ſui ipſius, per quem homo nihil omnino ſeipſũ A
extimat; ſed ſe omnibus Dei donis indignum,& ad omnia ineptum dijudicat: non verbis tantùm externis, ſed re vera, & ſine falſitate ex interna ſui ipſius cognitione: vt docet D.Thom.2.2. quæſt.161.ad prim.Hinc ſequitur,vt humilis amore veritatis impulſus non cupiat ab alijs æſtimari, honorari, vel laudari: quia videt id ſibi non congruere, ſed ei à quo omne bonum accepit. Et quantum in ipſo eſt humili, vilis haberi cupit, & contemni: talem enim optat ſe ab B
alijs iudicari, qualem ſe veritatis ſententia, & in oculis Dei nouit eſſe. Doctrina eſt D.Bernardi dicentis. *Verus humilis, vilis vult reputari, non humilis prædicari, gaudet contemptu ſui, hoc ſolo planè ſuperbus, quòd laudes contemnat.*

Eſt autẽ humilitatis lapis Lydius; ad quem humilitas vera à falſa diſtinguitur, cõtemptus; atque deſpectus. Qui enim nec liuore, nec indignatione aduerſus illos mouentur, à quibus verbis, aut factis contemnuntur; & contumelijs, atque C
calumnijs afficiuntur, verè humiles cenſeri debent: ex veriſſima doctrina ſerui Dei Serapionis apud Caſſian. collat. 18. cap. 11. Etenim cum aliquando ad eum veniſſet Religioſus quidam, ſummam ſui abiectionem habitu, ac verbis præferens; vt ne vnâ quidem cum ſancto ſene ſe dignè orare poſſe affirmaret: quòd ſe quàm maximis flagitijs inuolutum diceret; vt nec de more pedes ſibi ablui à ſene pateretur; nec vellet coram eo ſedere, ſed humi inſideret: nihilominus D
cum à Dei ſeruo admoneretur; ne iuuenis robuſtus exiſtens inſtabili leuitate per ſeruorũ Dei cellas diſcurreret, & exhortaretur; vt in cella propria conſiſtẽs ſecũdùm regulam ſeniorum ſuo potius opere, quàm aliena mallet munificentia ſuſtentari; adeò turbatus eſt, & tanta triſtitia affectus, vt dolorẽ, atque amaritudinem corde conceptam, ne vultu quidem diſſimulare valuerit. Tunc ad eum ſenior. *Vera cordis humilitas,*

A *litas*, inquit, *non de affectata corporis, atque verborum, ſed de
intima mentis humiliatione deſcendit: quæ tunc demum euiden-
tiſsimis patientiæ ſuæ fulgebit indicijs, cum quis non ipſe de ſe
crimina ab alijs non credenda iactauerit, ſed ab alijs ſibimet ar-
roganter ingeſta contempſerit, & irrogatas iniurias manſueta
cordis æquanimitate tolerauerit.* Hæc ille, de probanda hu-
militate: quæ ſanè cum probata fuerit in actis alicuius Dei
ſerui, ſummum, & perfectum ſanctitatis argumentum ex ea
B colligetur ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Quoties igitur in actis alicuius Dei ſerui leuis ſuſpicio ap-
parebit cõplacentię alicuius præeminentiæ, doctrinæ videli-
cet, dignitatis, ſanguinis, aut nobilitatis (Si fuerit doctus, &
in dignitate aliqua conſtitutus, aut nobilis, ille de quo agitur)
& honores, ac dignitates appetiuiſſe, parum fidendum erit:
licet reliquæ virtutes adfuiſſe videantur: cum contemptus
ſui lapis Lydius exiſtat, quo humilitas comprobatur. Vbi
C enim aliquis ægrè tulerit, aut ſaltem nequaquam ſuauiter,
& cum gaudio ab alio ſe contemni permiſerit, ſiue factis, ſi-
ue verbis contemnatur, ſed de contemptu aliquam mole-
ſtiam ſe ſenſiſſe indicauerit; certum ſit humilitatis virtutem
longè ab eo abſuiſſe.

Hæc autem virtus humilitatis eſt adeò eſſentialis, ac per-
neceſſaria in Chriſti ſectatoribus; vt totius ædificij ſpiritua-
lis ex Chriſti dogmatibus ad normam euangelicam con-
D ſtruendi, fundamentum eſſe credatur, teſte Patre Auguſti-
no ſerm. 10. de verbo Domini dicente: *Cogitas magnam fa-
bricam conſtruere celſitudinis? de fundamento prius cogita hu-
militatis.* Quia verè, vt habet Caſſianus collat. 15. cap. 7.
pag. 487. *Humilitas eſt omnium magiſtra virtutum.* Cumque
ad perfectam ſanctitatis rationem, in quouis fideli plurima-
rum virtutum actus in gradu heroico ſint neceſſarij: pro-
pterea, dum ſanctitatis argumenta inquiruntur in actis alicu-

ius Dei

ius Dei ſerui, primò humilitatis habenda eſt ratio. *Ipſa enim* A
eſt cæleſtis ædificij firmiſſimum fundamentum, ipſa eſt donum
proprium, atque magnificum Saluatoris. Quo fit, vt in quo-
cunque Dei ſeruo maximè perquirenda ſit.

Meritò igitur Sixtus V. loquens de S. Didaco Minorita in
extrauaganti *Rex Regum* lata pro eius Canonizatione, hu-
militatem fundamentum ædificij ſpiritualis, & cæleſtis ap-
pellat, dicens, §. 6. *In primis verò, quia ſapientiſſimus Archi-*
tectus Spiritus ſanctus ſublime regularis perfectionis ædificium B
in eo extruebat; altiſſimum humilitatis fundamentum iecit: &
vt prudens ille ædificator in euangelio laudatus fodit in altum,
& ædificauit domum ſuper petram, nihil ſibi tribuens, nulli ſe
anteponens, quo plura à Deo accipiebat, eò demiſſiùs ſe gerēs. Cę-
li namque ingreſſus omninò patet ei, qui humilitatem ade-
ptus fuerit; ex doctrina Chriſti dicentis non ſemel, ſed ſæ-
piſſimè, vt vidimus. *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Nam cum
etiam aduocaſſet aliquando paruulum; illumque ſtatuiſſet in C
medio ſuorum diſcipulorum, qui hominum imperfectorum
more, *quis eorum videretur eſſe maior in Regno Cælorum* con-
tendebant: illam pronunciauit ſententiam. *Niſi efficiamini,*
ſicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cælorum. Et cum ali-
quando diſcipulorum pedes ipſemet Dominus, & Magiſter
proprijs lauiſſet manibus: *exemplum dedi vobis*, inquit, *vt*
quemadmodum ego feci, & vos faciatis. Si enim ego Dominus,
& Magiſter laui pedes veſtros, & vos debetis alter alterius D
lauare pedes. Vt verbo, & exemplo humilitatem doceret;
tanquam ſuæ euangelicę doctrinę fundamentum ſingulare,
& perfectionis euangelicæ virtus ſpecialis.

Humilitatis verò ſigna, è quibus in praxi hæc virtus co-
gnoſcitur ex doctrina Gerſonis in ſermone de Circumciſio-
ne Domini par. 1. ſunt humile ſapere, & humile velle. At-
que ex hoc, quòd quis humilia velit, inde fit, vt humiles, &

pau-

A pauperes diligat; humilibus induatur veſtibus; humilibus, & communibus vtatur cibis; cum humilibus recreetur; & inter pauperes deputari ſuas delicias exiſtimet: de quibus exempla paſſim in Vitis Sanctorum occurrunt, quorum aliqua ſubijciam: & primò teſtimonium Alexandri IV. in extrauaganti *Clara claris* lata pro Canonizatione S. Claræ Aſſiſinatis. Is Pontifex loquens de humilitate huius Dei famulæ, huicque vni virtuti reliquarum virtutum exiſtentiam
B tribuens, ait. *Hæc ſcilicet Clara, in prædio eccleſiaſticæ humilitatis hortum conſtituit, multiplici rerum conſertum inopia, in quo magna virtutum copia reperitur*. Prædium itaque humilitatem Pontifex appellat: quaſi hæc virtus poſſeſſio ſit, centuplicatum fructum, ſiue prouentum poſſeſſori afferens. De hac ipſa virtute loquēs Leo Decimus in Apoſtolicis litteris, quarum exordium eſt. *Excelſus Dominus* pro Canonizatione S. Franciſci de Paula, & huius ſerui Dei humilitatē expen-
C dens §. 12. *Humilitatem eius*, inquit, *etiam inſtituti per eum ordinis cognomentum oſtendit: quòd vt is omnium minimus eſſe volebat, ita Minimorum Ordinem inſtituit. Eiuſdem etiam Ordinis inſtitutor, & generalis corrector exiſtens; omnium ſe infimum, (quo ad poterat) exhibebat; & ad omnia etiam ſeruilia opera, vt & cæteris præberet humilitatis exemplum deſcendere non dedignabatur: quippequi Diſcipulis ſuis diſcumbentibus miniſtrabat, ſæpeque Eccleſiam, & Altaria verrebat, &*
D *mundabat; ac pauimenta, & alia ad diuinum cultum neceſſaria componebat; aliorumque Fratrum etiam Nouitiorum indumenta proprijs manibus abluebat*.

Eugenius quoque Quartus in extrauag. *Licet militans* lata pro Canonizatione S. Nicolai Tolentinatis, §. 4. Loquēs de virtutibus illius, eximiæ eius humilitatis meminit dicens. *Sanctus equidem iſte, in ætate tenera ſe ſub magna Religionis diligentia ſumma cum obedientia, & humilitate ſeruabat; ca-*

ſtigando corpus ieiunijs, vigilijs, orationibusque inſiſtebat de- A
uotus, gratus, humilis, obediens, benignus, ſuauis, pius, patiens,
conſtans, maturus, compoſitus, virtutum quibuſdam aromati-
bus plurimos attrahebat. Quamobrem in actis piorum viro-
rum, qui cum opinione ſanctitatis deceſſerunt ſingula con-
ſideranda occurrunt: vt non ſolùm ex operibus, ſed etiam
ex verbis, & quibuſcunque alijs actibus, humilitatis ratio
in Dei ſeruis plurimum fulgeat.

Sed quia Eccleſia militans non iudicat de internis, atque B
occultis, ſed tantùm de externis actibus, per quæ interna co-
gnoſcere ſtudet, nobis notæ tradendæ ſunt, & aliqua exter-
na ſigna, præter allata ex Gerſone, per quæ iudicare poſſint
fideles ab externis actibus, internam vniuſcuiuſque hu-
militatem: in his verò ſignis aperiendis non recedemus à
doctrina D Thomæ, qui 2.2.quæſt. 16. art. 6. pulchrè expli-
cat duodecim gradus humilitatis, quos ſanctus Benedictus
in Regula conſcripſit. Hoc eſt duodecim humilitatis ſigna C
in externis actibus expreſſa; ex quibus vera humilitas in
actis ſeruorum Dei cognoſcitur. Ibi videri ad longum hæc
poterunt, ſicut etiam plura ex doctrina Abbatis Pinuphij
lib. 4. de Vitis Patrum cap. 31. habentur.

Inter humilitatis igitur gradus, & ſigna primo loco re-
cenſet D. Th. *Corde, & corpore ſemper humilitatem oſtendere*
defixis in terram aſpectibus. Quatenus nimirum id expediet.
Idipſum Chriſtus docuit exemplo Publicani: qui cum in D
templo oraret; nec oculos audebat ad Cælum leuare; ſed
percutiebat pectus ſuum dicens. *Deus propitius eſto mihi pec-*
catori. Idipſum inter doctrinas ſpiritualis perfectionis tradunt
Patres Sancti: vnde S. Dorotheus doctr. 19. num. 1. *Honeſta,*
inquit, *ac modeſta, Deoque, & hominibus grata Monachi com-*
poſitio hæc eſt: primum oculos tuos cobibe, ne huc, atque illuc cir-
cumferantur, ſed quæ ante te ſunt tantùm intueri, ac ſpectari
velint.

A *velint*. S. Baſilius in epiſt. ad Canon. inter alios perfectionis gradus, quos à paucis ſectari poſſe tradit, oculorum moderationem recenſet. *Quam requirit euangelicæ perfectionis tenor*. inquit ille. Et ratio eſt manifeſta: quia cum humilitatis pars præcipua ſit modeſtia; & hæc in aſpectu præcipuè oculorum collocetur, ex conſequenti demiſſio oculorum humilitaté præſeferet. Quæ demiſſio talis extitit in Abbate Elladio, vt lib. 5. de Vitis Patrum, & lib. 5. nu. 16. referatur, eum
B vixiſſe viginti annos in cella, nec aliquando oculos ſurſum eleuaſſe, vt tectum eius conſpiceret.

Gradus alter humilitatis eſt, pauca verba, eaque ipſa rationi maximè conſentanea loqui, idque non clamoſa voce. Cumque in Regularium inſtitutis humilitas in primis ſit habenda præ oculis; propterea communis Religioſorum regula, formam loquendi præſcribit: vt videre licet in Conſtitutionibus Canonicorum S. Saluat. cap. 9. conſtit. § 4. Caſi-
C nenſ. ad Reg. 22. § 11. & ad Reg. 52. §. 5. Camald. lib. 1. cap. 52. Patrum Societ. Reg. 26. & 28. in quibus traditur modeſtè loquendum, & non voce clamoſa. Quæ Regulę traditæ ſunt ab his Patribus, iuxta doctrinam S. Dorothei, doctr. 19. num 2. vbi loquens de ſerui Dei verbis, ait. *Neque verba ocioſa, vana, ridicula, ſeu ſcurrilia, omnino loquacia, ſed duntaxat neceſſaria.* Hæc autem neceſſitas explicatur per leniter loqui, breuiſſimè, & per vocem ſubmiſſam. Ioannes
D Euangeliſta, quantum ſectatores Chriſti id deceat, videtur innuiſſe cap. 11. cum referens Chriſti acceſſum Bethaniæ, vt Lazarum reſuſcitaret, de Martha. *Et vocauit*, inquit, *Mariam ſororem ſuam ſilentio dicens. Magiſter adeſt, & vocat te.* Quo loco S. Auguſtinus cum ſecreto Martham Mariæ alloquutá dicat, eam voce ſubmiſſa loquutam fuiſſe meritò exiſtimat; vox namque, & loquendi modus, ſilẽtij nomine ab euangeliſta nuncupatur. Cur hoc in religioſo hominę requiratur in-

terrogabit quiſpiam: reſponderim ego quia vox demiſſa ſi- A
lentij pars eſt, vt docuit Smaragdus in cap. 38. Reg. S. Bened. diſcrimen afferens inter ſilentium tantùm, & ſilentium ſummum: hoc ait eſſe, ſi nulla ſit vox, nulla fuerit muſſitatio, quale requirit S. Benedictus in refectorio, in dormitorio, in quibuſdam horis, & noctu: illud verò ait eſſe, cum Religioſi ſilenter, leniter, & cum ſilentio loquuntur. Quomodo Martha ſororem allocuta eſt. Idipſum tradidit Apoſtolus in 2. ad Timoth. cap. 2. num. 24. his verbis. *Seruum autem Domini non* B
oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem.

Humilitatis gradus tertius riſum reſpicit: ne quis facilis ad riſum ſe præbeat. Licet enim aliquando in Dei famulis, ac famulabus, ex ſerenitate conſcientiæ, & prægustatione diuinæ ſuauitatis quidam riſus proueniat; pertineatque ad illud Spiritus ſancti donum, quod gaudium in epiſt. ad
Galat. c. 5. ab Apoſtolo dicitur: aliquádo tamẽ eſt ex manſue- C
tudine naturæ; vt docet Alexander Alenſ. 2. 2. q. 37. art. 1. Quia verò vt plurimum ex inordinatione ineptæ lętitiæ riſus prouenit, propterea ab eo riſu humilis Dei ſeruus cauere debet. Quod ſanè Chriſtus humilitatis Magiſter nos docuit, dum nonnunquam fleuiſſe Sancti Euangeliſtæ referunt, nunquam verò riſiſſe, ſed cum decore in omnibus proceſſiſſe. Hæc eſt doctrina Sanctorum: eam habet S. Dorotheus
doctr. 19. num. 24. dicens. *Cum ridendum eſt, caue ne in tuo* D
riſu exeras dentes. Riſus enim præſertim immodicus, immodeſtiam ſapit; cum è contra omnibus Dei ſeruis modeſtia ſit omnino neceſſaria; quæ conſtituit modum quendam, & bonam ordinationem in omnibus externis hominum actionibus.

Quartus gradus humilitatis expreſſit S. Benedictus per verbũ *Humile ſapere*: cuius humillimi ſenſus nota ſilentium

& taci-

A & taciturnitas vſque ad interrogationem; & ad interrogata quidem non facilè, non audacter, nec promptè reſpondere, ſed cum timore, & reuerentia. Hanc, vt puto, doctrinam Chriſtus ſuis ſeruis tradidit, cum ait. *Cum ſteteritis ante Reges, & Præſides nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora.* Ideſt, quando interrogauerint vos, & nō antea; dabitur vobis: *quid loquamini*. Eſt enim proprietas humilitatis humiles docere ſingula verba, quibus
B vti debeant in ſingulis occaſionibus: quod Rodriquez adnotauit tract. 4. cap. 9. in fine. Silere igitur, & non loqui, niſi ad interrogationes, humilitatem oſtendit: eo namque ſilentio vnuſquiſque ſe de ſe humile ſentire probat; ſeipſum indoctum, & ignorantem exiſtimans.

De hac humilitatis nota, pulcherrima magni Antonij doctrina habetur lib. 5. de Vitis Patrum libello 15. (diſtinguitur enim liber ille in plures libellos loco Capitulorum) loco
C igitur citato §. 4. hæc leguntur. *Venerunt aliquando ſenes ad Abbatem Antonium; & erat cum eis etiam Abbas Ioſeph. Volens autem Abbas Antonius probare eos; mouet ſermonem de Scripturis ſanctis; & cœpit interrogare à iunioribus quid eſſet hoc, vel illud verbum; & ſinguli dicebant, prout poterant; ille autem dicebat eis; nec dum inueniſtis: poſt eos verò dixit Abbati Ioſeph; tu quomodo dicis eſſe verbum? ille reſpondit neſcio. Et dixit Abbas Antonius. Verè Abbas Ioſeph ſolus inuenit viam;*
D *qui ſe neſcire reſpondit.* Ex his planè conſtat illum cenſeri humilitatem adeptum ab Antonio, qui cum humiliter de ſe ſentiat, interrogatus, vel neſcire reſponderit, vel tardè, & cum timore interrogationibus ſatisfacit; propriam ignorantiam publicè fateri nō erubeſcens, vt lib. 1. de Vitis Patrū legitur de quodā ſeruo Dei Abraham, qui cum ab Epiſcopo, prædicationis officium aſſumere cogeretur. *Quæſo*, inquit, *pater ſanctiſsime, permitte mihi, vt meas iniquitates defleam*,

neque huiuſmodi negotium infirmo, & exiguo exiſtenti iniungas. Cogente tamen Epiſcopo ex obedientia, prædicandi munus acceptauit; Epiſcopi iudiciũ præponens proprio etiã in his, quæ ipſum reſpiciebant. Quia vt dicit S. Gregorius de ſuperbo. *Si ſe meliorem alijs non crederet, nequaquam aliorum conſilia ſuæ deliberationi poſtponeret*. Et in cap. *Niſi cum pridem*. de renunc. poſt principium dicitur. *Tunc veram humilitatem oſtendis, cum per eam locum ſublimem effugies, & tamen per veram obedientiam non dimittes: nam vera humilitas facit, vt quiſque magis alijs credat, quàm ſibi ipſi*. Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis part. 1. ſerm. de Circumciſione Domini. *Humilitas*, inquit, *hominem, quem inhabitat, reddit tractabilem, quaſi perfuſum oleo lætitiæ, ſuaſibilem, bonis conſentientem, minus ſemper proprio, quàm alieno fidentem conſilio, abiectus eſt, & vilis in oculis ſuis, non ſe iactans, non iuſtificans, non magna promittens, non ſollicite ſe excuſans*. A B

Hæc quamuis pauca dixiſſe ſufficiant, reliqua de virtute humilitatis diffuſiùs ab alijs differantur, atque diſcutiantur. Dictis enim à nobis conſonant vbique Summi Pontifices, qui virtutes ſeruorum Dei, quos canonizant, enumerantes, humilitatis quoque meminere. *Magnus etenim doctrina, non minor humilitate*, Sanctus Bonauentura appellatur in Bulla *Superna cæleſtis*, § 6. quam edidit Sixtus IV. pro canonizatione illius, qui doctrina celebris fuit. Humilia quoque ſenſiſſe de ſe ipſo doctiſſimum virum ſanctum Raymundum Barcinonenſem Ordinis Prædicatorum teſtatur Clem. 8. in Bulla *Romana Catholica*, lata pro eius canonizatione. Hæc enim habet de illo §. 11. *Itaque iam matura ætate annum circiter quintum ſupra quadrageſimum agens, abdicatis honoribus, ſpretiſque omnibus diuitijs, aſſumpſit pennas vt columbæ in requiem Domini, euolanſq; in Ordine Fratrum Prædicatorum ſolemnem profeſſionem emiſit. Quod vt omnibus admirationi fuit* C D

hominem

A *hominem genere nobilem, doctrina præſtantem, affluentem bonis, dignitate, & fama celebrem, ſuſcepto religioſæ vitæ inſtituto, ſpontaneam paupertatem opibus, ſuique contemptum honoribus, & commodis prætuliſſe; ita eius exemplo complures literati, ac ſtudijs, doctrinisque dediti nobiles viri, eundem ordinem ſunt amplexi*, & parum infra §. 13. *Itaque etſi omnibus eruditione, & prudentia antecellebat, hoc tamen ipſo demiſsiùs ſentire de ſe, alijs omnia, ſibi nihil tribuere, ſingulos honore debi-*
B *to proſequi, denique libentius deliteſcere, quàm in lucem prodire conſueuerat.* Ex quibus ſanè humilitas ſerui Dei ſatis manifeſta apparet, ipſumque humile voluiſſe, & humile ſenſiſſe conſtat.

Quintus humilitatis gradus, ac ſignum, factis declaratur, cum Dei ſeruus viliorem ſe cæteris oſtendit; ac propterea nequaquam malè audit ab alijs contemni, & peſſundari; ſed in eo contemptu plurimum delectatur, iuxta illud Eccleſia-
C ſtici. *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe; & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe.* Ratio autem prędictæ delectationis prouenit: quia Dei ſeruus ad omnia inutilem, & ineptum ſe iudicet iuxta illud Corint. 2. cap. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi à nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Hinc igitur aliud ſignũ humilitatis præcipuũ erumpit; in confeſſione propriorũ peccatorum poſitũ: adeo vt non eru-
D beſcat Dei ſeruus, quod ei peccata, & culpæ obijciantur, delectatur etiam in abiecto veſtitu, & vſu reliquorum vtenſilium. Humilis enim aſperè dormit, promptè, & patienter obedit, reliquos omnes quoſcũque, veluti ſibi ſuperiores reueretur. cum pauperibus conuerſari, pauperibus miniſtrare, pauperibus adiungi, rudi amictu, atque veſtitu indui, & ſimilia humilitatem ſerui Dei prædicant. Oſtendunt enim hæc Dei famulũ, non ſolùm humiliter ſentire, ſed etiam humile

mile velle: cuius rei legimus in Vitis Patrum exempla innumerabilia. Nã de quodam ſeruo Dei Marco legitur lib. 5. de Vitis Patrum libello 14. §. 6. cum quòd aliquando mater ipſius ad eum inuiſendum magno comitata obſequio acceſſiſſet (quod eſſet illa nobiliſſimæ familiæ) ille tamen veſtitus ſacco, eoque ſciſſo, & lacero, capite quoque, ac facie, fumo, ac fuligine coquinæ fœdatus, matri occurrit, eamque ſalutauit, delectatus, quòd nec à matre, & eius comitatu in lacera veſte agnitus fuerit. A B

Meritò itaque Summi Pontifices in Dei ſeruis canonizandis, inter ſigna humilitatis, eorundem guſtum, ac delectationem conuerſationis cum pauperibus attenderunt; vt Clemens IV. in Bulla *Exultat cunctorum &c.* In qua loquẽs §. 6. de S. Heduuige Duciſſa Poloniæ, in ſublimi principatus dignitate collocata eius humilitatem collaudans hæc habet. *Nam illius fuit humilitatis dum viueret; & per illum modum pauperum ſe deputauit obſequijs, quod eis flexis interdum genibus vitæ neceſſaria miniſtrauit, & manum leproſis ex voto compaſſionis exhibens, liberalem erumpentem ſaniem ipſorum, & vlcera nequaquam abhorruit.* & parum infra. *Illius quoque in omni ſinceritate deuotionis permanſit, quod ex aqua, cum qua eiuſdem Monaſterij Moniales lauerant pedes ſuos, tanquam per ipſarum contactum aliquid ei ſanctitatis ineſſet, faciem ſibi, & oculos ſæpiſſimè aſpergebat.* Ex his ſanè liquet, quantæ humilitatis eſſet hæc Dei famula, quæ tanto amore pauperes diligebat, vt illis etiam flexis genibus inſeruiret: quàm humilia etiam vellet, ac de ſe ſentiret Dei famula, quæ licet tot virtutibus referta foret; aliquid tamen ſanctitatis haurire poſſe arbitrabatur ex aqua, qua Religioſæ Moniales pedes ſibi lauerant. Et de S. Brigitta Bonifacius IX. in Bulla *Ab origine &c.* Humilitatem huius famulæ Dei maximè commendans §. 26. loquitur his verbis. *Admirabilis, & Spectabilis* C D

humi-

A *humilitatis extitit, ita vt nonnunquam cum pauperibus peregrinis incognita ſimul ſedens apud Monaſterium S. Laurentij in Paliſperna de Vrbe Ordinis S. Claræ, eleemoſynam reciperet, & exoſcularetur cum gratiarum actione; & frequenter proprijs manibus, & ob Dei reuerentiam reparabat pauperum veſtimenta.* De S. Franciſca de Pontianis nobiliſſima Romana, Paulus Quintus in Bulla *Cæleſtis aquæ*, §. 9. de eius humilitate verbis, operibus, & ſignis omnibus manifeſta, verba

B faciens habet. *Cuius ex multis, ac præclaris virtutibus, humilitas in primis per quam ad ſolidam, veramque celſitudinem peruenitur maximè enituit.* Cuius humilitatis ſigna in eo quod humile vellet in veſtitu manifeſtabat, de quo ſic loquitur Summus Pontifex. *Non illi etiam dum in coniugio vixit, quamquam nobili, & opulento viro collocatæ ſerica, non auro contexta, ſed vilis, & lanea veſtis.* Quam verò humiliter de ſe ſentiret hæc Dei famula, quæ ibidem ſequuntur verba

C aperiunt. *In clauſtrali vita, dum eſſet, licet omnium oblatarum mater; item domi quaſi domina miniſtrari, nunquam; ſed memor verbo Domini, miniſtrare omnibus amabat, & tanquam ancilla tractari, & ancilla videri delectabatur: alioque honoris titulo, quàm peccatricis immunditiæ vaſculi, fæminæq; viliſſimæ, & abiectæ, ſe minimè inſigniuit.* Ex quibus ſanè Summorum Pontificum verbis, duo humilitatis prædicta ſigna in his Dei famulabus ſatis lucent: non tam, vt inde quo-

D dam quaſi infallibili argumento earundem ſanctitatem hauriamus; ſed humilitatis chriſtianæ documenta præcipua habeamus. Verùm ne humilitatis defectus in Dei etiam ſeruis, ſuſpiceretur (quorũ ſanè humilitatis exempla innumerabilia recenſeri, nec vix poſſunt) nõnulla ex Summorum Pontificũ litteris afferemus, in quibus ſigna humilitatis iam relata ex praxi actorum agnoſcantur: nimirum humile velle, & humile ſapere. Et quidem humilia voluiſſe ſanctiſſimum Fran-

ciæ

ciæ Regem Ludouicum, ea quæ de illo ſcribit Bonifacius A
Octauus in Bulla. *Gloria laus &c.* demonſtrant: hæc enim §. 20. de illo habet. *Hic profectò humilitate ſublimis, ſublimitate humilis, in apparatu, & veſtibus, quas frequenter pauperibus erogabat; poſt primum de vltramarinis partibus reditum ſummæ humilitatis inſignia demonſtrauit: non enim aureis, vel argenteis ornamentis, non Regalibus veſtibus, non varijs, vel griſeis, ſed alijs humilibus pellibus vſus fuit ſæcularibus pompis à ſe penitus abdicatis.* Multò plura poſſent aſ- B
ferri ex Bullis Summorum Pontificum, & ex actis Sanctorum de humilitate, & humilitatis ſignis: ſed hæc dixiſſe ſufficiant.

CAP. VI.

De nota ſanctitatis ex finali perſeuerantia in bono, & ex obitu ſeruorum Dei. C

RELIQVVM eſt, vt in actis ſeruorum Dei, attentiſſimè ſanctitatis notæ & ſigna perſeuerantię in bono perueſtigētur, attendendo quā quiſque dederit in extremo ſuæ militiæ curſu ſanctitatis notam. Cuius finalis perſeuerantiæ, etiam in martyribus, ea fuit in Eccleſia ratio à primis vſque exordijs; vt quoties aliquis capite damnatus fuiſſet à D
Iudice in odium Chriſti, & deſignati Martyris titulo ab Eccleſia decoratus iam extitiſſet, non tamen in Catalogo Martyrum deſcribebatur; quin prius acta eiuſdem inquirerentur; & proceſſus fabricaretur non ſolùm de actis, & reſponſis in Ethnico tribunali datis dum torqueretur, ſed etiam de ſignis perſeuerantiæ, fortitudinis, & conſtantiæ in fide vſque ad vitæ finem, vt libro ſequenti oſtendemus.

Verùm

A Verùm pro dicendorum intelligentiæ notandum occurrit, perſeuerantiam quidem peculiaris virtutis rationem habere, ſi conſiderentur actus voluntatis, quibus aliquis vult in bono opere (communiter conſiderato, vt bonum, & honeſtum) perſeuerare vſque in finem. Cum enim obiectum volitum in illis actibus ſit bonum, & honeſtum in genere; illeque actus voluntatis peculiare illud bonum reſpiciat; ex cõſequenti actus ille voluntatis peculiarem habet rationem
B virtutis; & ex frequentatis actibus, habitus virtutis in voluntate gignitur, quæ perſeuerantia appellatur: ſed perſeuerantia hoc pacto conſiderata, vt peculiaris virtus eſt, ad rem noſtram non pertinet.

Sumitur etiam perſeuerantia ſub alia ratione, nimirũ pro quadam continuatione iuſtitiæ, vſque ad vitæ terminum in omnibus virtutibus: qua ratione non eſt peculiaris virtus, ſed circumſtantia quædam concomitans virtutes omnes:
C quam circumſtantiam in actu ſecundo, nemo habet, niſi in vltimo vitæ termino. Et hæc eſt perſeuerantia, quam conſiderandam diximus in actis ſeruorum Dei: nimirum affectus Chriſtianæ Religionis, & finalis perſeuerantiæ in bono, quam tum verbis, tum Sacramentorum vſu, ac deſiderio æternorum oſtendere conſueuerunt Dei ſerui eo in agone: ex quibus actibus, & ſignis perſeuerantia continuata in bonis operibus manifeſtatur, in qua omnis noſtra ſalus collocatur
D tur ex Chriſti ſententia dicentis. *Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit.* Attendantur quæſo Chriſti verba, & in finali perſeuerantia ſalus certa, & ſecura agnoſcatur: adeo vt ſi quando continget, vt contigiſſe ſcimus, quòd aliquis Dei ſeruitio mancipatus ferè per totum vitæ curſum certaſſet; & in agone vltimo defeciſſet, de huius ſalute actum eſſe certum ſit. Quamobrem in Apoc. dicebat Chriſtus. *Vincenti dabo manna abſconditum.* & alibi. *Qui vicerit dabo illi coro-*

li coronam. Itaque corona gloriæ non certanti, ſed vincēti A
promittitur: & victoria, quam Chriſtus requirit, in ſola perſeuerantia conſtituitur.

Militamus enim dum ſumus in hac vita, victoriæque ratio in poſtremis tantùm pugnæ terminis collocatur: vt in Vitis Patrum lib.6.libello 4.§.21. Abbas Iſidorus rectè tradidit. Is enim cum aliquando conſuleretur de cogitationibus, quæ vexant hominem; reſpondit. *Si cogitationes non haberemus, feris ſimiles eſſemus: ſed ſicut inimicus, quod ſuum eſt,* B *exigit: nos quoque, quod noſtrum eſt, implere debemus: inſiſtamus orationi, & inimicus fugatur: vaca meditationi Dei, & vinces. Perſeuerantia boni: victoria eſt certa, & coronaberis.* In his certaminibus, ac pugnis collocantur virtutum exercitia; at in perſeuerantia ſtat victoria. Propterea in examinandis ſeruorum Dei actis, extrema cum primis ſunt attendenda; cum ante actis hæc coniungenda, & ſigna virtutum in omnibus conſideranda. Sanctitatis autem ſigna præcipua C firmæ fidei, & euangelicæ perfectionis in gradu heroico, qualis requiritur in beatificandis, & canonizādis, conſiſtunt in quodam efficaci amore Crucis; in vſu deuoto, & finali ſacramentorum pœnitentiæ videlicet, ſacri viatici, ſicut etiam in alacri ſuſceptione extremæ vnctionis: dummodo præceſſerint nota, & manifeſta virtutum exercitia; conſenſu, & concordi aliorum teſtimonio comprobata.

In extremo autem agone & lucta, in Dei ſeruis, ac famu- D labus habitus virtutum, æternorum deſiderium, & temporalium contemptus, apertè cognoſcitur: ac proinde omnia diligenter conſideranda veniunt, quæ in illa rerum omnium vltima linea contingerunt: in actis nimirū piorum virorum, de quorum cultu, & beatificatione, aut canonizatione in Eccleſia agendum erit. Cum enim virtus ſit habitus: vt iam dictum, probatumque extitit: & in habitu, non in actu vir-

tutis

A tutis ratio ſit conſtituenda, vt omnes Philoſophi, ac Theologi docuerunt; propterea in extremo agone in primis micant, ac ſplendent virtutum habitus in vita acquiſiti: quando nimirum naturales ſenſus, & naturales potentiæ, tam interiores, quàm exteriores, morbi violentia præpeditæ, impediuntur, quo minus ſuas exerant operationes: tunc enim quidam actus, quaſi inuoluntarij ab habitibus longo virtutum exercitio acquiſitis, prouenire non dubitamus: ac B propterea ab illius extremi agonis actibus, virtutum habitus iam acquiſiti cognoſcantur neceſſe eſt.

Hac de cauſa ſeruorum Dei in agone poſitorum acta omnia attendenda diximus: verba videlicet, corporis motus, motus oculorum, ſuſpiria ſi quæ ediderint; & reliqua ſigillatim, tam quæ contra hoſtem proferunt verba, quàm etiam hortatoria ad aſtantes, ac denique illa ipſa, quibus ſe Deo morituri commendant. Vt illorum exemplo, non ſolùm C fideles formam abeundi ex hoc mundo ad Cęlum hauriant, ſed vt ex his ſignis habitus virtutum euangelicarum, euangelicæque perfectionis, ac ſanctitatis notas habere poſſimus.

Quamobrem in inquiſitione actorum ſeruorum Dei circa obitum diligentiſſimè teſtes de viſu interrogandos fore reor, ſi haberi poterũt ab his, qui proceſſus fabricant in hiſce cauſis; ſin minus, de auditu ſumendis, ita tamen, vt omnia diligentiſſima indagine perquirantur; ne quid deſiderandum D remaneat vt de certitudine gloriæ ſeruorum Dei argumenta firma in Eccleſia, & tuta hauriantur. Etenim in omnibus virtutibus finalis perſeuerantia, fidei chriſtianæ puritas, & charitas erga Deum in Dei ſeruis neceſſe eſt, vt fulgeat. Fideles namque perfectiores, qui inter mortales dum viuerent fide armati, ſpe erecti, charitate inflammati, cum hoſtibus, vitijs, ac concupiſcentijs pugnarunt terrena deſpexerunt; & in cæleſtium meditatione perpetuò ſe exercuerunt,

cuerunt; tunc profectò ardentius terrena deſpiciunt, & cæleſtia appetunt; cum ex hoc mundo tranſeundi hora imminet. A Sancto enim Martino ſpe diuina erecto, in extremis poſito, Diabolum inſultatum legimus in Breuiario Romano; & ad eum conuerſum dixiſſe confidenter. *Quid aſtas cruenta beſtia, nihil in me funeſtè reperies.* Pater etiam Auguſtinus lib 9. confeſſ. cap. 9. terrenorum contemptum in Matre Monica ſanctiſſima, tunc maximè viguiſſe cùm cæleſtia in extremo vitæ agone meditaretur, adnotauit. Auguſtinum enim filium, & fratrem tunc terrena cogitantes, (de condendo nimirum in patria agonizantis matris corpore, poſtquam deceſſiſſet) ſanctè eoſdem reprehenſiſſe, idem P. Auguſtinus his verbis narrat. *Et cum ægrotaret quodam die, defectum animæ paſſa eſt, & paululum ſubtracta à præſentibus. Nos concurrimus, ſed citò reddita eſt ſenſui: & aſpexit adſtantes, me, & fratrem meum, & ait nobis, quaſi querenti ſimilis: Vbi eramus? Deinde nos intuens mœrore attonitos. Ponetis hic, inquit, veſtram matrem: ego ſilebam, & fletum frænabam Frater autem meus quidam locutus eſt, quo non eam peregrè, ſed in patria ſua defungi, tanquã fœlicius optaret. Quo audito, illa vultu anxio reuerberans eum oculis, quod talia ſaperet, atq; inde me intuens. Vide, ait, quid dicit. Et mox ambobus. Ponite, inquit, hoc corpus vbicunque, nihil vos eius cura conturbet. Tantum illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei, vbi fueritis.*

Extrema quoque ſeruorum Dei acta, quam virtutem præ cæteris prædicti amauerint in vita, & in quamnam illarum magis ſe exercuerint, planè indicant, atque demonſtrant. Nam quamuis omnia virtutum exercitia tempore, & loco exquirenda ſint in actis ſeruorum Dei: vnuſquiſque tamen habet ſuum donum, & in aliqua virtute vnus magis, quàm alter, exercetur: cuius ſingularis virtutis à Dei ſeruo prædilectæ in extremo agone ſigna conſpiciuntur. Quemadmo-

A admodum amorem paupertatis extremæ, mundi contem-
ptum, in ſanctiſſimam Deiparam affectum maximum, &
certamen cum hoſte ſanctum Franciſcum oſtendiſſe ſcribit
S.Bonauentura.Cum enim ſpiritum gratiæ, & pœnitentiæ
in Eccleſia S.Mariæ Angelorum, quæ de Portiuncula dici-
tur,Dei ſeruus accepiſſet; ibidem mori,& Creatori ſpiritum
reddere voluit: vt in Romano Breuiario ſcribitur. *Quò cum*
fuiſſet perductus, ait S.Bonauent. in eius vita, quæ apud Su-
B rium habetur. *Vt veritatis exemplo monſtraret, quod nihil*
erat illis commune cum mundo: in illa infirmitate tam graui,
quæ omnem languorem concluſit: ſuper nudam humum ſe totum
nudatum in ſpiritus feruore proſtrauit: quatenus hora illa ex-
trema, in qua poterat adhuc hoſtis iraſci nudus luctaretur cum
nudo. De eius quoque affectu erga obedientiã, & paupertatẽ
hæc ſtatim ſubintulit. *Vnus ex eis*, nimirum ex aſtantibus ſo-
cijs ſerui Dei, quem vir Dei Guardianũ ſuũ eſſe dicebat, votũ
C ipſius diuina inſpratione cognoſcẽs, ideſt deſideriũ pauper-
tatis amplexãdæ, *feſtinus ſurrexit, & acceptam cum corda, &*
fæmoralibus tunicã, pauperculo Chriſti obtulit dicens. Hæc tibi
tãquam pauperi commodo, & tu illã ſuſcipias obedientiæ ſanctæ
mãdato. Gaudet ex hoc vir ſãctus, & iubilat præ lætitia cordis:
quoniã fidem tenuiſſe dominæ paupertati vſque in finem ſe vidit,
palmasque leuans ad Cælum Chriſtum ſuum magnificat pro eo,
quòd exoneratus ab omnibus liber vadit ad ipſum. Fecerat enim
D *hæc omnia paupertatis zelo, vt nec habitum quidem vellet ha-*
bere niſi ab alio commodatum.

De S. quoque Didaco Complutẽſi Sixtus V. in Bulla *Rex Regum &c.* idipſum conſiderauit. Nam loquẽs §.15. de felici eius Dei ſerui obitu, quem in ea Bulla canonizauit; dilectę paupertatis, & humilitatis exempla præclariſſima in extremo agone eum dediſſe his verbis teſtatur. *Poſtremo cum ſe iam moriturum intelligeret comitis illius, & adiutricis fideliſ-*

ſimæ,

ſima, quæ illum in huius vitæ peregrinatione nunquam deſeruerat, hoc eſt ſanctæ paupertatis, ſupremo vitæ die non oblitus, ſed in eius intimo ſinu; quàm maximè fieri poſſet, ſpiritum emittere cupiens, conuocatis fratribus eos obnixè rogauit; vt ſibi veſtem obſoletam, & laceram, habitumque omnium viliſſimum, in quo moreretur concederent: quo impetrato multis profuſis lacrymis ab his qui adſtabant offenſionum, atque erratorum veniam poſtulauit. Relata ſunt hæc, vt liquidò conſtet, ſeruos Dei in agone conſtitutos tales elicere virtutum actus, quales præcipuè in reliquo vitæ curſu dilexere virtutes, & plurimorum actorum exercitio habitus in ſcriptis efformarunt. A B

Vt autem ad ſingularia deſcendamus primo loco conſiderandum occurrit; cuius ſit argumenti diei extremi præuiſio, ac prædictio in Dei famulis, ac famulabus. Et huiuſmodi quidem præuiſio, & prædictio proprij diei obitus ſerui Dei morientis, vnionem cum Deo, quamuis ſubindicare videatur, & aliquod ſanctitatis argumentum ſubminiſtrare: illud tamen non erit efficax ad ſanctitatem probandam: tum quia reuelationes non ſunt ex meritis, ſed ex gratia Chriſti: tum etiam quia naturaliter multoties hæc ipſa præcognoſci poſſunt: nã de prognoſticis infirmorum medici agunt ſuis in libris, in quibus de prædictione diei mortis multa docent. Non tamen erunt omnino contemnendæ huiuſmodi prædictiones ſeruorum Dei, vbi vitæ anteactæ merita plurima non deſint: vt planè demonſtrant prædictiones huiuſmodi, quæ in actis ſeruorum Dei apud eos leguntur, qui Sanctorum vitas conſcripſerunt. Quamobrem nec eas poſthabendas cenſuerunt Summi Pontifices in Canonizatione ſeruorum Dei. Et ſancti Ricardi Epiſcopi Cuſtenſis virtutum merita, & vnio animæ ipſius cum Deo plurimum, dum commendatur ab Vrbano Quarto in Bulla *Exultet Angelica* lata pro eius Canonizatione; etiam obitus ſui diem C D

præ-

A prædixiſſe teſtatur dicens §. 8. *Hic reſolutionis ſui corporis tempore propinquante, per plures dies ante horam mortis certam, licet ipſa nihil incertius, facti ſubſecuta veritate, dictum certificante prædixit*. His enim prædictionibus ſubindicatur, ſeruos Dei æternorum deſiderio iam multo ante teneri; ac proinde Deum enixè rogaſſe; vt hinc ipſis abire liceret, Deumq; ad ſeruorũ ſuorum conſolationem, id eis reuelaſſe. Quapropter certi de die, gaudio geſtientes mortem appe-

B tunt; de morte loquuntur; mortis non ſolùm diem, ſed horam etiam prædicunt; vt vidimus de S. Ricardo.

Solet etiam Deus hanc ſeruorum ſuorum certam victoriam, quibuſdam interdum ſignis, ac viſiionibus indicare: quemadmodum in obitu plurimorum ſanctorum cõtigiſſe, ex eccleſiaſticis hiſtorijs cognouimus. Et Alexander quartus in Bulla *Clara claris* lata pro Canonizatione S. Claræ Aſſiſinatis in eius obitu contigiſſe teſtatur §. 6. dicens. *Nam &*

C *cum in extremis ageret, candidus Beatarum Virginum cætus, micantibus coronis ornatus, in quo vna ex ipſis eminentior, & fulgidior apparebat, viſus eſt domum intrare, vbi eadem Christi famula decumbebat, & vſque ad lectulum eius procedere, ac circa eam quaſi viſitationis officium, ac confortationis ſolamen, quodam humanitatis ſtudio exhibere*. Legimus etiam in Bulla Pij ſecundi lata pro Canonizatione Sanctæ Catharinæ Senenſis, poſt eius obitum gloriam, qua illa fruebatur in Cęlis,

D Confeſſario Dei famulæ reuelatam fuiſſe. Sed quia hæc prędictio non præſtant validum ſanctitatis argumentum per quod moueri poſſit Eccleſia ad cuiuſcunque Dei ſerui aut famulæ Canonizationem, propterea hæc miſſa faciamus.

Arma chriſtianæ militiæ cum in toto vitæ curſu neceſſaria chriſtiano homini cenſeantur; tunc certè maximè pernceſſaria exiſtimantur, cum in extremo vitæ agone homo cõſtituitur: quando nimirum cum inferno ei luctandum eſt.

Quid dicam luctandum? Viriliter pugnandum eſt cum ſæuiſſimo hominum hoſte Sathana, & ſatellitibus eius omnibus. Militiæ verò noſtræ arma cum ſint ipſa ſacramenta pænitentiæ videlicet, per quam peccatorum ſordes abluuntur; & ſacri viatici, in quo Chriſtus corporaliter ſumitur; vt cæleſti cibo anima recreata ſecurius cum hoſtibus pugnet; atque etiam extremæ vnctionis, per quam ad luctam homo chriſtianus, vt agoniſta paratur: propterea nemini quantumuis ſancto hinc abire licet, niſi his communito ſacramentis. B Promiſit enim Chriſtus in Apocalypſi, ſe daturum manna, non omnibus, ſed in agone victoribus, dicens. *Vincenti dabo manna abſconditum, & nomen nouum.* Quo ſane mannæ vocabulo Interpretes non ignobiles, ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum in eo loco ſignificari volunt.

A

Sacramentorum etenim vſus Chriſtianis omnibus, & Dei ſeruis eſt adeo neceſſarius in fine vitæ; vt his in extremis caruiſſe, non dicam ſuſpicandum eſſe de illorum ſalute, quæ C in Dei manu eſt poſita; ſed ſaltem nulla ratione agendum eſſe putarem de illorum cultu Beatificationis, aut Canonizationis; niſi certò conſtaret, Dei ſeruum, aut famulam, omnia in extremis ſaltem petijſſe, ſuſcepiſſeque pro loco & tempore ſacramenta. Vt de S. Ambroſio legitur in Romano Breuiario his verbis. *Antequam in morbum incideret, mortis ſuæ diem prædixit. Ad quem ægrotum Honoratus Vercellenſis Epiſcopus, Dei voce ter admonitus accurrit; eique ſanctum Domini* D *corpus præbuit: Quo ille ſumpto conformatis in Crucis ſimilitudinem manibus orans animam Deo reddidit.* Idipſum legitur in actis aliorum ſeruorum Dei, imo ferè de omnibus Confeſſoribus apud Surium.

Sed ab hac regula excludendæ ſunt cauſæ, in quibus de Martyribus agitur. In his enim cum mors violenta à Tyranno illata Sacramentorum vſui locum aliquando minimè

præ-

A præbeat, & extremæ quoq; vnctionis Sacramentum his non ſit conferendum, qui morte violenta hinc mittuntur: maioremq; hac dilectionẽ nemo habeat, quàm qui animã ſuam pro Chriſto ponit: propterea his cultum deberi quocunque modo diem clauſerint extremum, non eſt dubitandum. In alijs verò Dei ſeruis pœnitentiæ, Viaticique, & extremæ vnctionis vſus in extremo vitæ exquiri debet. Et ratio eſt manifeſta, quia cum horum ſeruorum Dei acta fidelibus vnà
B cum cultu in exemplum ſint proponenda: & peſſimi exempli ſit in Eccleſia, fidelem aliquem ex hac vita diſceſſiſſe ſine viatico, atque vnctionis, ac pœnitentiæ ſacramentis; dummodo licuerit; propterea de cultu, ac veneratione talium ſic defunctorum minimè agendum fore arbitror.

Sancti enim Patris Auguſtini doctrinæ, & exempli in hoc caſu meminiſſe oportet: de cuius in extremis pœnitentia legimus hæc. *Itaque cum diſceſſum è vita ſibi inſtare intelli-*
C *geret; pſalmos Dauid, qui ad pœnitentiam pertinent, in conſpectu poſitos profuſis lacbrymis legebat. Solebat autem dicere, neminem, & ſi nullius ſceleris ſibi conſcius eſſet, permittere debere, vt ſine pœnitentia migraret è vita.* Nam & electionis vas, licet ſanctiſſimum, & Apoſtolatus dignitate præfulgidum, de ſeipſo tamen dicebat. *Nihil mibi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Pœnitentiæ igitur Sacramentum in expiationem culparum, ab omnibus quantumuis pijſſimis vi-
D ris, inſtante obitu expeti debet, eoque expiari, tunc maximè ſtudendum eſt fidelibus; cum diſceſſum è vita ſibi inſtare illi ipſi intelligunt, pugnæ nimirum terminum, ac victoriæ canendæ tempus.

In extremo vitæ agone Sanctiſſimos in Eccleſia viros prædictis ſacramentis ſe communiuiſſe acta illorum teſtantur: & Summi Pontifices in Canonizationibus Sanctorum ad Sanctitatis notam idipſum aduertunt, ac referunt. Ita

Bonifacius Octauus in Bullâ *Gloria laus* lata pro Canonizatione S. Ludouici Regis Franciæ: cum retuliſſet illius labores, ac infirmitates, ſubintulit. *Qui elapſis aliquibus infirmitatum ipſarum diebus, violentia ſuperatus, Sacramenta Eccleſiaſtica cum ſumma deuotione recepit.* Ioannes quoque XXII. in Bulla *Sol oriens* lata pro Canonizatione S. Ludouici Epiſcopi Toloſani, de hoc ipſo Sacramentorum pio vſu loquẽs §. 18. ait. *Demum glorioſus iſte Sanctus, curſu vitæ conſummato feliciter ad Deum fontem viuum, quem auidè ſitierat, migraturus, infirmitate decumbens vltima, deuotiſsimè ſumpſit corpus Dominicum, & quãuis debilis de lecto exiliens in occurſum Domini Saluatoris.* Et in Bulla *Redemptionem miſit* lata ab eodem Pontifice pro canonizatione S. Thomæ Aquinatis, huius ſanctiſſimi viri extrema referens §. 6. ait. *Cumque in eadem infermitate (de qua obijt) Sanctiſsimi Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus in cibum ſumendum ſibi, vt viaticum deferretur, totus profuſus in lachrymis, dulci amore eiuſdem anima aſſueta, dulcedine Dei liquefacta, inter cætera multa, & decora, quæ protulit, hæc vel ſimilia fidei, & deuotionis verba toto illius monaſterij Conuentu, multiſque dictorum prædicatorum, & minorum Ordinum aſsiſtentibus fratribus, eructaſſe refertur. Ego de iſto Sanctiſsimo corpore Domini noſtri Ieſu Chriſti & alijs Sacramentis multa docui, & ſcripſi in fide Ieſu Chriſti, & S. Romanæ Eccleſiæ, cuius correctioni cuncta ſubijcio, cuncta ſuppono. Recepto deinde ab ipſo eodem viuifico ſacramento, cunctiſque alijs ſacramentis Eccleſiæ debita veneratione, cum lachrymarum effuſione ſuſceptis, tertio die obdormiuit in Domino.* Videatur Leo X. in Bulla *Excelſus Dominus* lata pro Canonizatione S. Franciſci de Paula, qui de ſacramentorum in extremo deuoto vſu, & receptione illum quàm maxime collaudat §. 33. Idipſum de S. Hyacintho & de S. Raymũdo Clemens Octauus. Et de S. Carolo Paulus Quintus teſtantur.

Nec

A Nec ſolùm extrema ſeruorum Dei acta ſunt obſeruanda;
ſed etiam verba, & ſuſpiria, ſi quæ protulerint: per hæc enim
affectus cordis ſubodorari queunt; vt fidei puritas, charita-
tis ardor in Deum, & proximum, atq; Ieſu Chriſti amor, &
alia dignoſcantur, ſine quibus nec ſalus expectari, nec vitæ
æternę fęlicitas adipiſci poteſt. Contingit enim plerunque, vt
zelo chriſtianę fidei, & ex Ieſu Chriſti feruēti amore, Dei ſer-
ui morituri, ſui ipſius quodãmodo obliti, de aliorum ſalute in
B agone poſiti ſint ſolliciti, ac propterea in exhortatoria verba
ad aſtantes aliquando prorumpant. Quēadmodum legimus
feciſſe S. Iacynthum Polonum Ordinis S. Dominici; de
cuius extremis Clemens Octauus in Bulla *Benedictus Pater.*
lata in eius Canonizatione §. 15. hæc habet. *Quo quidem
vitæ genere*, ſanctiſsimo nimirum, *ad quadraginta propemo-
dum annos perducto, cum tandem cuperet diſſolui & eſſe cum
Chriſto in vigilia feſtiuitatis Aſſumptionis*, & ſtatim loquens
C de fratribus ſui monaſterij, *eoſque appropinquantis ſui diſceſſus
nuncio percuſſos, amantiſsimè conſolatus in Chriſto perpetuo va-
lere iuſsit*. Leo quoque Decimus in Bulla *Excelſus Dominus*.
lata pro Canonizatione S. Franciſci de Paula, de felici obitu
huius ſerui Dei verba faciens deque his, quæ poſtremo ha-
buit, verbis ad Religioſos ſui inſtituti habet §. 34. *Poſtero au-
tem die cum idem Beatus, fideliſque Dei ſeruus inſtare vide-
ret quò ſibi ex hac lachrymarum valle migrandum erat; dictos
D fratres ſuos ad ſe conuocari iuſsit, eoſque ad fraternam pacem,
mutuamque charitatem, dulciſsimis verbis, ac ſalutaribus mo-
nitis charitatiue exhortatus eſt; illiſque benedictione more ſolito
impertita, cum iam nonageſimum primum annum feliciter imple-
uiſſet, anno &c.* Bonifacius etiã Nonus, qui canonizauit San-
ctam Brigittam, de illius obitu, qui Romæ accidit, in Bulla
Ab Origine lata pro canonizatione Dei famulæ, habet § 44.
Et cum fuiſſet annum ſeptuageſimū ſubingreſſa, adueniente iam

termino prænunciato, vocata familia, quæ fieri oporteret edi- A
xit: ac demum Birghero filio, & Catharina filia tunc ſuperſti-
tibus accerſitis, & de multis commonitis, vt ſuper omnia in
Dei timore, & amore proximi, ac ſanctis perſeuerarent operi-
bus &c. Ex quibus ſanè ſeruorum Dei exemplis, ac monitis
planè conſtat Deum, quantùm diligerent, & quanto amore
proximos proſequerẽtur: eorũ enim ſaluti inhiantes extremo
in agone conſtituti, nihil de ſe ipſis ferè ſolliciti, diuinæ po-
tius gloriæ, & proximorũ ſaluti quàm propriæ ſtudent. Quæ B
quidem extrema verba, & ſanctæ commonitiones, Chriſtia-
næ perfectionis ſigna ſunt: & actus ſic eliciti, à quadam
voluntate, Dei & charitate proximi inflãmata proueniunt.

Sed quia in extremo agone non decet Dei famulum, ac
famulam ſui obliuiſci; preces quoque, & orationes, quibus
Chriſto ſe commendant, in illorum actis attendenda ſunt.
Nec ſolùm verba conſideranda, ſed etiam quo feruore, quo
ſpiritu, & quanta intellectus claritate in verba, & preces pro- C
rumpant. Hęc enim ſunt poſtrema ſanctitatis exempla, fide-
libus in Eccleſia à Dei ſeruis relicta. Quamobrẽ in informa-
tionibus, & proceſſibus, qui de aliquo Dei ſeruo ad Beatifi-
cationis, ſeu Canonizationis effectum fabricantur, hæc po-
ſtrema verba conſideranda, diligentiſsimeque inueſtiganda
fore arbitror: quod Summos Pontifices omnes feciſſe con-
ſtat cum his, quos in Sanctorum Catalogo deſcripſerunt, vt
ex eorum Canonizationum Bullis colligitur. D

Et quia Chriſtianę Religionis conſuetudo eſt, ex inſtitutis
Sanctæ Eccleſiæ, morientibus Crucem, Chriſtique crucifixi
imaginem oſculandam præbere: vt in oſculo Crucis, nimi-
rum in ſpiritu viuifico ex Chriſti meritis fideles diem clau-
dant extremum, & à mortali ad immortalem ab eo ſuffulti
tranſeant vitam: hinc Innocentius III. in Bulla *Quia pie-
tas* lata pro Canonizatione S. Homoboni Cremonenſis de

illius

A illius felici obitu, ait. *Ducto autem ſic vitæ Sanctæ curriculo, cum ad matutinale officium, prout dictum eſt, in feſtiuitate S. Brictij ſurrexiſſet, circa miſſæ primordia, idem ſe ante Crucem dominicam more ſolito in oratione proſternens, dum cantaretur hymnus angelicus beato fine quieuit.* Et Leo X. in agone ſeruorum Dei ſingula diligenter fore attendenda conſiderans, tempus, horam, & modum obitus Sancti Franciſci de Paula deſcripſit: nec ſolùm verba, ſed motus oculorum, B manuum diſpoſitionem, oſcula, & quæcunque ad perfectionem chriſtianam in agone demonſtrandam pertinent, quaſi delineauit in Bulla *Excelſus Dominus*. Vbi, cũ de felici obitu S. Franciſci de Paula, deque illius erga Dominicam Crucem amore, ac deuotione: quàmque deuote ſalutis noſtræ inſtrumento, nimirum Cruce, in extremis vteretur, habet. *Anno à partu Virgineo milleſimo, quingenteſimo ſeptimo, Aprilis vero die ſecunda, quæ tunc fuit paraſceue Veneris Sancta nun-* C *cupata, circa horam qua pro nobis Chriſtus paſſus eſt, ſigno ſanctæ Crucis deuotè ſignatus, omnibusq; ſacramentis Eccleſiaſticis debite communitus, perlecta coram eo dominica paſsione, iunctis deuote manibus, erectisq; in cælum oculis, ſanctæ Crucis triumphum piè amplectens, reuerenterque ac ſæpius in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, aliasq; pias orationes repetens, dimiſſa huius carnis ſarcina, quaſi viuens abſque aliquo doloris, aut mortis notabili ſigno migrauit ad Chriſtum.*

D Sixtus etiam Quintus, qui canonizauit B. Didacum Complutenſem ex Ordine Minorum; de illius obitu in Bulla *Rex Regum* §. 15. poſtquam nonnulla retuliſſet de ſerui Dei humilitate, ac reliquis virtutibus, tandem ſubintulit. *Quibus copiosè collachrymantibus*, loquitur de aſtantibus, *ipſe Cruce lignea, quã ad caput habebat, arrepta, eamq; amplexus & oſculatus, vtroque brachio in altum fortiter ſublato, cum tum alterum graui apoſtemate tumens, ac debilitatum antea mouere non*

potuiſſet, oculisq; in vitale lignum defixis, verba illa ex ſacro A
hymno, magno affectu, magnoq; pietatis Spiritu pronunciauit: Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna portare Regem cælorum, & Dominum. Quæ cum dixiſſet, in ipſo ſalutiferæ Crucis complexu, quam vnicè dilexerat, quam in corde, & corpore ſemper geſtauerat, in qua Chriſtus crucifixus fuerat, animam efflauit, & in Domino obdormiuit. Sic etiã Innocentius Quartus in Bulla *Magnis & crebris &c.*
lata pro Canonizatione S. Petri Martyris de eius extremis B
verbis ait. *Ipſo quoque ſacrilego percuſſuras in Chriſti miniſtrum geminas inculcante, ille non querulosa voce murmurans, ſed ſufferens omnia patienter, ſuum Domino Spiritum commendabat, dicens. In manus tuas Domine cõmendo Spiritum meum. Symbolum etiam cæpit dicere fidei; cuius nec in hoc articulo deſijt eſſe preco, pro vt ipſe nefandus, qui à fidelibus captus fuit; & quidam frater Dominicus, qui comes illius erat, & ab ipſo*
lictore percuſſus diebus aliquibus ſuperuixit; poſtea retulerunt. C
Quod itidem feciſſe S. Ludouicum Franciæ Regem Bonifacius Octauus teſtatur in Bulla *Gloria laus:* in qua de obitu Sancti Regis §. 25. ait. *Ac inſtante ſibi veroſimiliter hora mortis, oratione pro exercitu chriſtiano præmiſſa, ſuam Domino deuotis precibus animam recomendans, ac litteraliter exprimens verba ſequentia, videlicet. Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, feliciter migrauit ad Chriſtum.* Et in Bulla
Ab Origine &c. de obitu S. Brigittæ verba faciens §. 47. ait: D
Cum vſque ad flatus emiſsionem ſua memoria integra perduraſſet; dum miſſa coram ſe celebraretur; poſt adoratum corpus Chriſti oculis eleuatis ad Cælum dicens. In manus tuas Domine commendo Spiritum meum. Vocanti benemeritam animã reddidit Creatori. Clemẽs Octauus in Bulla *Benedictus Pater* de morte S. Hyacinthi verba faciens; pietatiſque, ac ſanctitatis, deq; extremis, quæ edidit ſignis, habet §. 15. *Poſtridie igitur pijs,*

ac ca-

A *ac canonicis precibus recitatis, & ſacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis ſumma cum veneratione perceptis; cum verſum illum in extremo iam vitæ ſpiritu protuliſſet, In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, in Domino obdormiuit.* Ex quibus ſanè locis allatis, perſeuerantia finalis in bono, & quàm felix ſit ſeruorum Dei ex hac vita exitus, quàmque diligentiſsimè in Canonizatione Sanctorum ſint ſeruorum Dei acta conſideranda, planè conſtat. Vt ex verbis, nutibus, ſuſpirijs ex

B feruenti Dei amore erumpentibus, ex ſufferentia ægritudinis ac dolorum, quibus ægritudines comitantur, ex ſuauitate & gaudio, gaudijq; externa ſigna, quibus ad cælum properant, & alijs, quæ in extremo vitæ agone Dei ſeruis contingunt; perfectionis Euangelicæ, quam Dei famuli, ac famulæ retinuerunt exemplaria, hæroicarumque virtutum ſigna vera agnoſcantur: & de illorum, illarumque ſanctitate, atque etiam

C de gloria æterna, qua fruuntur iudicium certò feratur.

D

SE.

SECTIO SEXTA. A

De notis, & ſignis Sanctitatis ex ſtatu cuiuſque ſerui Dei ſumendis.

VIAM aperire contendimus, per quam
in inquirendis, diſquirendis, atque exa-
minandis piorum virorum actibus, faci-
lis demonſtretur praxis: cum igitur in B
ſuperioribus ſectionibus de notis, & ſi-
gnis Sanctitatis ex virtutibus in genere,
& in ſpecie actum fuerit, & etiam de vir-
tutibus, quæ in his Dei ſeruis requiruntur, qui per glorioſam
confeſsionem ſæculum reliquerunt: nunc ad illarum praxim
virtutum deſcendimus quæ vnumquemq; Dei ſeruum iux-
ta ſuæ profeſsionis ſtatum, & conditionem reſpiciunt. Nam
quamuis in quibuſcunque Dei ſeruis Beatificandis, vel Ca- C
nonizandis virtutum actus tàm Theologalium, quàm Car-
dinalium in gradu heroico requirantur; virtuteſq; tanto af-
fectu ſe inuicem complectantur; vt minimè dari queat, vnius
virtutis habitus, quin etiam reliquarum virtutum habitus in
eodem Dei ſeruo, aut famula reperiantur; ſunt tamen ali-
quæ virtutes, & virtutum actus ſtatui, atque profeſsioni cu-
iuſque Chriſtiani reſpondentes: vt propterea, licet is de
cuius pietate, ſanctitate, atque miraculis quæritur, omnium D
virtutum habitus habuiſſe par ſit credere; qui habitus loco,
& tempore in actus erumpant; hi tamen virtutum actus in
ſpecie inquærendos, inueſtigandoſq; arbitror in quacunque
inquiſitione, qui reſpondeant profeſsioni, atque ſtatui eius
Dei ſerui, de quo agetur. Ex his enim quiſque Dei ſeruus
ratione profeſsionis, conditionis, & ſtatus plures elicere
actus cogitur: & hinc accidit, vt aliquis Dei ſeruus in vna

potius

A potius virtute quàm in alia, & alter in aliqua alia virtute magis ſplendeat: atque ideo in præſenti Sectione diuerſos conſiderando ſeruorum Dei ſtatus: quæ virtus vnicuique ſtatui magis correſpondeat; & quæ ſanctitatis ſigna ex illis hauriantur contemplanda ſuſcepimus.

CAP. I.

B De notis, & ſignis Sanctitatis Præſulum in Eccleſia.

HOC Capite de notis, & ſignis Sanctitatis Præſulum Epiſcopalis, ac Pontificalis ſtatus complectitur, atque etiam reliqui ſuo modo, qui miniſterio Eccleſiæ cum Animarum cura præficiuntur, & etiam qui vnà cum anima-
C rum cura bonis Eccleſiaſticis perfruũtur; aut eadem habent in adminiſtrationem. Quapropter ad hoc caput reuocanda erunt, quæ conſideranda occurrent in actis alicuius Dei ſerui Pontificis, Cardinalis, Epiſcopi, vel Abbatis habentis iuriſdictionem Epiſcopalem, ſiue quaſi Epiſcopalẽ, etiam ſi fuerit Abbas Commendatarius, vel aliqua alia dignitate Eccleſiaſtica in Cathedrali, vel Parrochiali Eccleſia conſtitutus; cui dignitati ſit annexa cura Animarum, vel prouentus Eccle-
D ſiaſtici, vel vtrumque ſimul.

Sed antequam vlterius progrediamur, de Prȩſulibus loquẽdo duplicem habere oportet reſpectum: vel enim is, de quo agetur, antequam ad Prælaturam Eccleſiaſticam aſſumeretur, aliquem regularem ordinem profitebatur; vel à laico ſtatu ad epiſcopalem fuit promotus: etenim ſi fuit Regularis, in eius actis attendendum erit, qualiter ſe geſſerit in obſeruantia inſtituti, quod profitebatur: conſiderando acta il-

lius, non ſolùm antequam ad Epiſcopalem dignitatem aſſu- A
meretur; ſed etiam quæ acta fuerint ab eodem poſt promotionem ad Præſulatum. Religioſi autem ad Cardinalatum, Epiſcopatum, Abbatiam, vel aliam quamcunque Eccleſiaſticam dignitatem extra ordinem aſſumpti, veri Religioſi remanent: vt colligitur ex Gloſſa in cap. 3. 16. q. 1. & ex cap. vnico 8. q. 1. Et Regulares ad prædictas dignitates aſſumpti, à votis obedientiæ, paupertatis, caſtitatis, & alijs in profeſſione emiſsis non abſoluuntur. Quia cũ vota prædicta ſint de B
eſſentia veri Religioſi, cap. *cum ad Monaſterium* in fine, de ſtatu Monach. & tales ſic aſſumpti exiſtant veri Religioſi: conſequenter ad obſeruantiam illorũ, quæ vouerunt in profeſsione tenentur; etiam dum ſunt extra Ordinem in dignitate aliqua conſtituti: ac propterea in actis talium ſeruorum Dei præter ea, quæ hic traduntur, inquirendum etiam erit an illa obſeruauerint, de quibus infra cap. 3. à nobis agetur ſi ſeruus Dei, de quo agitur Epiſcopus regularis, vel Cardina- C
lis regularis extiterit.

Vox iſta latina Epiſcopus, deſumpta eſt à Græco idiomate; eſt enim ἐπίσκοπος, idem quod à loco ſuperiori inſpector, & ſpeculator interpretatur, cap. *claros* verbo *Epiſcopatus*. diſt. 21. vbi ex Iſidoro lib. 7. ethim. cap. 12. hæc habentur. *Epiſcopatus autem vocabulum inde ductum, quod ille, qui efficitur Epiſcopus ſuperintendens, ſcilicet curam gerens ſubditorum ἐπισκοπεῖν enim græcè, latinè dicitur intendere. Epiſcopi autem græ-* D
cè, latinè Speculatores interpretantur. Nam Speculator eſt præpoſitus in Eccleſia dictus; eò quod Speculetur, & proſpiciat populorum infra ſe poſitorum mores, & vitam. Idem omnino docet Auguſtinus 19. de Ciuit. cap. 19. & refertur in cap. *Qui Epiſcopatum.* 8. q. 1. Quamobrem ſtatum epiſcopalem perfectionis eſſe iam diximus, ac oſtendimus ſect. 1. vbi cæteris perfectiorem omnibus ſtatibus, quicũque illi ſint etiam

Reli-

A Religioſorum Epiſcopalem ſtatum eſſe cum S.Thoma, & reliquis Theologis ad longum oſtendimus.

Cum enim inter homines ſtatus altior non exiſtat,aut dignior ſacerdotio, eo quod ſacerdos mediatoris inter Deum & homines fungatur munere, & Epiſcopus completus exiſtat ſacerdos; profectò ſtatus Epiſcopalis quocunque alio perfectior, ſanctior,& dignior erit. Licet enim titulus Capituli de Præſulibus loquatur; quo vocabulo tam Epiſcopus, B quàm Pontifex comprehenditur, Pontificiſque nomine ſolus communi vocabulo ſummus Petri ſucceſſor intelligatur: alterum tamen ab altero hic non diſtinguimus; ſed quæ dè Epiſcopo dicuntur; de Summis quoq; Pontificibus,de Cardinali,de Abbate de Commendatario,& alijs ſimilibus in dignitate conſtitutis quibus ſit annexa cura animarũ, & bonorum Eccleſiæ adminiſtratio,dicta fuiſſe putandum eſt. Nam virtutes eædem,quæ requiruntur ad ſanctitatem Epiſcopi,in C Summo quoq; Pontifice, eminentiori in gradu in Cardinali, & Abbate, ac in quocunque alio in Eccleſiaſtica dignitate conſtituto requiruntur. Et actus virtutum,quæ ſanctitatem Epiſcopi indicabunt, vbi in aliquo Summo Pontifice, Cardinali, aut Abbate ſæculari, vel regulari reperientur; eorum quoque Sanctitatem demonſtrabunt.

Eſt autem Sanctitas cuiuſcunque Epiſcopi,Cardinalis,aut Abbatis ſæcularis, ſiue alterius Præſulis, bona Eccleſiaſtica D poſſidentis, exploranda, & dignoſcenda duobus præſertim ex Capitibus: ex virtutibus nimirum proprijs: & ex ſtudio in perficiēdo cuncta,quę ſunt proprij muneris. In Epiſcopo enim, & quocunque alio Præſule, virtutum actus in gradu heroico magis quàm in reliquis Dei ſeruis eluceant neceſſe eſt. Non enim ſufficit ad Præſulũ Sanctitatem,quòd Epiſcopus, Archiepiſcopus, Patriarcha & ſimiles Dei miniſtri ratione dignitatis in ſtatu perfectionis exiſtant; ſed neceſſe eſt,

vt in

vt in omnibus virtutum generibus ſint omnino perfecti; tam A
reſpectu ſui ipſius, & in regimine propriæ domus, quàm etiam reſpectu aliorum, præſertim ſui gregis, & animarum, quarum cura eiſdem commiſſa fuerit. Et virtutum quidem omnium euangelicarum, quaſi congeriem quandam in Epiſcopo requiri, innuit illud Petri Apoſtoli dicentis; Epiſcopos gregis ſui formam eſſe debere. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei* inquit; *prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè; neque domi-* B
nantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Idipſum Paulus præcipiebat Timotheo; præſcribens illi, qualis eſſe deberet in Epiſcopatu. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, & caſtitate.* Ita ibi. 1. ad Timot. cap. 4. & ad Titum cap. 2. *In omnibus* inquit *te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate.* Vox autem græca τύπον ibi ponitur quia, vt ait Hieron. in comment. ad Tit. *Optat Paulus, vt Timotheus,* C
& quicunque alius Prælatus, inſtar ſit Archetypi, ſiue primariæ formæ, ex qua viua virtutum ſimulachra, lineamentis vitæ honeſtæ in ſe tranſlatis exprimantur.

Hinc dicebat Apoſtolus. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* In qua quidem Apoſtoli ſententia, illud verbum *oportet* tanti eſt ponderis, vt vix exprimi queat ac interpretari. Theophilactus dicit. Omni virtute conſpicuum eſſe debere epiſcopum, ita ſcilicet vt neque interius à ſe ipſo, neque D
exterius ab alijs reprehendi poſſit. *Quare ſi quis,* inquit, *ſibi ſit peccatorum conſcius, non deſideret Epiſcopatum. Præſidem enim, ac Principem veluti ſtellam, & illuminatorem decet eſſe: vt ad ipſum omnes defigentes oculos illuſtrentur, atque ducantur in viam rectam.* Et quidem ipſemet Apoſtolus ſeipſum expreſſit, ac declarauit aperiens quid in verbo *irreprehenſibilis* ſignificare voluerit, ſubinferens. *Oportere Epiſcopum eſſe vnius*

vxoris

A *vxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui bene præpoſitum*. & infra. *Oportet autem illum, & teſtimonium habere bonum ab ijs, qui foris ſunt*. Plura Patres, ac Doctores docuere de virtutibus; quæ in Epiſcopi vita, actis, ac moribus elucere debent; à nobis breuitatis gratia omittuntur: illud vnum affirmantes, quod virtutes allatæ, ſi congeſtæ appa-
B reant in Epiſcopo, præclarum Sanctitatis ſpecimen in Dei ſeruo præſeferunt, & redolent ſanctitatem.

Etenim quoad notas Sanctitatis, prædictarum virtutum congeriem in Epiſcopo requiri, à quadam quaſi neceſſitate, cum de alicuius Præſulis Canonizatione agendum erit, argumento me iudice ſatis aperto comprobatur: ex verbis nimirum Apoſtoli, præſertim ex illo τὸ *Oportet*: quod vocabulum neceſſitatem ſimpliciter ſimplicem, vt loquamur
C cum Theologis, indicat. Ad cuius neceſſitatis comprobationem accedit communis Eccleſiæ conſideratio; quæ ſeruorum Dei Epiſcoporum acta referens, conſueuit in Breuiario Romano virtutum congeriem recenſere. Vt de S. Nicolao Miræ Epiſcopo legitur ſub die 6. Decembris: ad cuius ſanctitatem comprobandam in Romano Breuiario hæc habentur. *In Epiſcopatu caſtitatem, quam ſemper coluerat, grauitatem, orationis aſſiduitatem, vigilias, abſtinentiam, libe-*
D *ralitatem, & hoſpitalitatem, in adhortando manſuetudinem, in reprehendendo ſeueritatem perpetuò adhibuit*. Et de ſplendidiſsimo Eccleſiæ lumine Auguſtino (cuius Regulæ in Eremitarum Ordine cum me ipſum dediderim, Patremque veneror) ſic in Romano Breuiario legimus. *Nihil illo fuit humilius, nihil continentius; lectus, ac veſtitus moderatus, vulgaris menſa, quam ſemper ſacra vel lectione vel diſputatione condiebat: fœminarum, & in eis ſororis, & fratris filiæ*

contu-

contubernium, familiaritatemq; vitauit: quippe qui diceret; & ſi propinquæ mulieres ſuſpectæ non eſſent; tamen quæ ad eas ventitarent, poſſe ſuſpicionem afferre. Quæ dicta ſufficiant, ne innumerabilia congerantur teſtimonia ad Epiſcoporum ſanctitatem comprobandam, ex plurimarum virtutum congerie. Cum ſatis conſtet, nullius Epiſcopi ſanctitatem in Eccleſia comprobari, de quo prædictarum virtutum congeries in medium non afferat Eccleſia. Propterea ſummos etiam Pontifices in ſanctorum Epiſcoporum Canonizationibus, ad eorundem ſanctitatem comprobandam, prædictam virtutum congeriem conſueuiſſe afferre ex Bullis editis conſtat. Nam Vrbanus IV. in Bulla *Exultat angelica* lata pro Canonizatione S. Ricardi Epiſcopi Ciceſtren. de illius ſanctitate, & virtutum congerie loquens ait. *Ex tunc* ideſt, ex quo factus eſt Epiſcopus, *ei fuit pauperum cura maior, habitus abiectior, geſtus, & affectus humilior: ex tunc ipſe in perſecutionum perpeſſione fortior, in libertatis Eccleſiaſticæ defenſione conſtantior, in iuſtitiæ cenſura inflexibilior, in oratione feruentior, in eleemoſynarum largitione profuſior, in proprij corporis caſtigatione rigidior, diſtrictior in obſeruantia diſciplinæ, in carnis, & ſpiritus lucta prudentior.*

At quia non ſufficit ad Sanctitatem Præſulis virtutum congeries; ſed oportet, vt ſint Sancti etiam per reſpectum ad alios: propterea etiam conſiderandi erunt Epiſcoporum actus per reſpectum ad proximos, præſertim ſubditos, atque inſpiciendum, quænam argumenta ſanctitatis ex regimine Eccleſiæ ſumantur; & ex obſeruantia non ſolùm eorum, quæ ſunt ſui muneris; ſed etiam illorum, quæ ab Epiſcopo in propria conſecratione promittuntur obſeruanda etiam cum iuramento præſtito in manu Summi Pontificis, ſiue alterius eius miniſtri. Quæ omnia inſpicienda veniunt ab his, qui proceſſus fabricant de actis alicuius ſerui Dei Epiſcopi,

Car-

A Cardinalis, Abbatis, & cuiuſcunq; alterius Præſulis. Et ad duo quidem principaliora capita reuocantur, quæ ad notam ſanctitatis Epiſcopi pertinent in regimine Eccleſiæ, nimirum ad curam animarum, ouiumque ſibi commiſſarum, & ad miniſtrationem bonorum Eccleſiaſticorum eidem ex ſuperiorum indulgentia creditorum. Ad quæ duo capita tota ratio ſanctitatis Epiſcopalis reuocari puto, vt qui hæc iuxta ſacrorum canonum normam perfecerit, profectò de illius ſan-
B ctitate minimè ſit ambigendum.

In actis igitur Epiſcoporum, Cardinalium, Abbatum, & reliquorum ſeruorum Dei, habentium Iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem cum cura animarum, de quorũ Canonizatione, & Beatificatione agetur; plurimum faciet ad illorum virtutes inueſtigandas; (Quaſi totius ſanctitatis ac perfectionis priora elementa.) conſiderare, qua ratione is, de quo agitur, ad Epiſcopatum, vel Cardinalatum, aut
C ad quamcunque aliam dignitatem Eccleſiaſticam peruenerit; quibus nimirum actibus, quibusve medijs: & an verè ad Epiſcopatum vocatus *à Deo tanquam Aaron*, iuxta doctrinam Apoſtoli ad Hebræos cap. 5. aſcenderit. Loquitur enim ibi Apoſtolus de Epiſcopis, & ſacerdotibus in dignitate cum animarum cura conſtitutis: de his nimirum qui ex hominibus aſſumuntur, vt ſacrificijs & precationibus pro hominibus cum Deo agãt; quibus quoq; curæ datũ eſt ſub-
D ditos inſtruere, ac illis ipſis compati, ſi peccauerint. *Omnis nãque Pontifex* inquit Apoſtolus *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus cõſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum; vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis: qui condolere poſsit ijs, qui ignorant, & errant*. Qua ratione verò quiſque debeat ad Epiſcopatũ peruenire innuit Apoſtolus docens, nemini licere ex negotiatione, quantumuis minima, ad eam peruenire dignitatem, niſi à Deo vocatus, quemadmodum Aaron in veteri

Eccleſia ad dignitatem ſummi Sacerdotij electus, aſſumptus, A
& vocatus fuit. *Nec quiſquam*, inquit, *ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Et adeo ſtrictè ac rigorosè procedit in hoc Apoſtolus: vt poneret in exemplum huius doctrinæ Chriſtum Seruatorem noſtrum; qui, quamuis eſſet filius Dei, Sacerdotij tamen dignitatem, & facultatem offerendi ſacrificia pro hominibus, ſibi nequaquam auſus eſt aſſumere, niſi ex æterni Patris decreto. *Sic & Chriſtus* inquit, *non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret: ſed qui* B
locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. ille ipſe Pater ſacerdotem eundem conſtituit. *Quemadmodum & in alio loco dicit. Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum Ordinem Melchiſedech.*

Neque ſolú prohibitum eſt quibuſcunq; negotiationibus Epiſcopatum ſibi ipſi procurare: ſed nec conceditur alicui Epiſcopatum appetere, ex doctrina D. Th. 2.2. q.85. art. 1. Nam licet ad proximorum vtilitaté laudabilem eſſe doceat C
D. Thomas appetere Epiſcopatum; & huiuſmodi appetitum ad eum finem directũ à mortali excuſet: non tamen qui ſic Epiſcopatũ appeteret, omnino à peccato præſumptionis excuſaretur. Hanc ipſam doctrinã habent Angelus & Silueſter in verbo *Epiſcopus*. Sed Pater Auguſtinus abſolutè negat licere Epiſcopatũ appetere: eius verba referuntur in cap. *Qui Epiſcopatum* 8. q. 1. & ſunt hæc. *Locus ſuperior ſine quo populus regi non poteſt, etſi ita retineatur, atque adminiſtretur vt* D
decet, tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium ſanctum quærit gratia veritatis, negotium iuſtum ſuſcipit, neceſsitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ veritati vacandum eſt. Ex quibus liquet, debere vnumquemque ex fidelibus vitam ducere in exercitio virtutum Euangelicarum, nec aliqua ratione ſe intromittere ad onus cum cura animarum.

Quoties

A Quoties igitur acta Epiſcoporum, aut ſimilium ſeruorum Dei conſideranda erunt per reſpectum ad Beatificationem, vel Canonizationem, attendendum primo occurret: an appetentia Præſulatus captus, is de quo agitur, ad eam dignitatem peruenerit; ne dicam negotiatione, quæ omnino illicita eſt. Præſulatum autem, vel dignitatem non appetiuiſſe colligitur ex eo, quod inuitus, nolens, aut ad eam minime adſpirans, munus reluctando ſuſceperit fidelis Dei famu-B lus. Et qui hac ratione ad Epiſcopatum, aut ſimilem dignitatem Eccleſiaſticam promouetur, vocatur à Deo tanquam Aaron: atque ſpeciali auxilio à Deo dona certò certius conſequetur; quibus illam dignitatem rectè adminiſtret: vtpote qui in ea adminiſtranda non quæſiuit, quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti: quia, non vt ſibi conſuleret, ſed vt Deo inſeruiret, & Chriſtum ſequeretur, dignitates acceptauerit.

C Hæc eſt potiſſima ratio, cur in actis ſanctorum Epiſcoporum, & Summorum Pontificum, quæ leguntur in Eccleſia; qua ratione in primis ad Pontificatum, ſeu Epiſcopatum peruenerint, enarrari conſueuit. Nam de S. Gregorio hęc habet Romanum Breuiarium. *Summo omnium conſenſu Pontifex eligitur: quem honorem ne acciperet, quandiù potuit recuſauit: nam alieno veſtitu in ſpelunca delituit: vbi deprehenſus indicio igneæ columnæ ad S. Petrum conſecratur.* Et de S. Nico-D lao ſcribitur in eodem Breuiario ſic. *Dei admonitu Myram, quæ Lyciæ metropolis erat, venit: quo tempore eius Vrbis Epiſcopo mortuo, Prouinciales Epiſcopi de ſucceſſore deligendo conſultabant. Itaque in ea deliberatione diuinitus admoniti ſunt, vt eum eligerent, qui poſtridie mane primus in Eccleſiam ingrederetur, Nicolaus nomine. Qua obſeruatione adhibita, in Eccleſiæ ianua deprehenſus eſt Nicolaus, & ſummo omnium conſenſu Myræ Epiſcopus creatur.* In actis quoque Ambroſij, quòd in-

uitus ad Epiſcopatum peruenerit, in Romano Breuiario ſcribitur his verbis. *Quare Ambroſius, pro officij ſui munere,* (erat enim Æmiliæ, ac Liguriæ Præfectus) *Eccleſiam ingreſſus, vt commotam ſeditionem ſedaret:* populus namque de Epiſcopi electione diſſidebat: *cum multa de quiete, & tranquillitate Reipublicæ præclarè dixiſſet, de repente puero Ambroſium Epiſcopum exclamante, vniuerſi populi vox erupit Ambroſium Epiſcopum depoſcentis: recuſante illo, & eorum precibus reſiſtente &c.* Quibus exemplis, & alijs pluribus, quæ breuitatis gratia omittuntur, planè conſtat in actis ſeruorum Dei Epiſcoporum, ad notam ſanctitatis plurimum facere, qua ratione quiſque ad eam dignitatem peruenerit aduertere. A B

De cura paſtorali populi, & animarum zelo quærendum quoque arbitror in ſanctitate alicuius Epiſcopi ad effectum Canonizationis contemplanda. Quæ quidem cum pluribus ex capitibus ſit exhaurienda, ex reſidentia in primis actuali in propria Eccleſia, ex diligenti cura familiæ, ex viſitatione accurata Diœceſis, & ex correctione ſuaui culparum gregis attendi debet. Ad hæc enim tenetur Epiſcopus ex ſacris canonibus: vt habetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 1. de reformat. in quo capitulo Epiſcopis reſidentia ſub ibi notatis pœnis iniungitur. Extant quoque Summorum Pontificũ conſtitutiones plures hac de cauſa latę, videlicet Pij IV. quæ incipit. *In ſuprema* ſub dat. 7. Calend. Decemb. 1564. & alia ſub Dat. 11. Maij 1565. & nouiſſimè prodijt conſtitutio à S. D. N. Vrbano VIII. quæ incipit *Sancta Synodus* ſub dat. 12. Decemb. 1634. Qua Cardinales etiam ad reſidentiam Eccleſiarum Epiſcopalium, quas adminiſtrant, coguntur. Stat etiam communis Doctorum ſententia, qui docent Epiſcopos, & Prælatos omnes habẽtes onus cum cura animarũ, teneri ad reſidẽtiam in proprijs Eccleſijs. Et licet à Doctoribus prolixè diſputetur, an reſidentiæ onus ſit iuris diuini, C D

A uini, an verò Pontificij: certum tamen cùm ſit, & indubitatum, Epiſcopũ teneri ad reſidentiam: & ſanctitas ſeruorum Dei, de quorum canonizatione agitur, ſub opinione venire non deceat; ex conſequenti ad notam ſanctitatis alicuius Epiſcopi diligentiſſimè ſumendæ erunt informationes, & habendæ inquiſitiones de reſidentia in propria Eccleſia.

A reſidentia Eccleſiæ tranſeundum eſt ad curam domeſticam, & conſiderandum in actis alicuius Epiſcopi, per reſpectum ad Beatificationem, & Canonizationem, quam inſtitutionem tenuerit Dei ſeruus Epiſcopus, & quiuis alter Prælatus circa domeſticam familiam, & qualiter cum eis ſe geſſerit. Dicit enim Apoſtolus. *Qui domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei curam habebit?* ideoq; Epiſcopus ſecum habere tenetur familiam bene inſtitutam, morigeram, & in chriſtiana doctrina quàm maximè educatam: boni quoque teſtimonij ſecum habere viros, Presbyteros videlicet, Diaconos, & alios bonæ famæ clericos, vt dicitur in cap. *Cum paſtoris* & in cap. *Epiſcopi* 2. q. 7. Cuius ſocietatis eam rationem Gregorius, & Paſchalis dictorum capitulorum auctores afferunt; vt vita paſtoris irreprehenſibilis probetur: atq; etiam vt qui vitam eius & mores in ſecreta conuerſatione cõtemplantur, ex viſione ſedulã exemplum profectus ſumant; & in euangelica perfectione habeant clerici, ac reliqui fideles quem imitentur. Quamobrẽ omnino à muneribus caueãt, D qui ſunt de familia Epiſcopi, nec aliquid recipere audeant ab his, qui domum Epiſcopalem negotiorum cauſa adeunt.

Cumque Epiſcopus, & quicumque alius Prælatus habens iuriſdictionem cum animarum cura, ſapientibus, & inſipientibus debitores exiſtant; tum ratione Eccleſiæ, cui præficiuntur; tum ratione decimarum, & aliorum bonorum Eccleſiæ ſibi collatorum: teneatur quoque ſubditorum cauſas audire, & iudicare Præſules; propterea in actis Epiſco-

porum per reſpectum ad Beatificationem, & Canonizationem inueſtigare oportet: an is de quo agitur fuerit negligẽs, an ſollicitus in præſtando audiẽtiam, & in audiendo neceſſitates ſubditorum, pauperum præſertim, & peregrinorum; qui multoties niſi citò expediãtur propter expenſas, quas ſuſtinere omnino nequeunt, re infecta recedere coguntur: quamobrem niſi audiantur, & ſtatim dimittantur, non ſolùm diſpendium in bonis, ſed multoties etiam in perſona peregrini patiuntur. Epiſcopi igitur de hoc Deo rationem reddituros ſe ſciant; ac propterea ad proprium commodum reſpicere non debent, ſed commodum, & vtilitatem populi ſibi commiſſi, cuius bona comedunt: eiſque inſeruire cum proprio etiam incommodo tenentur, ne periculo peccandi mortaliter ſe ſubmittant, ſi ſubditos audire negligant. Hæc, & alia ſimilia, in quibus Epiſcopalis, ſeu Abbatialis ſtatus perfectio eſt poſita, diligentiſſimè inueſtiganda fore arbitror in fabricando proceſſu de virtutibus alicuius Epiſcopi, aut alterius Dei ſerui Præſulis, qui bona Eccleſiaſtica adminiſtranda ſuſceperunt: & cum his bonis curam etiam animarum ſuſtinuerũt. A B C

Altera nota perfecti regiminis in Epiſcopo ex diligenti, & accurata viſitatione Diœceſis; familiæ, ac propriè domus regimine ſumitur. Quia ad Diœceſanam viſitationem tenetur Epiſcopus ex ſacris canonibus ſemel in anno *cap. Decreuimus, & cap. Epiſcopum.* 10. *q.* 1. vt ſui gregis maculas præſens cognoſcat, & valeat corrigere, quæ fuerint corrigenda. Vt de S. Carolo in actis ipſius enarratur: in viſitatione namque & quacunque alia occaſione inſtructionem ſubditorum Præſul attendat neceſſe eſt: ideoque inueſtigandum erit; an hi Dei ſerui, de quibus agetur, diligẽtiam debitam tenuerint in viſitando Eccleſias; & illarum redditus, & earum reparationem, ſi opus fuerit; curauerint, tàm in fabricis, quàm in bo- D

A nis mobilibus, & immobilibus: item hoſpitalia, & illorum reddítus ac indigentias perſpexerint, non ſine diligenti pauperum cura, quæ Præſulibus commiſſa fuit. Sic etiam vigilare tenentur Epiſcopi, Abbas, Parochus, & alij Superiores, quibus cura Eccleſiarum commiſſa eſt; vt Templa, & Eccleſiæ cultiores reddantur; vt munditics ſeruetur circa altaria, & ornamenta ſacerdotalia, ac reliquorum miniſtrorum, qui Eccleſijs inſeruiunt: circa diuina officia pariter in-
B uigilare Prælati tenentur; vt temporibus debitis cum decore, atque grauitate iuxta ſacros canones, horæ canonicæ tàm diurnæ, quàm nocturnæ deuotè recitentur.

Epiſcopus, quia ex munere prædicare Euangelium ſibi commiſſis ouibus tenetur; propterea lectioni & orationi vacare debet, vt dicitur in *cap. Epiſcopi. 2. q. 7.* Id enim eſt primum caput ad quod ſe ligat Epiſcopus, idq; promittit in ſua conſecratione, in qua ab Epiſcopo conſecrante ſic interroga-
C tur. *Vis ea, quæ ex diuinis ſcripturis intelligis, plebem, cui ordinandus es, & verbis docere, & exemplis?* Tunc ille, qui conſecratur, reſpondet, *Volo.* Cum igitur in conſecratione Epiſcopus promiſerit docere plebem propriam verbis, & exemplis: manifeſtum, eſt eum teneri ex munere, non ſolũ exemplo, ſed etiam verbo ſacrum euangelium prædicare: præſertim verò vbi periculũ eſt hæreticalis infectionis, vigilandum erit Epiſcopo, ne oues ſibi commiſſæ alicuius ſtudio in aliquẽ
D errorem labantur; ſicque auertantur à ſanà doctrina, & euangelica diſciplina. Epiſcopus igitur, qui interdum ſuis ouibus euangelium non prædicauerit, à ſuo munere defeciſſe conſtat. Quia verò non ſolùm id per ſe ipſum curare debet, ſed etiam per alios; propterea in electione comminiſtrorum caueat Epiſcopus, ne aliquo cognationis, conſaguinitatis, vel ſeruitij recepti affectu moueatur Etenim in diſtributione beneficiorum Eccleſiaſticorum prouidere tenetur Epi-

ſcopus de Parochis præſertim, & ſacerdotibus ſcientia, & zelo animarum pręſtantibus, ad ſibi commiņiſtrandum in cura animarum: vt oues ei commiſſæ in ſana Chriſti doctrina inſtruantur; & peccata, ac vitia populorum, quorum cura illi concredita fuit, omnino extirpentur. A

Et quia in hac cura, ſollicitudine, & vigilantia ſanctitas Epiſcopi in primis elucet: quapropter quoties Eccleſia alicuius ſancti Epiſcopi celebrat officium, in recitandis eiuſdem actis, de hac vna vigilãtia meminit. De S. enim Gregorio Neocæſareæ Epiſcopo legitur in Romano Breuiario ſub die 17. nouembris. *Qui migraturus è vita cum quæſiſſet quot in Ciuitate Neocæſarienſi reliqui eſſent infideles, reſpõſumque eſſet, tantum eſſe ſeptendecim; Deo gratias agens, totidẽ, inquit, erant fideles cum cæpi Epiſcopatum.* Et de S. Ambroſio in Romano Breuiario legitur. *Factus Epiſcopus Catholicã fidem, & Diſciplinam Eccleſiaſticam acerrimè defendit, multoſque Arrianos, & alios hæreticos ad fidei veritatem conuertit; in quibus clariſsimum Eccleſiæ lumẽ Sanctum Auguſtinum Ieſu Chriſto peperit.* Similiter de S. Gregorio ſcribitur in eius actis, ac legitur in eodem Breuiario Romano. *Catholicam fidem multis locis labefactatam reſtituit: nam Donatiſtas in Africa, Arrianos in Hiſpania repreſsit. Agnoitas Alexandria eiecit. Pallium Siagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo dare noluit, niſi Neophytos hæreticos expelleret ex Gallia. Gothos hæreſim Arrianam relinquere coegit.* Hæc, & alia multa de hoc ſummo Pontifice in eius actis referuntur, ad eius ſanctitatem probandam ex Zelo fidei Catholicæ, & Euangelij prædicatione. Similiter de S. Patre Auguſtino hæc leguntur in eius actis ex Romano Breuiario. *Nullum finem fecit prædicandi Dei verbum, niſi graui morbo oppreſſus. Hæreticos, & coram, & ſcriptis, ac nullo loco paſſus conſiſtere. Africam à Manicheorum, Donatiſtarum, Pelagianorum, aliorumque præterea hæreticorum errore* B C D

A *magna ex parte liberauit*. Ex quibus ſanè liquet, zelum Catholicæ fidei in prędicatione Euangelij, notam ſanctitatis eximiam præſtare in Epiſcoporum actis.

Nouerunt hoc ſummi quoque Pontifices; & ob id in Bullis latis in Epiſcoporum Canonizatione de hoc zelo meminerũt. De quo maximè commendatur S. Staniſlaus ab Innocentio IV. in Bulla *olim à gentilium*. his verbis. *Cum enim idem in ſortem Pontificalis miniſterij dignè vocatus à Domino* B *ſuper Gregis ſibi commiſſi prudenter cuſtodiam vigilaret; hoſtium ſagaciter explorauit inſidias, malignantium anticipauit conſilia; emulique noſtri deprehendens laqueos, ipſius cautè retiacula diſſoluebat.*

Tenetur etiam Epiſcopus corrigere defectus, & culpas ſuorum ſubditorum: id autem omni cum charitate, amore, & feruore facere debet, iuxta illud Pauli ad Titum. *Argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.* Eſt autem increpa- C re culpas, & peccata ſubditorum *in omni patientia*; reprehendere, charitatiuè, & ſuauiter compatiendo infirmitatibus ſubditorum: *in ſpiritu lenitatis*, vt dicebat Apoſtolus *conſiderans te ipſum ne & tu tenteris*. Increpare autem cum doctrina eſt rationibus apertis oſtendere culpam erranti, vt ea cognita emendetur, & à culpa ſe retrahat. Hæc ſunt munera Epiſcopi; quæ exequi ſanctitatis eſt nota. *Charitas* enim, vt dicebat Apoſtolus *patiens eſt, benigna eſt, non quæ-* D *rit quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti*. Epiſcopus igitur, qui hæc præſtiterit ſanctitatis notam præcipuam præſeferet.

Hæc eſt præclariſſima doctrina S. Hilarij in cap. 27. commentariorum in Matth. explicans, quod dixerat Chriſtus de fideli ſeruo quem vigilare docuerat. *Quiſnam eſt* inquit *fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? Quamquam in commune nos ad indefeſſam vigilantiæ curam adhortetur; ſpecialem tamen populi Principibus, ideſt Epi-*

ſcopis

ſcopis in expectatione , aduentuque ſuo ſollicitudinem mandat. A
*Hunc enim ſeruum fidelem, atque prudentem Præpoſitum fami-
liæ ſignificat : commoda atque vtilitates commiſsi ſibi populi cu-
rantem . Qui ſi dicto audiens, & præceptis obediens erit ; ideſt
ſi doctrinæ opportunitate, & veritate infirma confirmet, diſru-
ptá conſolidet , deprauata conuertat, & verbum vitæ in æterni-
tatis cibum alendæ familiæ diſpendat ; atque hæc agens, hiſque
immorans ſtudijs, deprehendatur, gloriam à Domino, tanquam
diſpenſator fidelis, & villicus vtilis, conſequetur . Et ſuper om-* B
*nia bona conſtituetur ; ideſt in Dei gloria collocabitur: quia ni-
hil ſit vltra , quod melius ſit.*

Hanc ipſam ſanctitatis notam in Epiſcopo ex vigilantia
ſuper gregem ſuum reſpexit Innocentius Quartus in Bulla
olim à Gentilium lata pro Canonizatione S. Stanislai dicens.
*Hic nempè pro ſuis ouibus cor ſuum tradiderat ad vigilandum
diluculo ; vt ſi quem graui fortè deprehenderet tentatione con-
cuſſum , mox vbere conſolationis adhibito , eum erigeret deſola-* C
*tum : & quem in bono proficientem aduerteret, eum gratulatio-
nis vbere protinus confortaret : vt non minus per hoc deficien-
tibus , quam proficientibus ſubditis ſe claris indicijs oſtende-
ret eſſe matrem.* Idipſum etiam S. Pater Auguſtinus in re-
gula Superioribus Regularibus expreſsit dicens. *Corripiat in-
quietos , conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit
ad omnes*. Et Vrbanus Quartus in Bulla *Exultet Angelica* lata
pro Canonizatione S. Riccardi Epiſcopi Ciceſtren. de hac D
vigilantia circa ſalutem commiſſarum ſibi ouium, ſuauiter
corripiendo, & commonitione facienda cum charitate, vt
à criminibus, & peccatis declinent, ſic loquitur. *Ipſe namque
vocatus ad regimen Eccleſiæ Ciceſtrenſis factus eſt ſolito lon-
ge magis vigil ad curam, non ſegnis ad opus, ſuauis ad mores: ex
tunc ei fuit pauperum cura maior.*

Quia verò Epiſcopis, Cardinalibus, Abbatibus, etiam

Com-

A Commendatarijs, Parochis, & alijs Eccleſiaſticis, non ſolum cura animarum eſt concredita, ſed etiam adminiſtratio bonorum Eccleſiaſticorum eis eſt commiſſa; propterea hæc ipſa ad curam illorum cum pertineant, conſequenter in his rectè adminiſtrandis, ac diſpenſandis inuigilare tenentur: vt ea ipſa bona debitè, & iuxta ſacros canones diſtribuantur, ac diſpenſentur. Meminiſſe igitur debēt Epiſcopi, & reliqui, de quibus loquimur, ſe non dominos, ſed adminiſtratores
B Eccleſiaſticorum bonorũ eſſe; dominium autem eorundem bonorum penes Pauperes, Viduas, Orphanos, & Eccleſias exiſtere; atque propterea in hac diſtributione, & adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum, præclariſsima ſanctitatis ſigna, & virtutum Euangelicarum in ſtatu Epiſcopali notas, Patres omnes, & Pontifices in Bullis Canonizationũ agnouerunt. Quapropter in actis alicuius Epiſcopi, de cuius Beatificatione, aut Canonizatione agitur; videndum erit quam
C rationem tenuerit in fructibus Eccleſiæ, & reliquis bonis Eccleſiaſticis diſtribuendis an in vſu Eccleſiarum, & in alendis pauperibus. Non enim in his cauſis Canonizationum ſanctorum Epiſcoporum eorũdem ſanctitas ex illa bonorum Eccleſiaſticorum diſtributione, aut diuiſione, quæ ſub opinione doctorum eſt poſita; aut quam commenti ſunt doctores aliqui recentiores; aut admittendum exiſtimo illud dominium etiam bonorum Eccleſiaſticorum, quod com-
D miniſcuntur doctores alij (hæc enim in opinione exiſtunt, quam nec probamus, nec damnamus) ipſi viderint. Opinionibus prædicta innituntur, non autem rei exiſtentis indubitatæ veritati: ſigna verò Sanctitatis ex actibus alicuius prædefuncti, quorum actorum bonitas in opinione ſit poſita, colligi nequit; Sed luce meridiana clarior eſſe debet ratio bonitatis operationum, ex quibus argumenta ſanctitatis pro aliquo ſeruo Dei canonizando ſumenda erunt.

Con-

Conſiderandum igitur quàm maximè occurrit in actibus A
alicuius ſerui Dei Epiſcopi, Cardinalis, Abbatis, vel alterius ſimilis dignitatis, de cuius canonizatione agitur; quibus in rebus redditus ſuæ Eccleſiæ, & ſui Sacerdotij prouentus expenderit. Nam bona Eccleſiæ intra Diœceſim non extra ex doctrina B. Thomæ à Villanoua diſpenſanda ſunt ab Epiſcopis, & alijs adminiſtratoribus Eccleſiaſticorum bonorũ. Quamobrem quamuis culpabiles minimè putem eos, qui bona vnius Eccleſiæ in fabrica aliarum Eccleſiarum, vel in B
vſu pauperum extra propriam Diœceſim expenderint: tamen minus laudabiles fore, qui bona alicuius Eccleſię, vel in fabrica aliarum Eccleſiarum extra Diœceſim, vel etiam in vſus pauperum extra eandem expendunt, res eſt pluſquam certa; niſi id fiat ex his bonis, quæ in ea Diœceſi ſuperfuerint. Quapropter in his cauſis ſeruorum Dei caput iſtud adminiſtrationis bonorum Eccleſiaſticorum diligẽtiſſimè diſquirendum erit: vt in actis alicuius Dei ſerui Epiſcopi, ne ſu- C
ſpicio quidem appareat, alicuius operationis, quæ omnimodam perfectionem non redoleat.

Cumque Epiſcopus præſertim cauere debeat; ne ex bonis Eccleſiæ, quæ ad pauperes pertinent, ditet ſuos conſanguineos, & affines: de quo extat canon Apoſtolicus apud S. Clementem n. 39. ſub his verbis. *Omnium negotiorum Eccleſiaſticorum curam Epiſcopus habeat: & ea velut Deo inſpectante diſpenſet: nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere; D
aut parentibus proprijs, quæ Dei ſunt condonare: Quod ſi pauperes ſunt, tanquam pauperibus ſubminiſtret; non tamen horum prætextu res Eccleſiæ venundentur.* Quod pariter Decretum innouauit Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 1. his verbis. *Omnino eis* ſupple Epiſcopis *interdicit*, ſupple Sacrũ Concilium, *ne ex redditibus Eccleſiæ, conſanguineos, familiares ve ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum canones prohibeant ne res*

A *Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent: ſed ſi pauperes ſint, ijs vt pauperibus diſtribuant: eas autem non diſtrabant, nec diſsipent illorum cauſa*. Hæc enim à Sacro Trident. Conc. conformiter ad ea, quæ habentur in Conc. Antiocheno cap. 25. decreta ſunt: in quo non ſolũ non licere Epiſcopis de bonis Eccleſię ditare proprinquos, aut conſanguineos decernitur: ſed inſuper eis prohibetur, ne bonorum Eccleſiæ adminiſtrationem *domeſticis, propinquis, aut fratribus, aut* B *filijs committant: ne per huiuſmodi perſonas occultè res lædantur Eccleſiæ*. Et cap. *Quiſquis* 12. q. 2. reuiuiſcit canon. Apoſtolicus iam relatus. & cap. *Sint manifeſta*, & cap. *Epiſcopus*. Quibus in capitulis bona Epiſcopi diſtinguenda à bonis Eccleſiæ ordinatur: ne alter illorum in morte Epiſcopi de proprijs iuribus defraudetur cap. *Epiſcopus* ibidem & cap. *res Eccleſiæ* cum ſequent. quæ omnia capitula 12. q. 2. habentur cum alijs pluribus ad hanc materiam ſpectantibus.

C Paupertatis titulo permittunt quidem ſacri canones, vt vidimus, conſanguineos alere: aliud tamen eſt pauperes alere, aliud verò eoſdem ditare: nam ditare, eſt conſanguineos transferre à ſtatu paupertatis ad ſtatum nobiliorem: vt nimirum ſi fuerint agreſtes, & agriculturam exercuerint, eoſdem ex bonis Eccleſiæ ad ſtatum nobilitatis euehere. Quamobrem, cũ ſacri Canones tam ſtrictè ab Epiſcopis procedendum decernant in adminiſtrandis Eccleſiæ bonis. Propterea D in fabricando proceſſu ad effectum Canonizationis de virtutibus alicuius Epiſcopi, aut alterius, qui vel titulo Epiſcopali, Abbatiali, aut Cõmendatario bona Eccleſiaſtica adminiſtranda ſuſceperit, diligentiſſimè inquirendũ arbitror, quomodo quiſque ſe geſſerit in ea diſtributione bonorum Eccleſiaſticorum, præſertim cum pauperibus, viduis, & egenis: quæ quidem Eccleſiaſtica bona Domini appellantur; atque ad illorum ſubleuandam miſeriam in primis inſumenda vi-

da vi-

da videntur. Ita Honorius tertius S. Laurentium Archiepi- A
ſcopum Dublin. feciſſe teſtatur in Bulla; quæ incipit *Ineffa-
bilis prouidentia*. in qua §.7. hæc habet. *Deinde in Archiepi-
ſcopum Dublinenſem aſſumptus, ſic de virtute in virtutem profe-
cit, vt in oratione aſsiduus, auſterus in maceratione proprij cor-
poris, ac in eleemoſynarum largitione profuſus, ſe totaliter Do-
mino dedicauit*. Et Paulus V. in Bulla *Vnigenitus*: lata pro
Canonizatione S. Caroli, de hac virtute ſic loquitur §. 15. *In
eleemoſynis dandis ita ſe geſsit, vt in hoc opus præcipuè abun-* B
*daſſe merito dici poſsit, ac diſperſiſſe, & dediſſe pauperibus. Quã-
tum enim ex neceſſarijs ſumptibus, ex menſa Eccleſiæ Mediola-
nenſis, & ex alijs proprijs redditibus ſupererat, totum in pau-
peres abibat. Et ne quemquam apertè rogandi, aut accipiendi
pudor expertem faceret miſericordiæ ſuæ, ſecretis eleemoſynis fide-
lem præpoſuerat miniſtrum, qui eorũ occultis neceſsitatibus ſub-
ueniret: eoque proceſsit pauperibus ſubueniendi ſtudium &c.*
Quæ in exemplum adducta, ſufficiant ad exhaurienda ſan- C
ctitatis argumenta in inquirendis, & examinandis alicuius
Præſulis actis per reſpectum ad Canonizationem.

CAP. II.

De notis, & ſignis Sanctitatis alicuius ſerui Dei Imperatoris, Regis, Ducis, vel Principis. D

DITAVIT Deus ſanctam Eccleſiam gem-
mis præſtantiſſimis ſanctitatis coruſcantis in
quocunque genere, gradu, ac dignitate ho-
minum ad omnium inſtructionem; ſubli-
mando nimirum ad ſanctitatis gradum non
modò ex humili plebe homines, ſed etiam ex his, qui Rei-
publi-

A publicè ſummos Magiſtratus conſequuti; rebusque mundi huius caducis irretiti, ac vitæ commodis præpediti, minus poſſe ſublimiora appetere videbantur. Præſtitit itaque Regum, Imperatorum, Ducum, & aliorum Magnatum nobis exempla; qui vitæ ſanctimonia, & virtutibus heroicis, non tàm Regibus, ac Principibus, quàm reliquis chriſtianis, perfectam viuendi normam afferrent. De Regibus, ac Principibus, qui per martyrium ſanctam Eccleſiam
B ſanguine purpurarunt, non loquimur in præſenti; ſed de his, qui carnis maceratione, & ſanctis operibus violenter, vt ita dicam, Cęlum rapuerunt. Inter hos penes antiquos S. Ioſaphat filius Regis Armeniæ adeſt: at inter recentiores ſanctus Henricus Primus Imperator, ſanctus Ludouicus Franciæ Rex, ſanctus Stephanus Rex Vngariæ, S. Caſſimirus filius Regis Poloniæ, ſanctus Edmundus Rex Angliæ, S. Leopoldus Dux Auſtriæ, & alij plures recenſentur, quorum no-
C mina paſſim in hiſtorijs Eccleſiaſticis & martyrologijs referuntur. De notis igitur, & ſignis ſanctitatis ſeruorum Dei Regum, ac Principum hoc in capitulo nobis eſt agendum: vt, ſi quando de his pertractandum occurrat per reſpectum ad Beatificationem, vel Canonizationem, horumquoque ſigna ſanctitatis in Eccleſia eluceſcant.

Pluribus igitur ex capitibus horum Dei ſeruorum notæ & ſigna ſanctitatis exploranda occurrunt: nã præter ea, quæ ſe-
D ctione precedenti, in quibuſlibet Dei ſeruis non Martyribus ex virtutibus tã Theologalibus, quã Cardinalibus requirenda propoſuimus: exercitia virtutum Euangelicarum in Regibus, & Principibus, tam quo ad proprios, & ſingulares mores, quàm ex obligationibus penſanda ſunt, quæ habent Principes quoad Deum, & quoad proximum, pręſertim ſubditos & pauperes ſui principatus. Quæ duo potiora ſunt capita, ad quę Imperatoris, ac chriſtiani Regis, & Principis virtutes

tutes reducuntur: ex quarum actibus in gradu heroico, argumenta ſanctitatis haurienda cenſui. A

At verò per reſpectum ad Deum duo ſunt, in quibus vigilare, ac pro viribus ſtudere debet chriſtianus Princeps: & primo ſcilicet vt fides Catholica prædicetur, &, quantum fieri poteſt, ſartatecta in ſuo regno, ac principatu cõſeruetur, propagetur, extendatur, & dilatetur, non tantũ inter populos ſibi ſubditos, ſed etiam penes exteros. Hac enim ratione certum erit in Eccleſia, Regem aliquem ac Principem habitum fidei habuiſſe eximium. Mos enim, & conſuetudo eſt B Chriſtianorum Principũ, Summorum Pontificum decretis, & conſenſu Regnorum, Ditionum, ac Prouinciarum comprobata; vt nullus admittatur Rex ad Regnũ, aut fideles principatus poſſeſſionem alicui præſtent, obedientiamvè ſpondeant; niſi prius Princeps electus, fidei Catholicæ, iuxta Romanæ Cathedræ doctrinam, profeſſionem emiſerit. Cuius profeſſionis formam Pius IV. ex ſacroſancti Concilij Tridentini decreto, ſpeciali quadam Bulla præſcripſit: quam fidem defendere, & tueri, opibus, & ſanguine ſuper ſacroſancta Dei Euangelia Principes ſic electi iurant. Vidi ego C Toleti anno Domini 1600. Philippum Tertium Hiſpaniarum Regem filium, ac ſucceſſorem Philippi Secundi in paternis Regnis, genuflexum coram Inquiſitoribus fidei, in publico foro ſuper erectum tribunal formulam prædictam profeſſionis fidei legentem, & iuxta dicta iurantem. D

De hoc fidei zelo commendantur quotquot Principes inter ſanctos adnumerauit Eccleſia. Nam de S. Ludouico Francorum Rege, in eius vita ſcripta per Gaufridum cap. 6. hæc habentur. *Fidei propagationem ſummoperè ſitiebat. Itaque ſi quid ab Inquiſitoribus, quod ad fidem pertineret, eſſet ad eum relatum, id alijs negotijs omnibus poſthabitis audiebat: & inſtar Phinees magno zelo in chriſtianæ fidei violatores animaduerte-*

A *uertebat*. Cuius etiã fidei ardoris meminit Bonifacius Octauus in Bulla *Gloria laus, & honor* lata pro eius canonizatione anno Domini 1297. ſub Dat. apud Vrbem veterem 3. Idus Auguſti Pontificatus anno tertio §. 11. his verbis. *Demum præfatus Rex cum eodem liberatus exercitu*, videlicet à Soldano, *ad Ciuitatem rediens Acconem, moramque inibi fere per quinquennium contrahens, & tanquam feruidus humanæ ſalutis amator, multorum Agarenorum mentes duras quantumlibet, non ſolum ſalubribus eloquijs ſuadens, ſed etiam exemplo vitæ laudabilis conuertit ad Dominum, ipſos faciens ad laudem diuini nominis, & exaltationem Catholicæ fidei honorificè baptizari*. De ſancto pariter Stephano Vngarorũ Rege primo, deque eius zelo fidei propagandæ, atque ſtabiliendæ in regno Vngariç, hçc habet Cartuiſius apud Suriũ ſub die 20. Auguſti. Poſtquam enim Author acta nonnulla recenſuiſſet, eius etiam fidei propagandæ ſtudium conſiderans, & numerum ſeruorum Dei recenſens, quos ad prędicationẽ euangelij & infidelium conuerſionem in Vngariam congregarat; tandem in fine cap. 6. hæc habet. *Cum his Dei ſeruis Princeps chriſtianiſsimus, modò communiter cum omnibus, modò ſeparatim cum ſingulis colloquia miſcens, vſque adeo diuinis conſpectibus gratum, & acceptum ſe præbuit; vt per eum omnes militiæ eius comites ad veri Dei cultum adducti ſint. Quos autem alios Deos colere animaduertit; eos minis, & terroribus ſubiugauit, & conuenienter doctrinæ Eccleſiaſticæ illos inſtruens, in eorum ceruices diſciplinæ iugum, & legem impoſuit; omneſque Dæmonum ſpurcitias prorſus eliminauit*. Hæc & alia plura de zelo fidei chriſtianiſſimi, ac ſanctiſſimi viri legũtur. Ab Eugenio tertio S. Henricus primus huius nominis Imperator de eodẽ propagandæ fidei zelo commendatur in Bulla *Sicut per litteras*. lata pro eius Canonizatione anno Domini 1152. ſub Dat. Romæ Tranſtyberim die 13. Martij Pontificatus

anno primo, & pluribus omiſſis, quæ in eius vita legũtur meminit Summus Pontifex *de Conuerſione regis Stephani, & totius Vngariæ Domino cooperante per eum facta.* A

Cum igitur nõ tam ratione Baptiſmatis, & fidei, quã etiam obligationis contractæ ex vi prædictæ formulæ profeſſionis fidei, & iuramenti editi, Chriſtiani Principes ad fidem tuendam, & propagandam teneantur: propterea inter Sanctitatis notas zelus fidei in Principe Chriſtiano primas tenet. In Formula profeſſionis fidei, quam chriſtiani Reges, ac B Principes publicè edunt, Romano Põtifici Chriſti Vicario, ac Petri ſucceſſori veram in primis, & ſinceram obedientiam ſpondent, iurant, & profitentur; in qua petra fides firma permanet, atque conſtabilitur. Quam quidem obedientiam deuotè cuſtodiſſe S. Eduardũ Angliæ Regem, vita eius ſcripta per Ealredum apud Surium ſub die quinta Ianuarij manifeſtat. Cum enim ille ex voto peregrinationem ad limina Apoſtolorum ſuſcipere vellet; de mandato tamen Summi C Pontificis ab ea peregrinatione abſtinuit; & expenſas itineris de mãdato eiuſdem in conſtructione monaſterij, & Eccleſiæ ad honorem principis Apoſtolorum, atq; in pauperibus ſubueniendis erogauit. Sic enim loquitur Papa in litteris ad eum datis. *Ex auctoritate Dei, & ſanctorum Apoſtolorum abſoluimus te à peccato illius voti; pro quo offenſam Dei times, & ab omnibus negligentijs, & iniquitatibus tuis, ea poteſtate vſi, quam Dominus in B. Petro conceſsit nobis dicens. Quæcunque* D *ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cælis. Deinde præcipimus tibi ſub nomine ſanctæ obedientiæ, & pænitentiæ; vt expenſas, quas ad iter illud parateras, pauperibus eroges, & Cænobium monachorum in honorem S. Petri Apoſtolorum Principis, aut nouum conſtituas, aut vetuſtum emendes, & ſufficientiam victualium fratribus de tuis redditibus conſtituas; quatenus dum illi aſsiduè inibi Deum laudarint, & ſanctis augeatur gloria,*

A *ria, & tibi indulgentia*. Parem obedientiam de S. Stephano Vngarorum Rege Chartuiſius apud Surium in eius vita teſtatum reliquit cap. 7. his verbis. *Quarto à Patris obitu anno diuinitus permotus eundem Aſtricum Præſulem, qui etiam Anaſtaſius dictus eſt, ad ſanctorum Apoſtolorum limina miſit, à Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſore petitum, vt recens conuerſæ Pannoniæ largam benedictionem impertiret; Strigonienſem Eccleſiam ſua auctoritate Metropolim conſtitueret; reliquos Epi-*
B *ſcopatus ſua benedictione muniret*.

Ad veræ fidei conſtabilitæ notam, munus eſt Chriſtiani Principis, vnà cum debita Romano Pontifici obedientia, ad fidei habitum manifeſtandum diligentiſſime quoque curare fidei propagationē in proprijs ditionibus, &, vt omnino Romani Pōtificis primatus ab omnibus agnoſcatur. Conſtantinum, Carolū magnum, & Theodoſiū æternę memorię chriſtianos Principes, & alios omnes quot quot veneratur Eccle-
C ſia ac ſuſpicit Romanæ ſedis Primatū agnouiſſe ſcimus. Studeat etiā chriſtianus Princeps errores, ac hæreticos expellere ex locis ſuo regimini ſubiectis: vt fides catholica vera, & ſincera dilatetur, ac vbiq; locorum populi ea imbuantur. Hinc Bonifacius octauus in Bulla *Gloria laus & honor*, lata pro canonizatione S. Ludouici Francorū Regis de ſtudio puritatis fidei huius ſerui Dei agens §. 18. hęc habet. *Occurrebat hæreticæ prauitatis infectis, ne fidei chriſtianæ cultores labe huius*
D *contagionis inficerentur; de Regni prædicti finibus efficacibus ſtudijs expellendo, ac alias circa ſtatum eius prouidendo ſollicitè, vt ab ipſo fomentis talibus prorſus excluſis, in eo fidei prædicta ſinceritas rutilaret*. Id totum quàm cordi fuerit S. Caſimiro filio Regis Poloniæ teſtantur eius acta, quæ in Romano Breuiario ſub die 4. Martij per hæc verba leguntur. *Catholicam promouere fidem ſummopere ſtuduit, & Ruthenorum ſchiſma abolere. Qua propter Caſimirum Patrem induxit, vt*

legem ferret, ne ſchiſmatici noua templa conſtruerent, nec vete- A
ra collabentia reſtaurarent. Hæc enim veri Regis, ac Principis Chriſtiani ſtudia eſſe debent; quæ reliquis adiuncta virtutibus Sanctitatis eximiæ notam præſeferunt maximam, ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Altera Sanctitatis nota in Principe, quæ ſimiliter Deum reſpicit, ratione cultus attenditur, tam in veneratione Sacerdotum, & Religioſorum hominum, quàm etiam in Eccleſiaſticis templis, Monaſterijs, & Eccleſijs conſtruendis, repa- B
randis, & cōſeruandis. In quibus quidem quàm ſtudioſus fuerit magnus ille Conſtantinus Chriſtianæ Fidei, & Eccleſiæ primus ex Imperatoribus Patronus, ſatis manifeſtū eſt. Nec enim Romę tantùm S. Saluatoris in proprijs ędibus ad Lateranum primam fundauit, & erexit Eccleſiam; ſed etiam magnificentiſſimas illas S. Petri ad Vaticanum, propè locum in quo Crucifixus ille fuerat; & S. Pauli via Oſtienſi propè locū
vbi fuerat is decollatus; atque etiam plures alias tum Romę C
tum Conſtantinopoli, ac Hieroſolymis, & alibi extruxit Eccleſias. De quibus Euſebius, Nicephorus, & alij ex antiquis abundè ſcribunt; præſertim noſter ille Baronius, cuius memoria ſemper in Benedictione erit. Conſtantinum imitati ſunt Theodoſius iunior, & ſenior, & Iuſtinianus Chriſtianiſsimi Princeps, & alij plures, quorum acta pręclariſsima, hiſtoricis amplam ſcribendi materiam præſtiterūt. His enim
exemplis, & ædificijs monaſteriorum atq; Templorum, Prin- D
cipes non tam fidei chriſtianæ zelum, quem habent, confirmant; quàm etiam quanto Deum amore proſequantur explicant: dum eum vbique, & ab omnibus quantum fieri poteſt totis viribus coli ſtudent.

Quæ cum ita ſint, propterea in actis ſeruorum Dei Regum, ac Principum attendendum puto, qualiter hi ſe habuerint in amplificando Dei cultu, ſacra ædificia conſtruendo, &

mona-

A monaſteria in quibus Religioſi, aut Clerici die noctuque pie Deum collaudent. Mira ſunt, quæ de S. Henrico Imperatore in eius actis apud Surium leguntur, ex manuſcriptis codicibus eruta, & edita per Iacobum Gretſerum: ex quibus nonnulla pauca afferam ex cap. 5. in quo his verbis loquitur author. *Cumque Chriſtianiſsimus Rex Poloniam, Boemiam, & Morauiam tributarias feciſſet; ob reuerẽtiam S. Laurentij Martyris, conculcationem, & deſtructionem Merſeburgenſis Eccleſiæ, cœpit pio intuitu miſericordiæ, & pietatis reſpicere; & ad nihilum redactam in ædificijs, & miniſterialibus; in ſæcularibus poſſeſsionibus, in Eccleſiaſticis ornamentis, in priſtinum gradum Pontificalis dignitatis, ſicut Deo, & ſancto Laurentio vouerat, ſtuduit reſtaurare. Nec prius ab operibus miſericordiæ deſtitit, quoaduſque ad antiquum ſtatum dignitatis, & priſtinum honorem Religionis ex integro perduceretur.*

B

C Meritò igitur ſummi Pontifices plurimi faciũt ſacrorum templorum ædificationẽ in ſeruorum Dei Regum ac Principum canonizationibus: vt Eugenius tertius facit in Bulla *Sicut per litteras.* ſub Dat. Tranſtiberim 2. Idus Martij anno Domini 1152. lata pro Canonizatione S. Henrici primi Imperatoris, in qua §. 1. ſic habet. *Nunc autem eorundem fratrum noſtrorum, & multorum Religioſorum, & diſcretorum virorum atteſtatione, de caſtitate ipſius, de fundatione Bambergenſis Eccleſiæ, & multarum aliarum, quarundam quoque Epiſcopalium ſedium reparatione.* Et de S. Ludouico Francorum Rege in Romano Breuiario hæc leguntur. *Multa ædificauit monaſteria, & pauperum hoſpitia.* De S. Stephano primo Vngarorum Rege, qui primus Vngariam ad Chriſti fidem conuertit, & primus Eccleſias ibidem erexit: in eius vita à Cartuitio apud Surium conſcripta ſic legitur cap. 7. *Poſtea vero*, ideſt cum fidem plantaſſet. *Prouinciam in decem Epi-*

D

ſcopatus diſtribuit, quorum Metropolim, & Magiſtram eſſe voluit Eccleſiam Strigonienſem. Innocentius Octauus in Bulla *Sacroſanctam Matrem* data ſub octauo idus Ianuarij Pontificatus anno primo, qui fuit Chriſti 1485. lata pro Canonizatione S. Leopoldi Ducis Auſtriæ, in eadem materia §. 12. hæc habet. *Cuius liberalitatem, Chriſtianaq; Religionis cultum nonnulla monaſteria, & quidem celeberrima, ab eo cum ampliſsimis cenſibus conſtructa, alia etiam magno ſumptu illuſtrata, abundè teſtantur: hic Princeps optimus, Sacerdotes, & viros Religioſos admodum coluit.* Subindicant enim Principes chriſtiani, horum ædificiorum, Eccleſiarum, & Monaſteriorum ſtudio, quanto amore Deum proſequantur; qui Dei cultores, & diuini cultus loca omni veneratione reuerenda arbitrantur. A B

Conuertatur ſermo noſter ad ea, quę Reipublicæ regimẽ reſpiciunt, Principiſque charitatem erga ſibi ſubditos opere, & exemplo cõmonſtrant. Conſueuit enim (vt hiſtoriæ tàm ſacræ, quàm prophanæ vbique teſtantur) vehementer regna, imperia, reſpublicas, atque dominia interturbare Regum, ac Principum peſſimum exemplum, & viuendi licentia: præſertim ſi voluptatibus venereis Principes victi, ab illecebris ſe non frænauerint. Ab his igitur titillamentis, ac illecebris ne dùm vinci, quinimo penitus alienos exiſtere, vel coniugali ſeruatà pudicitia, vel Deo ſeruata virginitate, vel etiam pudicitiam illibatam cuſtodiſſe, eximiæ profectò ſanctitatis notam præſefert. Nam in Rege, cuius gratiam, ac beneuolentiam curant demereri omnes per fas, & per nefas, per licita, & illicita, tàm nobiles, quàm ignobiles, tàm viri, quàm fœminæ, quibus etiam non deſunt mille peccãdi occaſiones, continentiam, ac pudicitiam ſeruaſſe etiã coniugalem, non ſolùm commendatione eſt dignum; ſed etiam ad ſanctitatis notam, quantum conducat, nemo non videt. C D

Con-

A Coniugium enim inter ſeptem Eccleſiæ Sacramenta à Chriſto relatum, & à Deo ab ipſa mundi Creatione inſtitutum, certum eſt neminem inficere, quominus chriſtianam & Euangelicam perfectionem retinere valeat. Sanctus enim fuit in veteri teſtamento Abraham, ſancti fuere Iſaac, Iacob, Iob, Moyſes, Dauid, Samuel, Ioſias, & alij plures quorum acta, & vita à Spiritu ſancto plurimum commendatur. In nouo quoque teſtamento, noſtris, vt ita dicam,
B temporibus, ſanctiſſimus extitit Ludouicus Francorum Rex, cuius acta iterum atque iterum hic conſideranda propoſuimus: ſanctus fuit Leopoldus Dux Auſtriæ & in coniugio chriſtianam, quam Chriſtus docuit, perfectionem ſectatus, inter cælites adnumerari, ac fidelibus coniugatis in exemplar fidei & religionis proponi meruit.

Prætendant nunc huius ſæculi amatores ad excuſandum peccata, coniungales ſollicitudines, familiares, & ciuiles cu-
C ras, aut regales in Solij maieſtate delicias, ſæculi illecebras, aut tentationes: Sanctorum enim Leopoldi Ducis Auſtriæ, ac Ludouici Francorum Regis exemplo argumenta prædicta omnino ruunt. Hi enim Dei ſerui, eorundem acta ac vita commenta humanæ fragilitatis, quaſi aranearum telas diſruperunt: hi enim decori bonitate, manſuetudine illuſtres, clementia conſpicui, munificentia erga Chriſti pauperes celebres, &, quod magis facit ad rem noſtram, continentia con-
D iugali perilluſtres, Regibus, atque Principibus chriſtianis ſanctitatis normam extitere: à qua coniugali continentia cum defeciſſe cõſtet magnum Conſtantinum, & Carolum, quamuis in reliquis erga Catholicam Religionem addictiſſimi, & benemeriti extiterint, in ædificatione Eccleſiarum, monaſteriorumq; ſtudioſiſſimi, & in promouenda chriſtiana Religione vltra quam credi poteſt ardentiſsimi; in ſanctorum numerum à Romana Eccleſia cooptari minimè meruerunt.

Sed quid ſi cum principatu, & cũ Regalibus delitijs non A ſolùm caſtitatem coniugalẽ, ſed etiam caſtitatem virginalem hos ipſos Dei famulos ad exemplar reliquorum Principum, cuſtodiſſe Deus aliquando voluerit? Et quod magis eſt, aliqui fuerunt ex Principibus, qui in coniugio virginitatem ſeruarunt illibatam. S. Caſimirum filium Regis Poloniæ perpetuam virginitatem coluiſſe, ex eius actis, quæ leguntur in Romano Breuiario liquet: ſic enim legimus. *Virginitatem, quam ab incunabulis ſeruauit illæſam ſub extremo vitæ termino fortiter aſſeruit; dum graui preſſus infirmitate, mori potius, quàm caſtitatis iacturam ex medicorum conſilio conſtanter decreuit.* B Elegit enim potius mori, quàm eam, quam Deo ſeruarat impollutam carnis puritatem, venereis voluptatibus commaculare ex medicorum ſomnijs; qui vitam corporalem venereo vſu conſeruari poſſe falſo aſſeuerabant, cum diſpendio ſalutis æternæ. Et de S. Eduardo Anglorum Rege in eius vita ſcripta per Ealredũ legitur apud Surium ſub die 5. Ianuarij C quod cum à proceribus Regni vxorẽ ducere cogeretur, ipſeque Virginitatem illibatam ſeruare deſideraret, eam Chriſto commendabat, Edithamq; filiam Gaduuini Vxorem duxit. *Sed conuenientibus in vnum Rex & Regina de caſtitate ſeruanda paciſcuntur; nec huic fidei alium quàm Deum teſtem exiſtimant adhibendum: ſit illa Coniux mente, non carne, ille maritus mente non opere.* Hæc cap. 7. De S. Henrico etiam primo Romanorum Imperatore legitur in Romano Breuiario. *Virginitatem raro exemplo, matrimonio iunxit.* Et recte D quidem dicitur raro exemplo Dei ſeruum id feciſſe inter regales diuitias, in peccandi licentia conſtitutũ, dum in opum abundantia, à coniugij conſuetudine, tã admirabili exemplo abſtinuit; vt nec liceat ſuſpicari, ad illicita ſe ſe aliquando extendiſſe: & quod adhuc mirabile fuit omnibus id ignotum, vsq; ad eius obitũ extitit, ſic enim legimus in eius actis apud

Surium.

A Surium: *Qui cum cerneret imminere ſibi mortis diem, citatis ad ſe parentibus, & cognatis beatiſsimæ Imperatricis Cunegundæ, nonnullis etiam Regni Primoribus, manu eam apprehenſam illis commendauit, huiuſmodi verbis memoriæ dignis. Hanc, inquit, mihi à vobis, imo per Chriſtum conſignatam, ipſo Chriſto Domino noſtro, & vobis reconſigno Virginem veſtram.* Hæc ipſa ab Eugenio tertio etiam referuntur; veluti res quidem mirabilis, & ſanctitatis nota præfulgida, in Bulla lata pro eius
B canonizatione, quæ incipit *Sicut per litteras*. Cum enim nonnulla recitaſſet Pontifex de miraculis, & virtutibus huius Dei famuli, ſubintulit. *Inter quæ illud præcipuum, & memorabile plurimum, quod cum diadema ſceptrumque Imperij ſuſcepiſſet; non imperialiter, ſed ſpiritualiter vixit: in toro etiam legitimo poſitus (quod paucorum fuiſſe legitur) integritatem caſtimoniæ vſque, ad finem vitæ conſeruauit.*

Tranſeamus ad argumenta ſanctitatis deſumenda in
C Principe ex recta ratione regiminis, & cuſtodia illorum, ad quæ tenetur ex onere principatus. Quotieſcunque enim Principes ad principatum admittuntur, antequam Proceres Reipublicę eidem obedientiam ſpondeant, nonnulla priuilegia ſubditis & proceribus Reipublicæ conſeruare iurant; eoſdem tueri ab hoſtibus, & iuſtitiam æquam populis adminiſtrare. Quamobrem ob oculos Principi ea eſt habenda regula, quam S. Pater Auguſtinus ſuperiorem docuit: vt nimi-
D rum *non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente fælicem.* Intelligat igitur Princeps chriſtianus non quidem iure aliquo naturæ principatum, ac poteſtatem in ſibi ſubditos populos accepiſſe; ſed eorundem ſubditorum electione ad principatum diuina ordinatione fuiſſe ſublimatum: quia non eſt poteſtas niſi à Deo: conceſſa quidem Principibus, non vt ſibi, ſed vt populis quibus præſunt conſulant: pacatos eos conſeruando tam inter ſe, quàm etiam cum finiti-

mis,

mis, & quibuſcunque alijs, quibus cum pacem pro viribus A
ſartam tectam ſeruare tenetur. Non enim licet Principi chriſtiano alicui vim inferre, bella mouere, niſi iuſte, & cauſa omnino iuſtificata, Deoque prius commendata; ad fidei videlicet plantationem, propagationem, exaltationem, & eiuſdem fidei ac proprij ſtatus iuſtam defenſionem. Tenetur igitur Princeps nullum non mouere lapidem, antequam armis res decernatur, pacem iuſtam expetere tam cum finitimis ſibi populis, quàm cum quibuſcunque alijs, qui arma contra B
eum mouere pertentarent, ita vt pro gloria tantùm Dei, & fidei defenſione, propagatione, atque exaltatione ſi fuerit bellum indicendum alicui, ſumantur arma, & paretur miles.

Ad fidei ſtabilimentum, propagationem & propriæ dignitatis tutamen arma mouiſſe legimus contra rebelles proceres Sanctum Stephanum Vngarorum Regem. Scribitur enim in eius vita apud Surium quod cum illius regni proceres, chriſtianæ fidei nollent colla ſupponere; quin potius ex C
Domini ſui imperio ſe ſubducere molirentur; Dei ſeruus militem parauit. *Dux ipſe* (ideſt S. Stephanus, Ducis enim titulum tantùm tunc potiebatur.) *diuinæ virtuti confidens, ad edomandam illorum rabiem, cum ſui exercitus copijs, ſub ſignis Deo dilecti Pontificis Martini, & clariſsimi Martyris Georgij mouit in hoſtes, qui tum forte Vrbem obſidebant, quam vulgo Veſprinum vocant:* & infra: *At ille diuina fretus ope, & clementia illos aggreſſus eſt: & illis quidem ſuis armis confiden-* D
tibus, ipſo vero fide armato vtrinque congreſsi ſunt, victis tandem hoſtibus, & partim cæſis, partim captis victor abſceſsit.

Sanctus quoque Ludouicus Francorum Rex illuſtris, tanto ardebat fidei zelo, vt nihil moleſtius per ea tempora pateretur, quàm à Saracenis, & Mahumetицis ſanctam Chriſti ſanguine irrigatam regionem Hieroſolymitanam occupari, in maximam chriſtianorum contumeliam: quamobrem ad

fidei

A fidei Chriſtianæ exaltationem, omnino eius recuperandę deſiderio ad parandum exercitum militem adiecit: de quo ita Bonifacius 8. in Bulla *Gloria laus, & honor* lata anno Domini 1297. in eius Canonizatione in §. 5. *Demum ſucceſſu temporis in anno vigeſimo conſtitutus, & quadam ſibi ægritudine ſuperueniente grauatus, à Pariſienſi, & Meldenſi Epiſcopis aſſiſtentibus tunc eidem, viuifica Crucis ſignaculum in terræ ſanctæ ſubſidium ſibi cum multa inſtantia petijt exhi-*
B *beri: & licet hoc ei, rationabili cauſa moti, præfati diſſuaderent Epiſcopi, ipſe tamen vt feruens Spiritu erga Dominum, eique votis ardentibus famulari deſiderans, illorum ſalubriter diſſuaſionibus non admiſſis, ſignum huiuſmodi de manu præfati Pariſienſis Epiſcopi cum multa lætitia, & exultatione ſuſcepit; Prælatis, Nobilibus, & multis pluribus ſignum ipſum aſſumentibus cum eodem: & tandem amplo præparato nauigio, factiſque apparatibus alijs, quæ in talibus requiruntur, cum tri-*
C *geſimum quartum annum attigiſſet ætatis, in prædictum ſubſidium transfretauit.* Hæc ibi de Sancti Regis ex fidei ardore, & terræ ſanctæ recuperandæ deſiderio, milite parato, ad chriſtianæ & Catholicæ fidei exaltationem, & propagationem leguntur.

Cumque Princeps chriſtianus ad defenſionem etiam propriæ Ditionis, & ad tutelam ſuorum ſubditorum teneatur; propterea iuſto bello poteſt in hoſtes arma mouere;
D quod tamen haud facere licet; niſi præmiſſis fæcialibus, ac oratoribus de pace, vt dicebamus, actum fuerit, antequam manus conſerantur: tum Numine prius propitiato, diuinoque implorato auxilio, non ſolùm ab armis ei ceſſandum non erit; quin Princeps peccaret, ſi ab armis & à milite tunc abſtineret.

Id ita feciſſe legimus S. Henricum primum Romanorum Imperatorem, qui aliquando aduerſus Poloniam, Boemiam cæte-

cæteraſque ſclauorum adiacentes Regiones, qui fines regni A
ſui vaſtabant, militem cum paraſſet: *Inuocato ſuper ſe nomine Domini, Beato Laurentio, S Georgio, & Beato Adriano martiribus, ſe ſuumque exercitum protegendum cum ſumma deuotione commiſit: & cum omnes perceptione Corporis, & Sanguinis Domini confortati fuiſſent, ad locum certaminis venerunt: vbi cum Rex Beatus verbis exhortatorijs ad viriliter agendum ſingulorum animos erexiſſet; videns innumerabilem aduerſariorum multitudinem clamauit ad Dominum, & ait. Deus qui conteris Bella ab initio; eleua brachium tuum ſuper gentes, qui cogitant* B *ſeruis tuis mala: diſperge illos in virtute tua, & deſtrue eos Protector meus; Pone illos ante rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Hac dicens aperti ſunt oculi eius, & vidit glorioſos Martyres Georgium videlicet, Laurentium, & Adrianum cum Angelo percutiente exercitum ſuum præcedentes, & hoſtium cuneos ad fugam propellentes.* Hæc in vita S Henrici ex codicibus manuſcriptis edidit Iacobus Gretſerus; habenturque apud Surium ſub die 14. Iulij. Huius Dei famuli C exemplo Chriſtiani Princeps intelligant, quod ſub hiſce diuinis armis ſi ſe ad bella pararent ac militarent; hiſque conditionibus ad certamen procederent, profectò victores ſemper à bello recederent.

4 Tenetur quoque Princeps inter ſibi ſubditos populos pacem ſeruare, illorumque concordiæ omni conatu ſtudere: quod aſſequetur Princeps, iuſtitiam ex æquo inter ſibi D ſubiectos populos adminiſtrando. Dixi ex æquo, quia Princeps perſonam hominum reſpicere non debet, vt ſæpe ſacris in ſcripturis à Deo præcipitur: ſed tam pauperi, quàm diuiti; tam proceribus, quàm plebeis iuſtitiam adminiſtrare Princeps tenetur; vt feciſſe ſcribitur Sanctum Ludouicum Franciæ Regem, in hiſtoria actorum ipſius, quã ſcripſit Gaufridus eius Confeſſarius, habeturque apud Suriũ

ſub

A ſub die 25. Auguſti in qua hiſtoria cap. 19. hæc leguntur: *In regni adminiſtratione eam prudentiam, & auctoritatem adhibebat, vt ſine acceptione perſonarum, controuerſijs quorumcumque diligenter excuſſis iuſtam ferret ſententiam.* & infra. *Cum autem formidaret pius Rex cauſas Pauperum non magnæ illis curæ eſſe, ideſt conſiliarijs; vt minimum bis in hebdomadibus ſingulis in loco publico reſidens, audiebat illorum querelas, & tum iuſtitia, tum miſericordia eas expendens, celeriter eos expe-*
B *diebat. Duella, vt quæ iure eſſent vetita, ad nullius preces admittere voluit; ſed alia ratione, quæ iuri conſentanea eſſent, etiam Magnatum maleficia caſtigabat.*

2 Sanctitatis argumenta, cum, vt dicebamus, ſumenda ſint ab omnibus, ad quæ tenetur Princeps; propterea inueſtigare oportet in actis ſeruorum Dei Principatu illuſtrium, qualiter ſe geſſerint circa bona ſubditorum. Nam quantum ad bona & diuitias ſubditorũ Chriſtianus Princeps intelligat nequa-
C quã illas habere iure aliquo in poteſtate propria, ac proinde inter ſe, & ſubditos rationem iuſtitiç commutatiuæ omninò ſeruandam eſſe, ſibique ſoluendam quibus debet mercedem pro aliquo opere, & labore, quem in eius commodũ ſubditi fuerint operati. Nec enim Principi pro arbitrio licet cogere ſubditos ad operas & labores; nec pedagia, aut onera, & exactiones eiſdem imponere; ſed tantùm in bonum Reipublicæ, & quando Reipublicæ neceſſitas aliqua id poſtulaue-
D rit; vt ex Theologis cognoſci poteſt: aliter faciens Princeps peccat, præſertim ſi ſubditorum pecunijs exactis eiſdem abuteretur in luxu, ludis, hiſtrionibus, mimis, concubinis: aut in bello iniuſto, ac ſuperfluis in rebus, à ſubditis exactas peccunias ſi expenderit. Quamobrẽ ad notam ſanctitatis alicuius Principis, non ſolùm conſiderandum reor, qualiter ſe geſſerit in adminiſtratione facultatum & bonorum, quç ex hçreditate illi prouenerint, ſed etiam conſiderandum puto qua-

qualiter peccunias erogauerit, quæ fuerint ex publico ærario A
illius iuſſu exactæ in pedagiorum impoſitione: ita vt in harũ pecuniarum erogatione, & iuſtitię adminiſtratione perfectionis euangelicæ ſigna ex actis alicuius Principis hauriantur.

Princeps reſpicere debet ſubditos, miſericordiæ ac pietatis intuitu: etenim ſui muneris eſt, etiam indigentibus ſubuenire tam ex pecunijs, & redditibus, quos à Republica exigit, quàm etiam ex hæreditarijs. Cum enim quicquid à ſubditis in ærario Reipublicæ confertur, ad neceſſitates ſubditorum B
ſubueniendas in illud inferatur; non tam ad communes, quàm etiam ad particulares ſubditorum neceſitates ſubleuandas: propterea tam titulo charitatis quam etiam iuſtitiæ diſtributiuæ erogandum eſt.

Princeps quicunq; ille ſit, ſiue Rex, ſiue Dux cum neceſſitatibus indigentium ſubuenire teneatur; ea propter ad sãctitatis notam agnoſcendã, contemplandamque in actis alicuius Dei ſerui Principatus dignitate præfulgidi, inquirendum, C
& exquirendum puto, quo pacto cum pauperibus in eleemoſynarum largitione ſe habuerit. Hanc etenim erga pauperes pietatem ad notam ſanctitatis facere demonſtrant acta Regum, Ducum, ac Principum, qui cum ſanctitatis opinione deceſſerunt, conſcripta à probatis Authoribus. Litteræ etiam Summorum Pontificum latæ pro Canonizationibus Regum, Ducum, aut aliorum Principum idipſum atteſtantur. Nam de S. Caſimiro filio Regis Poloniæ in eius vita, quę D
habetur in Romano Breuiario, de eius erga pauperes miſericordia hæc leguntur. *Erga pauperes, & calamitatibus oppreſſos, beneficus, & miſericors, Patris, & defenſoris egenorum nomen obtinuit.* Similiter de S. Stephano primo Vngarorum Rege ſic legitur in eius vita ſcripta à Chartuiſio apud Surium cap. 13. *Tanta miſericordia, benignitate, & pietate pauperes Chriſti, immo in pauperibus ipſum Chriſtum complectebatur,*

A *tur, vt nullum vnquam hoſpitem, & peregrinum abſque aliquo ſolatio à ſe diſcedere pateretur; & ad recreandos egenos quotidianas expenſas abſque intermiſsione fieri iuberet: iam vero et à nocturnis horis multa cum alacritate, & hilaritate, abluebat fidelium pedes, & in ſinu pauperum abſcondebat eleemoſynas, Chriſtum inopem in membris eius conſolari in hac vita cupiens: vt cum illo quandoq; in illa caleſti domo bonis omnibus refertiſſima in æternum exultare mereretur.* Charitas quoque S. Henrici,
B & eius erga pauperes benignitas ſub breui compendio recenſuit Eugenius tertius in Bulla *Sicut per litteras*. Dat. Tranſtyberim 2. Idus Martij anno Chriſti 1152. his verbis: *Et multiplici eleemoſynarum largitione*. Quam pietatem ad longum qui videre deſiderat, acta legat apud Chartuiſium.

Sancti Ludouici Francorum Regis erga Chriſti pauperes pietas, vix vnquam ſatis celebrabitur. In eius vita ſcripta per Gaufridum S. Regis Confeſſarium apud Surium ſub die 25.
C Auguſti cap. 6. hæc habentur *Quolibet ſabbato in loco ſecretiſsimo aliquot pauperum ſuis manibus abluebat pedes; lotos tergebat, & oſculabatur. Deinde lauabat etiam illorum manus, & ſingulis certam pecuniæ portionem largiebatur. Crebro etiam centum viginti pauperibus, qui in eius aula quotidie abunde reficiebantur, atque certis quibuſdam diebus, & ſolemnibus vigilijs prius quàm ipſe cibum ſumeret, ſuis manibus cibum apponebat, ſemper, & in prandio, & in cæna prope ſe tres*
D *habebat ſenes inopes, ijſque, de poſitis ſibi ferculis, humaniſſimè tranſmittebat. Interdum ſcutellas, & cibos, quos illi Chriſti pauperes manibus contrectauerant, offas præſertim quibus libenter veſcebatur, vt in die aliquid ederet, ad ſe reportari iubebat. Chriſtum pauperem in eius pauperibus venerans, dum non abhorreret à cibis, qui ipſis ſuperfuerãt.* In eius etiam Canonizationis Bulla *Gloria laus, & honor.* à Bonifacio VIII. apud Vrbem Veterẽ Dat. tertio Idus Auguſti Pontificatus anno

ter-

tertio, qui fuit Chriſti Domini 1297. præclariſſima quidem A
ſancti Regis Charitatis recenſentur monumenta: nam
§. 12. hæc leguntur. *Multos milites, & alios Chriſtianos re-*
dimi faciens eiſdem munificentia regia tam veſtes, quàm cæte-
ra neceſſaria victui, pro vt ſingulorum ſuadebat conditio, mini-
ſtrabat. & §. 17. *Hic re vera circa ſeruos Chriſti, ac paupe-*
res, aliaſque miſerabiles, ac deuotas perſonas valde compatiens,
ſeipſum in elemoſynarum largitione munificum exhibebat. Virgi-
nibus inſuper quibus inopia, effectum maritalis copulæ denega- B
bat; ne illas in carnis lubricum labi contingeret; de dotibus con-
gruis prouidebat; illud de bonis regalibus laudabiliter, & ſa-
lubriter expenſum reputans, quod in eleemoſynas, & alios pios
vſus conuerti pro tempore noſcebatur. Quæ etiam de pietate,
& charitate huius S. Regis erga infirmos exiſtentes in hoſpi-
talibus, quantumuis ſanioſos, referuntur in Bulla Canoniza-
tionis, atque etiam in eius vita, certè mira, & tam magna exi-
ſtunt, vt ſupra modum non tam illius pietatem & charitatem C
commendent; quàm etiam ſanctitatem eximiam teſtentur.

Sed quia ad Principum exemplar reliqui præſertim ſub-
diti ſuos efformant mores, propterea Principes in omnibus
ſuis actibus, atque operibus ſuo exemplo excitare ſubditos
ad pietatem, & religionem tenentur ſacramentorum fre-
quentia, orationis deuotione, viſitatione Eccleſiarum, cultu
reliquiarum, veneratione ſanctorum & alijs ſimilibus reli-
gioſis actibus. His enim dictum putamus à Chriſto, ſicut D
& Epiſcopis. *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem*
veſtrum; qui in cælis eſt. In aliquo igitur ſeruo Dei Rege, ac
Principe has ipſas externas bonorum operũ demõſtrationes,
ſi de alicuius Beatificatione, aut Canonizatione agatur, inqui-
rendas eſſe ad notam ſanctitatis: vt legitur in actis S. Ludouici
Francorum Regis per Gaufridum editis apud Suriũ cap. 17.
his verbis. *Præcipua vero deuotione ſanctus venerabatur reli-*

quias,

A *quias, cultumque Dei, & honorem ſanctorum ſemper amplificare nitebatur.* & infra. *Cum in Eccleſia diuina officia perſoluerentur, nullius admittebat colloquium; niſi aut neceſsitas cogeret, aut euidens vtilitas id poſcere videretur: ſed neque ſic tamen niſi breuiter, & ſuccincte, ne ipſius lachrymæ, & pietas ſiue deuotio interturbaretur. Nam inſtar Ieremiæ in precibus ſuis, & exercitijs pietatis lachrymarum fontem ſitiens, ſuo confeſſario quandoque id familiari colloquio fatebatur, nonnun-*

B *quam ſibi oranti datas fuiſſe lacbrymas quæ per genas in os influentes; non ſolum cor, ſed etiam os ipſius guſtu ſuauiſsimo affeciſſent.* Et de S. Caſimiro Regis Poloniæ filio, viro quidem ſanctiſſimo; deque eius deuotione in orando ſic legitur in Romano Breuiario; *Regij ſpreta lecti mollitie, dura cubabat humo; & clam intempeſta nocte in foribus templorum pronus in terra, diuinam exorabat clementiam. In Chriſti contemplanda paſsione aſsiduus; Miſſarum ſolemnijs adeo erecta*

C *in Deum mente ſolebat adeſſe, vt extra ſe rapi videretur.* Hæc & ſimilia his, quæ in toto hoc capitulo dicta ſunt, eſſe arbitror eximia ſanctitatis ſigna in actis alicuius Chriſtiani Principis conſideranda: vbi contigerit poſt ſanctum aliquorum deceſſum, de alicuius agi Canonizatione, Beatificatione, aut cultu: vt habeant Chriſtiani Principes in cultu, quos in operibus imiten-

D tur.

CAP. III.

De obligationibus in genere alicuius ſerui Dei Religioſi ſeu Regularis.

TRANSEVNDVM nobis eſt ad notas, & ſigna ſanctitatis alicuius Dei ſerui Regularis: quæ quidem ſigna iudices lateant neceſſe eſt; B niſi Dei ſerui, de quo agitur, obligationes eis innotuerint: at innoteſcere minime queunt, niſi Dei ſerui, de quo agitur, tam ſtatus regularis, quàm inſtitutum, & inſtituti obligationes aperiantur: nota enim ſanctitatis gradui virtutis heroico innititur, qui omnem obligationem inter obligationes excedit.

A

Statum regularem, ſeù religioſum ratione perpetuæ obligationis expreſſæ de aliquo bono opere, ad quod ſe ligant ex C voto in emiſſione profeſsionis, qui aliquem inſtitutum ab Eccleſia probatum ſectantur, præſertim ratione trium principalium conſiliorum à Chriſto in Euangelio latorum, Paupertatis nimirum, Caſtitatis, & Obedientiæ, ſtatum perfectionis eſſe, & verè ſic appellari non eſt dubium apud Theologos, & nos diximus ſect. 1. cum de ſtatu perfectionis ageremus. Sed quia intra latitudinem ſtatus perfectionis, maioris, & minoris perfectionis gradus conſtituuntur: propte- D rea aliqui ſtatum hunc perfectionis diſtinguunt in ſtatu perfectionis exercendæ, & in ſtatu perfectionis acquirendæ: ſed quicquid ſit de hac diſtinctione; illud certo ſtatuendum erit, ſtatum hunc regularem Religioſorum, non tam à ſtatu Epiſcopali diſtingui ab eo, quàm etiam minoris perfectionis cenſendum: non ſolùm quòd ea, ad quæ obligantur Epiſcopi altioris ſunt Ordinis, & gradus, cum animarum curam reſpi-

ciant,

A ciant; quàm ſint ea, ad quæ Religioſorũ ſtatus ordinatur; qui ad animarum curã propriè non dirigitur: ſed etiam quia ſtatus Epiſcoporum eſt ſtatus perfectionis exercendæ: & ſtatus Religioſorum, ſtatus perfectionis acquirendæ dicitur: de quo ſtatu regulari hic à nobis eſt agendum.

Duplici autem vocabulo ſtatus iſte regularis, ſiue perfectionis acquirendę ſignificari conſueuit: illum nimirum apellando ſtatum regularem, & ſtatum Religioſum. Quamobrẽ

B qui hunc ſtatum profitentur Regulares communi vocabulo, & Religioſi dicuntur. Religioſi quidem à virtute Religionis apellantur, quam potiſſimum profitentur: & ad quã in primis virtutem omnes ſuas dirigunt actiones atque operationes, qui regulares dicuntur. Quibus quidem duplex eſt finis, intrinſecus nimirum, & extrinſecus: intrinſecus charitatis ad perfectionẽ adipiſcendam in via, per obſeruantiam non tantùm præceptorum, ſed etiam conſiliorum Chriſti.

C Finis verò extrinſecus eorundem eſt perfectio charitatis in patria. Quæ doctrina eſt D. Th. 2. 2. queſt. 186. art. 1. ad 3. & 4. Franciſci Suar. tom. 3. de relig. lib. 2. cap. 1. Eandem docuit etiam Moyſes Abbas apud Caſſian. collat. 1. cap. 4. Diſtinguit namque loco citato Abbas Moyſes ſcopum à fine, vt videre licet cap. 2. quæ duo apud illum idem valent, ac finis extrinſecus & intrinſecus: vbi verò Author illa duo diſtinxiſſet, demũ hęc habet. *Itaque & vitæ noſtrę finis quidem*

D *eſt regnum Dei: qui verò ſit ſcopus debet diligenter inquiri: qui ſi nobis ſimiliter compertus non fuerit, fruſtra viuendo fatigabimur. quaſi in via tendentibus labor eſt itineris non profectus.* & ſtatim. *Finis quidem noſtræ profeſsionis, vt diximus, regnum Dei, ſeu regnum Cælorum eſt. deſtinatio vero, id eſt ſcopus, puritas cordis, ſine qua ad illum finem impoſsibile eſt, quempiam peruenire.* Iuxta quam doctrinam Caſſiani, obſeruantia regularum inſtituti, quam ſcopum Caſſianus appellat

finis intrinſecus eſt: regnum verò Cęlorum eſt alter finis, quē extrinſecum diximus. Eandem doctrinam ſubindicauit etiam S. Baſilius ſer. 1. & 2. de Inſtitutionib. Monachorum: qui ſermones habentur apud Baſilium ante Regulas; licet eam ſatis obſcure tradat: nam ſtatim in principio ſecundi ſermonis hæc habet. *Monachorum vitæ ratio vnum ſibi tantum modo propoſitum habet; animæ ſalutem, & quicquid prodeſſe ad eum finem poteſt.* Idipſum etiam docent omnes Patres, & Doctores, & præcipuè Pater Auguſtinus epiſt. 89. quæſt. 4. fusè oſtendit ſtatum Religioſorum, ſtatum eſſe perfectionis, & ordinari ad ſpecialem Dei cultum. A B

Appellatur quoque is ſtatus, de quo loquimur, Regularis à regula; non quidem vt ſumitur à Iuriſconſulto lib. 1. ff. de regulis Iuris; ſed vt ſumitur in ſacris canonibus cap. 2. diſt. 3. ex Iſidoro lib. 6. Etymol. cap. 16. qui docet Regulam ſic dictam eſſe; *Quod rectà ducat, nec aliorſum trahat.* Vel (vt alij docent apud eundem) regula ſic dicta fuit, vel *quod regat*, vel *quod normam rectè viuendi præbeat*, *vel quod diſtortum, deuiumque corrigat*. Quia igitur illi, qui hunc ſtatum aſſumunt; quibuſdam ſtatutis, & decretis perfectiori methodo proprios actus in Dei cultum dirigunt: & ad obſeruantiam regularum quarundam, & ſtatutorum à Summo Pontifice probatorum ſe ipſos arctant; proptereà Regulares appellantur. Etenim niſi prius ea ſtatuta, quibus arctātur, (quātum vis pia exiſtant,) per ſedem Apoſtolicam fuerint approbata, & confirmata, nullius ſunt roboris, nullam inducunt obligationem; nullam conſtituunt Regulam, nec aliquem quantumuis Dei ſeruum in ſtatu regulari, aut in ſtatu perfectionis acquirendæ conſtituunt. At qui in aliqua Religione ab Apoſtolica ſede approbata, vitam Regularem profitetur, is Religioſus, & Regularis verè dicitur; de queque talibus loquimur in præſenti Capitulo, ſi contingat aliquem ex his cū C D

ſan-

A ſanctitatis opinione diem extremum claudere, eiuſque acta
ad trutinam euangelicę perfectionis reuocari per reſpectum
ad Beatificationem, & Canonizationem.

Regularis iſte ſtatus conuenienter diuiditur in Monaſticum, & Clericalem ex Franciſco Suarez tom. 4. de Relig. tract. 9. lib 1. cap. 7. Qui duo ſtatus pluribus quidem ex capitibus diſtinguuntur, & ſumitur prima diſtinctio à fine; ad quē ordinantur. Nam Religio Clericorum per ſe tanquam ad fi-
B nem proprium ordinatur ad ea, quæ in diuinis myſterijs tractantur, per reſpectum ad proximorum vtilitatem; videlicet ad inſtructionem fidelium, & infidelium in doctrina Chriſti, & Sacramentorum adminiſtrationem; ad quæ non ordinatur Religio Monachorum. Hanc ipſam diſtinctionem, & inſtitutorũ diuerſitatem inſinuauit etiam D. Thomas 2.2. quæſt. 187. art. 1. vbi docet, & affirmat Religioſis, ac Monachis nõ licere prædicare, docere, aut ſacramen-
C ta miniſtrare fidelibus defectu iuriſdictionis, quæ reſidet in Parochis. Et in reſponſ. ad 2. & 3. arg. idipſum magis, ac magis explicat, ſicut etiam ibidem quæſt. 189. art. 7. in corp. rationemq; afferens quia per ſe primo, ait, ad Religionē Clericorum ſpectāt ea, quę pertinent ad diuina myſteria: at vero ad Monachos per ſe non pertinet, vt ſint Clerici; quod etiam in decretis 16. q. 1. cap. *Nemo* & cap. *iuxta*. expreſsè dicitur.

Hinc ſequitur aliud diſcrimen inter Monachos, & Cleri-
D cos per reſpectum ad finem intentum, in ſtatu enim & religione Clericorum, quibus cura animarũ commiſſa eſt, & Sacramentorum adminiſtratio; ſtudijs incumbere tenētur, qui ad clericatum aſſumuntur, vt rectè, & ſanè prædicare, docere, ſacramenta miniſtrare, & alia munia exercere queant, iuxta finem clericalis inſtituti: ad hæc tamen ſtudia non tenentur per ſe primo Monachi. Quamobrem dicitur in Capitulo Nicenæ Synodi relato 16. q. 1. *Firmiter, & indiſſolubiliter*

omnibus præcipimus, ne aliquis Monachus pænitentiam alicui tribuat. Ideſt Sacramentum pænitentiæ adminiſtret: & in cap. *Interdicimus* hæc habentur. *Interdicimus etiam Abbatibus, & Monachis publicas pænitentias dare, Infirmos viſitare, & vnctiones facere, & miſſas publicas cantare &c.* A

Diſcrimen aliud inter Monachos, & Clericos, reliquos externos actus reſpicit, nimirum rationem victus, & veſtitus: quę omnino diſtinguũtur in Canonicis etiam regularibus ab habitu Monachorum: vt habetur cap. *Mandamus.* 19. q. 3. B
Auſterior enim debet eſſe habitus, ſeu veſtitus Monachorũ, quàm Clericorum, ſeu Canonicorum. Cap. *Cum ad monaſterium.* de ſtat. Monach. Quamobrem D. Tho. in opuſc. 14. tanquam differentiam certam inter Monachos, & Canonicos Regulares ſupponit; Canonicis licere lineis vti induméтis; à quibus Monachi abſtinere tenentur, ex decreto Innocentij III. capitulo iam citato. Similiter eſus carnium prohibetur Monachis in Cap. *Cum ad Monaſterium.* §. *in refectorio.* & in Cap. *Carnem.* de conſecrat. diſt. 5. & id quidem ſub graui pœna: qui tamen carnium eſus non prohibetur Clericis: quam ob rationem putant aliqui dictum eſſe ab Innocentio III. in cap. *Quod Dei timorem.* Regulares Canonicos ſub laxiori regula militare, ſcilicet quantum ad ieiunia, indumenta, & alias corporis auſteritates; cum tamen Monachi auſteriorem viuendi rationem ex inſtituto tenere cogantur. C D

Clerici Regulares diuiduntur in Canonicos, & non Canonicos. Canonici Regulares, vt plurimum militant, ac viuunt ſub Regula S. P. Auguſtini: nec vnicum in ratione viuendi retinét inſtitutum, ſed diuerſa ſunt inſtituta Canonicorum & habitu, & forma pro diuerſitate Prouinciarũ Sunt igitur aliqui Canonici regulares dicti Lateranéſes, quòd aliquãdo eam tenuerint Eccleſiam. Sunt alij, qui dicuntur Præmõſtra-

A ſtratenſes,& alij Sācti Saluatoris de Scopeto ita nūcupati: Alij à locis,in quibus primam inſtitutionē acceperunt. Alij dicuntur de Auibus in Luſitania. Sūt alij Venetijs,qui à loco,& tēplo ſancti Spiritus appellantur,& alibi fortaſſe aliter,quorum notitia ad me non peruenit: nec enim quotquot ſunt in orbe terrarum Canonicorum inſtituta numerāda ſuſcepimus per ſuas inſtitutiones recenſere; ſed aliqua tantùm de his in genere prælibaſſe ſufficiat, quantum noſtro ſit ſatis inſtituto.

B Clericorum quoque regularium diuerſa dantur his noſtris temporibus inſtituta, & in his recenſentur Clerici ſancti Spiritus in ſaxia: Clerici Regulares qui Theatini dicuntur: Clerici Regulares de Somaſca; Clerici Regulares Societatis Ieſu, Clerici Regulares Ambroſiani; Clerici Regulares S. Barnabæ apud Mediolanum; Clerici Regulares Infirmorum; Clerici Regulares Minores; Clerici Regulares Scholarum piarum, & alij fortaſſe per orbem terrarum Clerici Re-

C gulares habentur; quorum notitia nec ad me peruenit, nec noſtro inſtituto neceſſaria eſt.

Monachi quoque diuiduntur in Mendicantes, & non Mendicantes: alijque ita ab alijs diſtinguuntur; vt Monachi propriè non Mendicantes dicantur. Ad quorum numerum ſpectant Benedictini, Ciſtercienſes, Chartuſiani, Camaldulenſes, Hieronymiani, & alij, quorum nulla vel modica eſt notitia apud nos Italos. Mendicantes propriè ad quatuor

D inſtituta reducuntur: nimirum ad Auguſtinianos, Prædicatores, Minores, & Carmelitanos, quibus ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ priuilegio adiunctę ſunt Religio, Sanctæ Mariæ Seruorum, Religio Minimorum, Religio Ioannis de Deo, Congregatio S. Hieronymi de Piſis; & alij quos recenſere ſuperfluum exiſtimo in præſenti.

His ita in genere de Regularibus præmiſſis obſeruare oporte, quantū ad eorundē obligationes ex quibus ſanctita-

tis notæ ſunt ſubodorandę, non eiuſdē Ordinis, ac gradus fo- A
re omnes Regulares; etiã ſi ſpecificè conſiderentur, omnino nec ad eaſdem teneri obligationes. Nam quamuis in genere, quotquot Religiones, ac Regularium inſtituta habentur in Eccleſia, in ſubſtantiali ſtatu Religoſitatis cõueniant: qui quidem in eo conſiſtit, vt qui hunc ſtatum complectuntur, perfectionem charitatis erga Deum, & conſequenter etiam circa proximum in primis velit. *Eſt enim ſtatus Religionis ex* doctrina D. Th. 2. 2. quæſt. 186. art. 7 & q. 187. art. 2. B
& quæſt. 188 art. 1. in corpor. *quoddam exercitium, quo aliquis exercetur ad perfectionem charitatis.* Propterea ſtatus Religionis propriè collocatur in renũciatione ſæculi per tria vota ſubſtantialia: vt docet D. Th. 2. 2. quæſt. 186 art. 7. & in traditione ſui ipſius in Dei ſeruitium, talibus firmata notis, vt homo ſe totum conſecratum diuino obſequio ſubindicet.

Hinc D. Thomas 2. 2. q. 188. art. 1. duobus tantùm modis diſtingui Religiones inter ſe docet: videlicet ratione finis C
ſpecifici, & etiam mediorum, & exercitiorum: quibus medijs ad eundem finem quamuis tendant; nihilominus propter hanc ipſam mediorum diuerſitatem; varia, ac diuerſa inſtituta conſtituuntur in Eccleſia Nam aliquę Religiones chorum nocturnum, atque diurnum aſſumpſerunt, ſuis horis ac ſpatijs diſtinctum: ita vt die, noctuque in diuinis laudibus occupentur. Ita ferè omnes Religiones antiquiores tam Monachales, quam Mendicantes, quæ in Deo laudando tam D
frequentē pſalmodiam retinuerunt; vt fere nullum Religioſis ad reliqua humanitatis munia obeunda tēpus ſuper eſſet: ex quibus aliquę etiã contemplationi in tantũ addictę fuerũt; vt proximi ſpirituale bonũ exemplo tantùm promouere, & orationibus iuuare videãtur: in hoc numero recenſentur Carthuſiani, Eremitæ Camaldulenſes, ac Montis coronæ, monialesq; omnes, quotquot perpetuæ clauſuræ ſunt adſtrictæ:

Aliæ

A Aliç Religiones ſűt in Eccleſia, quç cum ex inſtituto varia charitatis opera,in bonũ proximi habeant;in huius exercitio plurimum occupantur: qua ratione Religiones inſtitui poſſe ad opera vitæ actiuæ docet D. Th. 2. 2. q 188. art. 2. Propterea huiuſmodi Religiones, ea ratione inſtitutæ, vel nullum habent chorum; vel ſaltem non tam frequẽter, ſicut quas diximus Monachales: & ideo ex proprijs illarũ inſtitutis ſanctitas, ac notç ſanctitatis alicuius ſerui Dei Regularis in

B prædictis hauriendæ erunt. In numero harum Religionum, quæ in bonum proximi occupantur, meritò recenſentur Religiones omnes militares, de quibus D. Th. loco citato art. 5. quarum inſtitutum eſt vel Chriſtianos, & Chriſtianorum ditiones, ac bona ab hoſtibus Chriſtianæ fidei defendere; vel tuto peregrinos ad loca ſancta deducere; vel eos ad hoſpitium recipere, vel à languoribus curare, vel Fideles inſtruere. Quamobrem ex ratione boni quæſiti ad proximi vtili-

C tatem, poteſt religio aliqua inſtitui ad prædicandum, & ad ſtudendum per ordinem ad proximi inſtructionem: de quarum inſtitutione loquitur D. Th. loco citato quçſt. 188 art. 4. & 5. Reponitur in horum numero Religio Societatis Ieſu: illa etiam Religio quç dicitur de Somaſca & quç ſcholarum piarum dicitur; puerorum inſtitutioni operam dant. Proximũ infirmum reſpicit, & in eo curãdo verſatur Religio hoſpitalarium fratrum Ioannis de Deo. Religio S. Spiritus in ſaxia,

D & Clerici Infirmorum, ac ſimiles Aliæ reſpiciunt proximum in captiuitate detentum à Religionis Chriſtianæ hoſtibus; & in eo redimendo occupantur: in quorum numero recenſentur qui Trinitarij appellantur: inſtituti quidem de mandato Innocentij III. & etiam qui ſanctæ Mariæ de mercede appellantur: inſtituti à S. Raymundo de Peniafort, & Petro Aragoniç Rege. Quç omnes Religiones, & Religioſi illarum eò tendunt, vt ex Dei amore proximum iuuent.

Status

Status Religionis, ſiue ſtatus regularis, vt docet D. Th. 2. 2. quæſt. 186. art. 1. ad 4. *Principaliter eſt inſtitutus ad perfectionem adipiſcendam per quædam exercitia, quibus tolluntur impedimenta perfectæ charitatis*. Et ideo non ſolùm votis, ſed etiam Regulis, & conſtitutionibus quibuſdam conſtabilitur; vt impedimenta charitatis tollãtur; atq; etiam in eiuſdem charitatis exercitijs ipſimet religioſi occupentur. Et licet doctè quidem Pater Suarez to. 4. de Religione tract. 8. lib. 1. cap. 1. n. 3. probet coincidere in idipſum multoties vox *Regula* cum voce *Conſtitutio*. Nihilominus certum eſt apud aliquas Religiones, præſertim antiquiores, verbo Regulæ tantùm ſignificari quandam ſpecialem normam viuendi, à primo aliquo fundatore Religioſi alicuius ſtatus traditam, & per Sedem Apoſtolicam non ſolùm approbatam, ſed etiam confirmatam. A B

Quia tamen Regulæ à primis fundatoribus latæ, aliquando in tantum breues exiſtunt; vt non comprehendant omnem caſum, neque occurrerint quibuſcumque neceſſarijs ad rectam viuendi normam in eo regulari ſtatu, quem inſtituerunt is vel ille inſtitutor; propterea ab eiſdem Religioſis ſectatoribus inſtituti, capita quædam ordinata ſunt in conuentu procerum; quibus ad eiuſdem Regulæ obſeruantiam ſectatores facilius dirigantur: quæ quidem ſtatuta ad diſtinctionem Regulæ, vocabulo Conſtitutionum communi fraſi ſignificantur. Inter Regulam autem, & conſtitutiones illud eſt diſcrimen, quod ex regulis ab Apoſtolica Sede confirmatis, aliquid immutari non licet; niſi ex eiuſdem ſedis Apoſtolicæ auctoritate: at verò Conſtitutiones & ſtatuta, Patrum eorundem auctoritate conſtabilita, ab eiſdem etiam in conuentu Procerum permutari poterunt, vt docet Anton. 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 4. & probatur ex Ioanne Andrea ab aliquibus, quod verum eſt, niſi huiuſmodi Conſtitutiones confirmatæ C D

A matæ fuerint ſpeciali ſedis Apoſtolicę Bulla ſeu diplomate. Tunc enim permutari nequeunt, neque in totum, neque aliqua ex parte, niſi conſenſu eiuſdem Sedis ſpeciali, litteris Apoſtolicis expreſſo.

Scire quoque neceſſe eſt; quod Regulariũ ſtatuta, conſtitutiones, & decreta; quibus Religioſi cuiuſque inſtituti ad proprium finem, tàm intrinſecum, quàm extrinſecũ diriguntur; quamuis varia, atque diuerſa exiſtant, pro varietate, ac B diuerſitate inſtitutorũ; atque ex placito huius, vel illius fundatoris, qui ſectatores ſuos his, vel illis ſtatutis in Dei obſequium, & in exercitio horum, vel illorum bonorũ operum ligare voluit: hæc tamen ipſa ſtatuta, & decreta, non eandem nec parem inducunt obligationem. Sunt enim aliqua, ad quę Profeſſores alicuius inſtituti ex voto obligantur; alia ſunt ſtatuta, ad quæ Religioſi non ex voto aliquo, ſed tantùm ex regulis proprij Inſtituti tenentur: ſunt denique etiam alia, C ad quę religioſi tantùm obligantur ex Conſtitutionibus, non autem ex aliquo voto, aut iuramento.

In his vero regulis, & conſtitutionibus ſunt quædam, ad quæ Religioſi (præter ea ad quæ tenẽtur ex votis) ex vi præcepti ligantur: qualia ſunt, quæ per verbum *Præcipimus* tam in regula, quàm in conſtitutionibus exprimuntur. At ex vi alicuius præcepti Religioſos non arctant; quæ verbo *Præcipimus* non ſtabiliuntur, ſed tantùm ex ſtatutis, & decretis ad D Regulæ obſeruantiam ordinatis, vt Religioſi à terrenis ſemoti vni Deo per affectum coniungantur. Inſuper præter ſtatuta prædicta vniuerſalia, ſunt quoq; alia decreta, & ſtatuta cuiuſque conuentus ſingularia, in viſitatione à ſuperioribus edita pro bono regimine huius, vel alterius Conuentus, tàm in temporalibus, quàm etiam in ſpiritualibus; quę præ oculis habẽda erũt in exquirendis actis alicuius Dei ſerui regularis.

Eſt autem diſcrimen maximum inter regularium obligatio-

gationes circa prædicta contenta in Regula, conſtitutionibus, & ſtatutis tàm generalibus, quàm ſpecialibus. Regulares etenim ad ea, ad quæ ex voto obligantur; ſub lethalis peccati pœna grauiſſima adſtringuntur; ita vt quicquid commiſerint contra votum, in præiudicium virtutis Religionis, quæ Dei cultum primario reſpicit illud perpetraſſe cõſtet. At vero ſi quid Regulares egerint contra id, quod præceptum eſt in Regula, aut in conſtitutionibus, vtique peccant mortaliter; non tamen vt plurimum, & immediate contra Religionis virtutem; ſed in hac vel illa materia iuxta qualitatem præceptorum, quæ habentur in Regula, aut in Conſtitutionibus eius inſtituti, quod Religioſus profeſſus fuerit. A B

Quia verò vt plurimum Religioſorum, ac Inſtitutorum conſtitutiones explicare æquum fuit an prędictis velint obligare Religioſos ad peccatum mortale, an ad veniale, vel ad neutrum: propterea dicendum eſt, quod Religioſi ſi quid contra ſtatuta in conſtitutionibus ſui Ordinis poſita egerint; quæ præcepto, aut cenſuris non ſint alligata; tunc tranſgreſſor peccabit quidem vel venialiter, vel omnino, nec venialiter; ſubiacebit tamen pænis in conſtitutionibus poſitis; præſertim vbi conſtitutiones in hoc ſe explicant. Quemadmodum videre licet in conſtitutionibus Ordinis Fratrũ Prædicatorum, & Eremitarum S. Patris Auguſtini: in quarum ſtatim exordio legitur, noluiſſe Patres ex vi ſtatutorum illorum, ſeù conſtitutionum, Religioſos obligari, neque ad peccatum mortale, neque ad veniale; ſed tantum ad penas in conſtitutionibus poſitas atque expreſſas. C D

Quia tamen inſtitutorum tranſgreſſio contemptum indicat; propterea quantumuis leues extiterint huiuſmodi tranſgreſſiones, nihilominus in examinando acta cuiuſcunque Dei famuli per reſpectum ad Canonizationes habendæ erunt in numero, & conſiderandæ tanquam impedientia

cha-

A charitatem, & debilitantia argumenta ſanctitatis, niſi ex alio capite, vel capitibus argumenta ſanctitatis fortiora, ac validiora concurrerint.

Præterea ad ſanctitatis notas hauriendas ex actibus alicuius Dei ſerui Regularis, prænotandum erit, in vna eademque religione inter Religioſos eiuſdem inſtituti, diuerſos dari gradus, & conſequenter eorundem obligationes variari. Nam aliqui ad inſtitutum admittuntur, vt choro, & doctrinæ in-
B ſeruiant, videlicet prædicationi, & confeſſionibus audiendis; ac propterea ad ſacros Ordines promouentur aliqui. Alij lectionibus, & inſtructioni operam dare tenentur ex præcepto ſuperioris; quia hac de cauſa ad religionem recipiuntur. Alij vero ad inſtitutum admittuntur, non quidem vt choro inſeruiant, aut doctrinis incumbant, ſed vt miniſtrent in officinis monaſteriorũ, & vt reliquis Religioſis eiuſdem inſtituti altioris gradus inſeruiant, veluti cæterorũ famuli: qui
C quidem vt plurimum in omnibus Religionibus habitum diſtinctum à reliquis ferre conſueuerunt, incedentes vel ſine corona, vel ſine caputio ſi fuerint Monachi, vel aliquod aliud habent diſtinctionis ſignum, quo à reliquis, qui choro ſunt addicti, vel ſunt altioris gradus diſtinguantur etiam nomine; dicuntur enim Conuerſi vel Laici apud Mendicantes; fratres dicuntur à Carthuſienſibus, aliter apud alios: hi, quamuis choro nimirum Pſalmodiæ non ſint addicti; habent tamen
D numerum orationum ſibi iniunctum ex inſtitutione Religionis: diuerſum quidem pro Inſtitutorum diuerſitate; ex quarum diligenti recitatione notæ, & ſigna Sanctitatis, ac Religioſæ perfectionis ſubodoranda erunt.

Quoties igitur acta alicuius Dei ſerui Regularis erunt inquirenda, & examinanda ad effectum Beatificationis & Canonizationis, non ſolùm aduertere oportebit cuius inſtituti fuerit Dei ſeruus de quo agitur; & quænam ſint Regulæ &

Con-

Conſtitutiones, ad quarum obſeruantiam ille tenebatur; verùm etiam cui numero in Religione addictus erat; qualiter in his ſe geſſerit; quæ vota in profeſſione emiſerit ſolemnia, vel ſimplicia: in his enim obſeruantijs ratio perfectionis religioſæ collocatur, vt docet D. Th. 2. 2. q. 186. art. 6. Quia per hęc inducitur obligatio perpetua de aliquo bono opere, & ex votis, regulis, atque conſtitutionibus dignoſcitur, quibus obligationibus Dei ſeruus ſubſtantialiter adſtringeretur. Etenim ex diligenti iſtorum omnium cognitione, & inueſtigatione ſanctitatis argumenta reor hauriri poſſe, ex quibus ſedes Apoſtolica decernere conſueuit; an aliquis Dei ſeruus regularis fidelibus ſit proponendus ad cultum, veluti vitæ norma, & morum exemplar. A B

Et quidem quantum ad Vota, in quibus ſubſtantiales obligationes quorumcunq; Religioſorum conſiſtunt, ſolemniora vt plurimum ſunt tria tantùm, nimirũ Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis: licet & alia apud aliquas religiones his adiuncta ſint; quæ omnino conſideranda, & præ oculis habenda erunt in actibus alicuius Dei ſerui regularis, vt ſtatim dicemus. C

Ne quid verò deſiderandum remaneat in hoc noſtro opere, ad Regularium, & Religioſorum obligationes cognoſcendas; poſtquam de communi Regularium vouendi ratione per expreſſionem votorum diximus, pręcognoſcendum cenſui, Monachos ab antiquis temporibus profeſſionẽ emittere conſueuiſſe per promiſſionem ſtabilitatis in aliquo ſpeciali monaſterio, conuerſionis morũ, & obedientię ſecundùm hanc, vel illam Regulam ſub hac verborũ forma. *Promitto ſtabilitatem meam, in hoc monaſterio & conuerſionem morum meorum, & obedientiam ſecundùm Regulam* v. g. ſancti Benedicti, *coram Deo, & omnibus Sanctis eius, quorum reliquiæ ſunt in hac Eccleſia, vel Monaſterio, in præſentia talis, vel talis* D

A *talis Abbatis &c.* Et ſub hac verborum forma communiter Monachi profeſſionem emittere conſueuerunt.

Verbum *Promitto*, in profeſſionibus, quas edunt Regulares cuiuſcunque ſint inſtituti, neceſſario prærequiritur, tum ex intrinſeca ratione voti, quod *eſt promiſsio facta Deo*, iuxta communem Theologorum, & Canoniſtarum definitionẽ, ita vt ſi deſit verbum *Promitto*, nullum ſit votum, nec aliqua inducatur obligatio; tum denique, quia ad rationem profeſ-
B ſionis, & eius firmitatem neceſſaria eſt obligatio, quam inducit verbum *Promitto*. Vt paſsim oſtendunt Iuriſprudentes. Promiſsionis enim voce ſignificatur tàm pactum, quàm pollicitatio, & quæcunque alia conuentio, quæ omnia vigore illius vocis *Promitto* ſtipulantur; vt habet Ioan. Caluinus in ſuo Lexico iuris verbo Promiſsio: & probat per l. *ſciendum*. §. 1. & ſequent. ff. de edil. edict. & ex l. 3. ff. de pollicit. & l. 2. & 3. & l. fin. ff. de aleator. & per alia plura iura l. Titio.
C §. pen. de verb. oblig. Vnde promiſsionis rei dicuntur omnes, qui ſimul aliquo pacto, vel conuentione obligantur. *Ideoque promiſsionis verbum*, inquit ille, *modo de pacto, modo de aliquo alio contractu, modo etiam de ſola ſtipulatione pro re ſubiecta interpretandum eſt*. l. *ſi mandato*. §. fin. ff. de mandat. d. & l. 1. §. *eum qui*. de conſtit. pr. d. l. 37. de pact. Cum igitur duæ interueniant rationes in quacunque profeſsione Regularium, voti nimirum ratio, & pacti perpetui
D cum Religione; ideo ad vtrumque firmandum, primam ſedem obtinet verbum *Promitto*.

Quæ autem promittantur in profeſsione regularium inſtitutorum, licet ex proprijs regulis in ſpecie ſint attendenda; tamen per ſubſequentia verba communiter à Monachis declarantur. *Promitto ſtabilitatem*: qua phraſi ſignificatur perſeuerantia perpetua in religione. Sed quia Monachi à tempore S. Benedicti, & infra vni Monaſterio tantùm addicti

erant,

erant; nec dabatur tranſitus ab vno Monaſterio ad aliud A
(Quamuis eiuſdem eſſent inſtituti, & regulæ) ſine ſpeciali cauſa, & priuilegio; cum communis aliquis Superior illis non eſſet: propterea dum aliquis habitum Religionis aſſumpſiſſet in aliquo Monaſterio, profeſſionemque edidiſſet, etiã ius filiationis acquirebat in eo Monaſterio: vt nec Monachis illum expellere liceret, niſi iuxta ſtatuta Ordinis; nec Monacho liceret inde diſcedere: ea propter Monachorum profeſſiones ſtabilitatẽ promittunt in aliquo ſingulari Monaſterio. B Sed cum poſtmodum Monaſteria plura eiuſdem inſtituti ſub regimine vnius ſuperioris erecta fuiſſent; communicatioque inter Monaſteria, & Monachis ab vno Monaſterio ad aliud, de licentia Prælati tranſmigrandi facultas data, hinc verbum *Stabilitas*, & eius ſignificatio dilatata eſt ad perſeuerantiam, non tam in monaſterio, quàm in Religione. Quia varo hæc ſtabilitas cadit ſub verbo *promitto*, propterea qui clam Religione, aut monaſterio egreditur, contra votum feciſſe conſtat. C

In Forma quoque profeſſionis monaſticæ attendatur, promiſſionem fieri *coram Deo; & ſanctis eius*: quę verba valent idem ac promiſsio facta Deo; quod eſt de ratione voti. Deo enim vota immediate fiunt, & non alijs. Nam cum Sanctis vota nuncupantur, quatenus ſunt Dei membra, & amici, ſimiles promſsiones voti vim habent. Cumque, vt dicebamus ſupra in verbo *promiſsio*, vis illius vocis dicat pa- D ctum, & ſtipulationem cuiuſdam contractus ante Deum, & homines; propterea promiſsio in profeſsione religioſa fit in manu ſuperioris Religionis, vel Conuentus; qui eam promiſsionem ex perſona Dei acceptat, & coram reliquis monachis, ac ſanctis in Eccleſia quodammodo exiſtentibus, tanquam teſtibus ad pactionem & contractum vocatis. Hac etiam de ratione, profeſsio in ſchedula aliquá ſcribitur, & legitur

A gitur à profitẽte alta voce; publicè ſignatur, & ſubſcribitur, ex
inſtitutis aliquorum regulariũ: nomine, & manu propria eius,
qui profeſſionem emittit: altari quoq; imponitur, vel Supe-
riori traditur, vt rationẽ contractus, & inſtrumenti profeſſio
edita retineat. Quam ob cauſam penes aliquas alias Reli-
giones, præſertim mendicantes, ſolet aduocari publicus ta-
bellio; vt eius auctoritate, ac tabulis, profeſsio edita ſtabi-
liatur, ac firmetur per publicum inſtrumentum.

B 3 Secundo loco promittitur à monacho nouitio, vt vidi-
mus: *Conuerſio morum.* ideſt mutatio in melius. Sub qua di-
cendi phraſi, quæ eſt communis in omnibus profeſsionibus
inſtituti monaſtici, intelligitur ſecundũ aliquos Paupertatis,
& Caſtitatis vota, quę duo alia ſunt eſſentialia inſtituto regu-
lari: vt dicitur in cap. *Cum ad Monaſterium.* de ſtat. Monach.
§. *Abbas verò.* Quamuis igitur ex vi inſtituti Benedictini an-
tiquitus non exprimerentur huiuſmodi duo vota: quia inter-
C dum permittebatur receſſus, & diſceſſus à Religione; poſt-
modum tamen ex decretis Conciliorum, prohibitus eſt hu-
iuſmodi diſceſſus; & voto Religionis annexum fuit votum
Paupertatis, cap. *Monachi.* de ſtatu Monach. vbi Gloſa ibi-
dem poſita ad litteram G. allegat multa iura; quibus oſten-
dit ac probat de ſubſtantia Monachatus eſſe non habere
proprium; ac etiam Continentiam perpetuam illibatam Deo
ſeruare. Quamobrem hæc duo vota obſeruanda, & cuſto-
D dienda ſpondet ille, qui profeſsionem emittit per ſuprapoſi-
ta verba. Et Nouitius abdicat ſe à quibuſcunque rebus mun-
danis, & à quibuſcunque voluptatibus. In hac enim abdica-
tione, morum conuerſio conſiſtit. Niſi potius velimus præ-
dicta duo vota paupertatis, & perpetuæ continentiæ in pro-
miſsione, & voto obedientiæ comprehendi, vt D.Th. 2.2.
quæſt. 186. art. 8. docuit.

Verum magis apertè, & expreſsè vota Religionis ſolem-

nia conſueuerunt edere nonnulli ex Mendicantibus, & reli- A
qui Regulares, qui poſtmodum in Eccleſia Dei inſtituti fuere; exprimendo ſigillatim, quæ nam voueant ſolemniter, dicendo. *Promitto Obedientiam, Caſtitatem, & viuere ſine proprio.* Promittitur itaque primo loco *Obedientia:* in qua virtute ſtat religioſi inſtituti ſubſtantia: & iſtud obedientiæ votum eſt reliquis dignius: vt omnes Theologi tradunt cum D. Th. 2. 2. quæſt. 186. art. 8. Et ratio eſt, quia per hoc votum homo Deo ſacrificat propriam voluntatem; vt dixit B
S. Gregorius lib. vlt. moral. cap. 12. ante medium: quæ voluntas potior, ac dignior eſt, quã corpus, quod offertur Deo in religione per caſtitatem: & quam ſint exteriora bona, quæ Deo offeruntur in profeſsione, per votum paupertatis. Et denique quia votũ Obedientiæ cum ſit propinquius fini perfectionis religioſæ, cuiuſmodi ſunt exercitia charitatis, perfectius quoque nos coniungit Deo. Demum quia votum Obedientiæ cõplectitur in ſe reliqua etiam vota Caſti- C
tatis, & Paupertatis, vt diximus ex D. Tho. non ſolùm loco citato in corpore, ſed etiam quæſt. 104. art. 3. propterea in hoc vno voto plurimi totam alicuius Religionis, & Regularis inſtituti ſubſtantiam collocant: ac ideo nonnullæ Religiones hoc tantum votum conſueuerunt exprimere in Profeſſione, vt faciunt Prædicatores.

Paupertatis votum neceſſarium eſſe ad perfectionem religioſi ſtatus, fuſe probat D. Th. 2. 2. q. 186. art. 3. Quia cum D
ſtatus Religionis ſit quoddam exercitium, & quædam diſciplina per quam peruenitur ad perfectionem charitatis: & hæc omnia terrena bona, terrenorumque affectus homini impedimẽto ſint ad charitatem, & Charitatis perfectionem adipiſcẽdam; propterea neceſſarium eſt Religioſo, affectum ſuum totaliter à rebus mundanis abſtrahere, vt ad perfectionem charitatis peruenire poſſit. Terrena autem hæc bona &

A terrenorum affectus, homini impedimento fore præclarè docuit Pater Auguſtinus lib. 10. confeſ. cap. 29. vbi cum Deo ſic loquens. *Minus te amat* inquit *qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*. Et in lib. 83. quæſt. in quæſt. 36. dicit; *Nutrimentum charitatis eſt diminutio cupiditatis, perfectio* (ſupple charitatis) *nulla cupiditas*. Quia igitur ex eo quod aliquis res humanas, & terrena bona poſſideat; animus eius ad eadem amanda, & diligenda facile allicitur; propterea in-
B ter vota Religionis eſsẽtialia votũ paupertatis annumeratur.

Verum circa Paupertatem, & abdicationem à rebus caducis obſeruandum occurrit, non omnium Religionum, ac Regularium æquam rationem ſeruari circa votum paupertatis. Nam ſunt aliquæ Religiones, quibus non licet bona habere nec in particulari, nec in communi: vt eſt Religio franciſcanorum, prçſertim illorum qui puritatem, ſeu rigoroſam Regulæ obſeruantiam profitentur; vt Capuccini, & alij: qui
C tenentur ex voto, non tam ad paupertatem vt ſic, quam ad mendicantem: adeo rigoroſè, vt pecuniam ſponte oblatam, vel relictam penes ſe retinere, aut etiam contrectare per iocum nequeant: quales ſunt etiam Patres Diſcalceati Auguſtiniani.

E contra verò ſunt aliç Religiones, quibus nedum permiſſum eſt ab Apoſtolica ſede bona in communi habere, & ad communes vſus retinere; ſed etiam habere aliqua; & retinere
D de licentia Prælatorum Ordinis ad vſus proprios in propria cella, ac eas etiam transferre de loco ad locum; quoties ipſos remoueri cõtigent; vt ſunt libri, ac etiam pecuniæ oblatæ, vel à conſanguineis conceſſæ: quas tamen manifeſtare Superiori tenentur; toties reſignandæ quoties ſuperiori videbitur.

De Caſtitate nihil aliud nobis dicendum occurrit, niſi peculiari ratione ad ſtatum Religionis pertinere prout docet D. Thom. & cum eo reliqui Doctores 2. 2. quæſt. 186. art. 4.

Quia ad Religionis perfectionem requiritur abſtractio, & alienatio hominis à quibuſcunque rebus, quæ impedimento ſunt, Dei ſeruo ne totaliter, in Deum feratur. Cũ igitur propter vehementiam delectationis, & frequentem Venereorũ vſum, non ſolum concupiſcentia in homine augeatur; ſed etiam retrahatur animus à perfecta intentione tendendi in Deum: ac etiam propter ſollicitudinem rerum temporaliũ, quam Venus ingerit ad vxorem filios, & domum nutriendã: inde fit, vt qui ad Religionis perfectionem aſpirat, propoſitum caſtè viuendi habere, & hũc per profeſſionem voto confirmare teneatur: quem violantes, nedum peccare dicuntur peccato ſimplicis luxuriæ, ſed etiam ſacrilegij. Hæc breuiter dicta ſint de tribus votis; quæ de ſubſtantia, & eſſentia cuiuſcunque Religionis cẽſentur: loquendo de Religionibus propriè ſic dictis; non autem de aliquibus Religionibus, & inſtitutis militaribus, quibus matrimonij vſus conceditur. Quæ inſtituta non ſunt, ſimpliciter loquendo, Religiones, vt docet D. Th. loco citato in reſponſ. ad 3. arg. ſed Religiones dicuntur ſecundum quid, in quantum in aliquo participant quædam ad ſtatum Religionis pertinentia.

A

B

C

CAP. IV.

De notis Sanctitatis alicuius Dei ſerui Regularis.

D

PRÆCOGNITIS itaque ac probatis Regularium Religioſorumq; obligationibus, quæ capite præcedenti breuiter ſubindicauimus; notæ ſanctitatis cuiuſcunque regularis, cum primis ex plena obſeruantia in gradu perfecto, & heroico hauriuntur, illorum omnium, ad quæ Dei

ſeruus

A ſeruus Regularis obligabatur: non tam ex votis in profeſſione nuncupatis, quam etiam ex decretis, ſtatutis, ac conſtitutionibus eius inſtituti, quod Dei ſeruus, de cuius Beatificatione, aut Canonizatione agitur, tenuerit. Et quidem maximè obſeruandum eſt, quod præter vota religioſa, quibus Regulares aſtringuntur, ex ſolo etiam ſtatu Regulari; qui ſtatus perfectionis eſt; quilibet Religioſus ad plura alia obligatur; præſertim vt in dies perfici ſtudeat, progrediendo de

B virtute in virtutem: vt doctè, & ad longum probat meus Lezana in ſumma quęſt. Regular. cap. 1. agens de obligat. Regular ratione ſtatus perfectionis. Sũt etiam in quolibet inſtituto Regulari quædã ſacræ inſtitutiones, & ſanctæ conſuetudines, quę votorũ obſeruantiam, & cuſtodiam coadiuuant: in quarum ceremoniarũ exacta cuſtodia ſtat ratio perfecti Religioſi. Exempli gratia, Ordo Prædicatorum habet, vt religioſi perpetuò à carnibus abſtineant, niſi infirmitate tenea-

C tur: Hoc idem ſeruant Monachi Benedictini, ac Ciſtercienſes. Carthuſiani verò tanto rigore hanc ſanctam à carnibus abſtinentiam retinent; vt nec etiam in grauiſsimis infirmitatibus carnibus veſci, etiam in extremo infirmitatis agone alicui concedatur: quamuis Medicus ex eſu carnium poſſe ſanari, ac viuere infirmum affirmaret. De qua quidem Carthuſianorum à carnibus rigoroſa abſtinentia fusè Theologi, in 1. 2. D. Th. & nouiſsimè Vaſquez diſputant.

D Sanctitatis itaque nota in aliquo Dei ſeruo Regulari ex tribus capitibus videtur expiſcanda; præter cõmunia Chriſtianis omnibus, videlicet ex progreſſu illius de virtute in virtutem ratione ſtatus religioſi, ab exacta obſeruantia, & cuſtodia votorum, quæ nuncupauit, quando profeſſionem emiſit; & denique ex vigilantiſsima obſeruantia & cuſtodia illorum omnium, quæ tam in Regula, quàm in conſtitutionibus ſui Ordinis continentur; ad quorum cuſtodiam Re-

gularis ex vi profeſsionis, vt vidimus capite precedenti, A
obligatur.

Occurrit obſeruandum in hac materia, quod Regulæ, & Conſtitutiones Regularium non ſunt ęqualis ponderis. Nam aliquæ tantùm benedictæ, approbatæ, & laudatæ exiſtunt à ſummis Pontificibus: vt Cōſtitutiones Ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, in quibus nihil eſt, quod obliget Religioſos ad peccatum veniale, aut mortale: ſicut etiam Conſtitutiones fratrum Prędicatorum, niſi ea quę ſub aliqua B
cenſura in eiſdem præcipiuntur, ex decretis alicuius Capituli Generalis: quæ ſtatuta, & mandata ſic obligantia, vt plurimum ſub verbo *Præcipimus, & Mandamus*, ſtabiliuntur. Sunt aliæ Conſtitutiones, & Ordinationes aliquarum Religionum, quæ non ſolùm approbatæ, & benedictæ à ſummis Pontificibus fuerunt, ſed per ſpeciales Bullas ab eiſdem confirmatæ: ita vt in corpore Bullæ ſic latæ, totum Conſtitutionis corpus, & omnia ſtatuta, ac decreta in eis contenta com- C
plectantur. In his igitur conſtitutionibns ſic diſpoſitis, & in corpore Bullæ inſertis, omnia quę ſtatuuntur ſub verbo *Præcipimus*, præcepti vim habent: ac propterea ſubditi ad obſeruantiam talium præceptorum obligantur, ſub pæna peccati mortalis ex vi voti, niſi adſit ſpecialis aliqua exceptio. Qua ratione licet non arctentur Religioſi ex vi voti, quoad cuſtodiam reliquorum ſtatutorum, in tranſgreſsione tamen illorum, quæ continentur in conſtitutionibus à labe peccati D
venialis excuſari me iudice nequeunt.

Ad notam igitur Sanctitatis alicuius Dei ſerui Regularis requiritur neceſſario, vt Dei ſeruus inſtituti, quod fuerit profeſſus, omnimodam obſeruantiam tenuerit; non ſolùm quantum ad vota, ſed etiam quantū ad ea, quæ tam in regula, conſtitutionibus, & à ſuperioribus eiuſdem religionis ſtatuta fuerunt ſiue præcepta ſint, ſiue non. Et ratio eſt in promptu,

quia

A quia hi, qui ab Eccleſia Canonizantur, & Beatificantur, proponuntur imitandi, vt norma morum: vel Vniuerſali Eccleſiæ in Canonizatione; vel particulari in Beatificatione, cuius ſaltem mores non condemnantur. At ſi aliquis contemptor, aut tranſgreſſor ſui inſtituti, etiam in minimis, à Summo Potifice Beatificaretur, aut Canonizaretur; viderentur ab Eccleſia ſaltem non reprobari huiuſmodi trãſgreſsiones: nec in his requiri omnimodam perfectionem, qualem in diſcipu-B lis Chriſtus requirit dicens. *Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter caleſtis perfectus eſt*. Vt igitur acta illius, qui Beatificatur, aut Canonizatur, correſpondeant doctrinæ Chriſti; dicẽdum eſt in regulari, requiri omnimodam obſeruantiam illorum omnium, quæ in regula conſtitutionibus, & decretis ſui inſtituti à maioribus conſtituta fuerunt.

Altera ratio ſumitur à gradu heroico. Nam actus virtutum illorum regularium, de quorum Beatificatione, ſiue Ca-C nonizatione agitur; gradum heroicum attingere debent: ſed hunc gradum attingere nequeunt acta ſeruorum Dei; niſi in eis reſplendeat rigoroſa regulę, Conſtitutionum, & inſtitutorum obſeruantia omnium. Propterea enim Summi Pontifices in Bullis latis pro Canonizatione ſeruorum Dei Regularium, meminere de rigoroſa cuſtodia ſtatutorum eius inſtituti, quod talis ſeruus Dei profeſſus fuerat: videlicet de vigilijs nocturnis, de deuota pſalmodia, de frequentia Chori,
D de ieiunijs, & alijs ſimilibus, quæ Religionis, & inſtituti obſeruantiam reſpiciunt. Vt in Bulla *Romana Catholica* lata pro Canonizatione S. Raymundi, Clemens VIII. Qui, cum de eius ex præcepto Pontificis itinere in Hiſpaniam cum Cardinali legato mentionem feciſſet, hæc habet §. 19. *Quodque omnibus mirum fuit, toto illo itinere, nihil vnquam de ſolita ciborum abſtinentia, vigilijs, ieiunijs, precationibus, totiusque Religionis ſeueritate remiſit; ſed obſeruantiſsimus conſtitutio-*

num ſui Ordinis, ne latum quidem vnguem ab illius ſtatutis, & legibus diſcedebat. Quare ſuſpiciebant ipſum vniuerſi, colebant omnes, Ioannes Cardinalis ſummopere diligebat &c. Ita etiam, & reliqui Summi Pontifices in alijs ſeruorum Dei canonizationibus, vel in genere, vel in ſpecie de hac obſeruantia conſtitutionum meminere, quoties in bullis acta illorum recenſenda fuerunt. Vt Ioannes XXII. in Bulla *Redemptionem miſit* lata pro Canonizatione ſancti Thomæ de Aquino ſic de illo loquitur §. 3. *Præmittebat diuina, vt roboraretur in ſchola: cum ſingulis diebus antequam lecturus aſcenderet Cathedram, vel diſtraheretur ad alia, miſſam vnam celebraret, aliam audiret. In quibus, & aliàs in oratione, cum in illa foret aſſiduus lacrymarum effuſionem mentis ſuæ dulcedinem, deuotionemque Deo, cui nihil eſt abſconditum, reuelabat.* & infra §. 4. hæc habet. *Totus igitur Dei famulus diuinis operibus intentus, aut eruditioni, qua præcellebat, aut prædicationi, qua immotus erat, aut orationi qua deuotus, aut Scripturæ ſacræ, qua profundus, ſedulus vacabat; adeo vt præter naturalis neceſſitatis, aut quietis horas, nullum ſibi aut vix temporis ſpatium relinqueret otioſum.* Et Leo X. in Bulla Canonizationis S. Franciſci de Paula, quę incipit *Excelſus Dominus*, dum loquitur de huius Dei ſerui virtutibus hæc habet §. 10. *Nunquam à laboribus ceſſabat, niſi cum orationi, diuinisq; rebus intendebat; qui etſi vigilijs, continuisque ieiunijs maximis eſſet aſtrictus, lapides tamen, calcem, & ligna, aliaque ad fabricam neceſſaria proprijs etiam humeris deferre non deſinebat.* Clemens quoque Octauus in Bulla *Benedictus Pater*, lata pro Canonizatione S. Hyacinti Ordinis Prædicatorum, de eius inſtituti prædicatorij obſeruantia cum nonnulla dixiſſet; tandē §. 13. hæc ait. *Summa denique hac eſt, quam à Sancto Dominico eiuſdem Religioſi inſtituti auctore, tanquam è puriſſimo fonte hauſerat viuendi rationem, eandem ipſum ad extremum vſque vitæ*

diem

A *diem ſanctè, & religioſè ſeruaſſe.* & infra. *Quanta porrò in corpore caſtigando, atque in ſeruitutem redigendo illius fuit ſeueritas, ſingulæ noctes indicio fuerunt, quibus ſeſe vſque ad ſanguinis profuſionem affligebat; qua verò continentia, & moderatione in victu omni fuerit, præter ſextas ferias, Beatiſsimæ etiam Dei Matris Mariæ Virginis, & Sanctorum Apoſtolorum vigiliæ ad vnam omnes declarant, quibus excepto pane, &* B *aqua nihil omnino guſtabat: diuini autem Numinis propitiandi tanta cura, tantaque ſollicitudine tenebatur; vt totas noctes in templo fundendo ad Deum precibus inſomnis perſæpe conſumeret. Et ſi quando inedia, ac ſopore feſsis, & cadentibus membris ſomnum capere cogebatur; aut ſtans lapidi tantùm altari innixus, aut iacens humi ſcilicet proſtratus quieſcebat. Et quoniam nihil magis quàm otium, homini præſertim Religioſo, vitandum eſſe ſentiebat; idcirco quicquid temporis vacuum illi ab oratione ſupererat, id omne partim colendis ſacris ſtudijs,* C *partim habendis concionibus, partim confeſsionibus audiendis, partim etiam ægrotis inuiſendis, partim denique Deo, & proximis ſeruiendo impendebat.* Idipſum Innocentius IV. in Bulla *Magnis & crebris* ſępè relata, cum de S. Petri Martyris in Religionem ſacram Prædicatorum ingreſſu meminiſſet; cuius inſtituta proprij in primis ſenſus, ac corporis mortificationem reſpiciunt. *Et quia ſeruus delicate nutritus* inquit *proteruit in Dominum; carnem ſuam aſſidua cibi, & po-* D *tus paruitate reſtrinxit: ne vero per ocij deſidiam hoſtilibus pateret inſidijs, in iuſtificationibus Domini exercebatur aſsiduè: vt eo circa licita totaliter occupato, locum in ipſo illicita non haberent, & à ſpiritualibus nequitijs tutus eſſet.* Plura poſſent afferri, de virtutibus Dei ſerui regularis, & quantum faciat ad notam ſanctitatis ea probaſſe; ſed, qui ea deſiderat Sanctorum vitas percurrant.

Verùm quia Religionis, ſiue Regularis inſtituti obſeruantia

tia maximè in diligentiſſima cuſtodia Votorum ſubſtantia- A
lium eſt poſita : illorum videlicet trium , quæ ſunt commu-
nia Religioſis omnibus , qui verè Religioſi ſunt ; nimirum
in cuſtodia Obedientiæ, Paupertatis,& Caſtitatis; propterea
in contemplandis piorum , & ſeruorum Dei actis , quænam
vota vnaquæque Religio profiteatur ; & quænam ſit vniuſ-
cuiusq; Religionis profeſſio cognoſcere oportet ; de quibus
aliqua diximus capite præcedenti. Et in obediendo quidem B
Religioſus adeo cæcus exiſtere debet; vt nulla habita conſi-
deratione, niſi ſub ratione liciti,& honeſti eorum,quæ ſibi à
Superiore iniunguntur; eidem cum omni promptitudine,&
ſuauitate obedire debeat: quia,vt adnotauit D. Thom. 2. 2.
quæſt. 104.art. 5.& quæſt. 10.art. 10. & Leſs.lib.2. de oblig.
iuſt. cap.41. dub.9. n.76. materia voti non eſt, nec eſſe po-
teſt res illicita , & inhoneſta . Eſt autem Obedientia adeo
eſſentialis ſtatui Regulari, vt,licet poſſit aliqua Religio inſti-
tui abſque voto Caſtitatis,vt aliquæ ex militaribus,& abſque C
voto Paupertatis ; nulla tamen poteſt inſtitui Religio ſine
voto Obedientiæ . Quia Obedientiæ votum veluti baſis, &
fundamentum firmum , cuiuſcunque Regularis inſtituti , &
reliquorum votorum Paupertatis , & Caſtitatis ſe habet in
his inſtitutis, quæ veram rationem religionis retinent. Hinc
Summi Pontifices quoties de Canonizatione alicuius Dei
ſerui Regularis agunt , ad votorum obſeruantiam ſeſe con-
uertunt : vnde Eugen. IV. in Bulla *Licet militans* lata anno D
Domini 1447. pro Canonizatione S.Nicolai de Tolentino,
de illius in Religione feliciſſimo progreſſu ex obedientiæ cu-
ſtodia hæc habet §. 4. *Sanctus equidem iſte , in ætate exi-
ſtens tenera ſe ſub magnæ Religionis diligentia , ſumma cum
obedientia , & humilitate ſeruabat , caſtigando corpus ieiunijs ,
vigilijs , orationibuſque inſiſtebat deuotus , gratus , humilis , obe-
diens , benignus , ſuauis , pius , patiens , conſtans , maturus , com-
poſitus ,*

A *poſitus, virtutum quibuſdam aromatibus plurimos attrahebat.* Et alij ſummi Pontifices quoties de Canonizatione alicuius Dei ſerui Regularis agunt, ad votum Obedientiæ, illiuſque cuſtodiam in primis reſpiciunt. Licet enim voluntas Superioris, niſi fuerit intimata, rationem præcepti non induat, nec ſubditum arctet, vt docent Vazq. in 1. 2. diſp. 155. ad fin. & Tolet. in ſumma cap. 15. n. 10. obedire tamen voluntati Superioris etiam non intimatæ perfectiſſima obe-
B dientia eſt: vt habet Lezana de oblig. Relig. cap. 4. n. 7. Quique ita ſe gerit, non ſolùm id, ad quod tenetur, efficit; ſed etiam id, ad quod non tenetur ex pręcepto, ſed tantùm cadit ſub conſilio. Et eſt doctrina D. Gregorij lib. 35. moral. cap. 13. & D. Th. in 2. diſt. 44. q. 2. art. 3. Obedire autem his, quæ à Superioribus ſuggerũtur ſub conſilio, eſt magna perfectio obedientiæ, quã aliqui ſuperobedientiam appellant, vt Sanchez lib. 6. in decal. cap. 1. n. 2. Quamobrem meritò adno-
C tauit hoc Clemens VIII. in Bulla *Romana Catholica* lata pro Canonizatione S. Raymundi anno Domini 1601. in qua de ſollicitudine Dei ſerui circa cuſtodiam Religioſorum votorum hæc habet §. 13. *Et quoniam obedientia humilitatis vita eſt; ad hanc tuendam, atque conſeruandam exemplo Mediatoris, & Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, vir iuſtus die ac nocte meditabatur obedientiam; ac ſepulto propriæ voluntatis*
D *arbitrio, mortuus huic ſæculo vitam cum Chriſto in Deo abſconderat, ac totus à ſuperiorum nutu pendebat.* Et de S. Didaco Sixtus V. in bulla anno Domini 1588. lata pro eius Canonizatione, verba faciens de huius ſerui Dei obedientia §. 6. *Superiorum & Prælatorum mandata,* inquit *& iuſſa tanta obedientia, tantaque alacritatè exequebatur, ac ſi Deum in eis loquentem audiſſet.*

Circa Caſtitatem adeo ſeuerus Religioſus appareat neceſ-

ſe eſt;

ſe eſt; vt nec nutu oculorum, nec in verbis, aliquid in moribus illius ſuſpicari liceat; quod cordis munditiem nõ redoleat. Tenetur enim Religioſus abſtinere ab omni motu venereo tam externo, quàm interno, qualiſcunque ille ſit: ita vt nec vanis cogitationibus locum præſtet quãtumuis leuiſſimis. Hanc ſanctam puritatẽ Caſtitatis tanti fecit ſemper Eccleſia, pręſertim cum agitur de aliquo Dei ſeruo Regulari, vt vbi hæc puritas deeſſet; nec per ſomnium liceat aliquid ſuſpicari ſanctitatis poſſe apparere, quæ imitanda fidelibus reliquis meritò proponatur. Quamobrem Religioſis plurimum conducit mulierum familiaritatẽ, etiam conſanguinearum, quantum fieri poteſt, declinare: vt fertur feciſſe ac docuiſſe Sãctum Patrem Auguſtinum; de quo in Breuiario Romano & eius actis hæc leguntur. *Fœminarum, & in eis ſororis, & fratris filiæ contubernium, familiaritatemque vitauit. Quippe qui diceret, & ſi propinquæ mulieres ſuſpectæ non eſſent; tamen quæ ad eas ventitarent, poſſe ſuſpicionem efficere.* Proinde qui Sanctorum acta conſiderant, & in his notas ſanctitatis inquirunt, diligentiſsime caſtitatem veſtigent: vt cuncta cognoſci valeant, quæ pertinent ad perfectionem exactam virtutum in gradu heroico; ad quam perfectionem peruenire debet is, de cuius vita, & moribus informationes fabricantur, & acta examinantur per reſpectum ad cultum Beatificationis, & Canonizationis. A B C

Hæc eſt ratio cur Summi Pontifices in Bullis Canonizationum plurimi fecere hanc virtutem Caſtitatis, & eius Cuſtodiam: vt Innocentius IV. in Bulla *Magnis & crebris*. Lata in Canonizatione S. Petri Martyris: vbi §. 3. hæc habet. *Ipſe namque veritatis filius, & bonitatis alumnus, conuerſatione conſpicuus, ſpectabilis fama, & opinione mirabilis, miro præfulſiſſe nitore munditiæ, virginitatem integrè cuſtodiſſe, nec mentis habuiſſe, nec corporis corruptelam, & nullius mortalis criminis* D

A *minis ſenſiſſe contactum firma ſuorum Confeſſorum aſſertione monſtratur*. Et de Sancto Thoma Aquinate, Sydere Eccleſię lucidiſſimo legitur, in Romano Breuiario; quod cum fratres ab inſtituto regulari eum auocare conarentur; atque in arce caſtri Sancti Ioannis per vim retinerent; mulieremque impudentem ad labefactandam eius conſtantiam immiſiſſent; eandem *titione fugauit* ne cõmacularetur. Et Clemens VIII. in Bulla *Benedictus Pater*. Lata anno. 1594. in Cano-
B nizatione S. Hiacinthi, de caſtitate, & candore pudicitiæ huius Dei ſerui agens §. 13. habet *Nam ſiue Chriſtianæ humilitatis ſpecies ante oculos proponantur, eo nihil erat demiſsius, nihil modeſtius: ſiue caſtitatis, ac virgineì pudoris imago pulcherrima deſideretur, illo nihil purius, nihil candidius fuit.* Et de Sancto Raymundo idem Clemens VIII. de cuſtodia caſtitatis eiuſdem ſancti viri §. 15. hæc habet. *Caſtitatis quæ Celeſtis, & Angelicus eſt theſaurus, amantiſsimus fuit; &*
C *præcintos lumbos, & lucernam boni operis in manibus habens, eam in fictili corporis vaſe, in ſanctificatione, & honore portans, incorruptam, & integram vſque ad extremum vitæ diem conſeruauit.*

A caſtitatis voto ad votum paupertatis tranſeamus; cuius religioſæ paupertatis excellentia inde conſpicitur, quod Saluator noſter inter Beatitudines eam primo loco collocauit. Matth. 5. dicens. *Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt*
D *regnum Cælorum*. Religioſi igitur voto paupertatis, dominio, ac etiam quocunq; iuridico rerum temporalium vſu ſe ipſos omnino priuant. Et quemadmodum per votum obedientiæ Religioſi omnes, ſuas actiones voluntati Superioris ſubmittunt; ita per votum paupertatis omnem temporalium rerum vſum voluntati eiuſdem addicunt. ita Nauarr. com. 2. de Regul. & omnes tam Theologi, quam canoniſtæ tradunt.

Perfecta verò paupertas ea eſt, quæ nec aliquid poſſidet; nec

nec apud ſe retinet, niſi neceſſaria omnino, & ea abiectiſſima. Huius voti obſeruantiam, Religioſus tam ſtricte conſeruare debet; vt ſanctam paupertatem non ſolum teneat, & obſeruet, ſed etiam amet: paupertatem amplectatur, & ita complectatur, vt neq; in veſtitu neq; in ſuppellectilibus propriæ cellæ aliquid appareat, quod paupertatẽ non redoleat: nihil ſibi appropriet, nec etiam in libris, aliquid velut proprium retineat: immo ardentiſſime concupiſcat inter pauperes pauperrimus fieri. Veſtitus ſit laneus, tam intus, quam extra iuxta Religionis ſtatuta, & cilicinus etiam ſi expedit. Cella, lectus, & ſi quid ad vſum illi conceditur; quamuis pauperrima, & deſpectui habita ab alijs Religioſis, hæc ipſa Dei ſeruus concupiſcat, & habeat. A B

Et quidem tanti fecere Summi Pontifices voti paupertatis obſeruantia in quocunque regulari, vt de hac veluti de nota ſanctitatis eximia, meminerint in Bullis latis pro Canonizationibus ſeruorum Dei Regularium. Nam de Sancto Didaco Sixtus V. in Bulla *Rex Regum* lata anno Domini 1588. loquens de paupertate huius ſerui Dei, & quãtum eam diligeret hæc habet §. 6. *Sanctam paupertatem Domini ſui ſponsã chariſſimam quam diligentiſsime cuſtodiebat, omnia arbitratus vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret*. & §. 15. *Poſtremo* (inquit) *cum ſe iam moriturum intelligeret, comitis ipſius, & adiutricis fideliſsimæ, quæ illum in huius vitæ peregrinatione nunquam deſeruerat, hæc eſt ſanctæ paupertatis; in ſupremo vitæ die non oblitus, ſed in eius infimo ſinu, quàm maxime fieri poſſet. ſpiritum emittere cupiens, conuocatis fratribus obnixè rogauit, vt ſibi veſtem obſoletam, & laceram, habitumque omnium viliſsimum in quo moreretur concederent*. De S. Franciſco eius magiſtro inter acta, quæ recenſentur, ſcribitur quod omni tunica moriturus denudari rogauit, ac ſuper nudam humum in ſumma paupertate Spiritum Creatori ſuo reddere voluit. C D

De

A De S. Raymundo de Peniafort, quem Clemens VIII. in ſanctorum numerũ retulit anno Domini 1601. Deq; amore paupertatis ad notam ſanctitatis verba faciens Summus Pontifex in § 14. litterarum Apoſtolicarum, quarum exordium eſt. *Romana Catholica* ſic ait. *Beatam paupertatem Regni Cælorum præmio dignam, & Chriſti ore laudatam, toto pectore amplexus eſt: ac eam veluti fraternæ pacis fundamentum, munditiam vitæ, curarum huius mundi abdicationem,*
B *proximam denique, & quaſi compendiariam ad Deum viam, ſtudioſiſſimè ſemper coluit; ac ſemetipſum tanquam aurum igne probatum in camino paupertatis expurgabat.* Ex quibus ſanè Summorum Pontificum atteſtationibus planè conſtat; quanti ſit facienda Religioſa paupertate, quàm Regulares omnes profitentur.

Sunt aliquæ Religiones, quæ præter tria vota communia habent adiunctum aliud quartum votum: ac etiam cum
C ſolemnioribus votis, quædam alia vota ſimplicia in emittenda profeſſione nuncupant. vt Religio Societatis Ieſu, cuius Religionis patres, & inſtituti ſectatores, quartum votum obedientiæ Summo Pontifici emittunt: eundi nimirum ad prædicandum Euangelium Chriſti quocunque miſſi fuerint ab eo, etiam ſine aliquo viatico: & præter hæc vota non nulla etiam alia vota ſimplicia nuncupant. Religio minimorum habet præter tria, etiam quartum ſolemne votum perpetuæ
D quadrageſimæ. Religioſi fratrum, ſeu Clericorum Sancti Spiritus in ſaxia, quartum votum perpetuo inſeruiendi infirmis emittunt; viuendique cum ſolo pane & aqua. Fratres qui dicuntur Ioannis de Deo, voto inſeruiendi infirmis ligantur. Aſſiſtendi agonizantibus, cum alijs pluribus votis ſimplicibus ligantur Clerici infirmorum. Inſtituta alia regularium pari ratione alijs aliter, atque aliter votis ſolemnibus ac ſimplicibus ligantur. Quæ omnia vota tam ſolemniora quàm ſim-

ſimplicia conſideranda occurrunt in actis quorumcumque A
Seruorum Dei per reſpectum ad Canonizationem, & Beatificationem.

Clauſura quoq; veram rationem Religioſi reſpicit: & quãuis Carthuſiani tantum perpetuam clauſuram retineant; reliquæ verò cum maiori, vel minori rigore clauſuram cuſtodiant; illud tamen certum, indubitatumque ſit, ad Religioſi cuiuſque perfectionem plurimum conducere, colligere ſe ipſum intra ſepta, non tam monaſterij, quàm etiam cellæ: B
his dando operam ſtudijs, quæ Inſtituti quod profitẽtur propria cenſentur, præſertim orationi, ac lectioni ſacrorum librorum, quibus homo perfectè inſtruitur ad Regnũ Dei. Si verò Regularis cuius acta examinantur, ex his Religioſis fuerit, qui ad ſacros ordines minimè promouẽtur: hac occaſſione in eius actis inueſtigare oportebit; quanta cum humilitate ſe geſſerit cum Religioſis reliquis, executioni mandando quęcunq; ſibi fuiſſent iniuncta à Superioribus: ſiue coquinę, C
ſiue horto, ſiue infirmis ſibi miniſtrandum fuiſſet. Vt ex his omnibus tam Iudex in fabricando proceſſu, quam reliqui in exquirendo acta Seruorum Dei, de quibus agetur, nihil ex his omittant, quæ neceſſario requiruntur; vt ſtatus perfectionis cuiuſque Dei ſerui Regularis plene cognoſcatur. D

CAP.

A

CAP. V.

De notis, & ſignis Sanctitatis alicuius Dei ſerui ſolitarij ſeu Eremitæ.

CASSIANVS Monaſticorum inſtitutorum
vetus Magiſter, & doctor; vel vt ita dicam
B Scriptor doctrinę Monaſticæ, quę tunc in Ec-
cleſiam Dei apud Orientales vigebat, in col-
lationum libro, collat. 18. cap. 4. 5. 6. 7. & 8.
de diuerſis apud Ægyptios Monachorum generibus agens,
ea quidem diſtinguit in Cænobitas, de quorum origine, &
profeſſione agit cap. 5. in Anachoretas, de quibus cap. 6. ſcri-
bit; & alios. quos Sarabaitas appellat, de quibus cap. 7. loqui-
tur; & denique in alios, qui ſeparatim ab hominibus propè
C Pagos in cellulis ſoli viuunt: quos nos eremitas nunc appel-
labimus ad diſtinctionem reliquorum, quos ipſe recenſuit.
Hi etenim omnes, eo quod ſegregati à credentium turbis,
à coniugio abſtinerent, & à parentum ſecederent con-
ſortio; mundique ac ceterorum conuerſatione declinarent,
μοναχοὶ ſiue μοναζόντες ideſt Monachi, ſiue ſolitarie viuentes à
ſingulari, ac ſolitariæ vitæ diſtrictione ſunt appellati.

De Priori genere Monachorum, nimirum de Cœnobitis,
D nihil dicendum occurrit; cum hi ſint quos Regulares, & Re-
ligioſos hodie nos appellamus; de quibus cap. præcedenti
egimus de reliquis, nimirum de Eremitis, & ſolitarijs aliquid
dicendum remanet. Eſt enim Eremita, & Eremicola is, qui
Eremum inhabitat; Eremus verò locus à frequenti homi-
num commercio ſegregatus appellatur; qui etiam ſolitu-
do dicitur. Quamobrem qui pure, & vere liberius Deo
inſeruiendi cauſa vitam ſolitariam eligit, ſiue ſit in loco

aliquo non omnino ab hominum commercio ſeparato,ſiue ab his longiſſimè ſeparatus vitam ducat; is hodie Eremita apellatur in cap. *Qui vere* 16.q.1.qui etiam ex textu citati capituli ſolitarius dici poteſt,ac debet.Et quamuis olim ſolitarij ab Eremitis diſtinguerentur,quatenus etiam Cænobitæ Eremitæ dicebantur quod in Eremis Monaſteria haberent; ſicut etiam hodie habent plures Religioſi;quo in numero Camaldulenſes. & Carthuſiani, ac Hieronymiani apud Hiſpanos , & alij recenſentur : nihilominus in hoc capite de Eremita agimus, quatenus diſtinguitur à Cænobita, & eſt idem quod Solitarius, ex gloſa eiuſdem Capituli iam citati. A B

Tria ſunt genera ſolitariorum, & primum quidem Sarabaitas appellat,illudque reſpuit,Caſſianus cap.2.quod Euangelicam perfectionem ſimulate potius, quàm vere retinentes, ſolitariam vitam eligant: non vt Deo inſeruiant; ſed vt abſolutis à ſeniorum conſortio, & alterius cuiuſcunque ſuperioris iugo liberis, vagari ſibi liceat ad nutum propriæ voluntatis:contra id quod ex Concil.Calced.decernitur in cap. iam citato *Qui vere*.16.q.1.in eo nanq; capitulo decernitur, debere Eremitas quieti operam dare, & permanere in loco, in quo ſe Deo deuouerint. At verò quos Caſſianus appellat Sarabaitas, & alij ſimiles otioſi, vt nulla quotidiani victus ſollicitudine teneantur; aut alicuius rei familiaris cura ex induſtria occupentur; ſanctitatis ſpeciem ſimulant, vt fidelium deuotione ac pietate victitantes ventrem ſaginent. Quod ſi aliqui ex his in aliquo opere adlaborant, aut aliquibus in ſtudijs exerceantur: & interdum operibus manuum, tam diurnis,quàm nocturnis pluſquam hi,qui in Cænobijs degunt conſumantur, aut etiam ieiunent; hoc totum faciunt ſibi conſulentes:vt videlicet pecunias acquirant,quas recondant; & in proprios vel etiam conſanguineorum, ſiue affinium vſus expendant. C D

Sunt

A Sunt alij ſolitarij de quibus Caſsianus ſcribit cap. 8. qui anachoretarum ſub ſpecie, atque imagine ſibi blandiuntur. Sed dum priſtinos mores retinent, ac vitia reſecare contemnunt; à Monaſterio recedentes ſolitariam vitam ideo eligũt, quia ſubdi Superiorum imperio dedignantur: ſeorſumque ab alijs expetunt cellas, & habitacula; vt à nemine laceſsiti, patientes, manſueti, vel humiles poſsint ab hominibus æſti-
B mari: cum nihil virtutis habeant, de quibus, vt reor loquitur cap. *nulla ratione* diſtinct. 93. in quo decernitur huiuſmodi non eſſe admittẽdos ad exercitia clericatus, ſed ſuſpendẽdos recte, etiam ſi ſint Clerici, aut Sacerdotes. Verum hi, vt docet Caſsianus, vix aut nunquam ad perfectionem Chriſtianam attingunt. Sub hoc enim genere vitæ omnino ſolitariæ, non ſolum non abſcinduntur, aut reſecantur priora vitia; quin in deterius ea ipſa coaleſcunt, dum à nemine prouocatis, aut exercitatis prędictis ſolitarijs, veluti quoddã lethale inteſtinũ
C virus, vitium, quanto amplius celatum fuerit, tanto profundius ſerpens, inſanabilem morbum generat ęgrotanti In hoc genere recenſetur hodie, qui nullius Epiſcopi, aut Superioris licẽntia in locis ſecedunt, in quibus, diebus ab Eccleſia ſtatutis, Sacramentorum vſu carent.

Perfectioris deniq; inſtituti exiſtimãtur ſolitarij, quos Anachoretas Caſsianus ideſt ſeceſſores, vel ſuperiòris cõtemplationis appellat; de quibus loco citato cap. 6. loquitur cuius
D profeſsionis extitiſſe Paulum, Antonium, Hilarionem, Ioannem Baptiſtam, & alios conſtat. Hi enim, & qui poſtmodum eos ſunt ſubſecuti, cum per aliquod tempus in virtutibus ſe exercuiſſent; deſiderio ſublimioris profectus, & diuinæ contemplationi vt efficacius incumberent, poſtquam in Cęnobijs cum alijs degerunt ſub obedientia Superiorum, ſolitudinis ſecreta penetrarũt: non contenti victoria, qua inter homines degentes occultas inſidias Diaboli calcauerunt; ſed

aperto in certamine, ac manifeſto in conflictu cum Dæmonibus congredi cupientes, vaſtos eremi receſſus, in quibus Dæmones aliqui iuſto Dei iudicio detinentur, penetrare non timent. Hi ergo propriè, ac vere ſolitarij; & Eremitæ ab Eremo quam inhabitant, appellantur, & conuenienti honore digni ſunt, vt dicitur in capitulo *Qui vere* 16.q.1. Quorum aliqui, *in ſolitudinibus oberrantes*, vt dicebat Apoſtolus ad Hebr. 11. *In montibus, & ſpeluncis & in cauernis terræ;* mundanas, ac terrenas illecebras declinare Dei gratia fulti contendunt. Hoc enim Eremitarum, ſiue verius Anachoretarum genus, vt dicit Seuer. ſulpit. lib. 21. Dialog. cap. 9. & habetur lib. 4. de vit. Patr. cap. 8. *Habitant in Eremo ſine vllis tabernaculis, viuunt herbarum radicibus, & nullo vnquam certo in loco conſiſtunt; ne ab hominibus vitientur.* A B

Hoc vitæ genus Eremiticum, ſiue Anachoreticum laudabile ſemper in Dei Eccleſia extitit, cap. *Qui vere* 16. vt ſacris ex Scripturis, & Eccleſiaſticis hiſtorijs liquet. Dum enim Bonifacius IX. in Bulla *Ab origine*. lata pro Canonizatione Sanctæ Brigittæ, ſtatus Eccleſiæ recenſet; Anachoretarum quoque §. 7. meminit dicens. *Etiam Anachoretæ, & ſolitudinis, ac eremi ſectatores*, ſupple, ſequuntur reliquos quos iam dixerat. *blandimenta, & captioſi, ſeu venenoſi mundi vana ſpectacula fugientes, vt ſecuri ad patriam peruenirent latibula petierunt; & antris abditæ paruo, & rudi victu, ſcaturientis aquæ lacu potu carnem propriam macerantes, & ſathanæ ſtimulos reprimentes, palliaſtro, vel tegmine hirto amicti, vt plurimum nudis pedibus, & ſqualida humo, aut ſtraminco cubili feſſa membra ſomno refouentes, in ſacra contemplatione, & ſupernæ maieſtatis laude vacantes Deo*, ſupple inſeruiebant. Hos omnes Eremitas nos appellabimus. C D

Loquuuti ſumus in vniuerſum de Solitarijs, & Anachoretis, deſcendamus ſpecificè ad Eremitas, cum eorum nunc

A tractatio noſtri ſit inſtituti: & proprie ſic dicantur, qui vitam Eremiticam elegerunt in ſpiritu libertatis, vt dicunt Theologi. Quamobrem S. Thomas in 4. ſent. diſt. 28. docet Eremitas ſolemne votum continentiæ habere. Quod intelligendum puto, de aliquibus tantum non autem de reliquis; niſi antequam Eremi ſecreta petijſſent, in aliqua Religione ſolemnem profeſsionem, vel votum edidiſſent. Votũ autem obedientiæ non habent, licet teneantur Epiſcopis obedire
B ſicut Clerici, ex cap. *Qui vere* 16. q. 1. vt docent etiam Silueſter verbo Eremita, & Angelus ſub eodem titulo cum S. Thoma 2. 2. q. 186. art. 5. ad 3. Quin etiam extat decretum Sacræ Congregationis ſuper negotia Epiſcoporum, & Regul. in quo Eremitæ nulli ſubditi prohibentur; & mimimè tollerendi dicuntur in quadam Cataníenſe ſub 22. Ianuar. 1582. Quamobrem cum non ſint Religioſi alicuius approbatæ Religionis; nec ſub obedientia alicuius ſuperio-
C ris Regularis exiſtant; poſſunt habere proprium, vt dicit gloſa in cap. citato *Qui vere* 16. q. 1. & eſt textus 19. q. 3. cap. *Perlatum eſt* §. *e contra*. Et ita Silueſter, & Angelus locis citatis tradunt.

Poſſet hic dubitari, an Eremitę, de quibus loquimur in ſtatu perfectionis cenſeantur: quia iuxta D. Thomæ doctrinam voto ſolemni continentiæ ligantur; ac etiam gaudent priuilegio clericali. Nihilominus quia hoc priuilegium non
D conſtituit aliquem in ſtatu perfectionis, nec D. Thomas de voto ſolemni continentiæ propriè ſumpto loquitur; puto his negandum fore ſtatum perfectionis: cum eremitæ nullo publicò inſtrumento, iuramento, aut ſolemni voto ſint adſtricti ad aliquem actum virtutis, à quo recedere nequeant: ſed pro arbitrio ad ſæculum redire queant, & negotiari abſq; peccato bona temporalia, vxoremque ducere: ac propterea eremitas in ſtatu perfectionis cenſendos non admitterem:

quamuis etiam Epiſcopo alicui ſubeſſent; & priuilegio clericali gaudeant. A

Poſſunt tamen Eremitę, ſicut etiam chriſtiani reliqui, perfectionem, & ſanctitatem adipiſci virtutum euangelicarum exercitio. Illorum enim ſtatum valde commendat S. Paulus in epiſtola ad Hebræos, in qua inter ſanctos connumerat, quotquot hoc vitæ genus tenuerunt, dicens. Quod *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, quibus dignus non erat mundus*. Solitariam etenim vitam, illorum videlicet, qui ſe prius B in monaſterijs inter Cœnobitas exercuerunt; multo præſtantiorem eſſe in ſeipſa, quam cœnobiticam ſeorſum conſideratam, ex aliquibus capitibus Sanctus Onuphrius docuit, ac tradidit Sancto Paphnutio eius vitæ ſcriptore; vt legitur in vitis Patrum. Referens enim Dei famulus, quo motiuo ſolitudinem ipſe aliquando petijſſet; docet quod cum hoc vitæ genus laudari in monaſterio ſæpe ſępius audiret; percontaretur; de perfectione ſolitariorum, Monachi omnes perfe- C ctiorem cœnobitica, ſolitariã eſſe affirmabãt. *Quia ſine adiutorio humano viuunt; nihil conſolationis niſi à Deo recipiunt; ſi quando anguſtias, aut tribulationes perpeſſi fuerint; vel cũ Diabolo antiquo humani generis inimico pugnare cæperint. qui eis aſtant; à quo adiuuantur? Sed quibus humanum deeſt ſolatiũ, conſtat eos habere diuinum. Et ſi eſuriunt quis eis panem dabit? ſi ſitiunt, quis eis aquam tribuet? vbi panis & aqua non eſt. Maximus labor in deſertis locis eſſe non dubitatur, vbi nihil ne-* D *ceſſariorũ reperitur*. Hæc Paphnutius ex ore ſancti Onuphrij ſe accepiſſe apud Hieronymum lib. 1. de vit. Patrum teſtatur.

Argumenta ſanctitatis in actis Eremitæ, ſeu Anachoretæ iam conſideranda à nobis veniunt: quæ quidem ſumenda ſunt à ratione ſeceſſus, & ſolitudinis petendæ: à loco in quo quis ſeceſſit: ab aſperitate victus, & veſtitus, nimirum à iejunijs, à Vigilijs, à quotidianis exercitijs, à ſanctis, & pijs

ſtudijs,

A ſtudijs, vt dicitur in cap. *Qui vere* 16. q. 1. A' diligenti cuſto-
dia mandatorum diuinorum, & præceptorum Eccleſiæ: &
denique à frequentia ſacramentorum tam pænitentiæ, quàm
Euchariſtiæ: cum primis verò à virtute pænitentiæ, & mun-
di contemptu. Hęc ſunt capita, ex quibus in actis alicuius
ſolitarij ſeu Eremitæ, ſanctitatis notæ hauriendæ erunt, per
reſpectum ad Beatificationem & Canonizationem: ita ta-
men, vt nullum iſtorum argumentorum ſeorſum ab alijs
B conſideratum, ſufficientem ſanctitatis notam præſtet; ſed il-
la omnia ſimul cum alijs virtutum actibus, ſanctitatem indi-
care certo conſtet.

Quamuis enim Regulares, etiam in his omnibus virtutum
actibus, & circa virtutem pænitentiæ ſingulariter exercean-
tur: cum tamen habeant à regula, & conſtitutionibus pro-
prij inſtituti quod profitentur, præſcriptas vigilias, ieiunia,
ac pænitentiæ actus, ſint etiam ſub Superioris obedientia
C conſtituti: eiſdem Regulas Conſtitutionum, (etiam morti-
ficationis cauſa) excedere non conceditur. Neque aliquam
pænitentiam aſſumere eiſdem licet, niſi ex obedientia
ſuorum Superiorum; quæ in Eremitis locum non habent;
cum Deo inſeruiant, vt diximus, in ſpiritu libertatis.

Primum igitur ſanctitatis argumentum à ratione ſeceſſus
ſumendum diximus. Inueſtigando nimirum in actis alicuius
Eremitæ, quam ob cauſã ſeruus Dei, de quo agitur ſeceſſerit
D ab hominibus, & ſolitudinem petierit. Quia enim gradus he-
roicitatis requiſitus ad rationem ſanctitatis à charitate proce-
dit; propterea qui ab hominum conſortio ſecedit; ex ſolo
Dei amore primario ſecedat neceſſe eſt, non autem alijs de
cauſis, aut motiuis. Eſt hæc doctrina cuiuſdam Alexandræ
feminæ ſolitariæ apud Palladium in vitis Patrum lib. 8.
cap. 5. Hæc enim Dei famula interrogata à Melania Roma-
na cur ſe recluſiſſet. *Quidam* inquit, *inſano mei amore te-*

nebatur: & ne eam viderem, vel moleſtia afficerem, vel in inuidiam vocarem, malui me viuam in hoc monumento inferre, quam offendere animam, quæ facta eſt ad Dei imaginem. De ſancto quoque Paulo primo eremi cultore, authore Hieronymo in Breuiario Romano legitur. *Quod declinandæ cauſa perſecutionis Decij & Valeriani, & Deo liberius inſeruiendi in eremi ſpeluncam ſe contulit.* Licet enim declinandæ perſecutionis cauſa Paulus ad montium deſerta confugiſſet, vt perſecutionis finem prꝺſtolaretur; ſicut dicit Hieronymus in eius vita. *Neceſsitatem in voluntatem vertit.* Vt loquar cum Hieronymo. A B

Cum enim perſecutionis procella contra Chriſtianos detonaret; & Paulo à chriſtianis inſtitutis aberrare in animo non eſſet: vbi intellexit ſororis maritum eum prodere velle, ſeceſſit in ſolitudinem. In ea verò quam reperit ſpeluncam manſit, non iam vt perſecutionis finem præſtolaretur, ſed vt Deo ſeipſum omnino dicaret: quod heroicæ virtutis actus extitit. Teſtem habeo Caſſianum collat. 18. cap. 6. qui cum meminiſſet de ſeceſſu Pauli, & Antonij hæc habet. *Qui non, vt quidam, puſillanimitatis cauſa, vel impatientiæ morbo, ſed deſiderio ſublimioris profectus, contemplationiſque diuinæ, ſolitudinis ſecreta ſectati ſunt: licet eorum prior,* ideſt Paulus, *neceſsitatis obtentu, dum tempore perſecutionis deuitat inſidias, eremum penetraſſe dicatur.* C

In Romano Breuiario de ſancto Franciſco de Paula pariter legimus ſeceſſiſſe, vt Deo liberius inſeruiret, his verbis. *Is Adoleſcens diuino ardore ſuccenſus, in eremum ſeceſsit: vbi annis ſex victu aſperam, ſed meditationibus cæleſtibus ſuauem vitam duxit.* Et de Magno Antonio ſcribit S. Athanaſius eius vitæ Auctor, actorumque meritò admirator; quod cum ſemel Eccleſiam intrans, hæc verba ex Euangelio audiuiſſet. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia tua quæcunque habes, & da* D

A *& da pauperibus, & veni ſequere me; & habebis theſaurum in Cælo.* Et alio die illud aliud eiuſdem Euangelij *Nolite cogitare de craſtino* accepiſſet: diſtracto, ac vendito patrimonio, & pauperibus erogato, ſeceſſit in ſolitudinem, vt Deum ſequeretur: ſolitariamque vitam prius in locis paululum à villa remotis, exinde ad remotiora procedens, denique ad remotiſsima ſe contulit, & in eremo vaſta per annos viginti, ſolitarius ab omni hominum conſpectu latuit.

B Sanctum Hilarionem ſcribit Hieronymus, quod incenſus deſiderio videndi Antonium, cuius fama ſanctitatis tunc erat celebris, perrexiſſe ad eremum: cum quo poſtquam manſiſſet duobus menſibus, & reuerſus in patriam patrimonium pauperibus erogaſſet, nihil ſibi omnino reſeruans, nudus, & Chriſto armatus in ſolitudinem vaſtam, & terribilem, inter mare, & paludem, quæ ſeptimo milliario à Maiuma Gazæ emporio diſtabat, ſe recepit, ſtudio Deo inſeruiendi ex An-
C tonij diſciplina, quàm apud eum ebiberat.

Quibus ſanè rationibus, & exemplis, quamuis plenè conſtet rationem ſeceſſus, quam maximè ad ſanctitatis notam facere; non tamen ex eo tantũ ſeceſſu, exactum ſanctitatis argumentũ ſumetur: niſi ex ſolo Dei amore aliquem ſeceſsiſſe probetur. Nam Palladius in Lauſiaca cap. 34. lapſum cuiuſdam Virginis refert; quæ in quadam cella ſolitaria, in magna victus aſperitate per ſexenium, & in ſumma continentia vi-
D xerat: lapſus tamen rationem aſsignat. *Eo quod non diuino propoſito, & ex charitate ſe exercuerat; ſed vt humanæ ſcenæ ſeruiret: quod quidem eſt vanæ gloriæ & praui inſtituti.* Itaque ſeceſſus facit ad ſanctitatis notam; vbi aliquem ſeceſsiſſe conſtabit, vt Deo liberius inſeruiret, & mundi declinaret illecebras. Quæ duo colligenda ſunt ex actibus ante ſeceſſum, & ex his quæ ſeceſſum comitantur, & cõſequuntur.

A loco pariter, nimirum ab eremo, & ſolitudine, eiuſque

loci

loci aſperitate, ſanctitatis quoque alicuius argumentum ſumi A
poteſt. Quia ab electione loci aſperi, heroicitas actus ſeceſſionis colligitur: & facile ſubodoratur Dei ſeruum non ob aliam rationem ſeceſsiſſe, ſolitudinemque aſperrimam elegiſſe; niſi vt Deo in omnibus obſequeretur; & Mundi illecebras omnino declinaret. Hæc eſt ratio, vt puto, cur in actis ſeruorum Dei, quoties hæc ipſa recenſentur; toties de qualitate loci, ac ſolitudinis ad quam ſe receperunt agitur. Hæc plana, & aperta ſunt ex vitis Patrum, nec non etiam B
ex alijs vitæ ſanctorum libris, in quibus eremicolarum acta conſcripta leguntur.

Illud tamen hic adnotare libet, ad futurorum inſtructionẽ; non admittendum quodcunque vitę genus eremiticum: nec vt bonum probandũ, quod olim apud veteres orientales non improbatum videtur. Multa enim tunc quo ad ſolitudinem, & ſolitariorum vitam permittebantur; quæ nunc non ſolum improbanda veniunt, ſed meritò vitio vertenda, & condemnanda. C
Veteres enim oriẽtales eremicolas ſeceſſiſſe in ſolitudinem, omnino ab hominum conſortio ſeparatos, ibique perduraſſe per annos viginti, triginta, & plures, hominibus omnino ignotos, conſtat ex veterum Patrum hiſtorijs, nullo ſacramento pænitentiæ, aut Euchariſtiæ vſos; nec curam aliquam ſacri audiendi eos habuiſſe legimus. Vt de S. Paulo primo Eremita, & de S. Antonio; quos plures annos hac ratione vixiſſe legimus. De S. Maria Ægyptiaca, de S. Macario D
Romano, nec non etiam de Macario Agyptio, & alijs pluribus, quorum acta paſſim in vitis Patrum conſcribuntur. Quæ quidem fieri, & probari tunc fortaſſe poterant; quando nec chriſtianorum loca frequentiora habebantur; nec ſacerdotum copia. Et fortaſſe Gręcis probari potuit apud quos vna tantum in ſingulis Eccleſijs conſueuit celebrari Synaxis, preceptumque annuè ſaltem ſumendę Euchariſtiæ, atque ſacrum

A crum audiendi diebus feſtis, vel editum nondum erat; vel ſi
editum, nondum tamen publicatum, atque in vniuerſali Ec-
cleſiam receptum.

At verò in Eccefia præſertim Latina, in qua & ſacramen-
torum vſus frequentior ſemper extitit:(præſertim poſtquam
præcepta Eccleſię, non ſolum publicata, ſed etiam vbique in
eadem Eccleſia recepta ſunt.) aliquem ſeceſſiſſe in ſolitudi-
nem, taliter ab hominum commercio ſegregatum, vt ſibi ne-
B ceſſario deficiendum foret ab obſeruantia preceptorum Ec-
cleſiæ; nimirum à ſacro audiendo ſaltem diebus feſtis, Eccle-
ſiam adeundo ad ſacram Synaxim: vel etiam vſu Sacra-
mentorum Pænitentiæ, & Euchariſtiæ carere cogeretur, ob
loci diſtantiam: profectò talis ſeceſſus damnandus eſſet, ac
huiuſmodi hominis vitæ inſtitutum reprobandum.

Extat etiam in Lauſiaca cap. 33. apud Palladium accomo-
datiſſima ad rem noſtram hiſtoria, de quodam ſolitario no-
C mine Ptolemeo. *Cum narratu difficilem, vel potius quæ nar-
rari non poteſt vitam tranſegiſſet:* inquit auctor, *habitauit
enim vltra Scetem in ea, quæ dicitur κλῖμαξ id eſt ſcala. Eſt au-
tem locus, qui ſic dicitur, in quo nemo poteſt habitare, propterea
quod puteus fratrum diſtet decem, & octo milliaribus. Cum
is ergo multa vaſa fictilia portaſſet; & Decembri, & Ianua-
rio menſe rorem collegiſſet. (Eſt enim permultum roris in illis
partibus.) & ſpongia ex lapidibus expreſsiſſet, perſtitit illic ha-
D bitans annos quindecim. Qui abalienatus à doctrina, & con-
greſsione virorum ſanctorum, & vtilitate continua ſacramen-
torum communione, à recta via vſque adeò receſsit; vt quod non-
nulli dicunt impij, caſu omnia fieri, is quoque infelix id fate-
retur.* Hunc igitur miſerrimum, propterea in hæreſim ce-
cidiſſe ſcribit Palladius: quod longe à ſanctorum Patrum
conſortio habitaret: tum quod inſtructione, & doctrina care-
ret, nec non etiam vſu continuato ſacramentorum.

Ille

Ille igitur tantum ſeceſſus in Eccleſia probandus erit; A
qui ſecum admittit vſum, & frequentiam ſacramentorum, cum omnimoda cuſtodia præceptorum Dei, & Eccleſiæ. Quamuis enim Eremicolę vitam ſolitariam in ſpiritu libertatis ducant: ea tamen eſt ipſis Regula perpetuò obſeruanda; vt ad nutum Confeſſarij peragant quicquid ad mortificationes corporis, & perfectionem pertinet: omneſque tentationes diaboli, atque cogitationes Confeſſario aperiant.

Quod autem ſolitudinis, ac eremi alicuius ſigularis aſperi- B
tas, ſiue horribilitas heroicitatem actus ſecedendi commonſtret; qui ſcripſerunt Veterum Patrum acta declarant. Dicebamus enim ſect. 1. cap. 5. notam heroicitatis ſumi in actibus virtutum ex gaudio, quo aliquis Dei ſeruus actum virtutis elicit; nec non etiam ex delectatione, quàm in actu virtutis De famulus deguſtat. Quanto autem gaudio, ac delectatione in ſolitudinem ſe receperint nonnulli Dei ſerui, ſigillatim deſcripſere authores, qui vitas ſanctorum Patrum nobis tra- C
diderunt. Quorum omnium coriphæus extat S. Hieronimus, qui poſtquam ſpeluncæ meminiſſet, quam Paulus reperit ad ſaxeum montem omnibus ignotam, quamque ſibi Dei ſeruus ad obſequendum Deo elegerat, ſubinfert. *Quod ne cui impoſſibile videatur, Ieſum teſtor, & ſanctos Angelos eius, in ea eremi parte, quæ iuxta Syriam Sarracenis iungitur; vidiſſe me monachos, de quibus vnus triginta iam per annos clauſus, hordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit. Alter in* D
ciſterna veteri, quam gentili ſermone Syri cubam vocant quinque caricis per ſingulos dies ſuſtentabatur. Athanaſius quoq; in vita S. Antonij loquens de loco, ac locis ab eo ſelectis, vt diuino obſequio ſe totum conſecraret. cap. 3. ſic ait. *Et primo quidem incipiens etiam ipſe in locis paululum à villa remotioribus manebat* & cap. 7. ait, *Ad ſepulcbra non longe à villa conſtituta ſeceſſit; vni de cognitis mandans, vt*

Statu-

A *ſtatutis diebus ſibi alimenta deferret, & cum in vna memoria,* ideſt ſepulchro, *ſupradictus frater eum clauſiſſet, ſolus ibidem morabatur*. Sed cum indies cor Antonij deſiderio maioris perfectionis ferueret, primus petendi interiora deſerti viam monachis patefecit: quæ ita ab Athanaſio cap. 10. deſcribuntur. *Exinde cum voluntate prompta per merita religioſa ſuccreſceret, vadens ad ſupradictum ſenem* (illum nimirum quem primo adierat, & non longe à pago vitam ſolitariam
B ducebat) *precabatur, vt in deſerto habitarent pariter; cauſante illo ſenile æuum, & rei nouitatem; ſolus contendit ad montem, & eremi monachis, adhuc ignotæ vitæ rupto metu, viam conatus eſt pandere*. Et infra cap. 13. ſic. *Antonius annis viginti ſolitariè tranſactis ab hominum ſegregatus conſpectibus perdurauit*. Et Hieronymus de S. Hilarione, eiuſque loci quem incolebat aſperitate, poſtquam dixiſſet Hilarionem in vaſtam, & terribilem ſolitudinem ſe recepiſſe, quæ erat inter
C mare Ægyptium, & quandam paludem, cap. 5. hæc habet: *Igitur à ſexto decimo vſque ad vigeſimum ætatis ſuæ annum, æſtus, & pluuias breui tuguriunculo declinauit, quod iunco, & carice texerat: extructa deinde breui cellula, quæ vſque hodie permanet; latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc eſt ſtatura ſua humiliore, porrò longitudine paulo ampliore quàm eius corpuſculum patiebatur, vt ſepulchrum potius quam domum crederes*. In actis etiam quorumcunque
D ſeruorum Dei, qui ſoli Deo placere ſtuduerunt; ſemper de loco, & loci aſperitate, de cella, cellæque anguſtia ac ſitu, auctores meminere, tanquam de re virtutis heroicam vim ſubindicante.

Altera ſanctitatis nota in Solitario ſumitur ab aſperitate, & ratione victus, qui licet in Cænobitis formam inſtituti Regularis, quod aliquis profeſſus fuerit, excedere non debeat; in Solitario tamẽ, qui pœnitentię cauſa ſeceſſit, tam victus ratio quam

quam veſtitus à virtute pænitentiæ formam accipiet: adeo A
vt quo aſperior fuerit; eo magis conuenire ſolitudini, ac Solitario cenſeatur. Ea propter quoties legimus aliquem in ſolitudinem seceſſiſſe; ſtatim cum ſeceſſu, eiuſdem quoq; in victu atque veſtitu aſperrimam vitæ rationem legimus. Vt apud Hieronymum in vita Pauli cap. 5. *Igitur adamato*, inquit, *quaſi quod à Deo ſibi offerreretur habitaculo, omnem ibidem in oratione, & ſolitudine duxit ætatem; cibum, & veſtitum ei palma præbebat.* Fructu nimitum dactylorum cibum, B
& hirſutis arboris frondibus veſtem ſibimetipſi contexens. Athanaſius quoque de ſancto Antonio, deque illius veſtitu agens cap. 23. in fine ſic ait. *Veſtimento cilicino intrinſecus, deſuper pelliceo vtebatur: nuſquam corpus lauans, nunquam pedibus ſordes abluens, niſi cum per aquas tranſire neceſsitas compuliſſet.* Sic etiam de S. Hilarione Hieronym. cap. 3. ait. *Igitur ſacco tantum membra coopertus, & pelliceum habens ependitem, quem illi Beatus Antonius proficiſcenti dederat, ſagumque ruſticum; inter mare & paludem vaſta, & terribili* C
ſolitudine fruebatur. Et paullo infra. *Saccum quo ſemel fuerat indutus nunquam lauans, & ſuperfluum eſſe dicens munditias in cilicio quærere; nec mutauit alteram tunicam, niſi cum prior penitus ſciſſa eſſet.* Palladius quoque in Hiſtor. lauſiac. cap. 1. vbi loquitur de Iſidoro Presbytero, quem ſenem ſeptuaginta annorum ſe cognouiſſe ſcribit, de eiuſdem aſpera victus, ac veſtitus ratione verba faciens habet: *Hic ſanctus* D
vſque ad horam obitus nihil lineum geſtauit, extra vittam. Et quidem pæne innumerabila ſunt quæ leguntur in actis ſeruorum Dei, qui ſolitariam vitam ſectati ſunt: vt ſi quis percurerit vitas Patrum, & acta ipſorum conſcripta à ſanctis Hieronymo, Athanaſio, Theodoreto, & alijs, nec non etiam à Palladio, Moſcho, & Heraclide Eremita in ſuo Paradiſo fidem pænè excedentia; intelliget profecto quanti facienda

ſit

A ſit aſperitas victus, ac veſtis ad notas, & ſigna ſanctitatis.

Sed quia virtus Pænitentiæ; quæ eſt propria Eremitarum ieiunijs alitur, & ab Abſtinentia robur accipit; hinc tantopere in Anachoretis Abſtinentia ac ieiunia laudantur, ac veluti notæ ſanctitatis veriſſimæ ſpectantur. De ſancto Antonio Athanaſius hæc habet cap. 6. *Inediæ autem, & vigiliarum in tantum patiens erat, vt incredulitatem viribus vinceret: pernoctabat in oratione ſepiſſimè; edebat ſemel in die poſt ſolis* B *occaſum; nonnunquam biduo triduoque ſic permanens, quarta demum die reficiebatur. Sumebat verò panem, & ſal, potumque aquæ perparuum. De carnibus vero, & vino, tacere melius puto, quam quidquam dicere; quando nec apud plurimos quidem Monachorum iſtiuſmodi reperiatur obſonium.*

De Santo etiã Hilarione, eiusq; abſtinentia, mira ſunt, quæ ſcribit Sanctus Hieronymus, quẽ quidem Dei famulũ *Quindecim tantum caricas poſt ſolis occaſum comediſſe* refert. Quin C etiam cum aliquando voluptatum incendia inſolita ei ſuggererentur à Dæmone, arctiori ſe diſciplinæ conſtringens, *Ego te inquit*, vt idem ſcribit, *Aſelle, faciam, vt non calcitres: nec te hordeo alam, ſed paleis; fame te conficiam, & ſiti: graui onerabo pondere: per æſtus indagabo, & frigora, vt cibum potius quam laſciuiam cogites. Herbarum ergo ſucco, & paucis caricis poſt triduum, vel quatriduum deficientem animam ſuſtentabat.*

D De S. Iſidoro ſcribitur in Lauſica. *Non tetigit carnes, nunquam à menſa receſſit repletus ad ſatietatem.* Et de Dorotheo Thebano cap. 2. hæc habet. *Comedebat autem ſingulis diebus ſex vncias panis, & minutorum olerum decem, aquæ autem bibebat, quantum ſufficiebat.* Nam qui ſolitariè viuunt; nec ſunt ſub alicuius obedientia poſiti: quia Deo liberius inſeruiendi, & pænitentiæ cauſa ſecedunt; propterea in hac potiſſimum virtute ſe exercere coguntur ex con-

ſilio

ſilio tamen Confeſſarij: vt ſubindicauit Clemens VI. in Bulla *Ad ſpiritualis.* lata anno Domini 1347. pro Canonizatione Santi Iuonis, de quo ſic loquitur. *Qui vitam ſanctam pijs exuberantem operibus, caſtigando, & in ſeruitutem redigendo carnem ſuam, ſpiritum non ſine multis, & magnis auſteritatibus geſsiſſe pænitentialibus dum in humanis ageret.* A Diligenter igitur inquirere, & diſquirere oportet in actis alicuius ſerui Dei Eremitæ, cuius diſcutiuntur acta & examinantur, virtutis pænitentiæ actus ad carnem edomandam, ad ſenſus mortificandos, & ſeipſum quantum fieri poteſt humiliandum. B In quibus omnibus ſpiritum diſcretionis, & regulas Sanctorum Patrum obſeruare tenentur; qui huiuſmodi vitæ genus eligunt, & in ſolitudinem ſe recipiunt. Ita tamen vt ab inſtitutis Eccleſiæ, atque à præceptorum cuſtodia, nec latum vnguem ſecedant.

CAP. VI. C

De notis, & ſignis Sanctitatis alicuius Dei ſerui coniugati.

TRIBVS vocabulis, aut dicendi formulis ſignificari conſueuit hæc maris, & fæminę coniunctio: matrimonij videlicet, nuptiarum, & cōiugij. Coniugium etenim appellatur, quod D maſculus & fęmina vno iugo ſimul adſtringātur in matrimonio contrahendo. Nuptiarum etiam vocabulo idipſum ſignificatur; quia, (vt inquit S. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 9. in fine) pudoris gratia puellæ ſe obnuberent, quando viro coniugebantur. Matrimonium denique ex doctrina Patris Auguſtini lib. 19. contra Fauſtum cap. 26. coniunctio maris, & fæminæ potius dicitur, quam patri-

A patrimonium: quod fæmina idcirco maximè nubere debet, vt mater fiat: vel quia prolem concipere, parere, & educare matris munus ſit. Ex quibus ſane vocabulis, illorumque ſignificationibus, & ex ſanctorum Patrum dictis, ſatis manifeſtè conſtat, matrimonij finem potiſſimum eſſe conuictum maris, & fæminæ, ſobolis procreandæ gratia ſi aderit.

Qua ratione fideles, qui coniunguntur, vt diuinę voluntati debite obſequantur, in coniugio quoq; Sanctitatē chriſtianæ
B doctrinæ retinere poſſunt, adeò perfectè vt non defuerint cōiugati in ſacrorum catalogo deſcripti. Qui etiā quamuis rebus domeſticis, & cura familiari diſtraherentur; nec nō etiam in re vxoria detinerentur; Deo tamen fideliter inſeruientes Euangelicam perfectionem in coniugio retinuerunt. Noſtris his temporibus ex horū numero Sanctū Iſidorum Agricolam ſanctorum Catalogo adſcriptum à Gregorio XV. vidimus. S. Ludouicum Francię Regē Bonifacius VIII. in ſancto-
C rum retulit numerum. S. Leopoldū Auſtriæ Ducem in eodem ſanctorū Catalogo deſcripſit Adrianus VI. Omnes igitur intelligant, etiā in ſtatu coniugali, inter curas familiares, & domeſticas à fidelibus Deo perfectiſſimè poſſe inſeruiri. Quamobrē ſi examinanda occurrāt acta coniugati alicuius; qui cum ſanctitatis opinione deceſſerit; virtutes illę, & virtutum actus in eo conſiderandi erunt, qui in coniugio chriſtiano iuxta doctrinam Euangelicam retineri poſſunt: videlicet
D vxoris ducendæ motiua, fides coniugalis continentiæ, coniugij vſus, ſolicitudo prolis educandæ cum Dei timore, familiæ prudenter regendæ cura: rei quoq; familiaris chriſtiana diſtributio ad coniugium ſpectat. Et hæc ſunt argumenta, ex quibus coniugatorum ſanctitas colligenda erit.

Prior igitur ſanctitatis nota in viris coniugatis cenſeri debet, acceſſus ad coniugium non carnis pruritu, ſed ſobolis educandæ, & procreandæ gratia, quod hac de cauſa à Deo

ſuerit à principio inſtitutum coniugium, vt liquet ex illo Geneſ. 2. *Et erunt duo in carne vna*. Quod effectiuè explicant nonnulli, ideſt ratione prolis, quàm maſculus & fæmina coniunctim generant. Extat hæc doctrina in vitis Patrum lib.2. in his, quæ à ſe viſa ſcripſit Ruffinus Aquileienſis cap. 16. ſcribit enim Dei famulum Paphnutium Dominum ſupplicaſſe, vt ſibi reuelaret, cuinam in meritis ſimilis ſuper terram eſſet; & reſponſum accepiſſe ſe ſimilem cuidam viro Primario. Paphnutius igitur hoc accepto reſponſo eo tenēs percontatus eſt ab eo quas præcipuè virtutes coleret: cum pluribus ſe excuſaret verbis, tandem hæc ait: *Triginta iam completi ſunt anni, quod continentiæ conſenſum habere me cum coniuge mea nullus agnouit: ſuſcepi autem ex ea tres filios, horum enim cauſa ſolummodo cognita eſt mihi Vxor, nec præter eam alia, nec ipſa vltra iam cognita*. Deo igitur gratum adeo extitit vxorem accepiſſe prolis tantū de cauſa, & ex inde continentiam coniugalem retinuiſſe; vt huius Dei ſerui ſanctitas ſanctitati, ac meritis ſancti Paphnutij ęqualis à Deo cēſeretur. A B C

Qua ratione igitur, & quo motiuo ad coniugium Seruus Dei, de quo agetur, acceſſerit, primo perſcrutandum videtur; quoties acta alicuius coniugati excutientur; vt virtutum motiua dignoſcantur. De Sancto Ludouico Francorum Rege in eius vita legitur quod *Agente matre, & Proceribus Regni duxit Vxorem*. Cum enim Regna maximum in diſcrimen adducantur, ſi reges prole caruerint; propterea pro Reipublicæ bono decet; immo neceſſe eſt, Reges, ac Principes vxorem ducere, filios habendi gratia, ſucceſſoreſque poſt ſe relinquendi: quemadmodum etiam de ſancto Leopoldo ſcribitur in eius actis apud Surium ſub die 15. Nouembris: qui Agnetem Imperatoris filiam, mulierem pudicitiæ inſignem vxorem duxit; quæ viro ſponte ad bona opera properanti calcaria continuò addidit. D

Qua-

A Qualiter ſe geſſerit cum vxore aliquis Dei ſeruus coniugatus, in actis ipſius conſiderare oportet; & quo ſtudio familiam in Dei timore educauerit. Hæc enim ſunt alia argumenta, ex quibus ſanctitas coniugatorum hauriri poſſit. Familię autem vocabulum duo hic reſpicit, vxorē nimirum, & filios, deinde reliquos ad ſeruitia mancipatos ſi aderint. Sed primò loco à viro, quę vxorem reſpiciunt prę oculis habēda ſunt: & quoties agēdum occurret de aliquo Dei ſeruo coniu-
B gato, per reſpectum ad actus Canonizationis, vel Beatificationis, diligentiſſime inquirendum videtur; qualiter ſe geſſerit cum vxore, ac filijs. Eſt enim viri munus vxorem liberaliter, honorificèque ſemper tractare. Qua in re meminiſſe oportet Euam non fruſtra ab Adamo Geneſ. 3. ſociam appellatam fuiſſe, cum inquit *Mulier quam dediſti mihi ſociam*. Hoc enim vocabulo æqualitatem vxoris cum viro Adam aperuit; Seruilemq; ſubiectionem ab ea remouit: cuius etiā
C rei de cauſa aliqui ex Patribus factū eſſe docuerunt vt non ex pedibus, ſed ex latere viri à Deo formaretur mulier. Decet præterea virum in alicuius rei honeſtæ ſtudio ſemper occupatum eſſe; tum vt ea ſuppeditet, quæ ad familiam ſuſtentandam neceſſaria ſunt; tum ne inerti otio ipſemet langueſcat, à quo omnia fere vitia fluxiſſe Patres docent. Quod etiam feciſſe Dei Seruum Ammonem Palladius in Lauſiac. cap. 8. his verbis refert. *Viuens ergo cum ea*, ideſt cum vxo-
D re, *decem, & octo annos in ijſdem ædibus toto die vacabat horto, & balſameto; operabatur enim balſamum, quæ balſamus inſtar vitis plantatur, vt in qua colenda, & putanda multum laboris ponatur. Veſpere ergo domum ingrediens, & faciens orationes cum ea comedebat.* Nec oſcitanter putes amicè Lector dictum à Palladio, veſpere virum cum vxore comediſſe; ea namque de cauſa ea verba poſita reor, quod propriè ſit viri officium in coniugio, Vxorem in omnibus habere

 ſociam;

ſociam; & cum primis in his, quæ ad conuictum pertinent. A

Deniq. Viri officiũ cenſetur familiam propriã rectè conſtituere, tam filios nimirum quam ſeruos ſi quos habuerit; omnium mores corrigere; ſingulos in officio continere; prudenter atque diſcretè cum omnibus ſe gerere. Apoſtolus enim Paulus Patribus inhibet, ne nimia rigiditate filios ſuos ad diſperationem inducant: ita tamen vt non negligant eorundem educationem, & correctionem quoties peccauerint. Sacerdotem etenim Pium, ac Religioſum extitiſſe Heli B in veteri teſtamento in lib. 1. Reg. communis eſt Doctorum ſententia: colligiturque præclare ex ipſis ſacris litteris. Nam cum eidẽ per Samuelẽ Dominus minitaretur in eum ſe animaduerſurum, & puniturum eius filios 1. Reg. cap. 3. reſpondit Heli: *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat*. Ex quo reſpõſo ſatis aperte colligitur, quã conformis Dei famulus ac ſeruus eſſet diuinæ voluntati. Eundem quoque reprehendiſſe filios quod Sacerdotale Miniſterium non rectè peragerent, ex cap 2. eiuſdem libri ſatis eſt apertum. n. 23. Nam C cum ad eius perueniſſent notitiam ſcelera, quæ à filijs in Dei tabernaculo committebantur; *Quare facitis res huiuſcemodi*, ait ad illos, *quas ego audio res peſſimas ab omni populo? Nolite filij mei, non enim eſt bona fama, quam ego audio, vt tranſgredi faciatis populum Domini*. Quia tamen illos non omnino vt par erat corripuit, ac caſtigauit vt fieri decebat à Patre, Dei decreto Sacerdotio domus eius, & familia priuatur, & ſanctuario excluditur; venit enim ad eum Propheta miſſus à Deo, qui hæc illi nunciaret. *Quare calce abiecisti victimam, & munera mea, quæ præcepi vt offerrerentur in templo, & magis honoraſti filios tuos quam me, vt comederetis primitias omnis ſacrificij populi mei? Propterea ait Dominus Deus Iſrael, Loquens loquutus ſum, vt domus tua, & domus Patris tui miniſtraret in conſpectu meo vſque in ſempiternum.* D

Nunc

A *Nunc autem dicit Dominus abſit hoc à me*. Prædicens illi futu-
rum fore, vt eius familia à tabernaculo Domini reijceretur,
quod in filiorum educatione ipſe defeciſſet.

Hanc filiorum educationem, & curam tantopere commẽ-
dat Paulus; vt ſi agendum fuiſſet tunc de alicuius coniugati
promotione ad Epiſcopatum, Tim. cap. 3. inquirendum de-
cernat de cura familiari eiuſdem; an nimirũ extiterit, *Suæ do-
mui bene præpoſitus, filios habens ſubditos cum omni caſtitate.*
B Nam cum eo tempore, quo hęc ſcribebat Apoſtolus, Epiſco-
patum deſiderare nihil aliud eſſet, quam Martyriũ appetere,
& Epiſcopatus etiam coniugatis tunc temporis concederen-
tur; ex doctrina Apoſtoli excluſus ab Epiſcopatu colligitur &
à Martyrij honore excludi, ac conſequenter à ſanctitate quę-
cunq; curam familiarem ac diligentem in Dei timore filiorũ
educationem neglexiſſe cõſtaret. Quin etiam de hac eadem
filiorum diligenti educatione extat ſpecialis Apoſtolorum
C conſtitutio lib. 4. conſtitut. Apoſtol. cap. 11. apud S. Clem. ſub
his verbis. *Patres inſtruite filios veros in Domino, educantes
eos in Diſciplina, atque præceptis Domini, erudientes in artibus
idoneis, atque accommodatis verbo, ne otio laſciuientes, & à
parentibus non correpti, atque ante tempus libertatem adepti,
honeſtati aduerſentur.* Extant etiam de hac re Sacrorum Ca-
nonum conſtituta Cap. *Si quis reliquerit.* diſt. 30. vbi ex de-
creto Concilij Gangrenſis, anathematizantur qui propriam
D familiam dereliquerint, eamque neglexerint quamuis id fa-
ciant prætextu Religionis. Canonis verba hæc ſunt. *Si quis
reliquerit proprios filios, & non eos aluerit, & quod pietatis
eſt, neceſſaria non præbuerit; ſed ſub occaſione continentiæ ne-
gligendos putauerit, anathema ſit.* Quod decretum latum fuit
contra quoſdam qui prætextu ingrediendi Monaſterium,
& Deo inſeruiendi, familiam propriam derelinquebant.

Ratio igitur chriſtianæ perfectionis, & ſanctitas viri con-

iugati ſollicitudinem feruidam, & accuratam expoſcit in educatione filiorum: quam quidem conſideratam fuiſſe in Canonizatione Sancti Iſidori Agricolæ legitur, in relatione facta per Cardinalem Fráciſcum Mariá de Monte, in Conſiſtorio coram felicis recordationis Gregorio XV. de prædicti ſerui Dei actis ad effectum Canonizationis. De cuiusſtudio, ac cura in alenda Vxore, familiaq; rectè conſtituenda hęc habentur: *Adultior factus, ſibi, & familiæ, labore & induſtria victũ quæſiturus, cæteris artibus neglectis, agriculturæ ſe dedit; quod humilior, laborioſior, & tutior omnibus alijs videretur.* A B

Denique ad Sanctitatis notã in Dei ſeruis coniugatis, conſiderare oportet, qualiter quiſq; ſe geſſerit circa rem familiarem: an nimirum ex proprijs, ac hæreditarijs prouentibus vixerit Dei ſeruus; an verò laborum ſuorum mercede, ſe & familiam propriam aluerit. Quod eſt rei domeſticæ rationẽ habere, per reſpectum ad rectam diſtributionem; vt in informationibus fabricandis de actis alicuius ſerui Dei coniugati C plene conſtet de charitate erga proximum. Hæc autẽ rei familiaris, & diuitiarũ recta diſtributio attendi debet in coniugatis per reſpectum ad Deum, Deiq; Miniſtros, ac etiam per reſpectum ad egentes. Extat exemplũ pręclarum ſacris in litteris: nam cum eſſent diſceſſuri ex Ægypto filij Iſrael, ditauit eos Deus ſpolijs Ægyptijs, & ſuppellectili aurea, atq; argentea in vaſis, & veſtibus: non quidem quod eis hæc neceſſaria futura forent in deſerto; cum in eo neque veſtimenta, D nec calceamenta fuerint attrita, neque cibo indiguerint. Nam Deo manna de Cælo pluente, ſufficientem alimoniam eis præſtitit, toto eo tempore, quo deſertum perambulauerunt. Sed Deus eos ſpolijs Ægyptiorum ditare voluit; vt haberent Iſraelitæ, quod eidem exhiberent, atque offerent ad fabricam Tabernaculi, & deniq; ad alimoniam miniſtrorum Sanctuarij decimas & primitias quoque conſtituit, à populo mini-

A miniſtris pręſtandas poſtquam in regionibus promiſſis conſtitiſſent.

Ex actis Sanctorū multa poſſent pariter afferri exempla, de hac recta rei familiaris diſtributione; ſufficiat tamen vnum attuliſſe ex actis S. Stephani Vngarorum Regis primi: quod habetur apud Surium ad diē 20. Auguſti. Cum enim Rex pijſſimus, Deique zelo feruentiſſimus in quoſdam ſeditioſos vaſſallos militem parare cogeretur; victoria potitus, B *Nihil de rebus eorum*, inquit Surius *in ſuos vſus conuertit. Sed ex Dei amantium conſilio, iuxta eiuſdem Sancti Præſulis*, ideſt Martini, *fundum, eo loco qui ſacer mons dicitur; vbi Sanctus Martinus cum in Panonia degeret, precari ſolitus erat; ſub eius nomine Monaſterium conſtruxit; poſſeſsiones, & redditus ſufficientes ei attribuens. Idem verò de Epiſcopis conſtituit: ex illorum captiuorum facultatibus decimas perſolui volens; idque adeo exactè, vt ſi quis decem haberet proles, deci-* C *mam prolem Sancti Martini cœnobio daret.*

Idipſum conſiderauit Innocentius VIII. in Bulla *Sacroſancta*. lata pro Canonizatione Sancti Leopoldi anno 1485. cum enim de recta bonorum adminiſtratione loquitur deq; Dei ſerui liberalitate cū primis erga diuini cultus Miniſtros hæc habet §. 3. circa medium: *Cuius liberalitatem Chriſtianeq; Religionis cultum, nonnulla Monaſteria, & quidem celeberrima, ab eo cum ampliſsimis cenſibus conſtructa, alia etiam ma-* D *gno ſumptu conſtructa abundè teſtantur.*

Examen autem rigoroſum circa opera miſericordiæ futurū in ſupremo iudicij die: plane aperit quàm Deo grata ſit rei familiaris conſiderata diſtributio in pauperes ad illorum ſubleuandas neceſſitates Innumerabilia ſunt de hoc exempla, quæ poſſent afferri. Sed ne à Dei ſeruis Coniugatis recedamus; duo quidem ex Patribus Senioribus, virtute inſignioribus afferam: quæ lib. 6. de Vitis Patrum libel. 3. n. 3.

habentur. Deum exorarunt, quidam Dei famuli ſibi reuelari cui nam æquarentur in meritis; & à Deo ad quemdã Euchariſtium miſſi ſunt in villa vicina degentem, quo cum perueniſſent, & ab eo percontarentur, de eius vitæ ratione ex Dei mandato ait: *Ecce iſtas oues habemus,* erat enim coniugatus, *à parentibus noſtris, & quid quid ex eis donauerit mihi Deus, facimus illud tres partes: partem vnam pauperibus, & vnam partem in ſuſceptione Peregrinorum, & tertiam partem ad vſum noſtrum.* Ex qua ſanè doctrina coniugati docentur, qua ratione rem familiarem diſtribuere debeant, vt in ſtatu coniugali gradum virtutis heroicum, & chriſtianæ perfectionis ſcopum attingant. A B

Verum in hoc genere maximum perfectionis exemplum præſtitit nobis S. Iſidorus Agricola, de quo in relatione quã habuit in Conſiſtorio Secreto Fanciſcus Maria de Monte Cardinalium Decanus, loquens de eius erga egenos charitate, & bonorum diſtributione: *Proximos, egenos* inquit *præſertim dilexi ſemper ſicut ſemetipſum, & pauper ipſe, ac inops aliquid detrahebat quotidie vſibus ſuis*, en heroicum actum in bonorum diſtributione, *vt quotidie haberet vnde pauperibus, & egentioribus ſubueniret. Deus vero eius charitate adeo oblectabatur; vt aliquando vocare maluerit ea quæ non ſunt; quam vt ſeruo ſuo deeſſet quod largiretur.* Et paullo infra ciborum miraculoſam affluentiam referens Cardinalis in eadem relatione hæc habet: *Feſto quodam raptus dulcedine orationis, cui in Eccleſiam ſe dederat; ad ſocios, qui pium de more agebant conuiuium, non deſcendit niſi eo finito, neque ſolus, ſed pauperum grege ſtipatus, qui eum tanquam patrem ſequebantur.* Quibus ex duobus locis à nobis allatis, plane colligere licet, non ſolum piam, & heroicam bonorum in pauperes diſtributionem; ſed etiam quanti facienda ſit hæc bonorum diſtributio in viro coniugato ad eius ſanctitatem C D

A tem agnoſcendam; nec non etiam quanti ſit in Eccleſia momenti eadem conſideraſſe per reſpectum ad alicuius Dei ſerui Canonizationem.

Bonifacius quoque VIII. in Bulla *Gloria laus*. lata pro Canonizatione S. Ludouici Regis Franciæ hanc ipſam munificentiam conſiderans §. 12. ſic ait. *Multoſque milites & alios Chriſtianos redimi faciens, eis de munificentia regia, tam veſtes, quam cætera neceſſaria victui, pro vt ſingulorum ſuade-*
B *bat conditio, miniſtrabat. Muros quoque, ſeu Mænia Ciuitatũ, & Caſtrorum quam plurium, quæ in illis partibus à fidelibus tenebantur, fecit reparari ſolemniter, atque alias muniri plenariè pro vt neceſsitas ſuadebat*. Et parum infra loquens Summus Pontifex de his, quæ ſanctus Rex egit, cum redijſſet in Galliam, ait: *De Procerum ſuorum conſilio ad partes Franciæ remeauit: nunc ſanctitatis inſiſtens operibus, nunc Monaſteria, & hoſpitalia pauperum, nunc domos alias diuinis obſe-*
C *quijs dedicandas (quæ longum eſſet enarrare per ſingula) conſtrui faciendo; eis de bonis proprijs amplis dotibus deputatis: nunc etiam infirmos ac debiles in diuerſis Monaſterijs ac xenodochijs decumbentes perſonaliter viſitans, ipſos verbis conſolatorijs confouebat; eis manibus proprijs flexo genu potum, & cibaria miniſtrando*.

Vlterius progrediamur ad continentiam coniugalẽ. in his enim actis per reſpectum ad Canonizationem & Beatificationẽ;
D qualiter ſe geſſerit in actu coniugij aliquis Dei ſeruus coniugatus, conſiderare oportet: non ſolum in fide ſeruanda vxori, quam quiſq; illibatã cuſtodire debet, ſed etiam in propriæ vxoris vſu. Coniugata namq; continentia non tam eſt poſita in thori maritalis intemerata mũditia, quod ſcriptores plerique præſertim Æmilius in hiſtoria commendat de Ludouico VIII. Francorum Rege patre S. Ludouici; quam in hoc quod, vel in totum, vel ad tempus, à copula

coniuges ſe abſtineāt;iuxta illud Apoſtoli in prima ad Theſſal. cap. 4. *Sciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſsidere in Sanctificatione, & aliquando fraudare ſe inuicem ex conſenſu, vt vacetis Orationi*. Quam doctrinam Apoſtolus 1. Corinth. 7. etiam affert. Eſt enim maximè heroicum inter incentiua libidinis libidine nō aduri. Sed illud Apoſt. 1. Corinth. 4. meminiſſe oportet dicentis: *Qui habent Vxores, tanquā non habentes ſint*. vbi docet virū fidelē non magnopere affici debere re vxoria: vt dicunt Ambroſ. & Anſel. in expoſitione allati loci: vt ſcilicet animus, mens, atque amor viri coniugati magis in Domino, quam in vxore conſtabiliatur. Vnde eſt Illud Hieronymi in cap. Origo 32. q. 4. ex lib. 1. contra Iouin. in fine dicentis. *Sapiens vir iudicio debet amare coniugem, non affectu; non regnet in eo voluptatis impetus, nec præceps feratur ad coitum; nihil enim eſt fœdius, quam Vxorem amare quaſi adulteram.* A B

Etenim ex ſtatutis Eccleſiaſticis tribus ſaltem diebus antequam coniuges Sacram accedant ad Euchariſtiam, & in ieiuniorum ſolemnitatibus, coniuges ab vſu matrimonij abſtinere hortatur Eccleſia in Catechiſmo Romano dum de matrimonio, & eius vſu Catholicam doctrinam tradit. Extat etiam conſilium Nicol. 1. cap. 50. in reſponſis ad quæſtiones Bolgarorum, quibus ille ſcribit, vt tota quadrageſima à re vxoria abſtineant. Hanc doctrinā, in actis S. Leopoldi Ducis Auſtriæ habemus: quē non voluptatis impetu, nec præcipitanter ad copulā ferri conſueuiſſe legimus, aut affectu potius beſtiali, quam rationali; ſed ex ritibus Chriſtianæ perfectionis, non voluptatis, aut libidinis cauſa matrimonio operam dabat prolis tantum gignendæ cauſa in Dei cultum, & obſequium. C D

Continentiam hanc coniugalem, per interpolatum vſum Matrimonij, Euchariſtiæ, Ieiuniorum, & Orationis cauſa, cer-

A ſa, certiſſime conſtituatur ad actus heroicos coniugatorum pertinere. Et quidem in actis Sanctę Heduigis, apud Surium, vir de hac continentia commendatur: dicitur enim ibi, quod *Studio caſtitatis Deo placeré deſiderans, quantum licuit ex mariti conſenſu, continentiæ legem ſibi indicebat*. Et parum infra legitur, quod cum *ſtuderet continentię, ſingulis annis toto aduētu, & quadrageſima, diebus quatuor temporum, & ſextis ferijs, in vigilijs Sanctorum, & ferijs eorum, atque diebus do-*

B *minicis à concubitu abſtinebat.* Et quamuis in allatis locis ſermo ſit de ipſa ſancta Heduige; cum tamen de conſenſu Viri eam id feciſſe dicatur, hancque continentiam viro ſuaſiſſe; etiam in viro coniugato commendandam conſtat. Hanc coniugalem continentiam collaudat Clemens IV. in Bulla *Exultat cunctorum.* lata pro Canonizatione S. Heduigis Duciſſæ Poloniæ non tantum in ipſa Dei famula, ſed etiam in illius coniuge Henrico Poloniæ Duce dicens. *Licet vt ora-*

C *tioni, & contemplationi vacarent deuotius, torum ex pari voto, & conſenſu vnanimi per multa annorum curricula habuerint ſequeſtratum*. Bonifacius quoque IX. in Bulla Canonizationis S. Brigittę, quæ nupſit Vulſoni Principi Neritię, continentiam coniugalem commendans ipſius Vulſonis, præſertim in nuptiarū ſolemnijs, & in ipſo adoleſcentiæ flore, ſic loquitur §. 17. *Et cum inſimul conuenire deberent; quamquam idonei eſſent ad viriles amplexus; marito videlicet in decimo*

D *octauo, & ſponſa in tertio decimo anno conſtitutis; communi tamen voluntate Tobiam iuniorem, & Saram Raguelis imitati, annum continuum, & vltra à concubitu abſtinuerunt. Deum humiliter deprecantes, vt ſi coniungi foret expediens, in commixtione non peccarent; & Deus illis talem prolem concederet, quæ ad ſeruitium eius eſſet: ſimul poſtea conuenerunt in timore, ac tremore, non libidini, ſed poſteritati vacantes.*

Sed adhuc inter heroicos continentiæ actus ſummum equi-

equidem locum occupat, in ipſo coniugio, iam inde ab ipſis A
nuptias, ab vſu matrimonij omnino abſtinuiſſe, vxoremque
non tetigiſſe, ſed ſeipſum, atque vxorem incorruptam ſeruando, Virginitatem illibatam Deo conſecrare. Feciſſe hoc
legimus Valerianum Romanum cum Sanctam Cæciliam
ſibi deſponſaſſet vxorem. Sanctum Alexium prima nocte
nuptiarum ſponſam intactam reliquiſſe legimus in eius actis
tam Latinis ſub die 17. Iulij, quam Græcis in Meneis ſub die
17. Martij. Extat etiam exemplum huius heroicę continentię B
in vitis Patrum lib. 1. ex his, quas collegit S. Hieronymus: vbi
in actis S. Euphraſiæ ſcribitur Antigoniũ dei famulę Patrem
ſic loquutum Vxori poſt ſuſceptam filiam: *Vnam filiam per Deum acquiſiuimus, quæ ſufficit nobis; nequaquam vltra conueniamus infelicitati, ac miſeriæ ſeculi ſeruientes.* Cui cum Vxor
pari voto conſenſiſſet, continentes reliquũ vitę tranſegerunt.
De Dei ſeruo Amone idipſum Scribit Palladius in Lauſiaca
cap. 8. Nam cum à patruo ſub cuius tutela viuebat Amon, C
puellæ cuidam matrimonio iunctus fuiſſet; nec poſſet matrimonij iugum Dei ſeruus declinare; ſuaſit puellæ optimũ eſſe
intactam Deo ſeruare virginitatem: cui puella conſentiente,
cum ea decem, & octo annos in eodẽ thalamo cohabitauit;
virginitatem tam propriam, quam etiam puellæ impollutam, cuſtodiens. Extat etiam exemplũ Sancti Iuliani viri ſanctæ Baſiliſſæ: cum qua licet coniugium iniuiſſet, vt parentibus morem gereret; nihilominus pari conſenſu virginitatem, pudicitiamq; intactam ſeruarunt. vt in actis huius ſeruæ D
Dei apud Surium ſub die 9. Ianuarij legitur. Gregorius quoque Turon. lib de glor. confeſſ cap. 32. ſcribit de quodam
Aruernenſi. *Quod cum Vxor eius obijſſet, eleuatis in Cælum manibus dixerit. Gratias tibi rerum omnium artifex ago; quod ſicut eam mihi commendare dignatus es; ita tibi reddo ab omni voluptatis coniugio impollutam. At illa ſubridens*, licet iam

mor-

A mortua, *ait, ſile vir Dei; quia non eſt neceſſe prodere ſecretum*
noſtrum. Paulo poſt mortuus eſt maritus, alioq; in loco ſepultus.
Et ecce mane facto (inquit Gregorius) *inuenta ſunt pariter*
eſſe ſepulta, quæ vſque hodie ſic perdurant: Idcirco nunc inco-
læ duos amantes eos vocitant, & ſummo venerantur honore. Ra-
rum quidem, & ſingulare continentiæ exemplum. Meri-
to igitur inter gradus heroicos continentiæ hic coniugalis
prima ſubſellia in Eccleſia occupat, & continentia heroica
B verè dicitur atq; cenſetur ac proinde altiſſimam hanc ſanctã
continentiam, non ſolum iam dictis exemplis, ſed etiam alijs
pluribus miraculis à Deo comprobatã conſtat. Nam in Vita
S. Baſilij Cæſareæ Archiepiſcopi, quæ habetur lib. 1. de vitis
Patrum, inter eas quas collegit Sanctus Hieronymus: & libro
quoq; ſexto de vitis Patrum incerto authore conſcripto in li-
bello tertio n. 3. nonnulla quę faciunt ad hanc rem referũtur.

Hanc perpetuam continentiam in coniugio commen-
C dat, & admiratur Eugenius III. in Bulla *Sicut per literas.* la-
ta pro Canonizatione S. Henrici primi Imperatoris, qui per-
petuam hanc continentiam cum ſua coniuge ſeruauit: de
qua ita Pontifex. *Inter quæ* ſupple acta *illud præcipuum, &*
memorabile plurimũ attendentes; quod cum diadema, ſceptrum-
que Imperij ſuſcepiſſet; non imperialiter, ſed ſpiritualiter vixit.
In toro etiam legitimo poſitus (Quod paucorum fuiſſe legitur.) in-
tegritatem caſtimoniæ vſque in finem vitæ conſeruauit. Hæc &
D alia plura exempla poſſent afferri ſanctę coniugalis continen-
tię, & reliquarũ virtutum, ex quibus, quę coniugiũ in his cau-
ſis ſeruorum Dei coniugatorum comitari debent, ſanctitatis
notæ colliguntur: præſertim conſiderando virtutes ſtatui
coniugatorum correſpondentes. Et quamuis ex ſingulis il-
larum ſanctitatis notæ plenè hauriri nequeant: ex illis tamen
omnibus collectiuè conſideratis laudabitur Deus in ſanctis
eius, qui eſt benedictus in ſecula.

CAP.

A

CAP. VII.

De notis & ſignis Sanctitatis alicuius Dei ſerui Peregrini.

PEREGRINATIONIS & Peregrini vocabula à verbo *peragro* deriuantur. Peregrinationis itaque vocabulo profectiones ab agro in agrum; à prouincia in Prouinciam abire; de loco in locum tranſire, & nullibi permanere, ſignificari, nota res eſt. Cum autem humanæ ſalutis tota ratio, in libertate humanæ voluntatis per gratiam diuinam excitatæ, ſubleuatæ, & coadiutæ collocetur; Diuinaque potentia naturali virtuti rerum creatarum, vt plurimum ſe ſe accomodet: pari ratione huic ipſi voluntati, & naturali eius inclinationi diuina gratia, vt plurimum ſe ſe conformat. Cum igitur diuerſæ exiſtant humanę inclinationes, diuerſe quoq; ſemitæ ſacris ex libris & Eccleſiaſticis hiſtorijs habentur quibus à Deo homines ad illius obſequium excitantur. Hinc rectè ab Augu. dicitur, *quod in via Dei alius ſic, alius ſic ibat.* B C

Inter has Deo obſequendi ſemitas per ſpecialem cultum, peregrinatio quoq; in Eccleſia reponitur, quæ ab antiquiſſimis tẽporibus haberi conſueuerat ad ſancta & precipua ſanctorum loca. Ad argumentum comprobatę iam olim in Eccleſia peregrinationis facit cap. *ſi quis per ſuperbiam.* diſt. 30. & alia vetuſtiſſima Eccleſiæ monumenta: in quibus non ſolum peregrinationes ab Eccleſia probantur, ſed etiam inſtituuntur. Extant decreta Anacleti, & Zachariæ Pape diſt. 93. cap. *luxta Sanctorũ* In quibus omnibus decretis, & Capitulis Epiſcopis iniungitur, ſingulos annos limina Sanctorum Apoſtolorum adire. Exegiſſe hanc ſanctam Peregrinationem ab D

Epiſco-

A Epiſcopis Siciliæ Sanctum Gregorium ex epiſt. 70. quæ eſt ad Petrum Subdiac,& ex lib. 1. regiſtr. colligitur. Cum enim peregrinandi inſtitutum plurimum ſecum incommodi, ac laboris afferat;id totum pro Deo dum ſuſtinetur,eidem quoque gratum eſſe conſtat,ac proinde meriti quoque rationem ſecum afferat,neceſſe eſt.quamobrem in ratione virtutis proprios etiam Peregrinatio heroicitatis gradus habebit. Quapropter, vt omnes perfectionis ſtatus à nobis in hoc tracta-
B tu conſiderentur per reſpectum ad Beatificationes, & Canonizationes; de notis etiam ſanctitatis alicuius Dei ſerui Peregrini agendum eſſe cenſuimus.

Peregrinorum laborem, & inſtituti genus, Deo gratiſſimum, & in Eccleſia probatiſſimum eſſe, Sanctorum Patrum ſcripta, Eccleſiæque Catholicæ inſtituta manifeſtant ea propter in actorum inueſtigatione, ſicut etiam in fabricando proceſſu de aliquo ſeruo Dei Peregrino, qui cum
C opinione ſanctitatis alicubi deceſſiſſet: argumenta ſanctitatis ſumenda erunt ex motiuo peregrinationis, ex petita peregrinandi facultate; ex diligenti cuſtodia, & obſeruantia præceptorum Dei, & Eccleſiæ in peregrinatione; ex laboribus, & alijs peregrinationis incommodis à Dei ſeruo patienter exantlatis; & denique ex deuotione, & cultu ſanctorum locorum argumenta ſanctitatis in Peregrino haurientur.

Quantum autē ad motiua peregrinationis à quibus in Pe-
D regrino primum ſanctitatis argumentū ſumitur; quamuis re vera,ſi conſiderentur ſtricte,iudicio Eccleſię nō ſubſint: quia hæc motiua ab actibus internis pendent, & in interiori animi parte collocātur:nihilominus quia ex actibus externis interna motiua ſubodorari poſſumus; vt clarius, certius, & apertius hauriantur; in fabricandis informationibus de actibus Peregrini alicuius cum primis attendi debet ratio perſonarum de quibus agitur,& illarum conditio:an nimirum diuites

& ter-

& terrenorum bonorum copia abūdantes extiterint, an vero pauperes fuerint; an etiam parentes, conſanguineos, & affines haberent, an non; an ſui eſſent omnino iuris, an alieni. Attendatur quoque an ad loca religioſa, ad quæ perrexerunt, eleemoſynas, donaria, & anathemata alicuius pretij obtulerint, an vero nihil donauerint: & denique quod magis eſt, an ex delicto extorres à proprijs laribus, alienos petierint; an verò curioſitatis de cauſa peregrinationem instituerint. Hæc ſunt quædam capita, ex quibus ſaltem à longe alicuius Dei ſerui peregrinationis motiua ſubodorari poſſunt. A B

Qui enim Curioſitatis de cauſa peregrinationes ſuſcipiunt; vt nimirum diuerſas orbis Regiones percurrant; exoticos mores videant; templa, ciuitates, palatia, & alia extera proſpectent; non autem deuotionis ac religionis de cauſa peregrinationem instituunt, nullo ſunt habendi in numero. Iſtisq; conuenit, quod Argiuus dicebat Eudamides, Lacedæmones peregrinationibus deteriores redduntur; quod videlicet peregrinando à maiorum inſtitutis, & legibus plurimum degenerarent. Tritum quoque eſt. *Peregrinus, aut nunquam, aut tardè ſanctificatur*. Potius enim Peregrinus peregrinationibus diſtrahitur, quam in ſeipſum recolligatur: quæ interna hominis inſeipſo recollectio vt ita dicam, ad obſequendum Deo quam maximè neceſſaria à Sanctis patribus, & ab his qui de Spirituali hominis reformatione agunt, exiſtimatur. C D

Primum igitur ſanctitatis argumentum in Peregrino ſumi debet, ex ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & ſacrorum Canonum obedientia, exactaq; obſeruantia in peregrinatione ſuſcipienda. Non enim licet alicui Chriſtiano prouinciam, ſeù Diœceſim egredi peregrinandi cauſa abſque licentia, & facultate ſui Epiſcopi, vel alterius ſui ſuperioris. Ita in ſpecie de Monachis ſubindicatur cap. *Monachum* 20. q. 4. in fine

dicti

A dicti capituli in quo ex concilio Toletano dicitur monachis interdici quemcunque aditum reuertendi ad mundum, & quoſcūnque ad ſæculum regreſſus. Cumque peregrinatio nequeat ſuſcipi abſque aliquo ad ſæculum regreſſu: inde conſtat monachis omnino interdictam eſſe peregrinationem. Et de Clericis atque Epiſcopis in cap. *Magna* de Voto, & voti redemp. hæc verba ex Innocentio III. habentur: *Cum enim iuxta Canonica inſtituta clericus abſque ſui Epiſco-*
B *pi licentia peregrinari non debeat, & Epiſcopus non minus immo potius Sedi Apoſtolicæ ſit adſtrictus, videri merito poterat, quod abſque generali vel ſpeciali licentia votum peregrinationis emittere non deberes.* Eſt enim capitulum ad Epiſcopum Treceſem. Et de conſec. diſt. 5. ex Conc. Laodiceno cap. 41. & 42. dicitur: *Non oportet Miniſtros Altaris, vel quoſlibet Clericos præter iuſsionem Epiſcopi ad peregrinandum proficiſci, laicum etiam ſine canonicis litteris, ideſt formata ſimiliter non*
C *oportet aliquo proficiſci*.. Et quamuis in gloſa huius capituli Bernardus gloſator dicat capitulum intelligi de Cruce ſignatis, qui proficiſcebantur vltra mare, nimirum ad bellum ſacrum contra Infideles: nihilominus ex veriori ſententia Doctorum cenſetur generaliter de omnibus Chriſtianis hoc capitulum intelligendum eſſe. quibus fauet Authen. de ſanct. Epiſcopis §. *Interdicimus* col. 9. & Gloſa eiuſdem Capituli *non oportet* quod dicitur, *præter iuſsionem*, intellige, in-
D quit, *petitam, & obtentam, nam Epiſcopo contradicente, nec Clericus, nec laicus ire debet.* Supple ad peregrinandum Gloſa etiam marginalis ibidem docet, quod qui vult peregrinari, ſui Epiſcopi litteras deferre teneatur. eſt etiam ſpecialis prohibitio Summorum Pontificum de peregrinatione Hieroſolymitana, ita vt qui acceſſerint Hieroſolymam abſque licentia Papæ ſint excommunicati. quibus omnibus fauet Romanum Rituale in quo habētur ſpeciales benedictiones,

 & ora-

& orationes dicendæ ſuper his qui peregrinationem religionis de cauſa ſuſcipiunt, nec non etiam ſuper baculum, pallium, & reliqua Peregrini indumenta. Quoties igitur de aliquo ſeruo Dei peregrino agendum erit, & notæ ac ſigna ſanctitatis in eius actis exquirendæ occurrerint; prius inueſtigandum videtur, an debitis cum ceremonijs Eccleſiaſticis & facultate habita à ſuo Epiſcopo & Superiore peregrinationem ſuſceperit. quod ſanè quam diligentiſſimè obſeruaſſe legimus Dei famulum Sanctum Ludouicum Franciæ Regem, qui cum Hieroſolymam voti cauſa proficiſci vellet Crucem petijt, & tandem obtinuit ab Archiepiſcopo Pariſienſi; licet plures eum ab hac peregrinatione deducere conarentur. Conducunt etiam nos ad cognoſcendum motiua peregrinationis alicuius Dei ſerui, loca ipſa ad quæ Peregrinum acceſſiſſe conſtabit, quo enim longius ad ſanctorum loca Dei ſeruus peregrinabitur; eò maiora quoque fuiſſe eius incommoda manifeſtum erit. A B C

Et quidem ex diuerſis orbis Regionibus conſueuiſſe fideles Romam ad feſtum Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Religionis ergo conuenire Baronius oſtendit in notis ad Martyr. ſub die 29. Iun. De frequenti quoque peregrinatione ad loca ſancta Hieroſolymitana extat Romanum Martyrolog. ſub die 4. Maij vbi agitur de S. Cyriaco Epiſcopo Anconitano, qui cum loca ſancta viſitaret ſub Iuliano Apoſtata, pro Chriſti fide cæſus eſt, vbi Baronius ad longum frequentiſſimam extitiſſe hanc Hieroſolymitanam peregrinationem demonſtrat ex auctoritate Sancti Hieronymi. Et de peregrinationibus fidelium frequentiſſimis ad montem Garganum, ſub die octaua Maij ſcribit idem auctor. In ſecunda quoque Synodo Nicæna act. 5. nec non in Prato ſpeculi extat mentio cap. 180. de peregrinatione ad Sanctum Sergium in Araphas, atque etiam D

de pe-

A de peregrinatione Epheſina ad Sanctum Ioannem. Hodie quoque peregrinationes fidelium ad loca ſancta frequentes ſunt: nimirum ad S. Iacobum in Compoſtella, ad Virginem Lauretanam in Piceno, Romæ ad limina Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ad aliaque plura loca, Religionis, ac voti cauſa.

Deuotio autem & pietas Christiana in Peregrino tam ex locis ad quos peregrinatur, quam ab actibus dum pe-
B regrinaretur, pietatis, quos exercuit, manifeſtè colligitur. Quam ob cauſam commendatur à Bonifacio IX. Sancta Brigitta, & vir eius in Bulla *Ab origine* lata pro dictæ Dei famulæ Canonizatione: quod difficilem nimirum & longiſſimam ſuſceperint peregrinationem, atque etiam quod maximo cum feruore peregrinationem pij coniuges peregerint. de quo §. 20. hæc habentur: *Et nihilominus coniuges ſemper feruentiores limina B. Iacobi Apoſtoli in Com-*
C *poſtella communi voto peregrè viſitarunt.* Et paullo infra §. 22. loquens ſummus Pontifex de ipſa Dei famula iam Vidua, & viro orbata: *A Spiritu*, inquit, *Sancto præmonita egrediens de terra, & cognatione ſua, ad almam Vrbem ac Hieroſolymam deinde perrexit, & loca ſingula in quibus Dominus noſter Ieſus Chriſtus annunciatus, natus, & educatus, baptizatus, conuerſatus, mirabilia operatus, illuſus, Crucifixus, & ſepultus fuit, & ad Cælos aſcendit, inſigni deuotione & venerabun-*
D *da conſpexit.* Quæ ſane omnia & alia plura in huius ſanctæ Viduæ actibus conſiderata vidimus à Bonifacio IX. in Bulla Canonizationis Sanctæ Brigittæ & ex conſequenti in eius proceſſu, ad cuius normam Bullæ canonizationum fabricantur. de qua etiam ibidem dicitur: *Ad Vrbem regreſſa, cum antea ſiue in ſua patria, & partibus circumſtantibus, ſiue in Germania, ſiue in Gallijs, ſiue in Hiſpania, ſiue in Italia, ſiue in alijs Ciſmarinis, aut Vltramarinis partibus ſanctorum,*

& ſanctarum corpora, ſeu memorandæ reliquiæ quieſcerent, pauca admodum abſque perſonali viſitatione dictæ Sanctæ Viduæ fuiſſent prætermiſſa, in eadem Vrbe reliquum vitæ peregit. A

Sed iam ab externis notis ad motiua interna examinanda in peregrino accedamus. qui enim cum diues ſit in patria, lautè viuere intra proprios lares poſſit, facultatibuſque abundet; delitijs renuntians peregrinationem ſuſcipit, vt egeat: eum profecto, ſolo Dei amore peregrinationem ſuſcepiſſe manifeſtum eſt. Quemadmodum S. Alexium feciſſe accepimus, in cuius actibus ex Simeone Metaphraſte apud Surium legitur, quod prima nocte nuptiarum cum iam per verba de præſenti contraxiſſet, ſponſam ſuam intactam reliquerit. *In cubiculum ſuum ingrediens ex proprijs diuitijs ſumpſit, & ad portum deſcendens nauem inuenit, in eamque conſcendit, & ad Leodicam peruenit. Cumque naui egreſſus eſſet, agaſones reperit, quibus ſe itineris comitem adiunxit, donec Edeſſam Meſopotamiæ Vrbem, vbi Domini noſtri Ieſu Chriſti Imago ſeruatur non manu facta, quam ipſe dedit Abagaro in vita ſua, peruenit. Hic omnia bona ſua vendidit, pauperibuſque diſtribuit: atque veſtimentis vilibus indutus, & in veſtibulo templi Dominæ noſtræ Genitricis manens, ſi quid accipiebat, id egenis ſenibus nutriendis impendebat.* Ex quibus plane conſtat Dei famulum non aliam ob cauſam ſuſcepiſſe peregrinationes Illuſtrium Orbis terrę Eccleſiarum, niſi propter Ieſu Chriſti amorem, vt in Romano Breuiario legitur, ac proinde motiua peregrinationis in Alexio virtutis gradum heroicum tenuiſſe. B C D

Similia de S. Rocho legimus, qui cum eſſet nobiliſſimis ex parentibus ortus cum iam adoleuiſſet, parentibus orbatus circa ætatis annum vigeſimum Romanam ſuſcepit peregrinationem, principatu plurium oppidorum prius abdicato. quod in eius vita quam ſcripſit Maldura apud

A ra apud Surium ſub die 16. Auguſti habetur per hæc verba: *Hæreditarias opes egenis clā impartitur.* & infra: *Exhauſto igitur ad Dei & Virginis honorem ac laudem peculio, paterniſque quantum ei per ætatem licuit, ſtudioſe peractis, patriæ ſe parum prodeſſe ratus, principatu ſe abdicauit: patruoque oppidis, quæ à Patre ſuſceperat, præfecto, ac ſumma Reipublicæ tradita, ipſe in Italiam proficiſci ſtatuit. Breui quadam coccinea veſte indutus, breuique pallio ſupra poſito, pileo, pera,*
B *& baculo ſumptis, pedibuſque perone munitis, nullo comitante Romam verſus iter dirigit.* In qua ſane principatus & oppidorum, quæ ſibi hæreditario iure obuenerant, abdicatione, motiuum heroicum ſuſcipiendæ peregrinationis manifeſtè elucet.

Idipſum motiuum in actis Sanctæ Brigittæ legitur; dum eius, ac Viri ſuſceptæ ad Compoſtellam peregrinationis motiua referuntur apud Surium ſub die 23. Iulij: *Ambo igi-*
C *tur*, vir ſcilicet, & vxor, *feruentes ſpiritu, vt ſe liberius à mundi vanitatibus expedirent, e patria exeuntes, non ſine multo labore, & ſumptu profecti ſunt in Hiſpaniam ad S. Iacobum, & tandem multis peragratis ſanctorum locis &c.* Quod etiam adnotauit Bonifacius IX. in Bulla *Ab origine.* lata pro illius Canonizatione vbi §. 20. hæc habentur: *Coniuges deuoti in Dei timore, & in amore proximi ſemper feruentiores, limina B. Iacobi Apoſtoli in Compoſtella communi voto*
D *peregrè viſitarunt.* Et §. 22. idem Pontifex motiua ſanctæ Peregrinationis factæ à S. Brigitta aperiens ad poſterorum doctrinam ait: *A' Spiritu ſancto præmonita, egrediens de terra, & cognatione ſua ad almam Vrbem ac Hieroſolymam deinde perrexit.* Ex qua ſanè dicendi phraſi plane conſtat non alia de cauſa Dei famulam Brigittam & eius virum Peregrinationes ſuſcepiſſe, niſi ex motiuo Spiritus Sancti, vtque Deo liberius atque feruentius inſeruirent, vnde etiam edoce-

mur ad Sanctitatis notam in peregrino motiua cumprimis A
facere peregrinationis, & potiſſimum hæc ipſa conſideranda fore.

Sacræ præterea peregrinationis motiua religioſa hauriri poſſunt ex collatis donarijs à peregrino ſeù peregrinis his ipſis ſacris locis ad quos ſerui Dei peregrinationis cauſa ſe conferunt. Nam quamuis in actis Sanctæ Brigittæ nihil de collatis Xenijs Romæ aut Hieroſolymis ſiue Eccleſiæ Compoſtellanæ ſcribatur, quando ſcilicet Dei famula cum B
viro ad eas Eccleſias acceſſit, fas eſt tamen credere talia prędictis Eccleſijs contuliſſe donaria, qualia tantorũ Principum natales, ac fortunas decebant. Quod adnotare non omiſerunt DD. Auditore Sacræ Rotæ Romanæ in relatione quã de actibus, & virtutibus S. Eliſabeth Reginæ Portugalliæ ediderunt, ac ſanctiſſimo Domino noſtro Vrbano ad effectum illius Canonizationis obtulerunt. in Capitulo enim in quo de ardentiſſima charitate Beatæ Reginæ erga Deum, C
& proximum loquuntur, hæc habent: *Eadem deuotione, & amore Dei tanquam peregrina ad templum D. Iacobi de Compoſtella pedibus ſe contulit, ibique templo, eiuſque miniſtris oblationem opulentiſsimam obtulit*. Qua ſane oblatione opulenta teſtata eſt ſancta Dei famula non aliam ab cauſam peregrinationem Compoſtellanam à ſe ſuſceptam, niſi Religionis, ac pietatis affectu.

Obſeruantiam præceptorum Eccleſiaſticorum in Pe- D
regrino ad ſanctitatis notam expendere etiam oportet: videlicet acta eiuſdem circa vigilias & ieiunia Eccleſiaſtica: ſacræ Euchariſtiæ quoque ac Confeſſionis frequentem vſum; neque omittendum qua ſollicitudine quotidie rei Sacræ intereſſe ſtuduerit. Non enim omnino fas eſt Peregrino diebus ieiuniorum itineris cauſa eximere ſe ab obligatione ieiunij, aut vigiliarum. Nam quo-

ties

A ties Theologi & quotquot de caſibus conſcientiæ tractant, itinerantes non teneri ad ieiunium docent; loquuntur de his qui ex neceſſitate aliqua inexcuſabili iter arripiunt, non vero de his qui ex deuotione, aut ex arbitrio proprio peregrinantur. Nam ad ieiunium fideles præcepto Eccleſiaſtico obligantur. nullo autem præcepto peregrinari tenentur. Ita vt cum vnum e duobus nimirum ieiunium vel peregrinatio ex aliqua cauſa omittẽdum erit, perigrina-
B tio ieiunio primas concedere debeat, & peregrinatio, non autem ieiunium omittendum ſit. Quod velim notent Confeſſarij qui Peregrinorum Confeſſiones audiunt. De ciborum delectu, & à carnibus abſtinentia diebus quadrageſimæ ac vigiliarum idem dicendum eſt, vt nimirum minime liceat Peregrino præceptum Vigiliarum aut quadrageſimę tranſgredi defectu alicuius obſonij quod pani adiungatur. ex ſolo enim defectu panis, aut cuiuſcunque alterius omni-
C no cibi Peregrino, in vigilijs, aut ferijs carnes comedere liceret, in quibus ex præcepto Eccleſiæ carnes prohibentur: alias nequaquam id ei licebit.

De audiendo ſacro in die feſto, Peregrini tenentur omnino obſeruare præceptum Eccleſiaſticum. non loquimur de peregrinis qui in aliquo oppido per menſes aut dies plurimos commorantur, ſed loquimur de peregrino viatore qui per loca aliquá tranſit. Certum eſt enim Peregrinos qui ali-
D cubi commorantur, teneri ad audiendum ſacrum non ſolum omnibus diebus dominicis, ſed etiam omnibus diebus feſtis loci, in quo commorantur, iuxta conſuetudinem illius Diæceſis & loci. At vero peregini viatores, qui tranſeunt per loca aliqua diebus Dominicis, antequam viæ ſe committant, ſacrum audire tenentur & eſt textus apertus in cap. *illa* diſt. 12. quod capitulum deſumptum eſt ex P. Aug. Epiſt. 118. quæ eſt ad Ianuarium. Nec ab hoc præcepto excuſantur

aliquo colore comitatus, aut diſtantiæ loci, quo alias peruenturi eo die fuiſset aut alia ſimili de ratione. Etenim nullo pręcepto peregrini hoc vel illo die iter arripere coguntur, at vero præcepto Eccleſiaſtico Sacrum feſto die audire compelluntur Eo inquam die, in quo feſtum agetur in loco in quo degunt. Quieſcant igitur peregrini eo die quo ſacrum audire debent ſi aliter facere nequeant, & in craſtinum transferant peregrinationem; quoniam ſacri auditionem transferre nequeant. Quod itidem dicendum eſt de diebus alijs feſtiuis qui ſunt ex præcepto vniuerſalis Eccleſiæ, vt ſunt dies Reſurrectionis & duo ſequentes, dies Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duobus adiunctis diebus, dies Corporis Chriſti, feſta nonnulla B. Virginis ac ſanctorum Apoſtolorum præſcripta ex præcepto ab Eccleſia, qualia ſunt feſta Annunciationis, Natiuitatis, & Aſſumptionis, feſta Dominicæ Natiuitatis cum alijs duobus adiunctis diebus; feſtum Circumciſionis, & Epiphaniæ & reliqua feſta quæ vtili Eccleſiæ præcepto comprehenduntur. A B C

Cęteris vero feſtis Sanctorum, quæ non ſunt ex vniuerſali Eccleſiæ præcepto, peregrinum tranſeuntem non teneri præcepto de audiendo ſacro, ſicut nec alijs præceptis Eccleſiaſticis loci per quem tranſit; Communis ſententia docet tam Canoniſtarum cum Glo. in cap. *Quæ contra*. diſt. 8. & in Capitul. *Illi autem* iam citato diſt. 12. quam etiam Theologorum à quibus vt ſuperſedeam videatur Azorius. Inſtitut. moral. part. 2. lib. 1. cap. 26. quęſt. 9. & §. *De viatoribus*. ratio eſt in promptu quia vt colligitur ex l. *Heres abſenſ*. §. *proinde* ff. *de Iudicijs*. Viatores non ſortiuntur forum Ciuitatis, vel populi per quem tranſeunt, ac proinde neque legibus eius Ciuitatis, aut fori ſubduntur; ad quas leges hi tantum tenentur qui in eis commorantur l. *debitor*. §. *de pignoribus*. Conſequenter igitur neque Peregrini ad celebra- D

tio-

A tionem dierum feſtorum qui colendi ſunt adſtricti erunt, non ex præcepto vniuerſalis Eccleſiæ, ſed tantum ex præcepto, & lege ſpeciali loci per quem tranſeunt.

At vero quia de peregrino hic agitur per reſpectum ad notas, & ſigna ſanctitatis; cuius actus nequaquam ad terminos communes virtutum ſunt contrahendi, ſed gradum heroicum attingere debent; propterea in tali peregrino per reſpectum ad Canonizationem & Beatificationem quotidie
B ſacri auſcultatio ſi fieri poteſt inquiratur. nam quamuis etiam viator eſſet, nihilominus à loco in quo pernoctauit ſacro non audito diſceſſiſſe diebus feſtis, etiam illius loci à quo diſcedit, piaculum videretur, & ſcandalum puſillis forſitan afferret, vt adnotauit S. Auguſtinus, in cap. *Illa autem* diſt. 12. in quo refert, quod cum ſanctiſſima mater Monica dubitaret an ſabbato de more patriæ ſibi ieiunandum eſſet, quod Mediolani non ieiunaretur; Ambroſium
C ſe conſuluiſſe, & reſponſum accepiſſe huiuſmodi: *Cum Romam venio, ſabbatum ieiuno; cum Mediolani ſum, non ieiuno: ſic & tu ad quamcumque Eccleſiam veneris, eius morem ſerua; ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalum, nec quemquam tibi*. Pro eadem doctrina ſtat cap. *Quæ contra mores* diſt. 8. conſentit gloſa in cap. *illa autem* diſt. 12. verbo *ſocietatem* & Glo. verbo *debent* in l. 3. ff. de muner. & honor. & ita reſoluunt Abbas in cap. *conſilium* n. 18. de obſeru. præſertim ſi peregri-
D nus per totum tempus matutinum in loco eodem maneret, illum teneri ad audiendum ſacrum ex conſuetudine illius loci docuit Nauar. in manual. cap. 12. n. 5. ſed cæteris expreſſius & apertius erudītiſſimus & doctiſſimus Baſilius Pontius de Leon in tractatu de Sacram. matrim. lib. 5. cap. 7. & 1. vbi cum attuliſſet fundamenta huius doctrinæ & contrarijs ſatisfeciſſet argumentis tandem. n. 14. meus olim Compluti præceptor reſoluit in hæc verba: *Tenentur peregrini*

grini ad ea præcepta ſeruanda, ſi tempore quo moram faciunt in A
eo loco occurrat tempus obligationis adimplendi præceptum, alias
vero non. Vnde ſi occaſio fuerit comedendi, tenentur à car-
nibus abſtinere, ſi in eo opido abſtinetur ab illis: idem eſt ſi
cum commorantur inſtet occaſio audiendi miſſam, quia videli-
cet dies feſtus eſt. Quæ omnes doctrinę iam relatæ tutiorem
habent ſedem & firmiorem veritatem in materia de qua agi-
mus per reſpectum ad Canonizationem. actus enim virtutis
peregrinorum de quorum ſanctitate inquiritur, eius debent B
eſſe rationis, vt ſub dubium non cadant, nec diſputandum
ſit an peregrinus teneretur id facere, vel non: ſed cum gra-
dum heroicum eius virtutes attingere debeant, peregrina-
tionem potius ſuſpendere voluiſſe, quam minimam alicuius
ſcandali occaſionem præbere; videri debet.

Dicebatur ſect. 5. frequentiam Sacramentorum compro-
bandam eſſe in Dei famulis non Martyribus. Hanc autem
frequentiorem longe in peregrino itineris ratio poſtulat. Cū C
enim quilibet Chriſtianus Sacramento pœnitentiæ ſeipſum
expiare teneatur, quoties longo alicui itineri, aut periculo
ſe committit: multo æquius, & rationabilius id facere debet
peregrinus, & peregrinus prę̄ſertim de cuius ſā̄ctitate inqui-
ritur. Nam quicumq; gradum aliquem perfectionis attingere
peregrinando cupiunt; non tantum ſemel in anno ex præce-
pto Eccleſiæ, ſed iterum atque iterum ac ſæpiſſimè Sacra-
mento pœnitentiæ propriam conſcientiam expiare, & ſacra D
Euchariſtia refici conuenit; vt ad varia viæ pericula, ſa-
cro hoc viatico ſint muniti. Vnde in inquirendis ge-
ſtis alicuius peregrini per reſpectum ad Canonizationem;
teſtimonia Confeſſariorum & Sacerdotum qui Sacramen-
ta eiſdem miniſtrarunt habeantur, vt in eorum actis de
frequentia Sacramentorum nulla poſſit ſuboriri dubita-
tio. Quin ex hac frequentia Sacramentorum ſanctitatis ar-
gumen-

A gumenta non contemnenda ſumere liceat. Vt in actis S. Caroli, in quibus etiam dum peregrinaretur quotidie ſacro Miſſæ ſacrificio Deo litaſſe ſcribitur. Ex quo ſanè quotidiano Miſſæ ſacrificio, in Epiſcopo peregrinante, ſanctitatis argumenta hauriri poſſint, in ratione præſertim boni exempli inferioribus dati.

Afflictiones corporis, & labores quoque quos ſubeunt peregrini in itinere faciendo, ſanctitatis notam ſubminiſtrāt.
B Etenim quo longiores, quo plures, quo difficiliores, quo moleſtiores inſtituuntur peregrinationes: hoc maior peregrini deuotio cognoſcitur, & eximia in tot laboribus tolerantia. Ac quantos labores famulus Dei Alexius tolerauerit, eius præclariſſima acta, & ſpecialis Deo inſeruiendi ratio ab eo inſtituta præclare demonſtrant. Quales quoque labores in itineribus paſſus ſit B. Rochus, vox diuina ad illum facta (vt in eius vita apud Suriū legitur cap. 7.) declarat. *Dum*
C *quieſceret* (inquit Auctor) *amaniſsimam vocem in ſomnis audit: Roche mi, qui itinera, algorem, inediam, ingenteſque labores perpeſſus es: dolorem quoque, ac tormenta & corporis cruciatus, meo intuitu, te pati neceſſe eſt. & ex tunc experrectus, ac peſte tactus vexari cœpit.* In noſocomijs infirmorum qui peſte laborabant; non ſolum in Aquapendente, ac Romæ, ſed etiam Placentiæ, & pluribus alijs in Vrbibus Italiæ per Thuſciam, Galliamque tam Ciſpadanam,
D quam Tranſpadanam, eadem lue infectis libentiſſime inſeruiuit, & plures eorum ſigno Crucis liberauit. Quin etiam Placentiæ, ex hoſpitali Vrbis expulſus veluti inſanus, ac demens, in nemus ab omnibus deſtitutus ſe recepit. Et cum in patriam reuerteretur, perueniſſetque ad Vrbem ſuam, ac in Templum de more conceſſiſſet; à militibus, vt explorator captus in carcerem conijcitur, vbi quinquennio vsq; ad mortem varijs ęrumnis fatigatur.

La-

Labores etiam peregrinationis aliquando à modo peregrinandi ſumuntur, ſi nimirum peregrinus pedibus iter faciat, non equo aut curru vectus. Nam peregrinationis meritum minuetur, ſi commodius hæc ipſa itinera Peregrinus peregerit; augebitur vero meritum, quoties peregrino adeſt facultas viæ incommoda declinandi, & nihilominus ex Ieſu Chriſti amore illa declinare minime vult. Quod expendit Bonifacius IX. de S. Brigitta in Bulla iam citata §. 25. dicens: *Romæ inſuper degens, non rigorem frigoris, non æſtiuos calores, non impedimenta viæ lutoſæ, non pluuiarum, aut niuium ſeu grandinum aſperitates curans, ſtationes per Eccleſiam ordinatas, variaſque alias ſanctas Eccleſias, licet eques pro ſuis facultatibus ire potuiſſet, tamen ſupra extenuati Corporis vires enitens, peditans viſitauit quacunque die.* Et Paulus V. in Canonizatione Sancti Caroli §. 25. eius peregrinationes, ac peregrinandi modum recenſens dicit: *Pietas verò inſignis, ac deuotio, cuius feruore incenſus Chriſti famulus ſacra Italiæ loca orationis cauſa aliquando obibat, longa, & difficillima itinera alieniſsimo anni tempore pedibus agendo.* A B C

An mendicando peregrinus ſibi victum quæſierit; in actis eiuſdem ſerio conſiderare oportebit. ſi etenim in peregrinatione mendicat vt propriam ſeruet pecuniam, nulla cauſa pia inductus; tum profecto, nec laude dignus eſſet; nec commendandus; quin potius reprehendendus, atque damnandus, quod propria nimirum ſeruare ſtudeat, vt ex pauperum alimentis victitet. At commendandus erit peregrinus qui propria erogata pauperibus pecunia, ad vſum neceſſaria; ſibi ipſi mendicádo propter amorem Dei victũ pauperem quæſiuerit. Quod in actis S. Alexij, S. Brigittæ, & S. Rocchi cognoſcimus. in hoc enim virtus & ingens virtutis meritum abſq; dubi opoſitum eſt dum Dei famulus peregrinus D

A grinus ærumnis, & incommodis multis vexatus, cuncta patienter pro Ieſu Chriſti amore tolerat: ſi per terras maximè infidelium aut hæreticorum tranſiens ſæpius in diſcrimen vitæ adducitur: ſi hæc ipſa diſcrimina propter Chriſti amorem non tam ante contempſerit, quàm reipſa fortiter ac lubenter ſuſtinuerit: tum alia quæ contingere ſolent his, qui per exteras Regiones peregrinantur, magno ſemper animo atque hilari fronte deuorauerit. Ex quibus virtutum B actibus, & ipſe peregrinus non vulgare meritum, & Iudices egregias ſanctitatis notas elicient. Nam cum virtus verſetur circa arduum, & difficile: & vbi difficultas maior apparet, & maior virtutum materia porrigatur: negari non poteſt quin in mendicitate & ſtipe oſtiatim quærenda, tùm innumeris per viam difficultatibus ſuperandis, eximiæ patientiæ & humilitatis virtutes exerceantur: præſertim à viro nobili aut potente, qui nequaquam neceſſitate, ſed C ex Ieſu Chriſti amore ad ſtipem petendam adducitur. Atque hæc ipſa plurimum conſideranda veniunt ad alicuius Dei ſerui peregrini Sanctitatem internoſcendam.

* *
*

D

SECTIO SEPTIMA. A

De notis, & ſignis Sanctitatis famularum Dei habita ratione ſtatus cuiuſque.

VIRIS non ceſſere Mulieres in his quæ Dei cultum, & venerationem in gradu heroico concernunt, quinimo ad eum ſanctitatis gradum nonnullę ex ipſis peruenere, vt ad ſtuporem potius reliquis fidelibus proponi videantur, quam ad imitationem. Cum vero ſigna Sanctitatis in diuerſis virorum ſtatibus ſect. præcedenti conſiderauerimus, ratio poſtulat, vt nunc ad Dei famulas deſcendamus, & habita ratione ſtatus cuiuſque ac conditionis, varia ex illis ſanctitatis ſigna ad fidelium & reliquarum præſertim mulierum exemplar eliciamus. C

CAP. I.

De notis, & ſignis Sanctitatis Virginis Secularis.

VIRGINITATIS vocabulum vbique, tam apud Theologos, quam Iuris prudentes, pro carnis, ſeù corporis integritate ſumitur, quæ libidinoſæ commixtionis ſit expers. Qua ratione Virginitas non eſt virtus; ſed quid naturale, tam in viris quam in mulieribus: quando cum hac carnis, ſeu corporis integritate omnes naſcimur, & aliquando inuiti eam amittere poſſumus. Quo quidem in ſenſu ſumpta Virginitas cum nec ſit virtus, neque ad rem faciat, de qua agimus,

A agimus, tacite à nobis tranſmittetur. Sumitur aliter Virginitas pro voluntaria electione, & propoſito corporis ſui integritatem ſeruandi, quæ nullo libidinoſo affectu commaculetur. Qua ratione eſt virtus eximia.

Propoſitum vero hoc ſeruandæ integritatis dupliciter conſiderari poteſt: quatenus nimirum eſt de integritate ſeruanda ad tempus tantum, nimirum vſque ad nuptias, vel aliud determinatum tempus; qua ratione huiuſmodi propoſitum, etiam cum carnis integritate, non eſt Virginitas
B proprie loquendo, ſed potius ſtatus quidam caſtitatis, vt adnotauit Caietanus in D. Th. 2. 2. quæſt. 152. art. 1. §. *Ad euidentiam.* nec propriè eſt Virginitatis virtus de qua loquimur; niſi materialiter. Nam ad rationem Virginitatis de qua loquimur, perpetuum propoſitum ſeruandæ integritatis, requiritur. In hoc enim propoſito perpetuo ſtat ratio Virginitatis, vt virtus eſt. quam quidem virtutem, & ſi Hebræis mi-
C nus cognita extiterit, tantopere tamen in litteris veteris paginæ Spiritus ſanctus commendauit, vt exclamet alibi Sap. 4. *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate? immortalis eſt enim memoria illius quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines.* Apud Poetas vero tam Græcos, quam Latinos, ſicut etiam apud Hiſtoricos antiquos Virginitas in fæmineo ſexu vbique quidem commendatur. At maximè in Eccleſia Chriſti, vbi Virgines nitidæ mundo corpore,
D & corde ſincero, mentem ſanctam ſpontaneè, tanquam oleum ſecum deferentes in vaſis, venienti ſponſo obuiam exeunt, eique deſponſantur qui eſt præ filijs hominum ſpecioſus.

Hanc cæleſtem virtutem diuino tantum inſtinctu, ſeu afflatu Saluator noſter adipiſci nos poſſe aperuit, cum ait: *Sunt eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter Regnum Cælorum.* Eandem humanas excedere vires indicat Paulus 1. Corinth.

cap. 7.

cap. 7. *De Virginibus præceptum Domini non habeo: conſilium autem do tanquam miſericordiam conſequutus à Domino.* Conſilium autem quale daret aperuit, dicens: *Qui matrimonio iungit Virginem ſuam, bene facit, ſed qui non iungit melius facit.* Quibus quidem verbis plane monſtrauit Apoſtolus gradum Virginum excedere alios quoſcunque ſtatus mulierum tam coniugatarum, quam viduarum. A

Virginalis huius ſtatus perfectio, & ſublimitas ſub liliorum figura ſancta expreſſit Eccleſia; vt non ſolum candore, B ſed etiam odore i. e. modis omnibus, reliquos quoſcunque ſtatus à Virginitate excedi ſubindicet. Sed quia duplex virginum Ordo in Eccleſia à primis vſque temporibus extitit: illarum videlicet quæ in vno ſimul loco ac cœtu conuiuebant, & aliarum quæ ſuis in domibus cum parentibus ac conſanguineis vitam Virginalem ducebant, nullis adſtrictæ Eccleſiaſticis legibus, vt manifeſtum eſt ex Epiſtolis Sancti Policarpi: nos hic non agemus de notis & ſignis Sanctitatis C alicuius ſeruæ Dei Regularis, quæ etiam monialis dicitur; de qua in ſequenti capitulo tractabitur, ſed de notis, & ſignis Sanctitatis Virginis ſæcularis.

Sanctitatis argumenta in ſæculari, ſiue laica Virgine ſumenda reor non ſolum ex earum virtutum actibus, quos communes omnibus Dei ſeruis eſſe debere ſect. 5. iam diximus, ſed ex his potiſsimum quę propria huius ſtatus exiſtunt: videlicet, à primo heroico motiuo ſeruandi integritatem; D à cuſtodia Virginitatis; ex ſeceſſu ab hominum commercio ac ſocietate, tam virorum, quam mulierum; ab huius virtutis amore; à verbis ac geſtibus; denique à corporis cultu ac veſtitu, & à charitate erga proximum. qua de cauſa huius ſtatus virginalis perfectionem ad duo reuocauit capita Chriſtus Dominus: nimirum ad virginitatis integritatem, & bonorum operum exercitium, cum ait: *Sint lumbi veſtri præ-*

A *cincti & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Lumbos enim præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* (inquit Gregorius) *Sed quia minus eſt mala non agere, niſi etiam quiſque ſtudeat & bonis operibus inſudare, protinus additur, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Sub parabola quoque decem Virginum hoc ipſum ſignificauit Chriſtus in quinque prudentibus, quæ, vna cum lampadibus, oleum ad occurendum ſponſo attulerunt; illas hac dicendi

B phraſi veras ſubindicans virgines, quæ vna cum Virginitate merita plurima bonorum operum coniungere ſtuduerint. In reliquis vero quinque Virginibus fatuis, quibus oleum deſecit, Virgines notauit Chriſtus, quæ licet corporis, ac carnis integritatem ſeruauerint, in exercitio tamen bonorum operum deficiunt: cum quibus nobis nullum eſt ad præſens negotium.

In Virgine igitur ſæculari ſanctitatis potiora argumenta

C ab actu heroico, quo Dei famula perpetuam Virginitatem ſeruare propoſuit, ſumenda videntur. Quia enim iuxta iam præſcriptas à nobis regulas ſect. 2. ex promptitudine, facilitate, gaudio, ac voluptate in eliciendis virtutum actibus, eorumdem heroicitas colligitur; patet non ſufficere ad ſanctitatis rationem in Virgine, corporis illibatam retinuiſſe integritatem, virginemque obijſſe: ſed neceſſe erit huius integritatis votum aliquando edidiſſe, vt Chriſti ſponſa fiat ac

D vocetur. nam ſine voto nulla Virgo hoc titulo honorari poteſt. Ab illo namque voto actus ille virtutis obtinet quod heroicus ſit, ratione ſcilicet finis; qui eſt, Chriſto, Virginum ſponſo, perpetuo coniungi. gaudium vero (quod eſt ſignum externum heroicitatis) ab ætate vouentis, à promptitudine qua vouet, à deſiderio vouendi antequam votum emittatur, & ab alijs quæ interdum ſubſequuntur, manifeſtatur: vt ex actis S. Claræ de Aſiſio quæ habentur apud Surium ſub

die 12. Auguſti manifeſtum. nam cap. 2. de illa agens dum A
adhuc in paterna domo degeret, hæc habet: *Denique ſuis eam nobiliter maritare volentibus, nullatenus acquieuit: ſed diſſimulato in poſterum mortali coniugio, Virginitatem ſuam Domino promittebat. Talia fuerunt in domo materna deliberamenta virtutis, tales primitiæ Spiritus, talia præludia Sanctitatis.* Et de Sancta Catharina Senenſi, dum adhuc eſſet in domo paterna, in eiuſdem actis penes eumdem Surium ſub die 29. Aprilis hæc leguntur cap. 6. *Quadam die ſecretum* B
petijt locum, & flexis vtriſque humiliter genibus ſic precata eſt Beatiſsimam Matrem Chriſti. O virgo ſacratiſsima quæ prima inter fœminas perpetuam Domino virginitatem vouiſti, qui te voluit eſſe matrem vnici filij ſui, obſecro benignitatem tuam, vt non attentis meritis meis digneris mihi ſponſum dare filium tuum, quem totis animæ viſceribus concupiſco. & ego promitto & illi, & tibi, quod nullum vnquam alium admittam ſponſum, ſed Virginem me illi perpetuam conſeruabo. Ita ſeptem C
annos nata, Chriſto ſponſo immortali ſuam dedicauit virginitatem, idque voto coram Deo ſolemni. Vnde à tenella adhuc ætate, à promptitudine in voto nuncupando, & à deſiderio Virginitatis ſeruandæ, heroicum profecto gradum huiuſce virtutis has Dei famulas habuiſſe liquet. quod etiam teſtatur Pius II. in Bulla Canonizationis Sanctæ Catharinæ Senenſis.

Apertius multo exprimitur Virginitatis actus heroicus in virginitatis, & corporeæ integritatis conſeruandæ vehe- D
menti deſiderio, tunc præſertim cum de nuptijs cum aliqua puella agitur, quibus illam pro viribus ac pæne ſupra vires reſiſtere videbimus, nec aliqua ratione induci poſſe, minis etiam ac terriculamentis adhibitis, vt nuptijs aſſenſum præſtet. Talis autem ſanctarum puellarum diſſenſus ac renitentia, perpetuæ Virginitatis ac integritatis propoſitum plane demonſtrat. Talemq; nobis S. Agnetem Sanctus exhibet

Ambro-

A Ambroſius: quam cum deperiret filius Præfecti vrbis, quo poſt Imperatorem alter illuſtrior, ac nobilior in vrbe non erat, & ad nuptias eandem opibus, cultu pretioſo, alijſque muliebribus irritamentis ſollicitaret; tale fertur ardenti Adoleſcentulo dediſſe reſponſum: *Diſcede à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis, Diſcede à me quia ab alio amatore præuenta ſum, qui mihi ſatis meliora obtulit ornamenta, & annulo fidei ſuæ ſubarrauit me, longè te nobilior,*
B *& genere, & nobilitate*, & infra: *Cuius mater Virgo eſt, cuius Pater fœminam neſcit, cui Angeli ſeruiunt, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur, cuius odore reuiuiſcunt mortui, cuius tactu fouentur infirmi, cuius opera nunquam deficiunt, cuiuſque diuitiæ non decreſcunt, ipſi ſoli ſeruo fidem, ipſi me tota deuotione committo: quem cum amauero caſta ſum, cum tetigero munda ſum, cum accepero Virgo ſum.*

Pari ratione legimus in Romano Breuiario S. Luciam
C Virginem tanto affectu, & tam conſtanti propoſito integritatem adamaſſe, vt quamuis eam parentes nobiliſſimo cuidam viro deſpondiſſent, ſtatim ac matri ſanitatem impetrauit, eamdem exorauerit: *Vt, quam dotem ſibi datura eſſet, pauperibus tribui pateretur.* Et de S. Catharina Senenſi legimus quod vbi ſollicitaretur ad Coniugium à parentibus, tam firma in Virginitatis propoſito perſtitit, vt quamuis parentes eam dictis, factiſque iniurioſis vexarent, amarulentis
D conuitijs opplerent, minas intentarent; loca ſacrata, in quibus orationi vacare ſolita, interdicerent; amota ancilla ad culinaria ſeruitia ac viliora domus obſequia deprimerent: (vt ſic ſe planè contemptui à parentibus haberi intelligeret niſi coniugio aſſenſum præſtaret) nihil his omnibus permota in Virginitatis propoſito firma ſtabiliſque permanſit, quia ſcilicet vt teſtatur Pius II. in Bulla lata pro eius Canonizatione: *Anno currente ætatis ſuæ ſeptimo Virginitatem ſuam*

conſecrauerat Chriſto, quem ſua in maieſtate ſedentem mirabili viſione contemplata eſt. A

Adamatæ item Virginitatis in puellis ſigna ſunt: ſtudium ſeceſſus (cum nimirum non ſolum intra domeſticos parietes ſe ipſas continent, ſed etiam quantum fieri poteſt in ipſa domo turbarum, ac hominum, etiam amicorum commercia ac colloquia declinant) deinde verba, oculi, inceſſus, cunctæ denique actiones ad omnem modeſtiam ac continentiam compoſitę. Præclare hęc omnia in B. Virgine adnotauit Ambroſius lib. 2. in Luc. perpendns illa verba Euangeliſtæ: *& ingreſſus ad eam Angelus. Diſce Virginem moribus,* inquit, *diſce Virginem verecundia, diſce Virginem oraculo, diſce myſterio. trepidare Virginum eſt, & ad omnes Viri ingreſſus pauere, omnes Viri affatus vereri. Diſcant mulieres propoſitum pudoris imitari. ſola in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolus Angelus reperiret: ſola ſine comite, ſola ſine teſte, ne quo degenere deprauaretur affatu, ab Angelo ſalutatur.* B C

Huius à turbis ſeceſſus meminere Patres ac ſcriptores Actorum ſanctarum Virginum. In quibus Euphroſina puella apud Metaphraſtem, & Surium ſub die prima Ianuarij, cum à monacho quodam accepiſſet monachorum ſalutarem ac ſacrum in ſolitudinibus ſeceſſum, crebris ductis ſuſpirijs ſæpè exclamaſſe traditur: *Beati qui hoc vitæ genus propter Chriſtum ſuſcipiunt?* Et de S. Virgine Gudula habet Surius ſub die 8. Ianuar. quod cum poſt mortem Sanctę Gertrudis domum rediſſet, quantum fieri poterat ſeceſſum quærebat: *Erat in confinio,* inquit Surius, *villa Mortella vocabulo diſtans ab eorum,* ſc. parentum, *manſione duorum milliarium interſtitio, in quo ædificatum fuerat oratorium in honorem S. Saluatoris dedicatum. Hunc locum deligens Dei virgo crebro expetijt remota à ſuis, vitans eis eſſe moleſta, atque appetens va-* D

care

A *care contemplationi ſolius diuinitatis*. Et in vita S. Colettæ 6. Martij Idem Surius ſcribens de ſeceſſu huius Sanctæ Virginis dicit: *Etſi autem ſexus infirmitate prohibente non ſe abdidit in eremum, attamen in paternis ædibus, quo ad eius fieri potuit, plane ſeceſsit, ſolitarium quemdam ſibi deligens locum ab alijs ſeparatum, vbi tanquam in oratorio accuratè ſe exercebat in pijs meditationibus, in timore, & amore Dei eiuſque cultu, ac famulatu: nec vſquam ab illo niſi raro, idque compul-*
B *ſa, & inuita egrediebatur*. Atque hæc fuga à turbis, ac hominum conſpectibus indicat plane in puella integritatis amorem, & eius perpetuo conſeruandæ ſtudium, ac voluntatem eximiam, adeoque heroicum virginitatis actum.

Eundem ſeceſſum à turbis, ac ſolitudinis amorem in Virgine Catharina Senenſi legimus apud Surium cap. 5. ſub his verbis: *In ea autem ipſa tenerrima ætate, deſiderio imitandi Sanctos Patres Ægyptios, ardentiſsimè ſitiebat ſolitudinem*.
C & paullo infra: *Nam quodam mane incredibili flagrans eremi cupiditate abijt extra vrbem, vnicum tantum panem ſecum ferens, paululumque progreſſa, vt nullas videt coniunctas illic ædes, quemadmodum ſolent eſſe in vrbibus, putabat ſe iam propinquam deſertis locis. inde itaque aliquanto vlterius proficiſcens, tandem ſub rupe quadam ſpeluncam reperit in quam cum multo gaudio ingrediens optatam ſe eremum inueniſſe arbitrabatur*. Et cap. 14. cum eſſet iam nubilis, & Deo inſer-
D uiendi licentiam tandem à Patre obtinuiſſet; ante omnia de ſeceſſu ſerio cogitare cœpit. nam, vt ibidem habetur: *Exiguum cubiculum ab alijs ſeparatum impetrauit, vbi tanquam in ſolitudine poſſet vacare Deo, & pro voto affligere corpus ſuum*.

In actis quoque Sanctæ Thereſiæ ab ipſamet de mandato Confeſſarij conſcriptis legimus cap. 1. quod adhuc infantula ſolitudinem, ac ſeceſſum appetebat. In Catharina Se-

nenſi idipſum quam maximè commendat Pius II. in Bulla A
miſericordias Domini. lata pro illius Canonizatione, §. 11.
Sex, inquit, *annos nata, vt Domino ſeruiret eremum concupiuit, & vrbe egreſſa in cauerna loco ſolitario delituit, quamuis iubente ſpiritu paululum demorata domum redierit*. Alexander quoque IV. in Bulla *Clara claris*. lata pro Canonizatione Sanctæ Claræ de Aſiſio amorem ſeceſſus eiuſdem famulæ Dei referens ait §. 3. *Cumque de ſæculi ſtrepitu fugiens ad quamdam campeſtrem declinaſſet Eccleſiam, & ab ipſo B. Franciſco ſacra ibi recepta tonſura, proceſſiſſet ad aliam; conſanguineis eius ipſam exinde reducere molientibus, illa protinus amplectens Altare pannoſque apprehendens ipſius, crinium ſui capitis inciſura detecta, eiſdem conſanguineis in hoc fortiter reſtitit & conſtanter*. Quæ omnia heroicum virtutis actum in conſeruanda integritate Virginitatis planiſſime indicant. B

Ad Virginitatis cuſtodiam præter ſæculi fugam ac ſeceſſum, alia in ipſo quoque ſeceſſu requiri non eſt dubium: C
quamobrem carnis etiam mortificationi, ſeu potius dicam corporis caſtigationi per ieiunia, vigilias, flagellationes, & alia pia & Deo grata exercitia, ad integritatem ſeruandam Virgini cuilibet ſtudendum erit. his enim ſtudijs non ſolum Deus placatur, ſed etiam caro domatur, eiuſdemque motus inſoleſcentes comprimuntur, ac ſancta tandem integritas in virginibus ſtabilitur. ea propter Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtachium quæ eſt de cuſtodia Virginitatis, inter alia, hæc D
ad illam ſcribit: *Si quid itaque in me poteſt eſſe conſilij, experto credito, hoc primum moneo, hoc obteſtor, vt ſponſa Chriſti vinum fugiat pro veneno. hæc aduerſus Adoleſcentiam prima arma ſunt Dæmonum*. & paullo infra: *Vinum, & adoleſcentia duplex eſt incendium voluptatis*. Poſtmodum cum plura ibidem de ſcripturis ſacris adduxiſſet teſtimonia; vt quantum Dei ſeruis à cibis lautioribus ſit abſtinendum oſtenderet; ſubdit:

A ſubdit: *Sit tibi moderatus cibus, & nunquam venter expletus. Ad orationem tibi nocte ſurgenti, non indigeſtio ructum faciat, ſed inanitas*. Plura quoque alia habet ſanctiſſimus Chriſti confeſſor Hieronymus de ieiunijs, ſobrietate,& carnis mortificatione retinenda ac procurāda à Virgine ad Virginitatis cuſtodiam; ex quibus quidem obſeruantijs & exercitijs, ſanctitatis argumenta præclariſſima habentur, vt de Demetriade Virgine teſtatur idem Hieronymus; de cuius heroicis
B virtutum actibus ita loquitur: *Incredibilis Animi fortitudo inter gemmas, & ſericum, inter Eunuchorum & puellarum cateruas, & adulationem, & miniſteria familiæ perſtrepentis, & exquiſitas epulas quas amplæ domus præbebat abundantia; appetiſſe* (ipſam ſcilicet Demetridem) *ieiuniorum laborem, aſperitatem veſtium, victus continentiam*. & infra: *Aiunt ſanctæ, & nobiles fæminæ quæ eam viderunt, quæ norunt, quas de littore Galliarum ad habitationem ſanctorum lo-*
C *corum hoſtium per Africam compulit ſæua tempeſtas, noctibus, & ſecreto, conſcijs tantum Virginibus Dei; quæ in matris, & Auiæ comitatu erant, nunquam eam linteaminum, nunquam plumarum vſam mollitie: ſed ciliciolum in nuda humo habuiſſe conſtat, iugibus faciem rigaſſe lacbrymis, Saluatoris imagini genubus aduolutam*. His igitur initijs præparabatur Chriſti tiruncula ad perpetuam Virginitatem,& eiſdem ſtudijs eiuſdem Virginitatis perpetuæ voluntas conſtabiliebatur.

D Hæc ipſa ſedulò tenuiſſe, & amplexatam fuiſſe S. Genouefam ſub die 3. Ianuarij cap. 6. his verbis Surius ſcribit: *Certè à decimoquinto ætatis ſuæ anno vſque ad quinquageſimum bis in hebdomada exigua cibi ſumptione ieiunium diſſoluit, panis hordeacei duntaxat, & fabæ capiens pulmentum, idque dominica duntaxat die, & quinta feria: vinum vero, vel quiquid inebriare poteſt, toto vitæ ſuæ ſpatio non bibit*. Catharinam quoque Senenſem dum adhuc in materna domo ſæcula-

cularem retineret habitum, plurimũ ſtuduiſſe mortificatio- A
ni carnis, & ſenſibus edomandis, ex eius actis apud Surium ſub die 29. Aprilis habemus, vbi de illa iam modo ſeptenni in domo paterna agente, hæc ſcribit B. Raymũdus eius Confeſſarius: *Quærebat latibula, & clam ſuum corpuſculum quadam cordula cædebat, precibus, ac meditationibus perpetuò vacabat, in dies magis dabat operam ſilentio, contra morem puerorum, & cum ea ætas increſcens multo egeat alimento, illa ſibi potius aliquid de cibo detrahebat*. Et cap. 7. poſtquam B
retulit idem Raymundus quamdam quam habuit Dei Virguncula viſionem, circa annum eius ætatis nonum; ſubinfert: *Ab hac die creuit in dies in vera ſanctitate, cœpitque Chriſti tyruncula iam tum bellum indicere carni, etiam nedum rebellanti, & ſtatuit quo ad fieri poſſet carnium eſum non permittere. Itaque ſi quæ ei fuiſſent appoſitæ carnes, vt plurimum, porrigebat eas Stephano fratri, aut paulatim proijciebat eas felibus, vt nemo poſſet aduertere. flagella de quibus ante* C
diximus, non ſolum continuabat, ſed augebat etiam. Et cap. 14. (in quo tractatur de actis huiuſce Sanctæ Virginis cum iam ad nubiles perueniſſet annos, & à Patre facultatem impetraſſet Deo pro voto, & deſiderio liberius inſeruiendi) hæc ſcribit idem auctor: *Hac igitur accepta facultate, & libertate Deo ſeruiendi, Virgo Chriſti totam vitam ſuam ad Dei famulatum non ſegniter, ſed mirabiliter accommodauit. Exiguum cubiculum ab alijs ſeparatum impetrauit, vbi tan-* D
quam in ſolitudine poſſet vacare Deo, & pro voto affligere corpus ſuum. Ibi vero quanta pœnitentiæ aſperitate ſe ſe excruciauit, quam ardenter vultum ſponſi ſui quæſierit, nulla poteſt lingua explicare. Carnes quibus ab infantia raro fuerat vſa, iam prorſus ſibi voluit eſſe interdictas, adeoque illas à ſe remouit, vt etiam odorem illarum abſque valetudinis incommodo percipere non poſſet. Ex his ſatis probatum cenſeo exer-

citium

A citium abſtinentiæ in gradu heroico in Virginibus ad notam ſanctitatis plurimum conferre.

Sanctis & pijs his exercitijs ieiuniorum, ſeceſſus, & dictarum mortificationum, ſanctorum atque piorum librorum lectionem Virgo adiungere debet ad Virginitatis Sanctæ cuſtodiam. S. Hieronymus ad Demetriadem in Epiſtola quæ eſt octaua inter reliquas eius Epiſtolas to. 1. hanc lectionem ſacrorum librorum neceſſariam eſſe Virgini oſtendit, ne le-
B ctione librorum alterius generis inimicus homo in eius animo zizania ſuperſeminet: *Vnum illud tibi nata Deo*, inquit Hieronymus, *præque omnibus vnum prædicam, & repetens iterum, iterumque monebo, vt animum tuum ſacræ lectionis amore occupes; nec in bona terra pectoris tui ſementem lolij, auenarumque ſuſcipias*. Et ad Euſtochium idem ſcribens in eodem tomo Epiſtola 22. *Crebrius lege* inquit: *diſce quam plurima: tenenti codicem ſomnus obrepat, & cadentem fa-*
C *ciem pagina ſancta ſuſcipiat*. Paginam ſanctam appellat Hieronymus, paginam ſacrarum ſcripturarum & piorum librorum. his ſtudijs, ac libris Spiritum Dei in ſe excitatum fatetur Sancta Thereſia, quem ſpiritum lectio aliorum librorum iam prius extinxerat. Etenim in eius actis quæ habent Patres Diſcalceati in Breuiario ſic legitur: *Nam cum ſanctorum Martyrum acta perlegeret, adeo in eius meditatione Sancti Spiritus ignis exarſit, vt domo aufugerit, vt in Africam*
D *traijceret, vbi vitam pro gloria Ieſu Chriſti, & Animarum ſalute profunderet*. Plura alia poſſent afferri quibus clare oſtenditur quantum ad profectum ſpiritualem faciat lectio ſacrorum librorum; & quantum Virginibus ſit neceſſaria ad Virginitatis cuſtodiam, & Chriſti ſponſi ſui in ſe excitandum amorem: quæ breuitatis cauſa tranſmittimus. Hoc vnum addam: In Virgine ſeculari ſumma cum animi voluptate ſacra auſcultaſſe colloquia, ac piorum librorum le-

ctioni

ctioni crebro vacaſſe, inter indicia altioris vocationis con- A
numerari debere,& ſanctitatis non leuia hinc argumenta de-
ſumi poſſe, quoties de alicuius Dei famulæ Virginis Cano-
nizatione tractandum occurret.

Prouerbio dicitur, & verè: *Corrumpunt bonos mores collo-
quia mala*. Ea propter in Virgine ad ſanctitatis notam conſi-
derandum erit; quibus illa delectata fuerit conuerſationibus;
quo vultu profana aliorum dicta exceperit; quæ frequentio-
ra eſſent eius colloquia, quæ ex ore eius verba prodire B
ſolita. nam Virgo quæ ad Chriſtianam perfectionem an-
helat, neceſſe eſt vt ad cuſtodiam linguæ attendat. Cum
etenim cuicunque fideli cauendum eſſe dicatur ne verbo
aliquem offendat; in primis puella quæ Virginitatem cu-
ſtodire cogitat, caueat eſt neceſſe, à quibuſcunque verbis,
& colloquijs, non dico inhoneſtis, ſed etiam à ſuperfluis.
exemplo erit S. Gudula de qua Surius ſub die 8. Ianuarij:
Sermo quoque illius, inquit, *erat iuxta Apoſtolum ſale condi-* C
*tus. ſæpiſsime genuum flexionibus accomodata cum lachrymis,
& compunctionibus Cordis Dominum obſecrabat*. Et Hierony-
mus Epiſtola ad Demetriadem quę Virginitatis propoſitum
firmum tenebat circa cuſtodiam verborum: *Scurrilitas, at-
que laſciuia te præſente non habeant locum; nunquam verbum
inhoneſtum audias, aut ſi audieris, non ineſceris. Ridere, &
rideri ſæcularibus derelinque; grauitas tuam perſonam decet.*
Hæc eſt doctrina quam Virgini Demetriadi tradidit Hiero- D
nymus. Hæc ſunt conſideranda, atque deſideranda in Chri-
ſti Virgine & ſponſa vt Virginitas cuſtodita ad ſanctitatis no-
tam reſplendeat. Pius II. Sanctam Catharinam Senenſem
de hac oris cuſtodia in litteris Apoſtolicis commendans, ait:
*Nullum ab ea verbum non Religioſum, non ſanctum excidit:
omnis ſermo eius de moribus fuit, de Religione, de pietate, de
contemptu mundi, de amore Dei, & proximi, & de caleſti pa-
tria.*

A *tria*. Et de B. Clara de Aſiſio Alexander IV. in Bulla pro eius Canonizatione ſæpe citata, ſilentium eiuſdem, & in verbis prudentem diſcretionem commendans: *Hæc ſuum monaſterium*, ait, *creditamque in illo ſibi familiam ſollicitè, ac prudenter in timore, ac ſeruitio Domini, & plena Ordinis obſeruantia gubernauit: vigil in cura, in miniſterio ſtudioſa, in exhortatione attenta, diligens in admonitione, in correctione moderata, temperata in præceptis, in compoſitione præſtabilis,*
B *diſcreta in ſilentio, in ſermone matura.*

Quoniam vero Virginitas, vt ſeruetur illibata, & integra, vigilantiſſima indiget cuſtodia; propterea Virginibus vitanda eſt illorum omnium conuerſatio, atque commercium, qui illam, non ſolum labefactare ſed vel leuiſſima labefactationis ſuſpicione aſpergere poſſunt. Ideoque non ſolum à iuuenibus, ſed etiam à mulieribus & cincinnatulis ac blandientibus pueris Virgo, quæ Chriſto ſuam conſecrauit Virginita-
C tem, caueat neceſſe eſt. Hæc eſt doctrina ſanctiſſimi Hieronymi in Epiſtola ad Demetriadem dicentis: *Eſto Auiæ matrique ſubiecta* (erant ambæ feminæ ſanctiſſimæ) *nullum Virorum, & maxime Iuuenum, niſi cum illis, videas; nullum ſcias; quem illæ neſciant*. Virorum conſortium declinare adeo perneceſſarium mulieribus exiſtimabat S. Heduigis Duciſſa ad pudicitiam conſeruandam, vt cum votum continentiæ aliquando vna cum viro emiſiſſet: *Ea de cauſa adeo*
D *vitaret mariti ſui colloquia, vt ſola eum non adiret; nec ei loqueretur, niſi cum promouere cuperet apud eum opera pietatis, aut negotia Religioſorum, vel miſerabilium hominum expedire: neque id tamen faciebat niſi in loco publico, vel in Eccleſia, vel compluribus, vel vt minimum duabus honeſtis perſonis præſentibus, & plerumque etiam verba audientibus*. Ita apud Surium in eius geſtis ſub die 15. Octobris. Quod eximiæ Dei famulæ exemplum mulieres admonet quam ſint decli-

nanda virorum colloquia his qui pudicitiam ſeruare cupiũt, A
maximè puellis, quarum & ætas magis tentationibus expo-
ſita eſt, & animus ad reſiſtendum imbecillior. vnde Hie-
ronymus Epiſtola citata ad Demetriadem Virginem: *Cin-
cinnatnlos pueros* inquit, *& calamiſtratos, & peregrini muris
olentes pelliculas, (de quibus illud Arbitri eſt, Non bene olet,
qui bene ſemper olet) quaſi quaſdam peſtes, & venena pudi-
citiæ Virgo deuitet. vt taceam de cæteris quorum importuna vi-
ſitatio, & ſe infamat, & alias: vt etiam ſi nihil mali perpe-* B
*tretur; tamen hoc ſit vel maximum malum, fruſtra patere
maledictis, & morſibus Ethnicorum.*

Nec ſolum commercia virorum ac Iuuenum Virgini
ſunt vitanda; ſed etiam mulierum ac puellarum, ſi quas pu-
dicitiæ curam non ea, qua Chriſtianos decet, diligentia ac ſe-
ueritate, habere animaduerterit: iuxta doctrinam Hierony-
mi Epiſtol. 22. quæ eſt ad Euſtoch. de cuſtodia Virginita-
tis: *Nolo habeas conſortium matronarum*, inquit, *nolo ad nobi-* C
*lium domos accedas: nolo te frequenter videre, quod contemnens
Virgo eſſe voluiſti.* Sed clarius latiuſque hæc pertractat in
Epiſtola ad Demetriadem ſæpe iam citata: *Matronarum ma-
riti, ac ſæculo ſeruientim tibi conſortia declinentur, ne ſollici-
tetur animus, & audias quod vel maritus vxori, vel vxor lo-
cuta ſit viro: venenatæ ſunt huiuſmodi confabulationes. Gra-
ues fœminæ, & maximæ viduæ, ac Virgines tibi comites eli-
gantur, quarum probata ſit conuerſatio; ſermo moderatus,* D
*ſancta verecundia. fuge laſciuiam puellarum, quæ ornant capi-
ta, crines à fronte demittunt, cutem poliunt, vtuntur pigmen-
tis, aſtrictas habent manicas, veſtimenta ſine ruga, ſoccoſque
criſpantes, vt ſub nomine Virginali vendibilius pateant.* Et
ſtatim infra: *Illa tibi ſit pulchra, illa amabilis, illa habenda
inter ſocias, quæ ſe neſcit eſſe pulchram: quæ negligit formæ bo-
num, & procedens ad publicum non pectus, & colla denudat,*

nec

A *nec pallio reuoluto ceruicem aperit, ſed quæ celat faciem, & vix vno oculo, qui viæ neceſſarius eſt, patente, ingreditur.* Et in Epiſtola ad Euſtochium iam citata: *Sint tibi ſociæ, quas ieiunia tenuant, quibus pallor in facie eſt; quas & ætas probauit, & vita: quæ quotidie in cordibus ſuis canunt, Vbi paſcis? vbi cubas in meridie? quæ ex affectu dicunt: Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.* Liquet igitur ad Virginitatis accuratam cuſtodiam Virginibus, etiam mulierum non raro con-
B ſortia declinanda fore. ac propterea inter ſanctitatis notas, cum de Virgine agitur, cenſeri maximè poterunt amor ſeceſſus, & euitata non virorum ſolum ſed etiam mulierum commercia; nec niſi Virginum ſanctarum, probæque vitæ ac famæ, amata ſocietas.

Prodeamus nunc in publicum, & nobiſcum Virgo ſancta; ſed tecta ac velata: neque quouis amictu; ſed qui caſtitatis ſeruandæ ſtudio maximè ſit conueniens. Nam altera ſancti-
C tatis nota eſt in Virgine, amictus. in Virgine inquam ſeculari: quia moniales formam habitus ſui colore, & materia certa deſcriptum ex inſtitutis ſuæ Regulæ accipere debent. Virgini igitur ſæculari quantumuis liceat, iuxta ſui ſtatus conditionem, amictu laico veſtiri; debet ille nihilominus, ſi Virginitatem profitetur, intra ſui ſtatus conditionem eſſe quam modeſtiſſimus, vt in habitu ſcilicet ipſo Virginitatis perpetuum propoſitum manifeſte eluceat. *Neque enim fas eſt* (te-
D ſte Cypriano lib. de Diſciplina, & habitu Virgin.) *Virginem ad ſpeciem ſuæ formæ comi, aut de carne ſua, & de eius pulchritudine gloriari: tum nulla ſit illi magis quam aduerſus carnem colluctatio, & vincendi corporis, ac domandi obſtinata certatio.* Et Hieronymus ad Euſtochium: *Virgo non eſſe tantum, ſed & intelligi, & credi velit: vt nemo cum Virginem videt, dubitet an Virgo ſit. parem ſe integritas in omnibus præſtet; nec bonum corporis cultus infamet.* In omnibus nimi-

rum

rum non ſolum in corpore, verbis, colloquijs; verum etiam A
in habitu ac veſtitu: ita vt quicunque viderit puellam chri-
ſtianam quæ Virginitatis perpetuæ ſtudium profiteatur; ex
ipſo ſtatim amictu intelligat eiuſmodi non ſolum Virginem
eſſe, ſed ab omni futuro coniugio alienam: *quia continen-*
tia, vt idem Cyprianus habet: *& pudicitia non in ſola carnis*
integritate conſiſtit, ſed etiam in cultus, & ornatus honore pa-
riter ac pudore. Igitur quæcumque Virgo, vere talis & eſſe
& haberi cupiet, non à carnis ſolum ſed etiam veſtitus ille- B
cebris & ſuperflua cura abſtinere debebit.

Idem argumento à fortiori deducto ex ſacris oraculis
demonſtrari poteſt. Cum etenim Apoſtolus Petrus in ſua
prima Epiſtola cap. 3. velit mulieres coniugatas tantam in
ſeſe comendo modeſtiam ſeruare, vt non ſit eis *Extrinſecus*
capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimento-
rum cultus. Remotiora profecto hæc ipſa ornamenta eſſe
debent à Virginibus, quæ Chriſto integritatis ſuæ florem C
conſecrarunt, perpetuæque Virginitatis propoſitum in
corde retinent, vt quandocumque cum ſanctitatis opinio-
ne ex hac vita deceſſerint; inter cætera ſanctitatis ſigna, hæc
quoque in veſtitu modeſtia atque humilitas in gradu heroi-
co enumerari valeat.

Seruarunt profecto illam Virgines olim ſanctitate eximię:
atque extollit in Demetriade Virgine Romana Hierony-
mus Epiſtola ad eamdem ſcripta: *Omnem corporis cultum, &* D
habitum ſæcularem quaſi propoſiti ſui impedimenta proiecit:
pretioſa mouilia, & graues cenſibus vniones, ardenteſque gemmæ
redduntur ſcrinijs, vili tunica induitur, viliori tegitur pallio.
S. Catharinam Senenſem antequam Relioſum ſuſciperet
habitum, ab omni abſtinuiſſe corporis cultu ac mundo mu-
liebri, dum etiamnum inter ſæculares eſſet; teſtatur illius
confeſſarius B. Raymundus de Capua: *Cœperunt*, inquit, *&*
paren-

A *parentes, & germani eius ignari propoſiti illius, de eius tracta-*
re coniugio: mater quoque ad ſtudium excolendi corporis eam
hortari; vt poſſet procerum oculis eſſe gratior, & amabilior.
ſed illa memor voti ſui, licet id parentibus pro illorum reue-
rentia celaret, nihil tale facere voluit: non enim hominibus,
ſed Deo modis omnibus placere contendebat. ferebat id mater
eius moleſtè, & cum per ſe illam mouere non poſſet; filiam Bo-
nauenturam quam Catharina impenſè amabat, vt ei perſuade-
B *ret, hortata eſt. Et illa quidem multis vijs eius tentans ani-*
mum, tandem eo adduxit, vt daret operam aliquando corpori
ornando, nihil tamen interim remittens de propoſito ſeruandæ
integritatis. hanc autem culpam poſtea non ſemel, tantis cum
ſingultibus, & lachrimis confeſſa eſt, vt videri poſſet grauiſ-
ſimo ſe ſcelere obſtrinxiſſe. Quin immo tam enorme pecca-
tum viſum eſt in oculis Catharinæ, ornatum corpori adhi-
bere; vt diceret: *Ego quidem, nec tartarum puto ſufficere*
C *huic peccato puniendo.* Exiſtimo autem Catharinam à cultu
corporis adeò abhorruiſſe, non peccati ſolum cauſſa, quod in
ſuperflua corporis cura committitur: verum etiam quod exi-
ſtimaret ad Virginitatem ſeruandam omnino neceſſarium,
in amictu, & veſtitu continere ſe intra terminos Virginalis
pudoris Chriſto iam conſecrati.

Verum quia in Euangelio Virgines quæ ſponſum expe-
ctabant, ob defectum olei, quod ſecum in luminis alimen-
D tum ferre neglexerant, *fatuæ* vocantur, atque à nuptijs exclu-
duntur: innuere nobis Scriptura videtur, quam maximè
cauendum fore Virginibus quæ Chriſto Virginitatem con-
ſecrare volunt, ne in oleo ad luminis alimentum deficiant,
oleo videlicet beneficentiæ erga pauperes. dicit enim Gre-
gorius homil. 12. in Euangelio: *Sunt namque plerique con-*
tinentes qui ab exteriori ſe appetitu cuſtodiunt, & ſpe ad inte-
riora rapiuntur, carnem macerant, & toto deſiderio ad ſuper-
nam

nam patriam anhelant, æterna premia expectant, & pro laboribus ſuis recipere laudes humanas nolunt. Hi ſunt vere continentes ex ſententia Gregorij, hæ ſunt Virgines prudentes, quæ oleo ac lampadibus Virginitatem exornant, vt domum nuptialem vna cum ſponſo ingrediantur. Hi ſunt eunuchi, qui ex Chriſti ſententia, *ſe caſtrauerunt*, non ob aliam cauſam, quam *propter Regnum Cælorum*. A

Olei autem vocabulo miſericordiam erga pauperes, & eleemoſynam ſignificari in ſacris Literis, omnibus notum eſt. Quamobrem quam neceſſaria ad ſanctitatis notam ſit eleemoſyna, & charitas erga pauperes, Chriſtum docuiſſe arbitror, cũ præfatis Virginibus dictum à ſponſo tradidit, *Neſcio vos*. quia non habebant adueniente ſponſo vnde lampades exornarent, lumenque nutrirent, quemadmodum plurimas ſanctarum Virginum habuiſſe conſtat, quæ virtutum odore ac lumine toti orbi innotuerunt. Quarum merito agmẽ ducat Lucia Virgo ac martyr, de qua in Romano Breuiario legitur, quod cum cuidam Iuueni à matre deſponſata fuiſſet, neque tamen à Virginitatis, quam Chriſto conſecrarat, propoſito diſcedere ſtatuiſſet; poſtquam matrem ſuam, Sanctæ Agathæ impetrato auxilio, à fluxu ſanguinis curaſſet, ſtatim ab eadem precibus contendit: *vt quam dotem ſibi datura eſſet, pauperibus tribui pateretur*. Hæc ſunt exordia ſanctæ Virginitatis, hæc fundamenta nuptiarum cum Chriſto, hæc argumenta virtutis in gradu heroico, hæc ſigna ſanctitatis. B C D

De Sancta Clara Aſiſinate adhuc puella in eius actis apud Surium legitur ſub die 18. Auguſti cap. 2. *Extendebat Sancta Clara libenter ad pauperes manum ſuam, & de abundantia domus ſuæ ſupplebat inopias plurimorum, & vt ſuum ſacrificium gratius eſſet Deo, proprio corpuſculo delicato ſubtrahebat cibaria, clamque per internuncios mittens reficiebat viſcera*

A *ſcera pupillorum. Sic ab infantia ſecum miſeratione creſcente, mentem compaſsiuam gerebat, miſerorum miſerias miſerantem.* Et in actis Sanctæ Catharinæ Senenſis ſcriptis per B. Raymundum de Capua, quæ habentur apud Surium ſub die 29. Aprilis, de eius erga pauperes beneficentia & charitate hæc cap. 31. habentur: *Cum enim non ignoraret ſe ſponſo Chriſto tanto gratiorem effici, quanto benignior, & officioſior eſſet in proximos; patrem ſuum adijt, ab eoque petijt, vt eius pace*
B *& bona venia liceret ſibi de facultatibus eius, pro ſua conſcientia, egenis præſtare eleemoſynam. Annuit Pater, idque eo propenſius, quod cerneret eius vitæ mirabilem ſanctitatem, ſimul etiam probibuit familiæ, nequis eam impediret, etiam ſi omnia vellet pauperibus elargiri. Dabat igitur, vel potius diſpergebat larga manu res paternas: non tamen temere, nec quibuſcunque, ſed quibus nouerat indigere.*

Quia vero hęc beneficentia erga pauperes maximum eſt
C ſanctitatis argumentum, hinc Summi Pontifices in Canonizatione ſanctarum Virginum eius frequenter meminere, vt Alexander IV. in Bulla *Clara claris*, lata ſub anno Domini 1255. pro Canonizatione Sanctæ Claræ de Aſiſio. vbi cum Pontifex eius ſanctitatis exordia ex mónitis S. Franciſci recenſuiſſet, ſtatim hęc habet: *Quæ ſacris illius monitis adhærens, & mundum cum terrenis omnibus penitus abdicare, ac ſoli Domino in paupertate voluntaria famulari deſiderans,*
D *hoc ſuum feruens deſiderium quam cito potuit adimpleuit, quæ tandem cuncta ſua bona (vt vna ſecum quicquid etiam habebat Chriſti obſequio deputaret) in eleemoſynas, & pauperum ſubſidia diſtribuit, & conuertit.* Et Pius II. in bulla *miſericordias Domini* lata pro Canonizatione S. Catharinæ Senenſis: *Ancillare officium in paterna domo exercuit, nihil magis cupiens, quam vilis, & abiecta videri. Pauperibus Chriſti (nam id Pater ei indulſerat) larga manu ſubuenit, ægrotanti-*

tantibus ſumma cum diligentia miniſtrauit, Diabolicas tentationes, & aſsiduas malignantium ſpirituum pugnas patientiæ clypeo, & fidei galea ſuperauit, incarceratos & oppreſſos quibus valuit modis conſolata eſt. In quibus Sanctæ Virginis non ſolum humilitas, charitas in proximum, & victoria de hoſtibus inuiſibilibus ſpectantur; verum etiam oleum in vaſe ad nutriendum lumen, vt ingrederetur cum ſponſo ad nunquamfiniendas nuptias. ſimilia de Sancta Clara Aſiſinate Alexander quartus teſtatur in Bulla eius Canonizationis *Clara claris*. Et quamuis hæc Dei Virgo & ſponſa, fuerit Religioſa, & votum Religionis emiſiſſet, ac tria alia quæ ſunt de Religionis eſſentia, quia tamen oleum ab vtroque Virginum genere, nimirū tam à monialibus, quam laicis Chriſtus expetit, hinc recte trahuntur acta Sanctæ Claræ in exmplum bonorum operum à quacunque Virgine, etiam laica, imitandum. de illa igitur Pontifex §. 5. *Hæc profectò in agro fideli plantauit ac coluit vineam paupertatis, de qua fructus ſalutis pingues, & diuites colliguntur. hæc in prædio Eccleſiaſticæ humilitatis hortum conſtituit multiplici rerum conſertum inopia: in quo magna virtutum copia reperitur. hæc in Religionis diſtrictu arcem arctæ abſtinentiæ fabricauit, in qua longa ſpiritualis alimoniæ refectio miniſtratur. hæc fuit pauperum primiceria, ducìſſa humilium, magiſtra continentium, & pœnitentium Abbatiſſa.* Ex quibus quidem & alijs iam relatis de Sancta Catharina Senenſi, Lucia, Demetriade, Euſtochio; & ex humilitatis, pœnitentiæ, paupertatis, abſtinentiæ, vigiliarum, contemplationis, & charitatis in Deum, & proximum, alijsq; in gradu Heroico virtutibus, conſpicua planèque manifeſta apparent Sanctitatis argumenta, quę in Virgine ſæculari diſquiri & expendi poſſunt ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

CAP.

A

CAP. II.

De notis, & ſignis Sanctitatis alicuius Dei famulæ Monialis.

PRÆMISIMVS capitulum de ſanctitate Virginis laicæ, atque à præſenti, in quo de Sancta
B Moniali agimus, diſtinximus: eo quod ſub nomen ſanctarum Monialium, etiam quæ non ſunt Virgines venire poſſunt. vt ſi aliqua vidua, vel coniugata de conſenſu viri, vel corrupta ad pœnitentiam reducta, habitum regularem ſuſcipiat, & inter moniales annumerari velit. Quarum quidem Monialium ſtatus cum Regularis ſit; ſtatus eſt perfectionis: quin etiam maioris perfectionis, quam ſtatus regularium virorum; his preſer-
C tim noſtris temporibus, quando exconſuetudine S. R. E. & decretis ſacri Concilij Tridentini ſtatus Monialium vt plurimum perpetuæ clauſurę adſtringitur. quamuis prędicta clauſura nequaquam ad eſſentiam huius ſtatus requiratur.

Sanctitatis autem notæ ac ſigna eruenda ſunt in Moniali ex motiuo ſuſcipiendi Religioſum habitum; ex obſeruantia in gradu heroico illorum ad quæ aliqua Dei famula Monialis ratione ſui inſtituti obligatur; tum ex exacta cuſtodia vo-
D torum ſolemnium Paupertatis, Obedientiæ, & Caſtitatis, quæ in ſolenni profeſſione ab ijs nuncupantur; deinde ex his quæ in Regula, quam profitentur, ſpeciatim præcepta ſunt, nec non ex ſtricta obſeruantia Conſtitutionum, & ſtatutorum à ſuperioribus editorum ad bonum regimen monaſterij in quo vixerit. Eadem denique ſeruatis ſeruandis conſideranda erunt in examine alicuius Monialis quæ cum ſanctitatis opinione deceſſiſſet, quæ in aliquo ſeruo Dei Regulari

ſuo loco ſect. præcedenti cap. 3. & 4. conſideranda diximus. A

Illud quoque hic aduertendum occurrit, quod vt plurimum tot ſunt Mulierum Regularium diuerſa inſtituta, quot ſunt Virorum, quinetiam multo plura. cum enim vagari non concedatur mulieribus de loco ad locum, neque de Prouincia in Prouinciam; neque concedatur eis ex conſtitutionibus tranſitus ab vno ad aliud eiuſdem inſtituti monaſterium; oportet vt Monialium monaſteria & inſtituta ſint accommodata mulieribus iuxta qualitatem locorum, in qui- B bus monaſteria exiſtunt. quamobrem quædam mulierum inſtituta ſubſunt curæ Superiorum Regularium eiuſdem inſtituti ac Regulæ cum ipſis Monialibus, quarum cura eis commiſſa eſt: alia vero monaſteria, & plurima quidem, non ſubſunt curæ Regularium, ſed ſubſunt curæ Ordinariorum Loci. & monaſteria quidem Monialium præter tria vota obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, tot habent ordinationes, conſtitutiones, ſtatuta atque decreta ad regimen C monaſteriorum, quot ſunt Regiones, regna, prouinciæ, loca denique ac monaſteria, eiuſdem etiam inſtituti: quamuis ſint ſub cura Regularium. Præterea ſunt monaſteria S. Brigittæ; in quibus Religioſi eiuſdem inſtituti, qui dicuntur fratres Sancti Saluatoris, ſubſunt obedientiæ Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ ſanctimonialium. ex quibus ita conſideratis colligere licet, quantæ ſint ſemitæ ac viæ progrediendi ad Cælum, per quas vt alibi dicebamus ex Auguſtino: *alius ſic*, D *alius ſic ibat*.

Sunt præterea Moniales tertiariæ, quæ De pœnitentia dicuntur, & habitum Sanctæ Religionis alicuius inſtituti geſtant: quarum quædam in congregatione viuunt; quædam vero in proprijs domibus votis Religionis aſtrictæ Deo famulantur: quarum inſtitutum non ſolum comprobatur ab Eccleſia, ſed etiam communitur ab Apoſtolica Sancta ſede

qui-

A quibuſdam priuilegijs, & exemptionibus. Inter quas cla-
riſſimus olim extitit Virginum floſculus Sancta Catharina Senenſis, & Sancta item Heduigis Duciſſa Poloniæ, aliæque de quibus ſuis in locis agetur.

Cum igitur ſanctitatis notæ, ac ſigna haurienda ſint ex motiuo ſuſceptionis inſtituti, & votorum Regularium, ac ſtatutorum obſeruantia eius monaſterij, in qua Dei famula profeſſionem emiſit; idcirco antequam hæc examinentur, co-
B gimur inueſtigare atque cognoſcere de quauis Dei famula Moniali, cuius inſtituti fuerit, quam Regulam amplexa ſit; in quo monaſterio vixerit; deinde quænam ſint aut fuerint eius monaſterij ſtatuta, atque decreta, & à quo ſuperiori monaſterium gubernaretur. vt his cognitis, ab illorum obſeruantia, ad quæ Dei famula tenebatur, ſanctitatis ſigna ex eius actibus iuridico in proceſſu excutiendis plene ac perfectè hauriantur.

C Ac primum Religioſæ militiæ motiua in Dei famula moniali ad ſanctitatis notam examinanda ſunt. quia quamuis abſolute loquendo ad Euangelicam perfectionem properare vna aliqua poſſit, & ſanctitatis etiam culmē attingere, quę habitum ſanctæ Religionis, vel declinandæ neceſſitatis cauſa, vel vt parentibus morem gereret, vel alijs rationibus, & non vt ſoli Deo inſeruiret, permota ſuceperit: quia tamen prima exordia, & motiua ſtatus Religioſi plerumque ve-
D luti præludia quędam perfectionis acquirendæ exiſtunt; ideo hæc primo conſideranda veniunt in actis famularum Dei: quarum pręcipua motiua Deum primario reſpicere debent, vt ſcribit S. Gregorius Turonenſis in libro de glor. confeſſ. cap. 16. vbi de quadam Dei famula Napula agit, quæ cum ſæpius à parentibus flagitaret ſe in monaſterio puellarum locari, quod in domo paterna, curis ſæculi impedita Deo ſeruire nequiret, illique nollent eam à ſe ſeparari;

totondit comam capitis ſui, & paternos lares deſeruit, vt Deo A
inſeruiret. Ex quibus ſane conſtat nullo alio motiuo prædictam Dei famulam Religionis habitum ſuſcepiſſe, niſi vt Deo ſeipſam conſecraret. Idipſum legimus de S. Clara, & Sancta Catharina Senenſi; quas cum parentes vellent matrimonio iungere, illæ vero e contrario Deo ſeipſas dedicare optarent; altera illarum, quod Religionis habitum diu differri videret, ægritudinem periculoſiſſimam contraxit, à
qua nequaquam conualuit, niſi ad lætiſſimum de eodem habitu ſibi concedendo nuntium. Hæc ſcribit Raymundus de S. Catharina Senenſi: *Quotidie gemitus, quotidie lachrimæ; quotidie preces perpetuæ ad Dominum Ieſum; vt habitum diu optatum conſequi mereretur, quem à B. Dominico ſibi promiſſum nouerat.* & infra: *Agebat enim cum ſororibus de Pœnitentia ſancti Dominici, vt ipſam admitterent in ſuam ſodalitatem.* Et quidem tali, ac tanto Religioſi habitus tenebatur deſiderio; vt matrem, quæ eam tenerrime diligebat, ſic tandem C
ſit alloquuta: *Si vis dulciſsima mater, vt vires recuperem, effice vt mihi detur habitus S. Dominici, alioquin non dubito, quin Deus, & S. Dominicus, qui me vocant ad ſeruitium ſuum, id effecturi ſint, vt breui me ſis caritura.* Cui tandem mater cum annuiſſet, cumque admiſſam ſe in numerum Sororum de Pœnitentia cognouiſſet, nullis verbis exprimi poteſt, quáto gaudio fuerit perfuſa. de quo idem Raymundus: *Quod
vbi ad Virginem mater Lapſa retulit, illa præ gaudio fleuit, D
rogauitque Dominum vt morbus abſcederet, ne ipſius voto, & diutinæ expectationi remoram, & impedimentum adferret.* Ex quo ſanè interno gaudio adepti habitus Religioſi, & abiectione nobilioris ornatus, humilitatis, & mundi contemptus heroicitas, ex regulis à nobis iam datis, eſt manifeſta: præſertim in voto Virginali.

De Sancta Lutgardi ſcribit frater Thomas Cantipratenſis in

A ſis in actis ipſius quæ habentur apud Surium ſub die 16. Iunij, quod cum duodecim annos nata tradita fuiſſet monaſterio Monialium S. Benedicti, prope oppidum Sancti Trudonis in Hasbania, & ad ſtuprum a quodam Iuuene ex primarijs, qui puellæ per viam occurrit, ſollicitaretur, atque illa omni conatu adoleſcentem procacem repelleret, tandem ex equo (in quem libidinoſus illam prædo impoſuerat) deſiliens, ex eius manibus multa vi ſe extorſit, totaque nocte
B fugiens per ſiluarum deuia, ad ſuæ nutricis domum, atque inde recta ad monaſterium ſe contulit, in quo Religioſum habitum ſuſcipiens ſeipſam Deo, meliori ſorte, conſecrauit.

De S. Clara Aſiſinate hæc in eius vita refert Surius: *Hæc namque verbis Sancti Franciſci nimium diuini amoris flammâ ſuccenſa, nocte intempeſta properat ad Sanctum Franciſcum excubias agentem cum alijs Religioſis in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Portiuncula, à quibus cum luminaribus ſuſcepta, mox*
C *ibi reiectis ſordibus Babylonis, mundo libellum repudij tradidit. Ibi Religioſorum manu detonſa, crinem deponens, etiam ornatus varios dereliquit.* Vbi etiam coram altari B. Mariæ, ſanctæ pœnitentiæ (eiuſdem Auctoris verba ſunt) ſuſcepit inſignia, & cilicinum S. Franciſci habitum, ſimpla tunica, & vili mantello de rudi panno tegebatur, potius quam foueret corpuſculum. Ex quibus primordijs & affectu religioſi inſtituti maximi profectus expectandi videntur in Dei
D famula regulari.

Verum, vt ad quædam generalia capita nos conferamus, in his Dei Ancillis quæ vitam Regularem profitentur intra monaſterij clauſtra, prompta obedientia, paupertatis amor, caſtitatis nitor, clauſtri dilectio, vigiliarum ſollicitudo, ieiuniorum rigor, veſtimentorum deſpectus, omnia in gradu heroico ſunt exquirenda. Prætereà, regularis inſtituti rigida obſeruantia, carnis maceratio, propriæ voluntatis re-

nunciatio. Quæ omnia non ſolum Auctores qui Sanctarum A
Monialium vitas deſcripſerunt, ſed etiam ſummi Pontifices
in Bullis Canonizationum earundem adnotarunt.

Ac primum quantum ſpectat ad votum obedientiæ, ne-
ceſſario requiritur eius accurata plane obſeruantia in ſancta
Moniali, cum in eo perfecta ratio & eſſentia Religioſi inſti-
tuti, vt alibi diximus, ſit poſita. Ideoque in conſtitutioni-
bus, & Regulis monialium B. Humbelinæ ſororis Sancti Ber-
nardi legitur: *Obediant Abbatiſſæ in omnibus, & per omnia,* B
vt matri: perſuaſæ, ſi eidem obediant, ſe Domino Deo obedire;
qui pro nobis obediens factus eſt vſque ad mortem. Sollicite at-
tendant, quid ſit quod vult: vt idem opere compleant, ſeque
beatas autument, quando quid eis iniungitur ab ea: & nullo
modo plus attendant, quam quod Prælata iubeat: vice enim Dei
fungitur. multum commendamus ne Religioſæ quid ſua volun-
tate, ſine obedientia faciant. quandoquidem Pater noſter vult
(loquitur de S. Benedicto) *ne etiam ieiunia, pænitentiæ, &* C
mortificationes ſine Abbatiſſæ voluntate fiant, alioqui præſum-
ptioni, & propriæ voluntatis vitio aſcribentur. Hinc corripi-
tur Sancta Iuliana monialis in monte Sancti Cornelij prope
Leodium cap. 3. quæ cum legiſſet Sanctum Nicolaum con-
ſueuiſſe ieiunare quarta & ſexta feria, & ipſa ſimiliter ieiu-
nare ſub ea forma incepiſſet, non petita licentia magiſtræ; ab
eadem extra domum deducta, & in niuem proiecta hyemis
tempore, ibi patientiſſimè remanſit quouſque magiſtra ad D
eam redijt, & exire niue, ac pœnitentiam agere de inobe-
dientia iuſſit: quam illa hilari vultu acceptatam libenter ac
promptiſſime impleuit.

S. Clara de Aſiſio, quæ fortaſſe omnium prima clauſuram
perpetuam monialibus præcepit (dixi perpetuam: quia iam
antea plures aliæ quidem recludebantur, vt Deo inſerui-
rent, ſed illam clauſuram vel ipſæ ſibi indicebant, vel tan-

A tum ad tempus erat, non perpetua) ſimiliter votum etiam obedientiæ ſtatim ab exordio nuncupauit, vt in eius vita apud Surium ſcribitur his verbis: *Hæc, ſui ordinis lapis primarius, ac nobile fundamentum, in fundamento ſanctæ humilitatis virtutum omnium fabricam ab ipſo principio ſtuduit collocare. B. namque franciſco obedientiam ſanctam promiſit, & à promiſſo nullatenus deuiauit*. Sancta Catharina Senenſis quanto deſiderio expetiuerit habitum religioſum ſororum de pœnitentia Ordinis ſancti Dominici, fuſe ex Beato

B ſupra Raymundo retulimus: Quem Religioſum habitum cum demum obtinuiſſet, ſecum ita collocuta fertur: *Ecce iam religioſum vitæ inſtitutum ſuſcepiſti, ad eius præſcriptum viuas oportet, & quidem multo aliter quam feceris hactenus. Habitus tuus ater, & candidus te admonet, vt mundo ſis mortua, & ſumme ſtudeas puritati*. Quibus verbis ſe ipſa admonere voluiſſe videtur, quod quemadmodum mortuus

C huc illuc circumagitur ac mouetur, non à ſe, ſed ab alijs: ita pariter ipſa Religioſę iam Obedientiæ voto adſtricta, non ex ſua, ſed alterius voluntate arbitrioq; moueri deberet. Sed plura de obedientiæ voto ſect. præcedenti in Regularium obſeru. quæ huc transferri poſſunt.

Aliud votum eſt paupertatis, quod Religioſæ Moniales emittunt ad ſui, ac terrenorum omnium oſtendendum contemptum. Qui quidem contemptus etiam vſque ad rerum

D neceſſariarum defectum in Dei ſeruis ac famulabus extendi debet. quamobrem in Regula ſororũ Ciſtercienſium cap. 3. dicitur: *Si quid eis deſit, recordentur Chriſti pauperes eſſe, æquumque fore, vt aliquid eius amore tolerent, eumque cum patientia imitentur, ſine aliqua murmurationis ſpecie*. Vera enim paupertas religioſa in eo conſtituitur, vt non ſolum nihil omnino ſuum monialis poſſideat; ſed ne quidem mentem habeat vel leuiter alicui rei terrenæ affixam. Ad hunc

enim

enim finem dirigitur exterior paupertas religioſa. Vnde quia A
vt plurimum quod quis poſſidet, intenſius amat; quod vero non habet, nec videt, facilius contemnit: hinc opus eſt, vt Religioſæ perfectionis ſequaces, ſi ſe omni affectu ac cupiditate plane denudare voluerint; non ſolum rerum dominio, ſed ipſo etiam vſu, quoad eius poterunt, ſibi interdicant. Quia perfectæ Paupertati non ſolum repugnat habere aliquem cenſum, aut prædium, quod non ſit monaſterio in corporatum; ſed etiam veſtibus, aut ſuppellectilibus velu- B
ti proprijs vti Sanctis Monialibus inhibetur. Hinc de S. Clara legimus in eius vita de mandato Alexandri IV. conſcripta, quæ habetur apud Surium ſub die 12. Auguſti: *Paupertati ſpiritus, quæ vera humilitas eſt, paupertas rerum omnium conueniebat. Primum in ſuæ conuerſionis initio paternam hæreditatem, quæ ad eam peruenerat, diſtrahi fecit, ſibique de pretio nihil reſeruans, totum pauperibus erogauit.* Et paullo infra: *Tantum denique cum ſancta paupertate fœdus inijt, amo-* C
remque contraxit, vt nihil filias ſuas poſsidere permitteret, nihil præter neceſſarium victum, & veſtitum à ſororibus recipi, vel in poſterum reſeruari. Equidem in hac Dei famula tantus amor paupertatis extitit, vt de vna pæne paupertate loqueretur, vnam cogitaret, ſuaſque Conſorores ad hanc vnam amandam atque conſectandam ſingulis fere horis ac momentis adhortaretur. Dicebat enim: *Tunc acceptabile illud Deo fore collegium, cum paupertate fuerit opulentum, &* D
tunc perpetuo ſtabile permanſurum, ſi altiſsimæ paupertatis fuerit ſemper turre munitum. Huius inſuper virtutis amore à felicis recordationis Innocentio III. paupertatis priuilegium expetijt, vocarique voluit ſuam congregationem pauperum Dominarum. quod priuilegium nec ante à ſede Apoſtolica fuerat mulieribus conceſſum, nec cuiquam ex mulieribus ſanctiſſimis in mentem venerat. Summus itaque

Ponti-

A Pontifex tanto Virginis ſeruori congratulans, primam formulam ipſe ſua manu conſcripſit. Gregorio vero IX. cum aliquando, propter varias quæ euenire poterant temporum mutationes, ne ad extremas aliquando anguſtias deduci poſſent, aliquas eis poſſeſsiones habere permiſiſſet: nunquam Dei famula adduci potuit, vt eius conſilio aſſentiretur, aut à primo paupertatis rigore vel latum vnguem recederet. Ex quibus in Clara eximium paupertatis, & in paupertate ſan-
B ctitatis exemplar apparet.

Hæc dicta ſint de paupertate in communi: quæ tanto cum rigore ſeruari debet à Dei famula Moniali, vt non ſolum neceſſe ſit eam abſtinere à cenſibus, aut aliquibus proprijs prouentibus, ſed ne quidem veſtes, aut ſuppellectilia tanquam propria habere aut tractare ei liceat. id enim Sanctæ paupertati refragatur. Omnia igitur in communi veſtiario reponet: atque ex eo, quæ ſibi neceſſaria Superioris
C prudentia iudicabit, Sancta Monialis, non ex ſua electione, ſed ad Abbatiſſę ac Prioriſſę mandatum accipiet. quinimmo ſi voluerit Monialis heroicos paupertatis actus exercere, vt Deo perfecte famulantem decet, viliora & abiectiora vltro appetet: vt dum hominibus ſe contemptibilem reddit, apud Deum illuſtrior exiſtat. exemplo Sanctę Clarę, de cuius paupertate eximia certe ſunt, & gradus plane heroici, quæ in eius vita narrantur: *Elemoſynarum fragmina* (inquit Auctor)
D *panumque minutias, quas Eleemoſynarij deportabant, valde ſuſcipiebat bilariter;* (non ob aliud quam quod hæc Paupertatem, eamque infimam & abiectam, redolerent) *& quaſi mœſta de panibus integris, exultabat potius in fragmentis.*

Supereſt nunc Caſtitatis votum, & clauſuræ rigor: quæ famula Dei exactiſsime retineat neceſſe eſt; ad heroicos caſtitatis actus & Sanctitatis notam. Et quidem ad Caſtititatis votum, non tanquam ex neceſſaria ad Religioſum ſtatim

cere-

ceremonia, ſed ex mero erga Deum atque hanc virtutem amore Monialis procedere debet. quemadmodum legimus de S. Tecla, de Sancta Agnete, pluribuſque Dei Ancillis, quæ ſpretis nobiliſsimorum hominum & magnatum connubijs Chriſtum ſibi ſponſum præeligentes, illi Virginitatem ſuam conſecrarunt, vt de Sancta Clara in eius vita apud Surium ſcribitur: *Quod ſuis eam nobiliter maritare volentibus, nullatenus acquieuit, ſed diſsimulato in poſterum mortali coniugio, Virginitatem ſuam Domino promittebat.* Et de Sancta Catharina Senenſi in eius vita ſimiliter apud Surium legitur, quod adhuc ſeptennis Virginitatis votum emiſit: *Valdè autem adſpirabat ad tuendam in ſe virgineam integritatem, cognouitque, Deo reuelante, Beatiſsimam Dei Genitricem primam nuncupaſſe perpetuæ Virginitatis votum. Itaque anno ætatis ſeptimo non vt ſeptennis puella, ſed vt planè grandæua, mature ac diu de eiuſmodi præſtando voto ſecum deliberauit, aſsiduè rogans matrem Domini Reginam Virginum, & Angelorum, vt ipſi impetraret à Domino gratiam id faciendi, quod eſſet illi gratius, & ſuæ ſaluti conducibilius, atque interim augeſcebat quotidie feruor amoris diuini, & deſiderium puritatis angelicæ. Vnde haud obſcure intelligens quid Domino placeret, quadam die ſecretum petijt locum, & flexis genibus ſic precata eſt Beatiſsimam Chriſti Matrem: O Virgo Sacratiſsima, quæ prima inter fœminas perpetuam Domino Virginitatem vouiſti, qui te voluit eſſe matrem filij ſui: obſecro benignitatem tuam, vt, non attentis meritis meis, digneris mihi dare ſponſum filium tuum, quem totis Animæ meæ viſceribus concupiſco: & ego promitto illi, & tibi, quod nullum vnquam alium admittam ſponſum, ſed virginem me illi perpetuam conſeruabo. Ita ſeptem annos nata Chriſto ſponſo immortali ſuam dedicauit Virginitatem, idque voto coram Deo ſolemni.* Ita B. Raymundus eius vitæ ſcriptor.

Inqui-

A Inquirendum autem erit in actibus alicuius Dei famulæ Monialis de cuius Beatificatione agetur, quibus colloquijs delectata ſit, cum quibus conuerſata, quos libros legerit. Nec enim, in moniali præſertim, ſufficit, non commaculari carnis illecebris, ſed omnino oportet vt ſit ſancta, & caſta corpore & ſpiritu: ita vt nec in oculorum nutu, neque in corporis geſtu, aut motu, neque in veſtitu, neque in riſu, iocis, verbis, aut colloquijs quibuſlibet etiam cum fœmi-
B nis quibuſcumque, aliquid appareat, quod ſanctitatem, pudicitiam, & caſtitatem non redoleat: vt, quam rigoroſe retinuerit obſeruantiam voti Caſtitatis, & quam fidem Chriſto ſponſo ſeruauerit, vndique teſtatum faciat.

Et quia *caſtitas in delicijs periclitatur*; propterea conſiderari etiam debet, qualiter Dei famula, ſiue Monialis ſiue non Monialis, quoad victum & veſtiendi modum ſeſe geſſerit. Et quidem quantum ad veſtitum religioſum, Dei famu-
C la Monialis caueat ante omnia neceſſe eſt, ne ſui inſtituti Regulas, ſtatuta, ac decreta excedat, quin etiam intra ſui inſtituti conſuetudines, abiectiora amet & vltro etiam procuret: ad Humilitatis (quæ optima caſtitatis eſt comes ac cuſtos) heroicos actus, & inſignem ſui ipſius contemptum declarandum. vt notant Moſſander, & Stephanus Iuliacenſis & refertur lib. 6. Vit. Patr. Occident. de B. Colletta in hæc verba: *Cum aſſumpſiſſet tertium Ordinem Sancti Franciſci, in-*
D *cluſit quoque deinde ſeipſam in quodam anguſto habitaculo, quod incluſorium vocant, ita vt poſſet audire miſſas, & percipere ſacratiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum: vbi & manſit annis quatuor horrido vtens cilicio, tribuſque catenis ferreis ſtringens corpus tenerum, nec non & humi cubans, & capiti ſupponens pro puluinari truncum ligneum.* Similiter & Sancta Clara in veſtitu non vilitatem ſolum, ſed aſperitatem quoque adamauit, iungens virtutes virtutibus, atque vndequaque

mate-

materiam probandi Chriſto amorem ſuum conquirens. Vnde Auctor ſæpe citatus in eius vita: *Is fuit habitus S. Virginis Claræ: quæ ruſticitate prædicta non contenta, vt aſperitatem aſperitati adderet, cilicioque cilicium; procurauerat ſibi Virgo ſanctiſsima veſtem de corio Porci, quam, verſa ad carnem hiſpida tonſura pilorum, ſecreto ſub tunica deferebat. Vtebatur nonnunquam duro cilicio de pilis equorum nodoſe conſerto, quod hinc inde cordulis rudibus ſtringebat ad corpus. Nuda humus, & interdum ſarmenta vinearum erant pro lectulo, lignumque durum præſtabat ſub capite officium puluinaris. Porro in ieiunijs tantus erat rigor abſtinĕtiæ, vt de viatico tenui quod ſumebat vix corporaliter viueret, niſi eam virtus alia ſuſtentaret. ſanitatis namque tempore, maiorem quadrageſimam Sancti Martini quotidie in pane & aqua ieiunans, ſolis diebus dominicis vinum, ſi habebat, guſtabat. & vt mireris auditor, quod imitari non poteſt, tribus diebus in hebdomada, ſecunda videlicet, quarta, & ſexta feria nihil in illis quadrageſimis ſumebat in cibum.* Alexander quartus in Bulla *Clara claris* lata pro Canonizatione prædictæ Dei famulæ, de illus virtutibus ſic loquitur: *Hæc in Religionis diſtrictu arcem arctæ abſtinentiæ fabricauit, in qua larga ſpiritualis alimoniæ refectio miniſtratur. hæc fuit pauperum Primiceria, Ducissa humilium, Magiſtra continentium, & pœnitentiam Abbatiſſa.* A B C

In tali vero ac tanta abſtinentia heroicitas ex hilaritate externa, & ex interna lætitia cognoſcitur, de quibus ita vitæ illius Author: *Seruabat enim in omni ſua mortificatione vultus feſtiuos, & hilares, vt vel non ſentiret, vel deridere videretur anguſtias corporales: ex quo datur intelligi, quod ſancta lætitia, quæ interius abundabat, exterius exuberabat.* Pius II. in Bulla *Miſericordias Domini* lata pro eius Canonizatione ſub Dat. Romæ die 29. Iunij 1461. ſic loquitur: *Mundanas delicias à ſe omnes abdicauit, orationi totam ſe de-* D

dit,

A *dit, corpuſculum ſuum vigilijs, ieiunijs, ac verberibus afflixit.*
Quanta vero cum delectatione hæc omnia peregerit, quod
eſt heroicæ virtutis ſignum, monſtrant verba quæ ſubſe-
quuntur in eadem Bulla: *Coæquales puellas, vt idem face-
rent, & docuit, & ſuaſit*. Qui enim in aliquo virtutis actu
ex interno gaudio delectatur; omnes in eodem exerceri &
delectari concupiſcit.

Quantum pertinet ad Clauſuræ rigorem in Dei famula
B Moniali; extat conſtitutio Bonifacij VIII. in ſexto de ſtatu
regular. cap. Periculoſo. in quo hæc habentur: *Præſenti
conſtitutione perpetuo irrefragabiliter valitura ſancimus, vni-
uerſas & ſingulas Moniales preſentes atque futuras, cuiu-
ſcumque Religionis ſint vel ordinis, in quibuſlibet mundi parti-
bus exiſtentes, ſub perpetua in ſuis monaſterijs debere de cætero
permanere clauſura*. Quam ſanam conſtitutionem renouauit
ac confirmauit Sacrum concilium Trid ſect 25. de regular.
C cap. 5. & ſtrictiſſime hanc clauſuram cuſtodiendam ac reſti-
tuendam decreuit. Hunc Sanctum & religioſum ſeceſſum à
turbis abominantur hæretici, qui nunquam deſinunt Eccle-
ſiæ Catholicæ ſanctos ritus petulanter, & ſtultiſſime impu-
gnare. Vtinam ſacras hiſtorias Eccleſiaſticas pręmanibus ha-
berent, illas peruoluerent, ac legerent animo pacato & ſin-
cero, non obcæcato & peruerſis opinionibus præimbuto,
vti Eraſmus: qui in vita D. Hieronymi referens eius ſororis
D conuerſionem, hæc impudenti calamo effundit: *Sub idem
ferme temporis Hieronymi ſoror, Virginis inſtitutum arripuit,
inſtigante Iuliano quodam. Sed multum & hoc diſsimile ab ha-
rum conditione, quas hodie ferreis cancellis, ceu feras indo-
mitas, incluſas tenent. non quod damnem publicam conſuetudi-
nem, ſed quod doleam huc denique delapſam Chriſtianorum
pietatem, vt Virginum integritas clauſtris ferris, & repagu-
lis murorum ſit extorquenda: cum ea demum Religio ſit acce-*

pta

pta Chriſto, non quæ vi extunditur, ſed quæ vltrò à volentibus A
offertur. Vbi ſane peſtilens ſcriptor damnat publicam ſæculi conſuetudinem, quam dixerat tamen ſe non damnare: & minime Chriſto acceptam fore vult, niſi vltroneam oblationem: quaſi ſanctarum Monialium clauſura ex inſtitutis Eccleſiæ Catholicæ, voluntaria non eſſet. non aduertens ſanctarum monialium quæ hodie dicuntur Monaſteria, incluſoria olim dici conſueuiſſe. qui vſus antiquiſſimus extitit in Eccleſia Catholica, vt videre eſt paſſim in Eccleſiaſticis hiſtorijs. adeant qui perſcrutari hæc cupiunt Gregorium Turonenſem, non ſolum in hiſtoria Francorum, ſed etiam in libris De gloria confeſſorum, in quibus fæminas nobiliſſimas in incluſorijs ſe recollegiſſe cognoſcet, neq; ſemper ſolas omnino, verum etiam cum alijs Virginibus, ac puellis; vt in vitis Sanctarum Virginum apud Surium, Lipomanum; & alios obſeruari poteſt. B

Verum ſpretis inanibus Hæreticorum contra ſacrarum Virginum reclusionem obtrectationibus, vt ad inſtitutum ſermonem redeamus, in actis Sanctæ Monialis obſeruantia exacta clauſuræ erit examinanda, inquirendumque à iudicibus, num frequenter atque ex facili ſepta Monaſterij de Superioris licentia egredi ſolita fuerit, ſi videlicet Dei famula de qua quæritur, in eodem vixit ante ſtatum perpetuæ clauſuræ, vel in aliquo monaſterio in quo clauſura perpetua nondum conſtituta eſſet. Si verò vixerit in monaſterio perpetuæ clauſuræ ſubiecto; iam ſtrictior multo erit inſtituenda inquiſitio, ob Concilij Tridentini decretum cuius hæc ſunt verba: *Vniuerſis Epiſcopis ſub obteſtatione diuini iudicij & interminatione maledictionis æternæ præcipit* (ſupple ſancta Synodus) *vt in omnibus monaſterijs ſibi ſubiectis ordinaria, in alijs vero ſedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt* C D

con-

A *conſeruari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacumque apellatione postpoſita, compeſcentes &c.* Et tam religioſe ſeruatur iam hodie ſancta hæc clauſura vt porta Monaſterij perpetuo claudatur, nec vnquam aperiatur, niſi medico, Confeſſario, vel Superiori ſi viſitationis occaſione, vel ſimili aliquo ex negotio, ad illud accedendum ſit. quin etiam tanto cum rigore clauſura demandari conſueuit Monialibus,
B vt etiam altera in alterius cellam ingredi prohibeatur, ſub pænis in conſtitutionibus & ſtatutis decretis. Propterea conſiderandum erit in actis alicuius Dei famulæ Monialis, an facile ad commune loquutorium adire conſueuerit; quibus horis, & temporibus; an cum Prioriſſæ facultate, an ſine licentia, & alia quę clauſurã reſpiciunt. Nec enim ad ſanctitatẽ alicuius Dei famulæ, quantum ſpectat ad clauſuram, ſufficit intra definita monaſterij ſepta ſe continuiſſe (à quo egredi
C iam poſt ſacrum Tridentinum Concilium nullo pacto permittitur) niſi, quàm rariſſime, ac pæne inuita, ad locutorium acceſſerit. id enim eſt hodie Monialibus commune loquutorium in monaſterijs perpetuæ clauſuræ; quod Regularibus viris egreſſus à Monaſterijs, ſeu diſcurſus per Ciuitates negotiorum cauſa. atque adeo ab infrequentia loquutorij, erga clauſuram affectus, atque aliqua ſanctitatis nota in moniali colligetur.

D Decet enim Dei famulam non ſolum Virorum congreſſum; ſed etiam quarumcunque perſonarum ſęcularium declinare colloquium, ac ſuperfluas viſitationes. Adeo vt etiam in regulis, & conſtitutionibus Monialium prohibitum ſit illis, accipere à ſuis litteras, aut ad aliquos eorum ſcribete, ſine Abbatiſſæ licentia. Clauſuram enim rigoroſam, & vndequaque perfectam amare debet Dei famula Monialis: exemplo S. Lutgardis, de qua Thomas Cantipratenſis in eius vita

apud Surium ſub die 16 Iunij cap. 4. *Poſtquam autem Lutgardis ad monaſterium reuerſa eſt, ab omni fere hominum colloquio, & conſolatione ſe ſubducens, tota rebus cæleſtibus inhiabat*. Et de ſancta Coletta ſcribit Stephanus Iuliacenſis lib. 6. de vitis Patrum Occid. *Cum aſſumpſiſſet tertium Ordinem Sancti Franciſci, incluſit quoque deinde ſeipſam in quodam anguſto habitaculo, quod inluſorium vocant, coniuncto ædi ſacræ: ita vt poſſet audire miſſas, & percipere ſacratiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum*. De S. Clara Aſiſinate in eius vita ſcribitur, quod in parua cella apud Eccleſiá ſancti Damiani quaſi in ſepulchro ſe concluſerit vnde Auctor in eius vita: *In huius locelli ergaſtulo, cæleſtis amore ſponſi, Virgo ſe Clara concluſit: in hoc ſe à mundi tempeſtate cælans, corpus, quoad viueret, carcerauit*. & infra: *In hoc arcto recluſorio, per quadraginta duos annos, Diſciplinæ flagellis frangit ſui corporis alabaſtrum*. A B

Et de Sancta Catharina Senenſi ſcribitur in eius vita apud Surium cap. 17. Poſtquam habitum Religionis ſuſcepiſſet: *Itaque vt poſſet viuere purius, ſtatuit nulli prorſus loqui, niſi tum eſſet ſua peccata confeſſura, idque toto triennio obſeruauit exacte. habitabat etiam intra cellulam, nec inde exibat, præter quam ad templum*. C

D

CAP.

A

CAP. III.

De notis & ſignis Sanctitatis alicuius Dei famulæ Viduæ.

STATVS Viduarum iam inde à temporibus Apoſtolorum non paruam in Eccleſia digni-
B tatem obtinuit: ſicut etiam gradus Virginum, illarum nimirum quæ ſe totas Deo dicabant. & quemadmodum ex Virginibus hiſce, quædam ſeorſim in domibus ſuis degebant, vt liquet ex concilio Carthagin. 3 can. 33. quædam vero ſimul viuebant, vti nunc in monaſterijs: pari modo ex Viduis quæ Deo ſe dicauerant in exordijs Chriſtianæ Eccleſiæ, aliæ domi ſeorſim; aliæ ſimul in collegio conuiuebant: de quibus poſterioribus
C meminit Epiphan. in Panarion hæreſ. 79. quæ eſt Collyridian. & S. Ignatius verba faciens de his tum alibi, tum in Epiſtola ad Philippenſes: *Saluto etiam*, inquit, *Collegium Virginum, & cætum Viduarum*. Nobis igitur cum ſint conſiderandæ in hoc tractatu notæ, & argumenta ſanctitatis ſecundum ſtatum Viduilem, non agemus de his quatenus ſub habitu aliquo regulari in monaſterio vitam ducunt; ſed de his proprie, quæ à viro ſolutæ, ſe ipſas Deo dicantes, in ſç-
D culo tamen vitam degunt.

Ante omnia in Viduis attendendæ erunt coniugatarum virtutes, quas iam prius in coniugio habere tenebantur. à ſtatu enim coniugali fit tranſitus ad Viduilem: in quo ſtatu argumenta ſanctitatis, ad ſacræ Scripturæ normam, & Apoſtolorum verba vt in prima ad Timotheum cap. 5. examinanda erunt. Ac primum quidẽ ſanctitatis argumentum à tempore diuturno Viduitatis: alterum à cura, & educatione filiorum,

tertium à ſeceſſu ſumetur, quartum, à ſpeciali mortificatione, A & caſtigatione proprij corporis; quintum, à cultu templorũ, à veneratione erga pauperes. His enim capitibus omnia fere, quæ ſanctitatis in vidua indicium facere poſſunt, comprehenduntur.

Norma & ſpeculum ſanctæ Viduitatis fuere in Lege quidem veteri Iudith, & Anna Propheтiſſa in Euangelio. In Eccleſia autem Chriſti Viduitatis exemplar conſpicuum fuere Sancta Monica Patris Auguſtini Mater; ſancta Paula B Romana, S. Amelberga, S. Heduigis Poloniæ Duciſſa: Sancta item Brigitta, S. Eliſabeth Portug. Regina, & S. Franciſca Romana noſtris his temporibus à Paulo V. & Vrbano VIII. in Sanctarum Catalogum relatę. In quibus omnibus caſtitas, Viduilis inde commendatur, quod, poſt mortem prioris viri, ad ſecundas nuptias non tranſierint. quamobrem in primitiua Eccleſia, ad altiores functiones, eas e Viduis eligendas Paulus ad Timoth. 1. cap. 5. tradidit, quæ ætate probatæ eſſent, & ad ſecundas nuptias non tranſiſſent. ſic enim C ille: *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis teſtimonium habens.* Etenim cum experientia notum ſit, eo difficiliorem eſſe continentiam, quo venereæ delinimento voluptatis diutius quis adhæſerit: ad continentiam conſeruandam Vidua maiori labore, atque exactiore cura indiget. nam Ariſtotiles quoque lib. 7. de hiſtor. Animal. cap. 1. docet eas fæminas quæ D veneream expertæ fuerint voluptatem, magis eſſe appetentes libidinis. & Maro lib. 3. Georgic. equas quæ voluptatis eiuſdem ſtimulis captę experimento eam probaſſent, ardentius quoque in venerem prurire cecinit, dicens: *Atque vbi concubitos primos iam nota voluptas Sollicitat* . . . . Ea propter Patres ac veteris Eccleſiæ Proceres, dum Viduas cum Virginibus comparant, continentiam Viduilem laborioſam

A rioſam affirmant, vt Tertull. lib. 1. ad Vxor. cap. 8. dicens: *Potuit Virgo fælicior haberi, & Vidua laborioſior: illa quod bonum ſemper habuit, iſta quod bonum ſibi inuenit: in illa gratia, in iſta virtus coronatur*. Etiam ſanctus Hieronymus lib. 1. contra Iouinian de viduis ait: *Quanto eſt maior difficultas, expertæ quondam voluptatis illecebris abſtinere, tanto maius eſt præmium*.

In ſacris oraculis Luc. 2. Anna vidua commendatur his
B verbis: *Et erat Anna Propheтiſſa, filia Phanuer, de tribu Aſſer, hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à Virginitate ſua, & hæc vidua vſque ad annos octoginta quatuor*. Vbi ſpiritus Sanctus nequaquam fruſtra ætatem viduæ adnotauit: ſed in Annæ laudem, ac commendationem, continuatę viduitatis tempus adiecit. Idem ipſe ſpiritus Sanctus ſignate oſtendit Iudith Dei famulam pulchritudine eximiam, in medio adoleſcentiæ feruore, inter affluen-
C tem, diuitiarum atque omnium rerum copiam, viduitatem tamen retinuiſſe cap. 8. n. 7. *Erat autem eleganti aſpectu nimis, cui vir ſuus reliquerat diuitias multas, & familiam copioſam, ac poſſeſſiones armentis boum, & gregibus ouium plenas*. S. Auguſtinus in matre ſua Monica id ipſum inter alia commendat lib. 9. confeſſ. cap. 9. *Fuerat enim vnius viri vxor*, ait, *mutuam vicem parentibus reddiderat: familiam ſuam pie tractauerat*.

D Obſeruarunt idipſum Summi Pontifices in Bullis Canonizationum Sanctarum viduarum, nam Clemens IV. in Bulla *Exultat cunctorum*. lata anno Domini 1267. in Canonizatione S. Heduigis hæc habet §. 4. *Ipſo denique Duce chriſtianiſsime pro vt aſſeritur ſpiritum exhalante, protinus ad illius, cuius pulchritudinem ſol, & luna mirantur (tanquam libera, & à lege viri terreſtris ſoluta) familiare conſortium amplius aſpirauit*. De S. Brigitta apud Suriũ in eius vita cap. 9. dicitur:

So defuncto, ſcilicet viro, *Sancta, & pudica matrona ad ſecundas nuptias non acceſsit: ſed mundo vale faciens, facultatibus ſuis inter proles diſtributis, habitum mutauit, & vitam.* A

Quia vero in eruendis notis ſanctitatis alicuis Viduæ, ex doctrina Apoſtolica nobis procedendum eſt, ſecundo loco, diligens filiorum educatio in Dei timore, & amore, inquirenda eſt. hic enim actus virtutis teſtimonium habet ex Paulo in epiſt. 1. ad Thimot. cap. 5. dicente: *Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, diſcat primum domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus. hoc enim acceptum eſt coram Deo.* Et paullo infra cũ de promotione viduæ ad munus Eccleſiaſticum ageret Apoſtolus, deq; fabricandis informationibus pro eiuſdem electione, inter alia capita quærendum tradit; *Si filios educauit*. Verum quia non eſt nobis hic diſputandum de varia lectione horum locorum, noſtram ſequamur vulgatam. illud tantum adnotandũ, quod vbi nos legimus *regere*, Græce habetur dictio εὐσεβεῖν quæ idem valet ac *pie tractare, pie regere*, pietatem in ſuo munere exercere: ita vt ſenſus Apoſtoli ſit, non fore admittendas viduas ad munia Eccleſiaſtica, niſi prius experimento comprobatum ſit, eas, vti dicebamus, cum timore Dei, & in eiuſdem amore filios ac familiam ſibi commiſſam educaſſe. B C

Duplicem doctrinæ iam traditæ rationem aſſignat Paulus: primam, *quia id acceptum eſt coram Deo*; alteram, quod illa quæ negligit pie tractare, atque regere, & in Dei timore educare filios; *fidem negauit, & eſt infideli deterior*. non quidem verbo, ſed operibus. Cum enim infideles naturali inſtinctu, & pietate ſuorum filiorum, ac domeſticorum curam gerant; quæcumque vidua ſuos neglexerit, Chriſtianitatis famam negligere, ac deturpare doctrinam euangelicam videbitur, atque anſam præbebit Ethnicis ac reliquis infidelibus detrahendi Chriſtianis, ac dicendi: *eos ſine affectione* D

eſſe

A *eſſe qui ſuos deſpiciant*, vt docet Chryſoſtomus in hunc Pauli locum. & ideo inculcat Apoſtolus, vt, cum agendum erit de promouenda aliqua ex viduis ad munus Eccleſiaſticum, nimirum Diaconiſſatum, primo inquiratur, *ſi filios educauit*. quod ipſum æquiori iure inueſtigandum videtur, quoties de alicuius famulæ Dei viduæ Canonizatione fuerit agendum.

Commendatur in primis à ſollicita & Sancta educatione prolis B. Mater Monica; de qua eius filius Auguſtinus lib. 9. Confeſſ. cap. 9. *Fuerat enim vnius viri vxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum ſuam piè tractauerat, in operibus bonis teſtimonium habebat: nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties abs te deuiare cernebat*. Et quidem quantum ſtuduerit in cura filiorum Sancta Amelberga vidua, ſat ſuperque declarat ſanctitas liberorum eiuſdem apud Surium ſub die 10. Iulij: *Ex ea*, inquit, *natus eſt B. Adel-* C *bertus Cameracenſis Eccleſiæ Præſul ſanctiſsimus, cuius geſta plane miraculis & virtutibus vſque in præſens in eadem florent Eccleſia: Itemque quatuor Deo dicatæ ſorores, Rechinildis, Pharaildis Ærmelendis, & Gudila*. & infra: *Cum autem filiæ eius ab infantia vitam caſtiſsimam ducere conſtituiſſent; licet multi Regni proceres propter nobilitatem, & opes, illas ſibi matrimonio iungi percuperent, maluere Virginitatis tenere propoſitum, & ſponſo immortali Chriſto Ieſu adhærere potius, quam* D *mortalium hominum coniugijs copulari*. De ſancta item Brigitta in eius actis apud eumdem Surium hæc habentur: *Filios ſuos Brigitta cum multa ſollicitudine, & diligentia educauit, eoſque ceu Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, vnguibus caſtigationis, & ſanæ doctrinæ, radijs ſolis iuſtitiæ obiecit: adhibens illis Præceptores, qui eos in fide, & moribus inſtituerent*. Et in vita S. Heduigis hæc habet idem Surius: *Ex ea igitur tam ſancta radice ſancti quo-*

que rami prodiere, & bona arbor bonos fructus protulit. qui enim ex eis (ideſt, ex Heduige, & eius viro Henrico) *nati ſunt, diuino cultui dediti fuere; eumque pro viribus augmentarunt.* A

Non omiſerunt ipſi quoque Summi Pontifices in Bullis Canonizationum ſanctarum viduarum hanc prolis educationem in eis conſiderare, & inter illarum heroicas connumerare virtutes. Sanctam Franciſcam Romanam laudat Paulus V. in Bulla lata pro eius Canoniz. quod ſumma cum diligentia, ac ſtudio in rebus domeſticis, hoc eſt, cura rei familiaris, verſata ſit. Et Bonifacius IX. in Bulla Canonizationis S. Brigittæ, licet ſigillatim de prolis educatione non meminerit; tamen ex his quæ referuntur ab eo in fine vitæ ipſius, ſtudium eiuſdem in educanda prole, hauriri poteſt. hæc enim habentur ibi §.41. *Et cum fuiſſet annum ſeptuageſimum ſupergreſſa, adueniente iam termino prænunciato, vocata familia, quæ fieri oporteret, edixit. ac demum Birghero filio, & Catharina filia tunc ſuperſtitibus accerſitis, & de multis commonitis, vt ſuper omnia in Dei timore, & amore proximi, ac ſanctis perſeuerent operibus &c.* B C

Sed ne viduilis continentia inter ſæculi turbas aliquod periculum ſubeat; requiritur in Vidua ſeceſſus ab hominum cœtu, quantum illius conditio permittet. Ac de hoc ſeceſſu quidem, & cuſtodia ſollicita Caſtitatis commendatur in ſacris oraculis Iudith vidua cap. 8. his verbis: *Erat autem Iudith relicta eius vidua iam annis tribus, & menſibus ſex, & in ſuperioribus domus ſuæ fecerat ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur.* Quæ verba præclariſſimam inſtituendæ viduitatis normam, viduis omnibus proponendam, continent. ad quam adiungere licet hæc ſequentia: *Sit omnis Vidua mitis, placida, proba, malitiæ expers; non iracunda, non loquax, non vociferatrix, non procax,* D

A *non maledica, non verborum auceps, non bilinguis, non curioſa.* ex decretis Sanctorum Apoſtolorum in ſuis conſtitutionibus apud Sanctum Clementem lib. 3. c. 5. Plura habet glorioſus martyr Ignatius in Epiſtola ad Philadelphos, vbi inter alai: *Sint autem viduæ non vagæ, nec guloſæ, neque proteruæ ſed pudicæ & ſobriæ, ſicut Iudith & Anna.* Et S. Polycarpus in Epiſtola ad Philipp. *Viduæ vero pudicæ circa fidem Dei interpellent inceſſanter pro omnibus, elongantes ſe ab omnibus*
B *Diabolicis detractionibus, & falſo teſtimonio, & ab omni malo, cognoſcentes ſeipſas quia ſunt ſacrarium Dei.*

De ſeceſſu à turbis, vel eis ſaltem deſiderio, ac voluntate laudantur præcipue Dei famulæ, quæ Viduitatis laude celebres, ab Eccleſia Canonizationis honore decoratæ ſunt. ita Clemens IV. in Bulla Canonizationis, Sanctam Heduigem Poloniæ Duciſſam, ſtatim atque à viro fuit libera, ſeceſſiſſe, Monialibuſque Trebanicienſis monaſterij (quæ erant
C Ciſtercienſis Ordinis) ſe adiunxiſſe, & ibi præ omnibus alijs Monialibus Chriſto ſumma ſollicitudine inſeruiſſe teſtatur. Idipſum feciſſe Sanctam Eliſabetham Portugalliæ Reginam teſtantur D. D. Auditores de Rota in relatione quam ediderunt coram S. D. N. Vrbano pro eius Canonizatione: eam nimirum ſeceſſiſſe, & in monaſterio S. Claræ à ſe conſtructo reliquum vitæ exegiſſe. De ſeceſſu S. Franciſcæ Romanæ meminit Paulus V. in Bulla eius Canonizationis 58.
D his verbis: *Itaque defuncto Marito paucis annis ante ſuam dormitionem, varijs ſeruitutis obſequijs non deſtitit Chriſto famulari. proinde ſanctum clauſtralis vitæ propoſitum ſollicitè adimplere volens, abſque mora Oblatas, quas ipſa Chriſto pepererat, nuda pedibus adit, ac vinculo de collo pendente prona in terram, multiſque cum lachrymis quaſi peccatrix indigna, non tantum earum parens, ſuppliciter illas orat, vt ſe ipſarum numero &c.* In quo ſecedendi modo heroicus

plane

plane actus & nota ſanctitatis eximia apparet. A

Sed properemus ad reliqua, quibus vidua in cumbere debet; nimirum, carnis caſtigationem: quæ in ieiunijs crebris ac ciliciorum rigore, ad tentationes carnis vincendas, præcipue conſiſtit. Etenim ad tam difficilem pugnam multis firmiſque armis opus eſt, vt ex hoſte triumphemus. & primo quidem cilicij in his vſus probatur, quo ſe armauit S. Vidua Iudith, vt ſacræ teſtantur literæ. Dum enim aſpero hoc indumento delicata feminæ membra punguntur; magis de leniendo dolore, quam de libidine explenda cogitat. Neque B vlla res melius carnis ferocientis laſciuiam atque indomitos motus, quam hic indumentorum rigor & aſperitas, frangit, & extinguit. hinc Fulgentius epiſtola 2. cap. 12. loquens ad viduam: *Habitus tuus* inquit, *talis ſit qui non ad laſciuiam excitet, ſe ad continentiam prouocet: qui non illiciat ad libidinem, ſed comprimat ad timorem: qui non accendat carnis concupiſcentiam, ſed extinguat: ex quo cordis compunctio, non carnis libido naſcatur.* Atque hic veſtium decor eſt, quem in C ſponſis ſuis Chriſtus requirit, teſte eodem: *Vilibus caro tegatur operimentis, & pretioſis anima veſtibus induatur: nec quæras vt placeas oculis hominum, ſed vt Chriſti non offendas aſpectum. ille in te quod diligit, videat; quod dedit, inueniat; quo delectatur, agnoſcat. Concupiuit enim rex ſpeciem tuã. Sed omnis gloria filiæ regis intrinſecus.* Hieronymus quoque ſcribens ad Saluinam viduam to. 1. *Pallor, & ſordes*, inquit, *gemmæ tuæ ſint, plumarum mollities iuuenilia membra non foueat.* Et D de S. Brgitta in eius vita apud Surium ſub die 23 Iulij cap. 11. legitur: *Triginta annis ab obitu mariti veſtibus lineis vſa non eſt, niſi duntaxat in capitis velaminibus, ſed aſpero induta cilicio carnem ſuam exruciabat.* Et paullo infra: *Habebat etiam nodoſa, & aſperrima ligamina ad corpus ſuum, quæ neque noctu, neque interdiu à ſe remouit.* Et de Sancta Heduige Poloniæ

A niæ Duciſſa ſub die 15. Octobris idem Auctor: *Aſperum cilicium e ſetis equorum confectum ad nudum corpus ferebat, cui manicas albas e panno aſſuerat, vt pie eluderet oculos intuentium, ne ab eis latens intrinſecus veſtis aſpera cerneretur. Zonam quoque nodoſam ex equorum ſetis contortam ad lumbos ſuos ferebat, eis adeo adſtrictam, vt e carnibus eius miſere laceratis oportuerit per familiares ei fæminas ab eius corpore eam extrahi, & auelli, & ſaniem ab ipſis putrefactis carnibus*
B *pannis mollioribus abſtergi*. Et ibidem de lecto eius agens: *Lectus ei ita, vt decebat principem fæminam & Duciſam, præparabatur, ſed illa in eo non cubabat: in tabulis ligneis, aut pauimento corio inſtrato, ſomno eam poſt diurnas, veſpertinas preces, & vigilias opprimente, ſe ſe reponens: ſi vero debilis, & infirmo nimirum quidem fatigato corpori, interdum pluſculm indulgere vellet, in ſtraminibus panno craſſo opertis, aut in ſacco ad tempus aliquod cubauit.*

C Et quidem hanc carnis macerationẽ veluti pertinentem ad heroicæ virtutis actus, Summi Pontifices adnotarunt in Bullis Canonizationum ſanctarum viduarum, & inter alios Bonifacius IX. in Bulla *Ab Origine* lata pro Canonizatione Sanctæ Brigittæ: *Sed poſt Mariti mortem, ob reuerentiam Sanctæ Trinitatis, ad nudam carnem quamdam cordam de canapo cum pleriſque nodis detulit ſtricte ligatam, & ſimiliter circa ſingulas tibias ſubtus genua ſingulas cordas ſimiliter conno-*
D *datas, etiam tempore infirmitatis; nec pannis lineis præterquam in capite vſa eſt, veſte hiſpida circa carnem, ſuperius vero non ſecundum perſonæ conditionem, ſed multum humili, & abiecta*. Paulus quoque V. in Bulla Canonizationis Sanctæ Franciſcæ de corporis caſtigatione hæc habet: *Siue vigilaret, ſiue dormiret, aſperum laneum induſium non exuebat, duroque cilicio, ac ferreo cingulo ſuper nudum, membra mortificabat*. Quo etiam ſpectant quæ leguntur in relatione

DD. Auditorum ſacræ Rotæ lata pro S. Eliſabetta Regina A
Portugalliæ.
Ad carnis caſtigationem, & continentiam viduilem con-
ſeruandam, præter cilicinam veſtem adhibendum inſuper
ieiunium. *Caue ne carnis curam in deſiderijs facias* (inquit
Fulgentius Epiſt. 2. quæ eſt ad Gallam cap. 13.) *ne ſempergulæ*
quod poſcit, indulgeas: refectione tua non voluptas expleatur,
ſed ſuſtentetur infirmitas. tales autẽ conuiuij debes habere par-
ticipes, quæ non carnis delitias laudant, ſed cordis. Nam vbi B
vinum, ac copioſæ epulæ; ibi libido in promptu eſt. Hieron.
Epiſt. 10. quæ eſt ad Furiam: *Non Ætnei ignes, non Vulcania*
tellus, non Veſuuius, & Olympus tantis ardoribus æſtuant,
vt iuueniles medullæ vino plenæ & dapibus inflammatæ. Qua-
mobrem cilicio abſtinentiam, ac ieiuniũ vidua ſancta adiun-
get, exemplo Iudith: quæ, ſacra teſtante pagina, *Habens ſu-*
per lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ,
præter ſabbata, & neomenias, & feſta domus Iſrael. C

Quantum vero conferat ieiunium ad comprimendum
prurientes corporis motus, & libidinis ardorem extinguen-
dum, paſſim demonſtrant SS. Patres. E quibus Hieron.
Epiſtola proxime citata Saluinam ad temperantiam exhor-
tans: *Procul*, inquit, *à conuiuijs tuis ſint Phaſides aues, craſ-*
ſi turtures, attagen Ionicus, & omnes aues quibus ampliſsima
patrimonia auolant &c. paulo poſt: *Comedant carnes quæ car-*
ni ſeruiunt, quarum feruor deſpumat in coitum; quæ maritis D
alligatæ generationi ac liberis dant operam. tu vero quæ in
tumulo mariti ſepeliſti omnes pariter voluptates; quæ litam
purpuriſſo, & ceruſa faciem ſuper pheretrum eius lachrimis
diluiſti, nihil habes neceſſe aliud niſi perſeuerare in ieiunio.

Si vero ad ſanctę viduitatis commendationem à frequen-
ti ieiunio laudis argumenta quæramus, legantur quæ refert
de Sancta Amelberga Surius ſub die 10. Iulij: *Dictu incre-*

dibile

A *dibile eſt quanta ſe abſtinentia affecerit, quanta inedia, & pre-
cibus corpuſculum ſuum macerarit*. Et de Sancta Brigitta ſub
die 23. Iulij multa idem Surius refert. ſufficiant tamen quæ
in Bulla *Ab Origine* lata pro eius Canonizatione habet Boni-
facius IX. §. 24. dicens: *Et non ſolum eas, quas ſancta ma-
ter iubet Eccleſia, vigilias ſeu ieiunia obſeruabat, ſed etiam
alia multa ſuperaddebat, vt etiam vltra Eccleſiæ mandatum
quater in hebdomada ieiunaret*. & infra: *Singulis ſextis ferijs*
B *ob memoriam ſanctiſsimæ paſsionis Domini noſtri Ieſu Chriſti
pane duntaxat & aqua contenta, ieiunium non omiſit: cum etiam
multos alios dies, ob diuerſorum ſanctorum reuerentiam, ſimili
abſtinentia pertranſiret. & ſiue ieiunio abſtineret, ſiue aliter
diſcumberet, cum ſobrijſſima foret, de menſa ſurgebat non ſa-
turata, ſed refecta*. Et de Sancta Franciſca Romana Pau-
lus V. in Bulla *Cæleſtis aquæ flumen*. lata pro eius Canoniza-
tione §. 11. *Nec minori virtute in Chriſto Ieſu cum hoſte dome-*
C *ſtico pugnauit, ſed exemplo electorum Dei admirabilem in mo-
dum caſtigauit corpus ſuum, & in ſeruitutem redegit. Cibum
illi ſemel in die herbæ, & legumina; aqua potum, præbuerunt*.
Ex his alijſque quæ poſſent afferri, clariſſimè patet, quan-
tum Sanctæ Dei ſponſæ iudicarunt conferre ieiunium, ad
continentiam ſanctam conſeruandam: præſertim in viduis,
quæ venerem iam ſemel expertæ, duriorem ſentiunt pu-
gnam. At in pugna tam ardua vincere, nec arma vnquam
D abijcere, quibus victoria tam rara & eximia reportatur; virtu-
tis eſt plane heroicæ.

Religio, & pietas erga res ſacras, ſacrorumque miniſtros,
alia ſanctitatis eſt nota in vidua de cuius Canonizatione agē-
dum erit, atque hanc ſubindicauit Spiritus Sanctus Luc. 2.
dum Annæ Prophetiſſæ virtutes deprædicat dicens: *Et erat
Anna Prophetiſſa filia Phanuel, de tribu Aſſer, quæ non diſce-
debat de templo; ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte,
ac die*.

ac die. In Dei igitur famulabus quæ in Sanctæ viduitatis con- A
tinentia ſe Chriſto dedicarunt, ſanctitas earum, ex cultu ſa-
crorum locorum, ex viſitatione templorum, & pauperum
ac infirmorum obſequio, quam maxime expendi debebit.
Ita factum ſcimus in proceſſu actorum Sanctæ Heduigis
Poloniæ Duciſſæ, de qua Clemens IV. in Bulla eius Cano-
nizationis ſic loquitur §. 9. *Diuinis officijs & miſſarum præ-
ſertim ſic attente vacans ſolemnijs, quod à ſolis ortu vſque
ad meridiem ab Eccleſia, dum huiuſmodi dicerentur officia, non* B
*deceſſit; non torpore languida, nec acediæ, quantum perpendi
poterat, malo interim fatigata. Ne tamen ſeſſionis, cum huiuſmo-
di ſolemnia cantarentur, quis eam exiſtimet ſe dediſſe quieti:
cum tunc vel ſtaret erecta, vel curuato poplite oraret reflexa.*
Et Bonifacius IX. in Bulla *Ab origine* lata pro Canonizatione
Sanctæ Brigittæ §. 22. ait: *Sancta autem vidua, quæ ab ineun-
tis ætatis principio Deo dicata fuerat, & ieiunijs, & oratio-
nibus indefeſſe vacarat; ſoluto coniugio, & ſui iuris effecta,* C
*quaſi nauis inſtitoris portans panem ſuum, à Spiritu San-
cto præmonita egrediens de terra & cognatione ſua; ad almam
vrbem ac Hieroſolymam deinde perrexit.*

b Cultum & reuerentiam erga Dei miniſtros in Sanctis vi-
duis expoſcit quoq; Apoſtolus, in prima ad Timoth. cap. 5.
vbi in vidua admittenda ad miniſteria Eccleſiæ, inquiren-
dum docet: *ſi ſanctorum pedes lauit*, nam de charitate er-
ga Deum & eius cultu nihil eſt quod dicamus: cum iam ex D
his quæ dicta ſunt de virtutibus theologicis ſect. 3. cap. 3.
ſatis conſtet, charitatem non minus requiri in vidua, quam
in alijs Dei ſeruis, ac famulabus.

Videndum eſt igitur quid velit Apoſtolus in allatis ver-
bis de lotione pedum Sanctorum. Cornelius à Lapide *San-
ctorum* vocabulo intelligit omnes Chriſtianos peregre ve-
nientes: & hinc colligit priſcum fuiſſe morem in Eccleſia
vt adue-

A vt aduenis ex itinere feſſis pedes lauarentur. exempla vero
quæ affert de Abraham, & de Chriſto qui lauit pedes Diſci-
pulorum, & de Magdalena quæ lachrimis in domo Phariſei
Chriſti pedes abluit, vt planum eſt, non ſunt ad rem. nam
eſto, Peregrinorum pedes laſſos Abraham abluerit; non ita
Chriſtus Diſcipulorum. non enim de itinere venerant Apo-
ſtoli in nocte cœnæ. nec Magdalena ex hac occaſione Chri-
ſti pedes lachrimis abluit, atque vnxit, vtpote in aliena
B domo. perperam etiam locum affert Chryſoſtomi Coſmas
Magalianus in Epiſtola Pauli citata. c. 5. ſect. 2. annot. 4.
qui *Sanctorum* nomine fideles omnes ſignificari pariter ar-
bitratur. Caietanus, *Sanctorum* vocabulo, hoc loco intelligit
Prædicatores, & qui verbum Dei euangelizabant. *Sanctos*
vero dictos exiſtimat, quaſi mundos, & à peccatorum ſordi-
bus alienos.

Sed quiquid dicant alij, nobis in his quæ docuimus
C ſect. 1. cap. 5. ſtandum eſt, & ſanctorum vocabulo, ex phraſi
Apoſtoli, illos omnes fideles dicimus ſignificatos, qui carceri
pro Religione Chriſtiana mancipati aliquando extitiſſent.
In primordijs enim Eccleſiæ, cũ omnia eſſent Chriſtianis in
feſta; multi in carcerem aut exiliũ mitterentur; multi ad me-
talla damnarentur; omnes varijs ærumnis premerentur; cum
fame, & ſiti plerique luctarentur: viris & feminis paſſim da-
batur occaſio exercendi miſericordiæ opera. viduis vero
D carceres ſanctorum, ideſt, fidelium qui pro Religione in eis
detinebantur, adire, ab ethnicis permittebatur, eiſque chari-
tatis opera exhibere: illis præſertim quę ab Eccleſia manda-
bantur. ita vt, illorum præcipuè qui torti fuiſſent, vulnera
curare, & pedes lauare, viduarum cura eſſet, vt ex Ter-
tulliano, & Cypriano manifeſtum eſt. & ex Paulo loco cita-
to, vbi cum dixiſſet inquirendum in vidua: *ſi Sanctorum pe-
des lauit.* ſubintulit: *ſi tribulationem patientibus ſubmini-
ſtrauit.*

ſtrauit. Cum igitur ſanctorum vocabulo fideles Deo per carceres conſecrati, vt iam ſectione prima vidimus, intelligantur, & lato modo ſumpto vocabulo, etiam Viri Religioſi: propterea Chryſoſto. homil. 14. in Epiſt. Pau. ſuadet diuitibus, quicunque illi tandem ſint, & viduis præſertim bene nummatis, vt viris, qui in monaſterijs paupertatem profitentur, ſtipem liberaliter impertiant, ne famis, & aliorum incommodorum premantur iniurijs. A

Et merito quidem, in actis ſanctarum viduarum, ſingularis ratio habetur de hac reuerentia, & veneratione erga ſacrorum miniſtros. inde enim non obſcurum argumentum ſumitur diuini cultus. Mira vero ſunt quæ de hac reuerentia in actis Heduigis Poloniæ Duciſſæ leguntur apud Surium ſub die 15. Octobris §. *Sciebat etiam*. & infra: *In ſpiritu enim humilitatis, & animo contrito, ea loca, in quibus ſtantes, aut precantes viderat homines Religioſos, vel pro ſuo iudicio bonos, cum eſſet data opportunitas, in genua humiliter ſe ſubmittens, labijs impreſsis exoſculabatur. Sororibus quoque comedentibus, illa in choro adibat loca, in quibus illæ ſtare ſolebant, & ſingulis oſcula affigebat. Itemque ad dormitorium earum aſcendens, omnes gradus per quos illæ aſcendebant, ſcabella quoque ante lectos earum poſita, atque etiam ipſas virgas quibus dabantur eis, vt vocant, Diſciplinæ; mira humilitate, & animi deuotione exoſculabatur. quippe quæ ſanctum putaret, quicquid tetigiſſent ſanctæ illæ moniales, & omnes Domino ſeruientes*. Ibidem & hæc leguntur: *Quicunque enim ad eius aulam veniſſent Sacerdotes, ſiue ſæculares illi eſſent, ſiue Religioſi, vix vnquam ſubterfugere poterant, quin coram ipſa ſacrificium offerent*. & inſuper: *à ſacerdote qui ſacrificium fecerat petebat, vt manus ſuas capiti ipſius imponeret, & aqua benedicta conſpergeret*. Quod etiam DD. Auditores de Rota referunt de ſancta Eliſabetha Regina Portugalliæ, quam B C D

A dicunt conſueuiſſe manus Sacerdotis oſculari, quoties ſa-
crum audiret, & aliquid pro qualitate feſti Sacerdoti, hono-
rarij loco, offerre.

Charitas erga pauperes, eſt alterum heroicę virtutis argu-
mentum in Sancta Dei famula, quę per viduitatem Deo gra-
tam, Cæleſtis aulæ curiam ingredi conatur. Idcirco Apoſto-
lus docet inueſtigandum in vidua *ſi hoſpitio recepit*. Græcè
legitur *εἰ ἐξενοδόχησεν* ideſt, ſi fuit hoſpitalis: in Peregrinos ſci-
B licet & pauperes recipiendo, vt late oſtendit Cornelius à la-
pide. Ad quod humilitatis ſimul ac pietatis officiũ D. Chry-
ſoſt. homil. 14. eas hortatur, vtque hoſpitalitatis erga pau-
peres obſequium ipſæ exhibeant: *Quantumlibet*, inquit,
*fueris opulenta, ac præcipua generis gloria fulgeas, ſi illos,
vt Chriſtum, ſuſcipis, nihil eſt quod erubeſcere debeas, immo
ingens tibi gloria inde conquiritur.* Ex qua Apoſtoli, & Chry-
ſoſtomi doctrina planum eſt, ad cęteras heroicas viduæ ali-
C cuius virtutes, charitatem erga proximum adiungendam, vt
Deo gratam viduitatem exerceat. Qua propter de Sancta
vidua canit Eccleſia illud ex cap. 31. Prouerb. *Manum
ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem, &
panem otioſa non comedit.* Quia ex amore & charitate erga
proximum, etiam ſanctę Mulieris in Deum amor, & terreno-
rũ contemptus dignoſcitur. Vnde ad Gallã Fulgentius ep. 2.
cap. 16. hæc habet: *Orationibus operam da, ieiunijs inſta, &
D quicquid tuis apparatibus ſubtrahis, eſurientibus tribue; &
quicquid tibi deducis, egenis expende. Voluntarium ieiunium
tuum eſuriem ſubleuat ieiunantium, vt in fructu miſericordiæ
tuorum poſſit ieiuniorum fœcunditas apparere. Proſit etiam tibi
vilitas veſtium, & pauperum per te nuditas veſtiatur. tunc
enim vtiliter fugies noxium pretioſæ veſtis ornatum, ſi nudos
veſtias.*

Sanctarum viduarum acta idipſum demonſtrant, nam
Mm de

de S. Brigitta apud Surium ſub die 23. Iulij cap. 8. hæc habentur: *Iam vero infirmorum, morbidorum, & pauperum felix, & inclyta mater eleemoſynas largiſsimas præſtabat. Habebat autem magnas ædes pauperibus deputatas, & in ijs fæminas, quæ illorum miniſterio ſemper occuparentur. ſed & ipſa cum multa humilitate non raro illis inſeruiebat, lauans, & oſculans pedes eorum.* Et apud eundem Surium ſub die 15. Octobris mira ſunt quæ de S. Heduigis erga pauperes charitate ſcribuntur. vbi in fine primi capitis hæc habet: *Multas quoque puellas Virgines nobiles, quaſdam etiam humili loco natas, parentibus orbatas, & deſtitutas opibus; curandas, ac tuendas ſuſcepit, e quibus alias tradidit Monaſterio, vt virginitatem perpetuo ſeruarent, alias iunxit matrimonio, vt coniugalem ſectarentur pudicitiam: vt ſic Chriſto fideliter ſeruientes, illæ centeſimum, iſtæ triceſimum ab illo fructum expectarent. quaſdam præterea apud ſe viduas habuit, ieiunijs, & orationibus cum illa Anna Euangelica vacantes.* Et cum tandem monaſterium Trebanicienſe, quod ipſa conſtruxerat, ingreſſa fuiſſet, habitumque Religioſum ſuſcepiſſet, votum paupertatis noluit emittere, vt liberius eleemoſynis vacaret, vt ibidem cap. 2. dicitur. Domini Auditores de Rota in relatione Sanctæ Eliſabethæ Portugaliæ Reginæ idipſum de hac ſancta Regina teſtantur his verbis: *Iſta B. Regina ita proximos diligebat; vt maximam partem ſuorum reddituum pauperibus, viduis, pupillis, & perſonis oppreſsis, ſiue morbo, ſiue quauis alia neceſsitate impenderet: eleemoſynaſque maxima cum liberalitate, vt proximis ſuccurreret, faciebat, maxime circa infirmos, illos perſonaliter viſitando, & monaſteriorum tam virorum, quam fæminarum, neceſsitatibus ſuccurrendo. Filias ad hæc nobilium, & aliorum ſubditorum intra palatium ſuum in omni virtutum genere inſtituebat, & alebat, ac alias proprijs ſumptibus in matrimonium collocabat, alias vero* Reli-

A *Religioſas faciebat*. Hæc ibi. ſed & multa alia referuntur ab eiſdem de hoſpitalibus pro infirmis, pro expoſitis, ac etiam pro peccatricibus, quæ ab inhoneſto vitæ genere eius opera ad meliorem frugem ſe recepiſſent, & in monaſterijs ab hac ſancta Regina conſtructis ſe abdiderant, atque etiam de alio hoſpitali, vbi honeſtiores pauperes reciperentur, ex affectu charitatis erga pauperes ab illa extructo, referunt prædicti Rotæ Auditores.

B Eundem charitatis erga pauperes affectum Summi Pontifices in Bullis Canonizationum Sanctarum viduarum adnotarunt. Clemens IV. in Bulla *Exultat cunctorum.* lata pro Canonizatione Sanctæ Heduigis ſub anno Domini 1267. ſub §. 4. dum agit de eius in monaſterium Ciſtercienſis Ordinis ingreſſu, inter alia hæc habet: *Et licet quæ Regularis Diſciplinæ fuerant, quantum ſuo licebat ſtatui, præ cunctis Monialibus obſeruaret; votum tamen profeſsionis* C *emittere, & renunciare proprio renuit, non ob aliud (pro vt fertur) niſi vt haberet vnde palmam porrigeret inopi, & aperiret munificentiæ dexteram indigenti.* Bonifacius quoque nonus in Bulla *Ab origine* lata in Canonizatione Sanctæ Brigittæ §. 31. & infra. *Conſiderans*, inquit, *ſemitas domus ſuæ, ne panes comederet otioſa, manus ſuas aperuit inopibus, & palmas ſuas extendit ad pauperes. Inexhauſtæ enim charitatis officia erga egentes, infirmas, & abiectas perſonas ob* D *Dei reuerentiam exercuit indefeſſe. Nam dum etiam adhuc maritus ſupereſſet, die quali bet duodecim pauperes conſueuit propria in domo cibare, illis inſeruiens, & neceſſaria miniſtrans; & quintis ferijs, memor cœnæ Domini, proprijs manibus lauit pedes eorum. De propria quoque facultate reparauit in partibus ſuæ originis multa hoſpitalia deſolata, & pauperes, & infirmos ibi degentes, pia, benigna, miſericors, & ſedula miniſtratrix cum ſumma pietate viſitauit.* Et Paulus V.

in Bulla: *Cæleſtis aquæ flumen.* lata pro Canonizatione A Sanctæ Franciſcæ §. 9. *Nec verbis tantum, ſed re etiam propter Chriſtum, vt abiecta eſſet, ſedulo curabat: ita vt ſæpè è ſuburbana vinea ſua reuertens, lignorum faſces pauperibus portaret: interdum aſellum lignis, & ſarmentis in vſum ſimiliter pauperum onuſtum per vrbem ageret. Oſtendens videlicet, omnia eſſe facilia charitati: qua etiam Beatam mulierem abunde fuiſſe à Spiritu Sancto donatam, propter huiuſmodi perfectionis opera, cuius eſt vinculum charitas; illa prætere-* B *rea declarant, quod ſuper egenos, & pauperes benignè & multifariam reſpiciebat; largas eleemoſynas, hoſpitalium præſertim infirmis erogabat; viſitabat eos frequenter, neque ſolum afferebat corporis cibaria, ſed monita etiam ſalutis, & ad Eccleſiæ Sacramenta ſuſcipienda illos inducebat.* Plura alia ex actis aliarum Dei famularum afferri poſſent, ad notas ſanctitatis: ſed hæc attuliſſe ſufficiat, ex quibus colligere licet, inter heroicarum virtu- C tum actus, qui viduitati reſpondent, charitatem quoque erga pauperes enumerari debere.

* * *

D

A

CAP. IV.

De notis, & ſignis Sanctitatis alicuius Dei famulæ Coniugatæ.

QVAMVIS in Cælo Sancti neque nubent, neque nubentur, in via tamen etiam coniugatorum
B ſtatus notas Sanctitatis admittit: & perſæpe inter mulieres coniugatas repertæ ſunt, quę bonorum operum odore, variarumque virtutum exemplis, vniuerſam implerunt Eccleſiam. Qualis fuit illa de qua ſpiritus S. in lib. Prouerb: *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius, confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit*. Quamobrem harum quoque Sanctarum Mulierum virtutes re-
C ferre cogimur, vt pateat nullum eſſe in Eccleſia hominum ſtatum, qui non ſua ſanctitatis argumenta ac ſigna contineat, atq; adeo ad Canonizationem adſpirare valeat. Sanctitatem autem in muliere coniugata ad hæc potiſſimum capita reuocamus: nimirum ad manſuetudinem, honeſtatem, ſollicitudinem, & charitatem. Manſuetudinem; cum ſingulis, præſertim domeſticis, precipue vero cum viro & ſocru: ſollicitudinem; circa familiam, & filiorum educationem: hone-
D ſtatem; circa veſtitum, & ornamenta: charitatem; erga proximum, & præſertim pauperes. In his enim coniugatarum virtutes, & ſanctitatis argumenta inprimis elucent. De quibus antequam ſermo inſtituatur, de ipſo matrimonio aliquid diſſerendum eſt: eo quod à ratione & motiuo coniugij, non obſcurum deſumi poteſt ſanctitatis argumentum: ſi nimirum non libidinis affectu, ſed prolis adipiſcendæ, in Dei obſequium, & ex obedientia parentum matrimonium con-

traxerit. Hanc regulam tenuere Patres cum de coniugio A
loquuntur. ita Fulgent. Epiſt. 1. quæ eſt de coniugali debito
cap. 3. hæc habet: *Sic ergo quæri debet ex nuptijs fructus, vt cohibendus ſit lubricæ voluptatis exceſſus. quocirca ſi coniugalis vſus eatenus temperatur, vt non æstuanti libidini animus ſeruiat, ſed prouentum naſcituræ prolis attendat, & cum nata fuerit, diluendam celerius ſpirituali generatione non negligat; non deputatur fidelibus coniugibus ad peccatum, carnis indulta cõmixtio. quia & coniugalis ſeruat confœderatio caſtitatem, & verecundia custodit modeſta temperiem, & Deo dicandam coniugalis exhibet fecunditas prolem: vt & redemptoris opera homo iam natus reformetur baptiſmatis ſacramento, cuius opere prius formatur in vtero.* B

Habemus ex ſacris quoque oraculis veteris teſtamenti eandem doctrinam cap. 7. libri Tobiæ: in quo Raguel dedit Vxorem Saram filiam ſuã Tobiæ iuniori, numine prius adorato, vt faueret inito coniugio, prolem coniugatis concedendo cum reſpectu ad naſciturum ſc. Meſſiam. quæ ſic ibi referuntur: *Et apprehendens* Raguel, *dexteram filiæ ſuæ, dexteræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham & Deus Iſahac, & Deus Iacob vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis.* Dei vero benedictio qua benedixerat Abraham, Iſahac, & Iacob, reſpiciebat Meſſiam, in quo benedicendas omnes gentes Abrahæ Deus promiſerat. Nec ſanè fruſtra Spiritus Sanctus adnotauit: quod prima nocte nuptiarum, prius orationi ſe dederunt, quam coniugio adimplendo: vt non luxuriæ, ſed prolis ſuſcipiendę cauſa, eos conueniſſe indicaret. Oratio autẽ illa fuit huiuſmodi: *Et nunc Domine tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugem, ſed ſola proſteritatis dilectione, qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum. dixit quoque Sarah: Miſerere nobis Domine, miſerere nobis, & conſeneſcamus ambo pariter ſani.*

(C and D margin letters: C beside "adorato … con-", D beside "Nec ſanè …")

Hanc

A Hanc quoque coniugij rationem amplexata eſt inſignis illa Heduigis Poloniæ Ducíſſa de cuius coniugio hæc ex Surio 15. oct. & proceſſu Canonizationis habentur: *Heduigis cum eſſet annos nata duodecim, præclaro Principi Henrico Duci Sileſiæ & Poloniæ collocata eſt, quem illa, inſtar Saræ, cum timore Domini, non cum libidine conſenſit ſuſcipere. In eo etenim contrahendo matrimonio, non tam ſuam, quam Parentum, voluntatem creditur ſecuta. id quod abunde con-*
B *ſtare poteſt, vel ex eo ſolo, quod poſtea mira quadam abſtinentia ſeſe conſtrixit.* Amelberga, in actis ex codicibus manuſcriptis apud Surium ſub die 10. Iulij, quamuis ardentiſſime cuperet virginitatem ſuam Deo ſoli conſecrare, ne parentibus tamen contradiceret, coniugium admiſit: *Non erat illa dedita iocis puellaribus* (ait Surius) *non amatorijs capiebatur cantilenis, non quævis ludicra, aut friuola, vel audire cupiebat: ſed cum Maria ad pedes Domini reſidens, quod actu-*
C *ra eſſet, actu & habitu præſeferebat. Interim totius boni hoſtis Diabolus puellæ admirans continentiam, eius parentes ſollicitat, vt nuptui eam collocent. Indicatur igitur renitenti maritus, & tandem à Pipino S. Getrudis virginis parente, Vuithgero homini præpotenti coniux traditur, generis nobilitate pari, nec diſpari meritis.* Et apud eumdem Auctorem c. 6. de S. Brigitta ſub die 23. Iulij dicitur quod quamuis virginitatem ſeruare propoſuiſſet, nihilominus coniugem ſibi da-
D ri paſſa eſt: ceterum tanto continentiæ amore retento, vt anno plus integro Deum vna cum viro precaretur, vt id fieret ſolum ad Dei honorem & eius adimplendam voluntatem: *Animaduertens autem Pater eius quod virgo iam nubilis eſſet, & tanta morum elegantia; ſpectabilis ſeu altera quædam Heſter, vt poſſet generi ſuo magnum adferre ſplendorem, & dignitatẽ, & inſtar parui fontis in maximum excreſcens fluuium plurimis aquis redundare: Ipſam, licet ſummopere in Virgini-*

tatis propoſito permanere cupientem, cuidam Adoleſcenti di- A
uiti, Illuſtri, cordato & prudenti deſpondit. Erat is Nericæ Princeps; & Vulpho de Vulphaſo dicebatur. Vixerant autem pariter annum vnum & eo amplius, pudice & continenter, obnixe rogantes Deum, vt, ſi ei viſum eſſet vt inter ſe concumberent, talem ex eis prolem procrearet, quæ ipſius ſeruitio manciparetur. Eandem coniugij normam ſequuta eſt S. Franciſca Romana vt teſtatur Paulus V. in Bulla. *Celeſtis aquæ* §. 5. *Vndecimum Annum nata, vt iugum Domini cito portare inciperet, Chriſto virginitatem conſecrare, & monaſterium* B
ingredi propoſuit: ſacroque propoſito huiuſmodi conuenienter viuendo, quaſi ſolitariam vitam agebat, & iam in Cælis conuerſari incipiebat. Verum quia voluntas Dei erat, vt coniugalis perfectionis grande documentum daret; parentes, quibus ſubdita erat, nubere viro diuiti & nobili eam voluerunt. Illa vero non deſijt nupta cogitare quæ Dei ſunt: ſed in ſancto, & immaculato coniugio virum habuit, tanquam non haberet. Ex motiuo C
igitur coniugij, & modo illud admittendi, primum ſanctitatis argumentum in coniugatis Dei famulabus ſumere oportet, in actibus illarum per reſpectum ad Canonizationem diſcutiendis.

Aliud ſanctitatis argumentum in Dei famula coniugata, ad eundem effectum, ſumetur ex virtute Manſuetudinis erga maritum, ſocrum, totam denique familiam. ſolent autem non raro lites ac ſimultates coniugatæ mulieri cum ſocru D
obuenire, præcipue ſi natura difficilis ac moroſa exiſtit. Quo tempore ſancta coniugata largam habebit materiam, manſuetudinem ac patientiam ſuam exercendi. quod præ reliquis eximiè præſtitit ſancta mater Monica: de qua S. Auguſtinus lib. 9. confeſſ. cap. 9. *Socrum etiam ſuam primo ſuſurris malarum ancillarum aduerſus ſe iratam, ſic vicit obſequijs, perſeuerans tolerantia & manſuetudine, vt illa vl-*

A *tro filio ſuo medias linguas famularum proderet, quibus inter ſe, & nurum pax domeſtica turbabatur, expeteretque vindictam.*

Viro reuerentiam præcipuam coniugata exhibere tenetur, & ex conſequenti erga eumdem manſuetam ſe maxime oſtendere, iuxta doctrinam Apoſtoli Petri in prima Canon. cap. 3. dicentis: *Mulieres ſubditæ ſint Viris ſuis; vt ſi qui non credunt verbo* (ideſt; non credunt Euangelio, & Apo-
B ſtolorum doctrinæ) *per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant: conſiderantes in timore ſanctam conuerſationem.* Etenim tanta vis eſt prudentis manſuetudinis in muliere coniugata, vt de hac dixerit Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. *Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa; non dimittat virum: ſanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem.* Sanctificatus eſt quidem, morali quadam denominatione, vt ait Cornelius; vel quadam
C quaſi ſanctitatis aſpergine, vt ait Anſelmus; idq; duplici ex capite: tū quia maritus eſt ſanctæ, ideſt fidelis, coniugis; tum vero quia maritus, nō impediendo Vxorem ſuā ab exercitio piorum operum, & beneuole cum ea viuendo, quaſi viā ſibi ſternit, vt primū verbo, & exemplo fidelis coniugis, deinde eiuſdem precibus ac meritis, etiam ipſe conuertatur ad Chriſtum, fiatque ſanctus. Ita S. Cæcilia, maritum ſuum Valerianum ad Chriſtum conuertit; Theodora, Siſſinium;
D Clotildis, Clodoueum; Monica, Patritium Auguſtini Patrem, de qua ipſe Confeſſ. lib. 9. cap. 9. *Vbi plenis annis nubilis facta eſt, tradita viro ſeruiuit veluti Domino, & ſategit eum lucrari tibi* (Deum alloquitur) *loquens te illi moribus ſuis, quibus eam pulchre faciebas & reuerenter amabilem, atque mirabilem viro. Ita autem tolerauit cubilis iniurias, vt nullam de hac re cum marito haberet vnquam ſimultatem.* Et infra: *Erat vero ille ſicut beneuolentia præcipuus, ita ira fer-*

uidus,

uidus, ſed nouerat hæc, ideſt Monica, *non reſiſtere irato viro, non tantum facto, ſed nec verbo quidem*. & infra: *Denique etiam virum ſuum, iam in extrema vita temporali eius, lucrata eſt tibi: nec in eo iam fideli planxit, quod in nondum fideli tolerauerat*. Videantur plura apud Fulgen. Epiſt. 2. ad Gallam cap. 12. Epiſt. 3. ad Probam. cap. 14. Manſuetudo autem mulierum coniugatarum poſtulat, vt omnem obedientiam præſtent viris, & debitam erga illos reuerentiam retineant, quod notat Paulus V. in S. Franciſca Romana in Bulla *Caleſtis aqua*. lata pro illius Canonizatione: *Et quemadmodum*, inquit, *Sarah obediebat Abrahæ, ſic illa viro ſemper obediens fuit*. A B

Aliud ſanctitatis caput eſt, morum honeſtas ſiue modeſtia: quæ quidem omnes fideles cum deceat, potiſſimum tamen conuenit mulieribus, ac præcipue coniugatis: ac primo quidem in ornatu corporis, & in veſtitu. Hæc eſt doctrina Apoſtoli Petri in ſua prima Canonica cap. 3. vbi de mulieribus coniugatis ita loquitur: *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri aut indumenti veſtimentorum: ſed qui abſconditus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti, & modeſti Spiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples. ſic enim aliquando, & ſanctæ mulieres ornabant ſe ſubiectæ proprijs Viris*. C

Vt autem ſingula perpendantur in allatis Apoſtoli verbis, obſeruare oportet, Petrũ prius admonuiſſe mulieres coniugatas de fide ſeruanda maritalis tori, quo ſpectant hęc eius verba: *Vt conſiderantes in timore caſtam conuerſationem veſtram*: ſcilicet viri tam fideles, quam infideles; inde argumenta Chriſtianæ perfectionis, & Euangelicæ doctrinæ deſumant: atque Sanctæ mulieris conuerſatione, & infideles ab infidelitate reuocentur; & fideles, ſi peccauerint, ad pœnitentiam ac meliorem frugem adducantur. D

San-

A Sanctificari autem in Eccleſia poſſe virum infidelem per mulierem fidelem, & reuocari à peccatis per mulierem ſanctam virum impium, plurimarum exemplis reipſa comprobatum eſt. Atque in primis ſanctitas Heduigis Duciſſæ Poloniæ eo progreſſa eſt, vt virum ad continentiam toto vitę tempore ſeruandam, voto ſolemni edito, induxerit: vt in eius actis apud Surium his verbis refertur: *Et quia felices hi coniuges, pia mente, huiuſmodi caſtimoniæ laudabili exercitio,* B *Deo benedicente, iugiter vacabant; & vitæ munditiam conſectando ſanctificabant corpora ſua; ad maiora peruenire meruerunt diuinæ gratiæ incrementa: Ita vt vno animo, parique conſenſu continentiam ſe ſeruaturos promitterent. Dei enim ſpiritu corroborati, triginta circiter annos, ſolo toro ſeparati, vitam duxere caſtitatis pulchritudine mirificè decoratam.* Similiter perſuaſione Sanctæ Amelberghæ, virum eius Vuitgerum monaſticæ vitæ inſtitutum ſuſcepiſſe ſcribitur, & reli- C quo vitę tempore deuotiſſimum Deo prętitiſſe obſequium.

Et in actis Sanctæ Brigittæ apud Surium cap. 8. hæc habentur: *Maritus autem eius cum eſſet vir ſtrenuus, potens, & ex præcipuis Regni conſiliarijs; perſpecta tanta eius virtute, & gratia, illius ſacris & ſalutaribus delectabatur ſermonibus & conſilijs: ita vt, ſpretis omnibus mundanæ vanitatis bonoribus, & pompis, ab aula Regis prorſus ſe ſubduceret; ſuauique iugo Domini ſe totum humiliter ſubmittens,* D *quicquid eſſet æquum & iuſtum, quicquid bonis moribus & honeſtati conſentaneum, in gloriam & laudem Dei efficaciter exſequi conaretur. Didicit vero etiam à B. Brigitta legere preces horarias Beatiſſimæ Matris Dei.* Et cum idem Auctor vtriuſque peregrinationem ad S. Iacobum in Hiſpaniam, & alia loca pia retuliſſet, hæc tandem ſubdit: *Ipſaque Deo dilecta maritum ſuum ſanctis adhortationibus perfecte ad Deum conuertit; & tum precibus, tum exemplis ſuis ad perpetua*

conti-

continentiæ ſtudium perduxit. Cumque votum ille nuncupaſſet Deo, quod monaſticum vellet viuendi genus arripere, ſeptem liberis procreatis, diu ſeruata continentia in monaſterio Aluaſtra ordinis Ciſtercienſis fæliciter è vita deceſſit. A

Hunc ipſum fructum ſanctitatis retulit Eliſabetha Portugalliæ Regina, cuius vir Dionyſius Rex, cum fidei coniugalis oblitus, maximo ſanctæ mulieris cordolio, furtiuæ & illicitæ veneri operam daret; tandem ſanctiſſimæ coniugis exemplo permotus, victuſque beneuolentia & charitate, B quam erga filios illegitimos illam exhibere conſiderabat; ad meliora, ac magis ſe decentia conſilia animum adiecit. vt referunt Rom. Rotæ Auditores in eiuſdem actis, his verbis: *Quibus actibus tam Regem vicit, confuſumque reddidit, vt bonitate, & patientia, & charitate B. Reginæ motus, ab omnibus ſuis impudicis, & illicitis conuerſationibus ſe retraxerit, & Reginam vxorem magno amore proſequutus fuerit, & matrimonij leges obſeruauerit. Et iuxta dictum Apoſtoli Pauli, Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem.* C

Pergit deinde Apoſtolus Petrus mulieres dehortari à ſuperfluo corporis cultu, docens verã Mulieris ſanctæ pulchritudinem non eſſe capillorum ornatum, aut veſtimentorum ingens pretium; *Sed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti Spiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples*. Et hæc eſt Euangelicæ perfectionis doctrina, vt nimirum curent, & ſtudeant mulieres in excolendo animo, D in manſuetudine, & modeſtia Spiritus interioris comparanda. Is enim verus, & vnicus eſt fidelium fœminarum cultus: is eſt decor occultus, & tecta venuſtas mulierum Chriſtianarum, de qua Regius Propheta, animæ fidelis pulchritudinem deſcribens, ait: *Omnis decor filiæ Regis ab intus*. Propterea Apoſtolus Petrus præſcribens ex doctrina Chriſti regulas à mulieribus ſeruandas in ſe ornando: *Quarum non ſit*, inquit, *extrin-*

A *extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti*
veſtimentorum cultus. Reprobat ſignatè Petrus, inter alia, ſtu-
dium in plicatura capillorum, ſiue eos criſpando, ſiue inno-
dando, ſiue in cirros, & cornua calamiſtris diſcriminando,
ſiue alienos etiam capillos accerſendo: quos mulierum hæc
cura ita componit (loquar cum Hieron. ad Marcell.) vt
videantur in fronte erigere crinium faſtigia, & turres, quas
incuſans Iuuen. ſat. 6. ait: *Tot adhuc compagibus altum*
B *Ædificant caput . . . . .*

Sanctitatis itaque mulieris coniugatæ argumentum aliud
erit, contemptus mundi muliebris: quem ad tria capita re-
uocauit Sanctus Apoſtolus, nimirum, ad capillaturam, ad
aurea ornamenta, & ad ſuperflua indumenta. Primum at-
tingit Paulus quoque I. ad Tim. cap. 2. *Ornantes ſe, non in*
tortis crinibus. Nec enim prohibent Sancti Apoſtoli quo mi-
nus Chriſtianæ mulieres ornent ſe, ſed modeſte id fieri vo-
C lunt; & neceſſitatis magis cauſſa, quam aut ſuperbiæ, aut va-
nitatis. In quo ſingulare mulieribus exemplum dedit Eſther
Regina, quæ cap. 14. ita Deum alloquens: *Tu ſcis*, inquit,
neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ
meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ;
& deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in
diebus ſilentij mei. Quibus verbis aperte teſtatur, quod, licet
ex ratione Regiæ maieſtatis coronam in ornamentum capi-
D tis geſtare cogeretur, illam tamen non ex aliquo ſuperbiæ
affectu geſtabat, ſed tantum ex decore Regni: ita vt ab
eodem ornamento caueret, dum intra propria cubicula con-
uerſaretur.

Docuit ſecundo Sanctus Petrus, damnandam eſſe in mu-
lieribus coniugatis ambitioſam auri circumligationem, tam
in capite, quam in veſtibus, quomodocumque ea fiat. Quis
autem mulieribus in his modus ſeruandus ſit, docet S. Baſi-
lius.

lius in cap. 3. Iſaiæ. Quam vero ab his caueret S. Hedui- A
gis Duciſſa Poloniæ, auctor eius vitæ apud Surium teſtatur his verbis: *In eius capite non crocea, vel criſpata cernebantur velamina; non in pectore monilia aurea gemmis radiantia, neque in digitis annuli pretioſi. Omne enim ſuperbiæ, aut vanæ gloriæ ſignum cum Eſther abominabatur, nec ferre voluit etiam in iuuentute.*

Tertio, ſuperfluum veſtimentorum cultũ prohibet Apoſtolus Petrus in allatis iam verbis. ſolent enim prophanę mulieres tot induere tunicarum, velorum, palliorum genera, vt Iſaias ea ornamenta enumerando cap. 3. multos verſus imo paginas impleat. A quibus longe diſſidebat Sancta Franciſca Romana, vt videre eſt in Bulla lata pro eius Canonizatione §. 9. per hæc verba: *Nam illi, etiam dum in coniugio vixit, quamquam nobili, & opulento viro collocatæ, non ſerica, non auro contexta, ſed vilis & lanea veſtis.* Et de S. Brigitta Bonifacius IX. in Bulla eius Canonizationis §. 23. *Nec pannis lineis, preterquam in capite vſa, veſte biſpida circa carnem, ſuperius vero non ſecundum perſonæ conditionem, ſed multum humilibus, & abiectis.* Ita legimus feciſſe S. Heduigem in eius vita: *A iuuentute ſua veſtes coccineas, aut pannos magni pretij vel elegantiæ habere noluit, tametſi cum adhuc iuuencula eſſet ſatis bonis veteretur indumentis: ſed neque in ijs mundi expetabat pompam, aut faſtum, neque cultum corporis, neque mollitiem vllam, ſed tantum ſtatus ſui decorum obſeruabat. Quod ſi vero cultiori quoque veſtitu, atque exteriori ornatu, eoque modeſto, & ipſi congruenti (quod tempus ſic poſceret) ipſam inter homines apparere contigiſſet; nec ſic quidem cordis pietatem, & humilitatem deſeruit.* & infra: *Poſtquam autem non nihil in annis propoſitum iam ad effectum perduxit, omnem ſæculi ornatum contemnens, veſtes ſæculares, & coloribus tinctas prorſus reiecit, & panno cinericij coloris*

A *loris ſe induit, interim tamen in ſolemnitatibus vndulata ve-
ſte, eaque ſimplici vtens.*

Supereſt Sollicitudo mulieris Coniugatæ in regenda ac
gubernanda familia; liberos nimirum, ſeruos, & ancillas in
Dei ſeruitio, & timore dirigendo: quæ altera eſt ſanctitatis
nota, coniugatæ in primis obſeruanda, vt habetur in Cathe-
chiſmo ex decreto ſacri Concilij Tridentini edito part. 2.
cap. 8. §. 27. vbi agitur, de munere coniugatarum: *Earum*
B *quoque præcipuum ſtudium ſit, filios in Religionis cultu edu-
care, domeſticas res diligenter curare. Domi vero libenter ſe
contineant, niſi neceſsitas exire cogat, idque ſine viri permiſſu
facere nunquam audeant.* De cura ac ſollicitudine S. Matris
Monicæ erga liberos ac familiã, teſtatur S. Auguſtinus lib. 9.
confeſſ. cap. 9. *Nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties
abs te deuiare cernebat.* Sacræ pariter Romanæ Rotæ Audi-
tores in actis Sanctæ Eliſabethæ Portugalliæ Reginæ, de
C eius ſtudio circa viri conuerſionem hæc habẽt: *Et vt melius
virum ad hunc finem trahere poſſet, illum actibus heroicis
charitatis obligare ſtudebat, filios illegitimos Regis charitate
nimia amando, nutriendo, & educando, illiſque liberaliter, &
pie omnia neceſſaria exhibendo, quin & eoſdem honoribus, &
muneribus cumulabat.*

De S. Heduige Poloniæ Duciſſa deque illius ſtudio circa
regimen propriæ familiæ, legitur in eius actis: *Qui enim ex*
D *eis,* ideſt, ex ea & viro, *nati ſunt, diuino cultui dediti fuere,
eumque pro viribus augmentarunt.* & infra: *Itaque ſemper ho-
neſtam voluit habere familiam in tota aula ſua, maxime qui
ſpecialiter eius miniſterijs eſſent deputati, fæminaſque cubicu-
larias, & alios officiales habuit bonis moribus & diſciplina
ornatos. Detractores Deo odibiles, familiares habere noluit,
eorumque obrectationes duas pariter animas interficientes,
loquentis; & audientis; haud ſecus ac virus quoddam, &
ſer-*

ſerpentinos morſus, atque inſtrumenta maligni Dæmonis abominabatur. Et de S. Brigitta in eius actis apud Surium ſub die 23. Iulij dicitur: *Filios ſuos Brigitta cum multa ſollicitudine, & diligentia educauit, eoſque, ceu Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, vnguibus caſtigationis, & ſanæ doctrinæ, radijs ſolis iuſtitiæ obiecit, adhibens illis Præceptores, qui eos in fide & moribus inſtituerent.* A

Verum quia ſollicitudo mulieris coniugatæ oſtenditur non ſolum in educatione liberorum, verum etiam reliquæ totius familiæ; propterea etiam de hoc ſtudio ſanctæ mulieres plurimum commendantur, non ſolum ab his qui illarum acta ſcripſerunt, ſed etiam à Summis Pontificibus in Apoſtolicis Canonizationum litteris. Clemens IV. in bulla *Exultat cunctorum*. de S. Heduige: *In quo, tripartitum bonum coniugij ſalubriter conſeruando, ſic prudenter ſe geſſit, quod thori fidem inuiolatam cuſtodiens, & prolem in Dei timore ſuſceptam erudiens, ab ipſo Duce (cui non præcipiti voluntatis affectu, ſed diſcreto ſemper inhæſiſſe iudicio creditur rationis) quouſque eſt aſſumptus de medio, per ſeparationis iniuriam non diuertit*. Atque hac ſancta educatione efficitur, vt liberi parentes imitantes ſæpe in eundem ſanctitatis gradum excreſcant, deoque atque Eccleſiæ vbertimos fructus referant. Ita ex ſancta Amelberga (vt in eius actis habetur apud Surium) *Natus eſt B. Adelbertus Cameracenſis Eccleſiæ Præſul ſanctiſsimus, cuius geſta plena miraculis, & virtutibus vſque in præſens in eadem florent Eccleſia. Itemque quatuor Deo dicatæ Virgines, quarum poſtremam nempe Gudilam cum vtero geſtaret, & ante paucos puerperij dies, inſtar parturientium, angeretur; angelica conſolatione recreata eſt, dicente Angelo ad eam: Ne timeas Amelberga: lachryma & preces, atque eleemoſynæ tuæ aſcenderunt ad Dominum. Paries filiã Deo dilectam, ſummæ continentiæ & caſtitatis integritate conſpicuam,* B C D

A *qua omnibus diebus vitæ ſuę Deo gratum exhibebit famulatum.* Et in actis S. Heduigis de filijs eius hæc ibi leguntur: *Qui ex eis nati ſunt diuino cultui dediti fuere, eumque pro viribus augmentarunt. Filius eorum Dux Henricus Patri in principatu ſuccedens, vir Deo deuotus & bonorum operum ſtudioſus fuit, idemque vt fidelis, & ſtrenuus Chriſti miles Tartaris pro Dei populo conſtanter ſe oppoſuit, fuſoque ſanguine mortem oppetijt, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo, quinto*
B *Idus Aprilis. Filia eorum Domina Gertrudis, piorum parentum ſectata veſtigia, in virginea puritate perſeuerans in ordine Ciſtercienſi Chriſto ſeruiuit.* Hæc adduxiſſe ſufficiat, ne videamur extra rem noſtram ad ea nos conferre, quæ noſtri non ſunt inſtituti. prolis enim, ac ſobolis ſanctitas ex indirecto parentum ſanctitatem comprobant.

Altera Sanctitatis nota famulæ Dei coniugatæ ſumi debet ex pietate, & cultu Religionis, atque pijs exercitationi-
C bus in his quæ viro quantum ad iura matrimonij non præiudicant, & Religioni maximè conſentanea ſunt: qualia ſunt quæ de S. Amelberga legũtur in eius actis: cuius cum vir de conſenſu illius monaſticum ſuſcepiſſet inſtitutum: *Amelberga,* inquit auctor vitæ apud Surium, *Sacrum velamen accepit à S. Autberto Cameracenſi Epiſcopo & ſe totam Domino conſecrauit, & ſicut ab ineunte ætate moribus bonis compoſita fuit, ita iam porro in opera pietatis, & ſanctitatis ſtudia attentius*
D *incumbere decreuit.* Et de Sancta Brigitta mira ſunt quæ referuntur ab Auctoribus in eius actis apud Surium cap. 6. *Nequam autem Satanæ tentandi materiam offeret, ab otio valde abhorruit, boniſque, & ſanctis exercitijs ſemper vacans, nunc operi manuum incumbebat cum famulabus ſuis, diuino cultui & proximorum vtilitati profuturo; nunc ſanctorum vitas ex ſacris Biblijs quæ Gothico idiomate ſcribenda curarat, legebat, nunc Eccleſiarum limina terens, diuinis officijs libenter interc-*

rat; nec pepercit labori corporis, ſed ſuaue, & delectabile illi videbatur pedibus ſuis ire ad monaſteria, & Eccleſias Cathedrales, tum ob Indulgentias ſiue condonationes promerendas, tum ob audiendas Doctorum virorum conciones. Ieiunijs quoque, vigilijs, & orationibus feruenter intenta docebat carnem parere ſpiritui: atque à delicatioribus eſcis abſtinens, ea cautione id faciebat, vt à marito, & alijs id non aduerteretur. ſemper autem interdiu, & noctu, abſente marito, veſte dura & aſpera vtebatur. De S. Eliſabetha Portugalliæ Regina S. Romanæ Rotæ Auditores in relatione actorum huius ſeruæ Dei quam obtulerunt Sanctiſſimo Domino noſtro Vrbano VIII. vbi agunt de ardentiſſima erga Deum charitate quantum ad pietatem & eius Religioſum cultum: *Idem deſumi valet ex pijs exercitijs quibus etiam in puerili ætate, cæpit ſigna diuini amoris demonſtrare, incumbens continuo orationi, ieiunijs, omnibuſque pietatis ac Religionis operibus, recitando omnibus diebus officium diuinum, & B. Mariæ Virginis, & D. ſanctorum iuxta ordinem & ritum Romanæ Eccleſiæ, aſsiſtendoque in ſuo ſacello celebrationi miſſæ maxima cum deuotione. & ad offertorium accedebat humiliter manus ſacerdotis deoſculari, & iuxta qualitatem diei feſti offerebat Altari munus, Sacramentumque Euchariſtiæ frequentabat, accedens ad illud maxima cum humilitate, & reuerentia, & deuotione: librorum etiam piorum lectioni incumbebat. Et in iſtis exercitijs quaſi amore Dei languens plurimas lachrymas fundebat, & vt carnem ſuam maceraret, ieiunijs aſsiduis illam in ſeruitutem redigebat. in vigilijs enim cuiuſlibet ſancti ab Eccleſia ordinatis, ieiunium colebat, & ſingulis hebdomadis tribus diebus ieiunabat, & feria ſexta, & ſabbatho in ſolo pane, & aqua. Quod etiam obſeruabat in plurimis vigilijs Beatæ Mariæ Virginis, & aliorum ſanctorum.* Hæc igitur eſt illa pietas, is cultus Religionis in gradu heroico, ex

quo

A quo in coniugatis mulieribus ſanctitatis nota hauritur.

Charitas quoque erga proximum, præſertim Religioſos, pauperes, & mendicos, cum faciat ad ſanctitatis notam; præcipue in mulieribus coniugatis attendenda & conſideranda erit. nam licet mulieribus coniugatis propria auctoritate rem familiarem diſtrahere non liceat, etiam in vſum pauperum, ſine proprij viri conſenſu; conceditur tamen circa nonnullas portiones aliqualis diſtractio, viro ſaltem non pro-
B hibente. & quidem Sancta Brigitta norma fuit omnium coniugatarum mulierum, de qua ſic apud Surium in eius actis cap. 8. *Iam vero infirmis, morbidis & pauperibus felix & inclyta mater eleemoſynas largiſſimas præſtabat; habebat autem magnas ædes pauperibus deputatas, & in ijs fæminas quæ illorum miniſterio ſemper occuparentur, ſed & ipſa cum multa humilitate non raro illis inſeruiebat, lauans, & oſculans pedes eorum*. Et Bonifacius IX. in Bulla *Ab origine*. lata pro eius
C Canonizatione §. 31. *Conſiderans ſemitas domus ſuæ, ne panes comederet ocioſa, manus ſuas aperuit inopibus & palmas ſuas extendit ad pauperes: inexhauſtæ enim charitatis officia erga egentes, infirmas, & abiectas perſonas ob Dei reuerentiam exercuit indefeſſe. nam dum etiam adhuc maritus ſuperſtes eſſet, die qualibet duodecim pauperes conſueuit propria in domo cibare, illis inſeruiens, & neceſſaria miniſtrans, & quintis ferijs memor cœnæ Domini proprijs manibus lauit pedes eorum*.
D Et Clemens IV. in Bulla *exultat cunctorum*. lata pro Canonizatione S. Heduigis de illius charitate erga proximam ſic ait §. 4. *Nam illius fuit humilitatis dum viueret, quod eis flexis interdum genibus vitæ neceſſaria miniſtrauit, & manum leproſis ex voto compaſſionis exhibens liberalem, erumpentia ſaniem ipſorum vlcera nequaquam abhorruit. non morbi contagioſi formidauit periculum: ſed pio ſedulitatis ſtudio, quo ad Deum & proximum ipſum amplius vis vrgebat amoris, & dictorum*

leproſorum ſubſidijs accuratius ſe inflexit, ita quod, vbi produ- A
cebantur huiuſmodi vlcera, continuo viſcera pietatis, tanquam ipſorum infirmitatem indueret, ſoluebantur in ea. Et in relatione Sanctæ Eliſabethæ Reginæ Portugalliæ ſacræ Rotæ Romanę Auditores: *Iſta B. Regina ita proximos diligebat, vt maximam partem ſuorum reddituum pauperibus, viduis, pupillis, & perſonis oppreſſis, ſiue morbo ſiue quauis alia neceſſitate, impenderet: eleemoſynaſque maxima cum liberalitate, vt proximis ſuccurreret faciebat, maxime circa infirmos, illos perſona-* B
liter viſitando, & monaſteriorum tam virorum, quam fœminarum neceſſitatibus ſuccurrendo. Filias ad hæc nobilium, & aliorum ſubditorum intra palatium ſuum in omni virtutum genere inſtituebat, & alebat, ac alias proprijs ſumptibus in matrimonium collocabat, alias vero Religioſas faciebat. Hæc ſunt argumenta, & ſigna illuſtriora ſanctitatis in gradu heroico famulæ Dei coniugatæ. ex quibus conſtat non ſolum quantę ſanctitatis ac perfectionis fuerint nonnullę mulieres coniu- C
gatæ, ſed etiam quænam exquirenda ſint à Iudicibus in fabricandis informationibus de actis, virtutibus, & moribus cuiuſcunque ſeruæ Dei, ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

D

SE-

A

SECTIO OCTAVA.

De notis, & ſignis Sanctitatis ex gratijs gratis datis.

DISTINGVVNT Theologi Scholaſtici cum S. Thoma in 1. 2. quæſt. 3. art. 1. B gratiam (quæ eſt quoddam donum ſupernaturale infuſum à Deo) in gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam. Cum enim, vt in corpore articuli citati docet D. Th. gratia ad hoc dirigatur, vt homo Deo coniungatur; ita vt vel ipſemet, cui gratia infunditur, vel alter, nimirum proximus, id conſequatur: hinc prior gratia, qua homo iungitur Deo, Gratia gratum faciens appellatur. Gratia vero, quę conceditur alicui, vt Deo coope- C retur ad proximi vtilitatem, Gratia gratis data dicitur. Agimus hic de Gratijs gratis datis, quas Apoſtolus in prima Corinth. cap. 12. recenſuit dicens: *Vnicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem: Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ; Alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem ſpiritum; Alteri fides in eodem ſpiritu; Alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu; Alij prophetia; Alij diſcretio ſpirituum; Alij genera linguarum; Alij interpretatio ſermonum.* Et D quamuis omnes enumeratæ gratiæ merito recenſeri poſſint inter notas ſanctitatis, nobis tamen de his tantum in hac ſectione agendum erit, quæ, cum ſint notiores, precipua ad ſanctitatem inquirendam argumenta ſuppeditant.

CAP. I. A

De notis, & ſignis Sanctitatis ex miraculis.

INTER gratias gratis à Deo datas ad proximorum vtilitatem, gratia miraculorum primam occupat ſedem in hoc noſtro tractatu in B
ordine ad Beatificationem & Canonizationem. Sed latius ac plenius de miraculis eorumque eſſentia, atque ſignis, in ſequentibus libro 3. acturi ſumus: in quo, quicquid ad hanc materiam pertinet, & pro captu noſtro explicari poterit, aperietur. Hic tantum vt certum præſupponimus, miracula vires naturales rerum creatarum excedere, adque Dei ſolius, tanquam cauſæ principalis, omnipotentiam pertinere: creaturas vero ad eadem ſolum C
concurrere inſtrumentaliter, diuina ſcilicet virtute illas ſupra naturam ſuam eleuante. Qua eleuatione quia aliquid diuinitatis participaſſe cenſentur hi, per quos Deus miracula operatur; atque aliquid ſanctitatis à Deo his inſtrumentis ſuis communicari videtur: eapropter examinandum cenſuimus in hoc capitulo, quodnam ac quale ſanctitatis argumentum ex miraculis ab aliquo homine patratis colligi poſſit, & quam efficax illud ſit. D

At ne laboremus in æquiuoco; ſciat, quiſquis hæc leget, nos hic loqui ſtricte de argumento ſumpto à ſolis miraculis, nude in ſe conſideratis: editis ſcilicet ab aliquo, cuius vel virtutes nondum habeantur, vel ſi habentur, tantum in opinione vulgi exiſtant, nondum ab Apoſtolica ſede examinatæ, neque approbatæ.

Poſſunt etiam Miracula quatenus ab hominibus patran-

A tur dupliciter cōſiderari: quatenus videlicet ab aliquo adhuc viuo patrata prædicantur, & quatenus eidem imputantur poſt mortem, quia videlicet ad eius reliquias, ſepulchrum, aut imaginem miracula fieri dicuntur. & de vtroque genere miraculorum in præſenti capite quærimus: quale videlicet ſanctitatis argumentum ad effectum Beatificationis & Canonizationis alicuius ſumatur, tam ex miraculis quæ quis in vita patrarit, quam ex eis quæ vitam ſubſequuntur.

B Vt autem difficultati propoſitę ſufficienter reſpondeatur, diſtinguendum eſt prius inter Miraculum & Mirabile. nam mirabile illud dicitur, quod rarum eſt & inſolens, aut hominū iudicio tale cenſetur, quamuis reuera non ſit miraculum. ad horum genus pertinent, quæ fiunt per occultas naturæ vires, quæ quidem re vera miracula non ſunt, eo quod à naturali cauſa procedant. Quæ naturalis cauſa quia nobis ignota eſt, tantumque ex raritate ſua miraculorum rationem ſimilia
C retineant; potius mirabilia, quam Miracula, appellari debent. nam hæc poſteriora ſolus Deus patrare poteſt, vt affirmant Theologi cum D. Thoma q. 178. art. 2. Atque hæc ſunt mirabilia magna, de quibus Propheta Pſal. 71. diuinam collaudat omnipotentiam: *Qui facit mirabilia magna ſolus.*

Aliter miracula diuidi poſſunt: vt nimirum quædam ſint vera, quædam vero falſa. Poſterioris generis ſunt illa quæ
D Dæmonum potentia, magicis incantationibus, ex occultis naturæ cauſis, & alijs huiuſmodi efficiuntur. Poſſunt enim magi, & incantatores auxilio Dæmonum excitare ventos, commouere tempeſtates ac turbines, ferri quoque per aerem vt volare videantur, & alia plura facere, quę & boni Angeli aliquando ex naturali potentia operantur. At vero miracula quæ Angeli, & ſancti homines veluti diuinæ omnipotentiæ inſtrumenta operantur, vera miracula exiſtunt. ad

quorum miraculorum rationem , quatenus proueniunt à Creaturis, pertinet, vt ex auctoritate diuina efficiantur, ſecundum quam à falſis miraculis vera diſtinguuntur. Verùm quia humanus intellectus vera miracula à falſis diſtinguere nequit, vtrorumque rationibus incognitis; propterea facile decipi poſſunt homines, & falſa miracula pro veris affirmare. A

Sunt inſuper alia opera, quæ veram miraculi rationem in ſe non habent; ſed ex aliqua temporis, loci, vel perſonæ circunſtantia miraculorum ſpeciem præſeferre videntur, communique vocabulo *gratiæ* dici conſueuerunt. Vt ſi aliquis infirmus alicui ſancto, vel B. Virginis Imagini ſe commendans, adhibitis medicamentis neceſſarijs conualuerit, & fortaſſe citius quam ſperabatur, vel medicamentorum diligentia, vel ex diſpoſitione complexionis, vel ratione temporis: licet ex gratia talis, vel talis Imaginis, orationibus, ac meritis talis vel talis Dei ſerui, tam infirmus, quam illi qui eidem inſeruiebant, pie credant infirmum conualuiſſe; nihilominus prędicta ſanatio non erit miraculo adſcribenda, quia ſolum innititur pię credulitati, nequaquam vero certæ & infallibili rationi. B C

His pręnotatis, pro reſolutione quęſiti, certum erit, ex operibus miris quæ miraculi aliquam tantum ſpeciem præſeferunt, ſiue ab aliquo dum vixit, ſiue ad eius iam mortui Imagines, reliquias, vel aliter facta ferantur, etiam tabellis, aut anathematibus appenſis ſignificata: Ex his inquam omnibus nullum validum ſanctitatis argumentum ad effectum Beatificationis & Canonizationis ſumi poſſe. præſertim ſi prædictæ tabellæ, & anathemata, ſuſpenſa fuerint abſque licentia Papæ, vel Epiſcopi, ac neglecto decreto (vt de noſtris temporibus agamus) à SS. D. N. Vrbano VIII. nuper hac de re edito. Ex ſolis enim veris miraculis, quæ D

ſiunt

A fiunt à Deo ad comprobandam ſanctitatẽ alicuius, eiuſdem ſanctitas comprobari poteſt; ex doctrina D. Th. & aliorum Theologorum 2. 2. q. 178. art. 2. in corpore articuli. Mirabilia autem anathematibus etiam ſignificata, licet quandam piam credulitatem ſeu miraculi præſumptionem efficiant; non tamen veram miraculi rationem obtinent. quapropter non ſemel vetitum fuit ab Eccleſia apponere tabellas, cereos, aut alia huiuſmodi anathemata ad ſepulchra,
B aut imagines alicuius defuncti, in ſignum patrati miraculi, ſine facultate, & licentia ſaltem Epiſcopi. de qua prohibitione extant decreta non ſolum Concilij Tridentini, ſed etiam ſpecialiter Concilij Senonens. celebrati anno Domini 1528. vbi cap. 40. inter decreta morum illud expreſſe prohibetur. at non prohiberetur, ſi tabellæ prædictæ, cerei, & anathemata ad ſolidam facerent ſanctitatis notam.

Hiſtoriæ quoque Eccleſiaſticæ nullum ſanctitatis argu-
C mentum hauriri ex prędictis anathematibus oſtendunt. nam Pegna com. 51. in direct. inquiſit. q. 26. cuiuſdam Ioannis Petri meminit, qui in opinione ſanctitatis aliquando in loco ſacro humatus, & poſtmodum repertus hæreticus, denuoque exhumatus, combuſtus fuit cum tabellis, cereis, ac omnibus quæ à fidelibus ad eius ſepulchrum deuotionis cauſa appoſita fuerant: quod falſo ſanctus crederetur.

Sed ad vera iam ac ſolida miracula conuertamur. Ex qui-
D bus ab aliquo patratis dum inter viuos degebat, argumenta adhuc valida & efficacia ſanctitatis ad effectum Beatificationis eiuſdem poſt mortem, & Canonizationis colligi nequeunt. Quia ſanctitas colligitur tantum ex gratia per quam homo coniungitur Deo, quæ à D. Thoma, & reliquis Theologis, Gratia gratum faciens appellatur. Per gratiam vero miraculorum alicui à Deo conceſſam, (ſiue illa permanens ſit, ſiue per modum tranſeuntis) nemo coniungi-

tur

tur Deo, neque ſit Deo gratus, neque iuſtificatur. quia gratia miraculorum recenſetur, atque enumeratur ab Apoſtolo inter gratias gratis datas, quæ non conceduntur alicui à Deo, vt ex D. Thoma diximus, vt is reducatur ad Deum; ſed ad vſum Eccleſiæ, & ad bonum atque vtilitatem proximorum. A

Deinde Miracula, tam vera, quam putatitia, edidiſſe ſcimus homines alias malos, & peccatores: vt non prophanæ ſolum, ſed & Sacræ teſtantur literæ. De ethnicis refert Valerius Maximus item S. Ioannes Chryſoſt. Hom. 23. Hieron. Euthym. & Theophylactus pluribus exemplis in cap. 6. Math. Notum eſt etiam illud Virginis cuiuſdam Romanæ inter Veſtales, quæ cum ſtupri inſimulata fuiſſet, cribro e Tyberi aqua hauſta, & ita coram Iudicibus eodem cribro delata, ſtupri calumniam ſibi illatam purgauit, caſtitatemque miraculo (vt quidam aſſerunt) vero, comprobauit. B

In ſacris literis Magos Ægyptios miracula edidiſſe coram Pharaone, qualia ediderat Moyſes, virgas nimirum in ſerpentes conuertendo, narrat liber Exodi. & vera hæc extitiſſe miracula, videtur admittere Pater Auguſtinus in libro octuag. tr. quæſt. in quæſt. 79. habetur autem liber iſte to. 4. operum eiuſdem. ſed fuſius hæc ipſa à nobis diſputabuntur lib. 3. qui de miraculis erit. C

Peccatores quoque ac malos homines miracula edidiſſe, & Dæmones e corporibus expuliſſe, iſtud Chriſti reſponſum probat, cui cum obijceretur quod in Beelzebub eijceret Dæmonia: *filij veſtri in quo eijciunt?* inquit. Pro cuius loci expoſitione, ſi dixerimus Chriſtum de ſuis Diſcipulis loquutum; cum inter hos tunc adnumeraretur Iudas, eundem, cum omnibus communiter Doctoribus, non immerito plura miracula edidiſſe affirmabimus. Si vero loquebatur Chriſtus de exorciſtis Hebræorum (quos habuiſſe Hebræos D

Acta

A Acta Apoſtolorum oſtendunt) cum de ſanctitate prædictorum exorciſtarum nihil certi habeatur; profecto, quomodocunque accipiatur Chriſti reſponſum, ex eo plane manifeſtum erit, Dæmonis ſuperioris auctoritate, & poteſtate alios inferiores Dęmones è corporibus obſeſſorum eijci poſſe. Prçſertim cum ordinem Hierarchicum omnes Theologi in ſpiritibus malis, ſicut in Angelis, concedant. Vnde, cum inter eos ſuperiorum & inferiorum habeatur ordo, erit B in poteſtate ſuperioris Dæmonis præcipere inferiori, vt hoc, vel illud faciat; hunc ingrediatur, ab altero egrediatur. niſi enim ita ſe res haberet, ex recepta doctrina illius ſæculi (cui Chriſtus non contradicebat) fruſtra dixiſſent Phariſei de Chriſto, quod in Beelzebub principe Dæmoniorum ipſe quoque eijceret Dæmonia.

Dęmones certe expelli poſſe à peccatoribus teſtatur Chriſtus Math. 7. loquens de peccatoribus in die iudicij condemnandis, quos ſibi dicturos refert: *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus, & Dæmonia eiecimus?* Noui ego nonnullos ſacerdotes artem exorciſticam exercentes, qui Dæmones adeo arctant, vt non ſolum à corporibus eoſdem exire compellerent, ſed etiam reſtituere ſchedas Dæmoni ex pacto confectas: qui vtinam gratiæ datori vita & moribus, vt par eſt, reſponderent! quædam enim mulier cum à pacto cum Dæmone inito receſſiſſet, Dæmon inuiſibilis per aerem, aſtante Epiſcopo, ſchedam quam receperat reſtituit, vigore Eccleſiaſticorum exorciſmorum, quibus à quodam Sacerdote mihi notiſſimo compellebatur; à quo etiam factum accepi: quamuis is vita & moribus ſtatui Sacerdotali haud vſquequaque perfecte reſponderet. Et quidem peccatores miracula poſſe facere non tam à D. Th. 2. 2. quæſt. 178. art. 2. rationibus comprobatur, quam etiam continuata quodammodo praxi in Eccle-

Eccleſia confirmatur, cum quotidie prædicti exorciſtæ miracula varia Christi nomine inuocato edant, & Dæmonia in eiuſdem nomine à corporibus obſeſſorum expellant. A

Supereſt inquirendum: an ex ſolis veris miraculis, quæ ad ſepulchrum alicuius poſt eius vitam fiunt, aut eiuſdem reliquijs applicatis, aut ad præſentiam Imaginis eiuſdem, aut aliqua alia huiuſmodi re adhibita; argumentum ſanctitatis validum hauriri queat ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. Dicendumque arbitror, quod neque ex veris præſumptis miraculis poſt mortem alicuius ad eius imagines, reliquias, vel ſepulchrum patratis, validum argumentum de ſanctitate alicuius ſumi poſſit ad effectum Beatificationis, & Canonizationis; niſi prius miracula examinata, & omnibus calculis probata fuerint ab Eccleſia Romana. Manifeſta ſunt hæc rationibus, hiſtorijs, ſacris Canonibus, alijſque, & ex cap. *Audiuimus* De reliquijs, & vener. ſanct. In quo cap. (quod eſt Alexandri III. contra quendam, qui pro ſancto colebatur, in ebrietate occiſum) hæc dicuntur: *Illum ergo non præſumatis de cætero colere: cum, etiam ſi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipſum pro ſancto abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ venerari.* Ergo miracula quantumuis vera ac euidentia præſumpta, vt facta ab aliquo iam mortuo, ſiue per reliquias, ſiue per illius Imagines; non præſtant ſufficiens ſanctitatis argumentum. nam ſi id eſſet, iam certè fidelibus liceret venerari eum, ad cuius ſepulchrum, vel cuius reliquijs, ſeu imaginibus miracula facta præſumerẽtur. B C D

Probatur idem ex ratione ipſius Gratiæ miraculorum: quæ (vt docet D. Thomas prima 2. quæſt. 3. art. 1.) non conceditur alicui, niſi per reſpectum ad alterum: nimirum, vt alter ad Deum reducatur; non vero vt ipſe, per quem reducitur, Sanctus efficiatur. Quapropter (vt dicetur latius lib. 3.) miracula, etiam quando ab aliquo patrantur qui ali-

A cuius exiſtat meriti, non ad menſuram meritorum aut Sanctitatis illius patrantur; ſed commenſurantur fidei illius, in cuius fauorem ipſa miracula eduntur: ac proinde multoties ob fidem illorum, qui rogant, ſanitatem, liberationem à periculis, & naufragijs, vel alia ſimilia beneficia concedit Deus aliquibus, quæ concedenda non videbantur, quia relquiæ vel imagines interpoſitæ fuerunt nonnullorum, qui ſancti eſſe exiſtimabantur, cũ tamen re vera tales non exiſterent. Nam B contingere poteſt, & multis etiam in locis fortaſſe contingit, aliquas venerari ab aliquo reliquias & imagines, vel ex ignorantia, vel ſtudio alicuius peſſimi hominis pecunia corrupti, qui eas ſub nomine reliquiarum alicui pio viro tradidit, cum tamen reuera tales non ſint; quin potius oſſa fortaſſe alicuius peſſimi peccatoris: & tamen Deus pro ſua benignitate miracula aliquando operabitur ad contactum illarum. non quod in prædictis reliquijs aliquid veneratione dignum C exiſtat, ſed vigore fidei exiſtentis in eo, qui eas adhibuerit ſub nomine alicuius ſancti, cuius eas reliquias eſſe putat.

Præterea cum certum ſit, multa facere Dæmones ex pacto cum aliquo mago ſeruando; etiam poſt magi mortem, poterunt facere, quæ vera miracula cenſeantur, quamuis talia non exiſtant. Nam mirabilia facere quibuſcunque in rebus naturalibus valent Dæmones, vt probat late Martinus Delrius. Ea igitur ipſa poterunt Dęmones medijs etiam D cadaueribus operari: vt nimirum fluat aqua aut ſanguis ex aliquo vulnere defuncti, ſi forte vulneribus confoſſus occubuiſſet; vt corpora magorum diu ſeruentur incorrupta, vt nequeant igne abſumi, & alia quæ pro miraculo cenſeri poterunt. nam cum hæc omnia poſſint Demones operari in viuis, nullum eſt argumentum cur id etiam non valeant operari in cadaueribus magorum mortuorum. Refert ſane Bernardus Lutzemburgenſis ex hiſtoria Ordinis fratrum

Præ-

Prędicatorum (& habetur etiam apud Gabrielem Prateolum in lib. de vitis Hæreticorum ſub litt. G.) fuiſſe in Epiſcopatu Brixienſi quendam Guidoné de Lacha, qui tanta ſanctitate, & vitæ puritatæ pollere creditus, vt veluti alter Ioannes Baptiſta ab illis haberetur, adeo vt ad eius nominis famam gregatim homines ex tota Prouincia allecti, ad eum veluti ad Dei hominem, & ſanctum confluerent. tandem cum vita functus honorifice veluti ſanctus ſepulturæ mandatus omnibus venerationi eſſet, poſtmodum vero per teſtes fideles diligenti & iuridico habito examine, hæreticum eundem extitiſſe conſtaret; de conſilio Epiſcopi, & virorum prudentum exhumandum cadauer, & comburendum Iudices ſanctę Inquiſitionis decreuerunt. At vbi Inquiſitor cum Epiſcopo acceſſiſſent, & rogo parato coram circunſtante populo in ignem effoſſa eius oſſa proieciſſent, mox Dæmonum ope oſſa illa in aerem ſe ſuſtulerunt, atque ibi per inane ſuſpenſa, omnibus ad rem tam inſolitam ſtupentibus, permanſere. *Ex quo factum eſt* (inquit Prateolus) *vt populus exclamaret Epiſcopum cum ſuis eſſe necandum, qui, inuidia moti, ſanctum Dei virum exurere præſumpſiſſent, id Deo nolente, neque permittente*. Epiſcopus in tanta rerum perturbatione, inops conſilij, ac plane conſternatus, quod tam multa in vno caſu plane prodigioſa concurrerent: (quod in ignem videlicet oſſa proiecta, nullam paterentur læſionem; quod per ſe ipſa ex igne proſilirent; quod ſurſum per ſe ipſa extollerentur in aere, ibique ſe, velut paribus alis librata, tenerent) tandem ab Inquiſitoribus commonitus, rem ſacram facere aggreditur. Induitur ſacris velaminibus optimus Pręſul, ſacrum inchoat. legitur Epiſtola. annuntiatur populo Euangelium. offertorium completur. neque diabolicæ tamen fraudes reſerantur. Proſequitur Sacrificium Præſul, ac tremendi myſterij tractationi verbis ſolitis præfatur. ad cano-

A canonem peruenitur. Ibi ſortem ſuorum miſertus Deus, ne Epiſcopus & qui cum eo aderant, ſperati auxilij ope deſtituerentur, populuſque ille Diabolicis illuſus præſtigijs Hæretico ſanctitatis cultum exhiberet; falſum miraculum atq; illuſorium, vero ſolidoque deſtruxit. *Cumque corpus dominicum* (inquit Prateolus) *ſurſum ab Epiſcopo leuaretur, Dæmones in aere exclamare auditi ſunt in hunc modum: O Guido Lacha, te hucuſque quantum potuimus defendimus, ſed amplius*
B *non poſſumus, quia maior nobis adeſt. moxque oſſa in ignem ceciderunt, & combuſta ſunt.*

Perſpicuum eſt igitur, nec mirabilibus, nec miraculis (vtcumque hæc populus accipiat) poſt mortem alicuius hominis ſanctitatem eius valido comprobari argumẽto: ſed ex miraculis ſolummodo ab Eccleſia Romana probatis; poſt iuridicam illorum inquiſitionem, & diligentem teſtium examinationem, ac circunſtantiarum aliorumq; quæ ad miracu-
C lorum exactam comprobationẽ requiruntur. Nam vera miracula à falſis atque illuſorijs diſtinguere, ac diſcernere, ſolius Romanæ ſedis, & eius Præſulis munus eſt; cui dictum eſt à Domino in perſona Petri: *Paſce oues meas.* & cui dictum eſt: *Ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua, tu autem aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Si ergo in ouium paſtura, id eſt, in rebus quæ ad fidem pertinent, ſiue directè, ſiue indirectè, Petrus deficere, aut male oues ſibi creditas pa-
D ſcere errando non poteſt; ex conſequenti nec Romana Eccleſia, neque Eccleſiæ caput errare poterit in miraculorum comprobatione, cum horum iudicium indirecte ad fidem pertineat: tum quia in actis ſeruorum Dei ad eorum Canonizationem dirigitur; tum quia (vt dicit D.Th. 2. 2. q. 178. art. 1. in corpore) doctrina fidei fit credibilis per operationem miraculorum, iuxta illud Marci cap. vlt. in quo ſermo eſt de prædicatione Apoſtolorum poſt Chriſti aſcenſum in

Cælum:

Cælum: *Et ſermonem confirmante* (ſupple Deo) *ſequentibus ſignis*. *Quia neceſſe eſt*, inquit D. Thomas, *vt ſermo prolatus confirmetur, ad hoc vt credibilis fiat*. atque adeo, qui non poteſt errare in doctrina fidei; neque in Canonizatione ſanctorum, neque in comprobatione miraculorum errare poterit. ac proinde, ex miraculis ſic approbatis, efficax ſumetur argumentum ad ſanctitatem alicuius declarandam. A

Sed obſtare his videbitur, quod, cum ſolus Deus efficiens miraculorum cauſa exiſtat, miraculaque ſolius diuinæ omnipotentiæ effectus ſint (vt diximus, & ratio ſuadet, & D. Th. docuit 2.2. q. 178. art. 1. ad 2. in corp. & reliqui Theologi) Cumque Deus nulla ratione decipi, vel decipere poſſit, aut ad malum concurrere, aut aliquam falſitatem ſeu mendacium comprobare: Vbi aliquem hominem vera miracula feciſſe probabitur, ſiue dum vixit, ſiue poſt mortem ad ſuum ſepulchrum, reliquias, imagines, aut alia huiuſmodi; argumenta non exigua ab his miraculis deſumentur ad illius probandam ſanctitatem, cuius auctoritate, vel ſub cuius nomine miracula edita probabuntur. Igitur non recte dixiſſe videbimur, miracula non eſſe argumentum Sanctitatis. B C

Sacræ litteræ idem ſentire videntur. Nicodemus enim apud Ioannem cap. 3. cum videret Iudæos & Principes ſynagogæ, Chriſti ſanctitatem & doctrinam non iam in dubium reuocare, ſed aperte reſpuere, ac palam vociferari (vt habetur Ioann. 9.) *Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit*. Non propterea tamen deſtitit Chriſti doctrinã probare. Verum, vt hominum ſui Ordinis vitaret odiũ, inquit Cyrillus, noluit palam, ſed noctu i.e. occulte, venire ad Chriſtum illectus ſcilicet & inuitatus magnitudine miraculorum, quæ in Chriſto viderat: ex quibus illius ſe ſanctitatem collegiſſe fatetur, his verbis: *Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*. D

His

A His conſentit Chriſti doctrina qui de ſeipſo dicebat Ioann. 15. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Et cap. 10. cum eſſet ſpecialis quæſtio de Chriſti ſanctitate & diuinitate, quam in eo negabant Phariſæi; cumque ipſe diuinam ſuam filiationem ſacrarum ſcripturarum teſtimonio comprobaſſet, vt clariore tandem argumento ſe filium Dei demonſtret, ad miracula eos prouocat, dicens: *Si non facio opera Patris mei, nolite cre-*
B *dere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre*. Ex miraculis igitur veris, ſufficiens & validum ſanctitatis alicuius argumentum hauriri poteſt. nam alias allata ex Euangelio teſtimonia & Chriſti argumenta omnino ruerent.

Sed hæc omnia nihil faciunt ad doctrinam noſtram, quam ſuperius tradidimus, infirmandam: quin potius eam-
C dem muniunt ac corroborant. Vbi enim aliquod miraculum iudicio Romanæ ſedis fuerit comprobatum; cum vera miracula fieri nequeant niſi à ſolo Deo, qui nequit teſtificari aliquam falſitatem; verum eſt quod huiuſmodi miraculum ſanctitatem eius comprobabit, ad cuius reliquiarum contactum vel imaginis præſentiam patratum dicetur: & hoc ipſum probant loca ex ſacris litteris allata. Non enim loquuntur de miraculis nude conſideratis, ſed quatenus con-
D ſociantur virtutibus, qualia fuerunt miracula Chriſti quæ iungebantur ſanctiſſimis illius moribus. hinc dicebat: *Si mihi non creditis, operibus credite* nempe, miraculis, & moribus.

Vt autem melius ſacrorum oraculorum loca explicentur, aduertendum eſt à miraculis Chriſti ad miracula hominum quantumuis ſanctiſſimorum non licere argumenta deducere. Miracula enim Chriſti habebant conditiones quaſdam eminentiſſimas, quas habere nequeunt miracula

ab hominibus facta. Illa enim propria ex auctoritate fiebant A
à Chriſto, imperando ſcilicet cum eijceret Dæmones, verbo *Exi*; & exibant: *obmuteſce*; & obmuteſcebant: *imperabat ventis*, *& mari*; & tranquillabantur. Quamobrem dicebant Iudæi: *Vidimus mirabilia hodie; quid eſt hoc quod in poteſtate eijcit Dæmonia?* Homini vero non eſt datum miracula facere propria auctoritate, aut auctoritate proprij nominis, ſed Chriſti & Dei. quamobrem de Chriſti miraculis vere dicebat Nicodemus: *Nemo enim poteſt ſigna facere quæ* B
tu facis, niſi Deus fuerit cum eo. Chriſtus inſuper faciebat miracula, vt ſuaderet Iudæis ſe eſſe Dei filium, vt propriam comprobaret ſanctitatem, vt etiam homines à peccatis abſtraheret, & ad Deum perduceret. At vero hominibus quantumuis ſanctiſſimis facere miracula non licet ad comprobandam propriam ſanctitatem: quia qui dicit *Se peccatum non habere, mendax eſt, & veritas in eo non eſt*. Immo qui ex Dei ſeruis perfectiores extiterint, magis peccatores ſe eſ- C
ſe profitebuntur. Quin ſi quis ederet aliquod prodigium aut mirabile, vt ſe ſanctum eſſe comprobaret, ſicuti Simon magus faciebat, teſte Sancto Clemente, vtique & is Simonis magi Diſcipulum, non Chriſti ſe comprobaret. ex quibus plane, vt reor, argumento allato ſatisfactum eſt.

Sed ſuſpicabitur fortaſſe aliquis ſufficere Epiſcopi comprobationem in miraculis etiam non canonizatorum, idque inniti decreto ſacroſancti Concilij Tridentini ſeſſ. 25. de D
Inuocat. & vener. ſanct. in quo ſancta Synodus de nouis miraculis hæc habet: *Nulla etiam admittenda eſſe noua miracula, niſi eodem recognoſcente, & approbante Epiſcopo: qui ſimul atque de ijs aliquid compertum habuerit, adhibitis in conſilium Theologis, & alijs pijs viris, ea faciet, quæ veritati & pietati conſentanea iudicauerit*. Cum igitur ad facultatem Epiſcopi, ſeruatis ſeruandis, iuxta Concilij Tridentini decretum

A tum pertineat, ferre iudicium de nouis miraculis; ſequi videtur, quod ad ſumendum efficax argumentum de ſanctitate alicuius ex miraculis, non requiratur neceſſario approbatio & auctoritas Rom. Sedis, ſed ſufficiat Epiſcopi approbatio. Quæ doctrina videtur inniti auctoritati, & teſtimonijs Doctorum quos pro ſe, qui eam ſequitur, citat Barboſa de offic. & poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 92. fultus, vt ipſe putat, allato ſacri Concilij decreto.

B Verior tamen ſententia tutiorque tenenda eſt, ac dicendum: Non licere Epiſcopis noua miracula alicuius, licet iam vita defuncti, nondum tamen Canonizati, approbare. Miraculorum enim iudicium reſeruatum conſtat Romano Pontifici, vt habetur expreſſe in cap. *Audiuimus* extra de reliq. & vener. ſanct. & in cap. *venerabili* de teſtib. Fauet etiam Bulla Leonis X. cuius exordium eſt: *Supernæ maieſtatis præſidio.* lecta & publicata in concil. Lateran. ſeſſ. 11. ſub

C Dat. Romæ 14. Calend. Ianuarij 1516. In qua concionatores reprehenduntur, quod noua miracula publicarent, & reuelationes, quæ nequaquam publicandæ decernuntur, niſi prius à Romano Pontifice fuerint approbatæ: quæ decreta & inhibitiones præcipue locum habent in miraculis nondum Canonizatorum. Decreta namque concilij Lateranenſis per Concilium Tridentinum non abrogata, ſed potius confirmata fuere, cum ſubinferat Tridentinum: *Quod*

D *ſi aliquis dubius, aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omnino aliqua de his verbis grauior quæſtio incidat; Epiſcopus, antequam controuerſiam dirimat, Metropolitani, & comprouincialium Epiſcoporum in concilio Prouinciali ſententiam expectet: ita tamen vt nihil inconſulto ſanctiſsimo Romano Pontifice nouum aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur.* Ex quibus plane verbis perſpicuum eſt, non ſolum Epiſcopo non licere decernere aliquid circa noua miracula propria

auctoritate; ſed nec auctoritate Metropolitani, aut ſynodi Prouincialis, cuius tamen in materia miraculorum ſeruorum Dei Canonizatorum ſententia eſt exquirenda. Verum vbi agitur de aliquo non Canonizato cuius miracula omnino dubia ſunt; omnino Summi Pontificis auctoritas erit, vt ibi dicitur, expectanda: *Vt nihil inconſulto Sanctiſſimo Romano Pontifice, nouum, aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur.* A

Vt autem Barboſæ lapſus detegatur; afferam eius verba, & argumentum pro contraria ſententia, quod adfert loco citato, n. 3. *Non obſtat, ſi quis dixerit* (inquit ille) *verba illa concilij Tridentini eſſe tantum intelligenda de miraculis ſanctorum Canonizatorum: quia reſpondetur, eius verba (Nulla etiam admittenda noua miracula) eſſe vniuerſalia & comprehendere omnia miracula facta per ſanctos ante, & poſt Canonizationem, iuxta Regul. lib. 1. §. generaliter. ff. de legat. præſt.* Confirmat hoc totum ex decreto ſacræ Congregationis Concilij lato 1626. de menſe Ianuarij ad eius inſtantiam, quod dicit penes ſe aſſeruari. B C

Tota hæc Barboſæ doctrina ruit ex nullitate conficti Decreti, cui, ex decreto edito & publicato eiuſdem ſacræ Congregationis nulla fides adhibenda eſt, ſicut nec alijs decretis niſi illa fuerint ab eadem ſacra Congregatione formaliter publicata, & de mandato eiuſdem ſacræ Congregationis impreſſa. Ruit etiam Barboſæ doctrina ex eius lapſu in voce *ſanctos*. ſicut enim ante Canonizationem nemo, quantumuis Dei ſeruus, ſanctus dici poteſt; ita pariter miracula ab Epiſcopis probari nequeūt, niſi, ſeruatis ſeruandis, quę ab aliquo Canonizato facta tradūtur. De quibus locus Concilij allatus eſt omnino intelligēdus. Nam ſi vox *ſanctus* intelligeretur de ijs omnibus, qui ante Canonizationem cælo frui pie creduntur; pueri quoque omnes qui poſt Baptiſmum ante D

ratio-

A rationis vſum ex hac vita deceſſerunt, ſancti eſſent dicendi, quod eſt falſum: cum tamen certum ſit eos omnes ſic decedentes cælo frui. Cum hæc igitur Barboſæ doctrina falſis innitatur fundamentis, dicendum eſt, Non licere Epiſcopis comprobare miracula non Canonizatorum, & argumentum efficax ſanctitatis ad effectum Beatificationis & Canononizationis tantum ſumi poſſe ex miraculis ab Eccleſia Romana approbatis, cui, ex ſpeciali Priuilegio Chriſti, in re-
B bus fidei, & in his quæ ad regimen totius Eccleſiæ pertinent, infallibilitas eſt conceſſa.

CAP. II.

Quodnam Sanctitatis argumentum ſumatur à prædictione eorum quæ procul ſunt.

C PER ea quæ procul ſunt, in hoc titulo, omne genus prædictionis intelligimus. Neque enim ad ſolam futurorum prædictionem ſanctitatis argumenta reſtringenda duximus. nam cum procul dicantur non tantum futura, verum etiam præterita, & præſentia; propterea tam prædictionis in genere, quam prophetiæ vocabulum, non tantum ad futura, ſed etiam ad præterita & præſentia, ſi procul exiſtant,
D extenditur: vt docet S. Gregorius hom. 1. in Ezech. & D. Th. 2. 2. quæſt. 171. art. 3. Quamobrem quiſquis vel ex diuina illuſtratione, vel aliquo alio ex capite præterita, præſentia, vel futura enunciauerit; vatis, aut Prophetæ titulo merito decorabitur.

Prædictio autem eorum quæ procul ſunt multipliciter contingere poteſt: caſualiter nimirum, coniecturaliter, ſcientifice, Dæmonum arte, & prophetice. Multoties enim ali-

quem de futuris, vel præſentibus, ſed longe poſitis caſu lo- A
qui contingit, quæ poſtmodum rei euentus probauit verè prædicta. Quin etiam interdum malum quis alicui imprecatur, de ipſius mali euentu nihil cogitans. id potiſſimum inter loquendum ex aliqua leuiſſima indignatione mulieribus ruſticis, & perſonis plebeis in more eſt poſitum, & tamen res ſuccedit vt imprecatum fuerat. Prophetice vero hæc prædicta fuiſſe nequaquam dicemus, quia nec qui talia præfatus eſt, ea euentura cognouit. quin ſi præcognouiſſet, non B
ſolum imprecatus non fuiſſet, ſed etiam pro viribus ne contingeret obſtitiſſet.

Coniecturaliter quoque ea quæ procul ſunt interdum à prudentioribus prædicuntur. quæ coniecturæ ab experientia rerum ex moribus alicuius, & aliquibus accidentibus, vel aliquo alio ex capite ſumuntur, præſertim ſi ab aliquo perfectioris intellectus ac iudicij conſiderentur. Ita ex moribus diſſolutis, ac liberiore vita nonnullorum, funeſtum C
eorundem exitum prædicimus, & predictio rei exitu comprobatur.

Scientifice quoque quæ procul ſunt, præſertim futura, prædicuntur per facultatem aſtrologicam, in qua ſuis conſtitutis regulis & planetarum aſpectibus conſideratis, ex ephemeridibus, ante quam aſtra, & planetæ conueniant in his vel in illis conſtitutionibus, etiam in Regionibus ab Aſtrologo ſemotis cognoſcuntur. Ita, vt alia omittamus, quia Ecli- D
pſis ſolaris contingit ex coitu lunæ, & ſolis; quod nimirum luna inter hominum aſpectus & corpus ſolare ſe mediam conſtituat; hinc fit, vt ſingulis menſibus, quoties ſcilicet luna ſoli opponitur, toties in aliqua terræ Regione Eclipſis ſolis contingat. ita vt ſcientifice valeat Aſtrologus non ſolum dicere, hodie eſt Eclipſis ſolis in tali regione terræ, ſed etiam futura reſpiciens poterit prædicere, in tali tempore

Ecli-

Eclipſis ſolis erit, vel in tali loco erit. Atque eadem ratio eſt in Eclipſi lunæ, pluuia, grandine, tempeſtate, alijſque, quæ cottidie ab ijs prædicuntur.

Poſſunt etiam futura, & procul poſita magice, ideſt, Dæmonum arte prædici, vt etiam tradit D. Auguſtinus lib. de diuin. Dæmon. qui habetur tom. 3. & D. Th. 2. 2. q. 172. art. 5. in corp. cuius eſt hæc ratio. Intellectus ſuperioris ordinis humani poteſt multa cognoſcere quæ non poſ-
B ſunt cognoſci ab homine, immo ſunt omnino remota ab humano intellectu. Cumque nonnulla in diſtanti ab homine cognoſci poſſint, profecto multo plura cognoſci poterunt ab intellectu angelorum tam bonorum, quam malorum. eadem enim eſt vtriuſque virtus & potentia cognoſcitiua. Poterunt ergo Dæmones hæc ipſa quæ cognouerint, reuelare hominibus per ſenſibilem collocutionem, vel hæc ipſa futura oſtendere eiſdem, vel etiam præſentia procul po-
C ſita per viſionem aliquam imaginariam reuelare, vt docet idem loco citato ad 2.

Sed quia prædictionem Propheticam hic potiſſimum inueſtigamus, prius notandum erit cum D. Th. 2. 2. q. 173. art. 4. Prophetiam dupliciter ſumi, nimirum improprie & proprie. improprie ſumitur, quando ita mens, ſeu Intellectus Prophetæ mouetur ad aliquid apprehendendum, loquendum, vel faciendum, vt neque Vates cognoſcat intel-
D lectum proprium eleuari per lumen ſupernaturale ad hoc vel illud apprehendendum, loquendum, vel faciendum, neque intelligat quid Spiritus Sanctus velit per illa verba, vel facta ad quæ illum mouet: nec ſolum non cognoſcit quid Spiritus Sanctus velit, ſed neque à Spiritu Sancto ſe moueri intelligit. Quamobrem ſi recte loqui velimus cum D. Th. talis motus dicendus eſt potius quidam inſtinctus propheticus, quam Prophetia. quia propheticus eſt potius in effectu

quam in inſtrumento quod mouetur. At vero Prophetia A
proprie dicta eſt illuſtratio ſupernaturalis, qua Propheta
mouetur à Spiritu ſancto ad aliquid apprehendendum, loquendum, vel faciendum per lumen quoddam ſupernaturale, ita tamen vt Propheta intellectum proprium per lumen ſupernaturale per modum tranſeuntis eleuari intelligat, & quid in verbis vel factis velit, ad quæ ipſum mouet, cognoſcat, ſiue perfectè illud cognouerit, ſiue imperfectè, vt multoties etiam veris Prophetis D. Th. citato art. 4. contigiſſe adnotauit. B

Quod autem manifeſtatio Prophetica proprie dicta ſit ſupernaturalis, res eſt notior quam vt probatione indigeat. Cum verò ſupernaturalis cognitio fieri nequeat abſque lumine ſupernaturali, ex conſequenti prophetiam per lumen ſupernaturale fieri perſpicuum eſt. nam vt dicit D. Th. 2. 2. q. 171. art. 2. ſicut manifeſtatio corporalis viſionis fit per lumen corporale, ita etiam manifeſtatio viſionis Intellectualis debet fieri per lumen intellectuale ſupernaturale. C

In allata definitione prophetiæ dictum fuit, per lumen eleuari intellectum Prophetæ ad ſtatum ſupernaturalem. eſt enim officium luminis intellectualis, proportionare potentiam ad ſeipſum, vt exeat in actum. exempli gratia, potentia viſiua eſt in eſſe potentiæ ad producendum actum viſionis, tam in die, quam in nocte. nihilominus quia in tenebris medium non eſt illuminatum, propterea potentia, D
cùm non ſit plenè conſtituta in actu primo, non poteſt elicere viſionem, quoad vſque accedente lumine ſibi proportionato, omnia iam requiſita habeat ad actum ſuum producendum. Vt autem exeat in actum altioris ordinis intellectus humanus neceſſario eleuari debet per lumen tali actui proportionatum, & altioris item ordinis. Cum igitur cognitio illorum quæ procul ſunt, ſphæram actiuitatis naturalis

poten-

A potẽtię excedat, atq; altioris ſit ordinis, nimirum diuini, iuxta illud, *Annunciate nobis futura, & dicemus Dij eſtis vos*: planè ſequitur, ad ſimilem cognitionem lumen requiri, per quod potentia intellectiua ad altiorem ordinem eleuetur, nimirum à ſtatu naturali ad ſtatum ſupernaturalem.

Dictum eſt etiam in eadem definitione Prophetiæ eleuationem intellectus fieri per modum tranſeuntis ex doctrina D. Th. 2. 2. quæſt. 171. art. 2. Quia quæ inſunt alicui per
B modum formæ permanentis, ſunt in poteſtate illius cui inſunt: atque propterea ſi lumen propheticum, & eleuatio in intellectu Prophetæ per modum formæ, ſiue habitus ineſſet; Propheta cognoſceret quæ procul ſunt, quoties vellet. At conſtat ex doctrina S. Gregorij hom. 1. in Ezech. Prophetiæ ſpiritum non ſemper Prophetis præſto eſſe, ſed aliquando planè ab eorum mentibus exulare. Igitur lumen illud ſupernaturale non inerit Prophetis per modum habi-
C tus, aut formæ, ſed tantum per modum tranſeuntis. quamobrem lib. 4. Reg. cap. 4. Eliſæus de Sunamitide mortuo filio ad eum confugiente ait: *Anima eius in amaritudine poſita eſt, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.*

His præmiſſis manifeſtum eſt, non quamcunque prædictionem, ſiue futurorum, ſiue præteritorum, ſiue præſentium ad prophetiam pertinere: quia Prophetia, vt diximus, eſt cognitio illorum quæ procul ſunt per illuſtrationem ſu-
D pernaturalem intellectus, ita vt ea quæ prædicit Propheta, etiam intellectu cognoſcat.

Poteſt enim mens Prophetæ dupliciter à Deo illuſtrari de rebus procul poſitis, vt adnotauit D. Th. loco citato art. 3. nimirum, vel per expreſſam reuelationem, in quo caſu Propheta clarè & apertè intelligit Deum eſſe qui reuelat, nec ſolum expreſsè cognoſcit reuelantem, ſed rem reuelatam, ita vt habeat certitudinem res ita ſe habere ſicut ſibi reuelantur.

lantur. Alio modo per quemdam inſtinctum Prophetæ ignotum, Deo mouente intellectum eiuſdem ad concipiendum, vel imaginandum nonnulla futura, vel procul poſita, & ad concipiendum ita fore futura, ſicut ipſe eadem cognoſcit, ac prædicit. A

Quoniam vero intellectus illius, qui aliquid futurum prędicit vel caſualiter, vel coniecturaliter, vel etiam ſcientificè per regulas Aſtrologicas, neque illuſtratur à Deo per lumen aliquod ſupernaturale illum eleuans; neque mouetur Diuino inſtinctu ad aliquod imaginandum procul poſitum atque enuntiandum: prædictiones huiuſmodi nullo modo Propheticę dici poſſunt, quoniã humanę ſunt & procedunt ex viribus purè naturalibus. ſed neque prædictionem, quæ Dæmonum reuelatione contingit, ad prophetiam pertinere manifeſtum eſt: quia hæc non fit per aliquam intellectus illuſtrationem, cum Dæmones nequeant intellectum humanum illuſtrare, vt docet D. Th. 2. 2. quæſt. 172. art. 5. ad 2. ſed tantum per communicationem quandam efficitur, quemadmodum vnus amicus alteri reuelat ſecreta quædam, quæ reliquis ſunt ignota. B C

Remanet igitur, non omne genus prædictionis eorum quæ procul ſunt pertinere ad prophetiam, vt dici queant Prophetæ quicunque ea quæ procul ſunt prædixerint. ac proinde non omnis futurorum, & procul poſitorum prædictio, argumentum ſanctitatis ſubminiſtrabit ad effectum Beatificationis, aut Canonizationis. nam prædictio in primis caſualis à peccatoribus poteſt prouenire, à pueris etiam antequam ad vſum rationis perueniant, ab amentibus & inſanis, denique à quibuſcumque ſapientibus ſiue inſipientibus. D

Per coniecturas quoque quamuis nequeant procul poſita cognoſcere niſi ſapientes, & prudentiores; nihilominus

poſtre

A poteſt prouenire hoc genus prædictionis tam à bonis, quam à malis, tam à Chriſtianis, quam ab infidelibus & ethnicis, tam à catholicis, quam ab hæreticis.

Neque ex prædictione Aſtrologica, ſiue ſcientifica, vllum ſanctitatis argumentum hauriri poteſt, cum ſit communis tam malis quam bonis, imo non pauci ex hoc genere impij exiſtant, & Dæmonum familiaritate gaudentes. Quamobrem ex eo quod aliquis, pius quantumuis Vir & B Religioſus, futura aut longe poſita aliquando prædixerit; nullum educere inde argumentum ſanctitatis ad effectum Beatificationis, ac Canonizationis licebit, niſi prius manifeſtò conſtet ex alijs eiuſdem virtutibus & actis eundem diuinitus ea cognouiſſe, quæ prædixit.

Confirmatur noſtrum aſſertum, quia etiam prædictio prophetica quatenus eſt quidam inſtinctus, & impropriè prophetia dicitur, vt oſtendimus, cum ſtare poſſit cum pec- C cato mortali, imo etiam in ore Infidelium, proinde nullum poterit ſanctitatis argumentum examinatoribus ſubminiſtrare. Ea propter quoties in actibus alicuius prædictiones aliquæ compertæ fuerint, de quibus ſaltem ex coniecturis colligere non poſſumus eundem certo cognouiſſe futurum quod loquebatur; nullum inde ſanctitatis argumentum haberi poterit. Sicut accidit Cayphæ Ioann. 11. in Concilio Hieroſolymitano, in quo cum diſputaretur quali- D ter cum Chriſto Iudæorum Reſpublica ſe gerere deberet, *Quia hic homo multa ſigna facit*; collegit inde Cayphas, quod ſi liberè abire permitteretur, *Omnes credent in eũ, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem*. ò mens obcæcata! Iam Romani ſub ditione ſua totam habebant Iudęam: iam reges & tetrarchas, iam præſides ac præfectos Iudæis Romani conſtituebant: & tamen adeo media in luce conſiliarij hi caligant, vt dicant, ſi Chriſtus permittatur operari mira-

miracula, & docere; Romanos occupaturos illorum ditiones. Igitur cenſet ante alios Cayphas neci dandum eſſe Chriſtum. *Vos* (inquit) *neſcitis quicquam. Expedit vobis, vt vnus moriatur homo, & non tota gens pereat.* Teſtatur vero Euangeliſta Caypha hoc dicto prophetaſſe, eo quod prædixerit ex diuino inſtinctu Saluatorem noſtrum moriturum in redemptionem omnium, ne cæteri ſcilicet perirent. At prædictio huiuſmodi ratione ſolius effectus prophetia dicitur, ad quam nulla præcedit mentis illuminatio ex parte prædicentis: ideoque cum peccato mortali poteſt conſiſtere, ac proinde nullum inde hauriri poteſt ſanctitatis argumentum. A B

Ex prædictione quoque Prophetica, in qua mens Prophetæ à Deo mouetur quadam permutatione ſpecierum intelligibilium, atque etiam permutatione phantaſmatum, ita vt qui loquitur neque ex verborum ſignificatione intelligat, neque mente concipiat quæ dicit, quamuis verum eſſe putat id quod dicit (ſicut ſolet contingere in his qui febri laborant, aut ex alia ægritudine delirant) nullum quoque Sanctitatis argumentum haberi poteſt ex doctrina D. Tho. 2.2. quæſt. 172. art. 4. Quia cum prophetia recenſeatur inter gratias gratis datas, quæ nequaquam ad bonum prophetæ conceduntur; ex conſequenti poterit hoc etiam genus propheticæ prædictionis ſtare cum peccato mortali, vt idem concedit D. Thom. loco citato: & confirmat ex illo Matth. 7. vbi cum aliqui ex damnandis in die iudicij dicturi ſint Chriſto, *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus?* eumdem reſponſurùm ait: *Nunquam noui vos.* Nouit autem Dominus qui ſunt eius, inquit, angelicus Doctor, vt dicitur in 2. ad Timot. c. 2. Vocabulum autem prophetiæ ſumi interdum in ſacris litteris pro quocunque genere loquutionis de rebus diuinis, certum eſt. Quamobrem pſallentes, & C D

laudes

A laudes Deo canentes, in ſacris Scripturis, & qui ad populorum inſtructionem & conſolationem ſermocinabantur, Prophetæ iam olim dicebantur. hinc Apoſtolus ad Corinth. in 1. cap. 14. de munere Prophetarum dicebat: *Nam qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem*. De his igitur loquitur Chriſtus in loco Matthæi, nimirum de miniſtris Eccleſiæ Dei, de Pſalmiſtis, & Concionatoribus malis, in die iudicij damnandis: quos dicturos affir-
B mat: *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus?* quibus ſe reſponſurum tradit: *neſcio vos*. Huc facit Apoſtoli locus de ſacrarum Scripturarum intelligentia, vbi ait: *Etſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, charitatem autem non habuero, nihil ſum*. Hæc enim cognitio Scripturarum, & abditorum locorum intelligentia, poterit ſtare cum peccato, & eſſe ſine gratia, ac proinde aliquod prophetiæ genus nempe impropriè ſumptæ cùm peccato mortali conſiſtere
C poteſt. Loca enim allata de Prophetia impropriè dicta intelligenda ſunt: ac propterea ex hoc Prophetiæ genere nullum ſanctitatis argumentum hauriri poteſt ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

At ſi loquamur de Prophetia ſtrictiſſimè ſumpta, nimirum de perfecto genere Prophetiæ in quo mens prophetæ eleuatur ad ſtatum ſupernaturalem ſupernaturali lumine per quod Propheta cognoſcit ſe à Deo illuminatum,
D & ea quæ videt in Spiritu, à Deo ſibi reuelari certo intelligit: cũ huiuſmodi genus propheticæ cognitionis ſtare nequeat cum peccato mortali; poterit ab illo aliquod ſanctitatis argumentum deſumi, ad effectum deinde Beatificationis & Canonizationis valiturum. Pro quo notandum, quod exprimere conceptus mentis, & alteri eoſdem poſſe communicare, perfectionem dicit, quam ſimpliciter ſimplicem Theologi appellant. Et quemadmodum hominibus vo-

ces, & verba conceſſa ſunt, nec non inſtrumenta ad voces A
& verba formanda, quibus exprimunt conceptus mentis, & alteri communicant: ita animalibus, tam terreſtribus quam volatilibus garritus, ſibilus, rugitus, mugitus, alijq; ſibi proportionati conceſſi ſunt ab auctore naturæ, non tam vt ab animalibus aliarum ſpecierum ſecernantur, quam vt affectus ſuos atque motus naturales eiuſdem ſpeciei animalibus manifeſtent. Angeli quoque, vt docent Theologi, ſimul colloquuntur, & alter alteri proprios exprimunt conceptus, B
ita vt etiam ſecreto loqui ad inuicem ac diſcurrere eiſdem ſit conceſſum: vt colligitur ex doctrina Chriſti aſſerentis eiectum e corporibus Dæmonem aduocare alios ſeptem Spiritus nequiores ſe. Aduocatio autem hæc aliquorum, & non aliorum, per modum ſecretæ loquutionis fieri intelligitur. Cum igitur hæc comunicandi proprios conceptus ſiue loquendi facultas perfectionem ſimpliciter ſimplicem dicat; Deo non erit deneganda: ſed omnino fatendum, Deum C
quoque ſecreto loqui poſſe, & communicare conceptus proprios his tantum quibus voluerit.

Notandum inſuper, modum hunc loquendi communicandique internos conceptus diſtingui & variari ad diſtinctionem ſpecierum, ita vt homo homini colloquatur, Bos boui admugiat, ita vt hunc mugitum reliqui boues intelligant, non vero diuerſi generis animalia. ita canis canibus latratu, quid cupiat, exprimit; volucres volucribus, garritu. D
Quod itidem arbitror contingere ſpiritibus, ſiue Angelis tam bonis, quam malis (quibus communia ſunt quæ naturæ ſpirituali creatæ debentur) vt nimirum vnaquæque Angelorum ſpecies (ſi plura eiuſdem ſpeciei indiuidua dantur in Angelis vt volunt Scotiſtæ) proprium, & peculiarem loquendi modum habeat, vel vnaquæque Angelorum Hierarchia (ſi ſinguli Angeli ſpecie diſtinguantur vt dicunt Thomiſtæ)

ſuum

A ſuum habeat ſpecialem loquendi modum, quo ſibi inuicem ſuos communicant conceptus, & ſibi mutuo loquuntur, vt ab alijs Angelis qui non ſunt eiuſdem ſpeciei, vel non ſunt eiuſdem Hierarchiæ, minime intelligantur, quoties ab ijs ſe non intelligi voluerint.

His prænotatis indubitatum arbitror, Deum quoque proprium & ſingularem loquendi modum habere, diſtinctum à quocunque loquendi modo creaturarum: vnde, dum
B alicui loquitur, aut aliquid alicui reuelat, is, cui loquitur, certo cognoſcat Deum eſſe qui loquitur, & reuelat, non autem creaturam. Videntur id innuere ſacræ litteræ & ſanctorum acta. Nō raro etenim hac phraſi Prophetę in ſacris litteris vtuntur: *Dixit Dominus ad me*. & hac: *Hæc dicit Dominus*. & aliquando: *Dixit angelus ad me*. ſiue: *Et Angelus qui loquebatur mecum*. Qua loquendi diuerſitate ſacra oracula ſubindicant loquutionem ſanctorum Angelorum à
C Dei loquutione diſtingui. Mater etiam Monica apud S. Auguſt. lib. 9. confeſſionum, dum filio referret nonnulla quæ viderat in ſomnis, conuenientia his quæ optabat, addebat: *Sed non ſunt viſiones illæ, quia viſiones habent neſcio quid, quod exprimere non poſſum*. Illud igitur *neſcio quid*, quod exprimi non poſſe humanis verbis aſſerebat Monica, eſt ſpecificus diuinæ loquutionis modus, per quem diuina loquutio à creaturarum loquutione diſtinguitur. & hoc ipſum voluiſſe
D Apoſtolum arbitror in 2. ad Corinthios vbi raptum ſe refert ad tertium cælum, atque audiuiſſe *arcana verba, quæ non licet homini loqui*. ideſt, humanis verbis exprimi nequeunt. Illa enim proprietas diuinæ loquutionis, eſt id, quod explicari ab homine mortali non poteſt.

His præconſideratis probantur iam quę ſupra diximus de Prophetia proprie ſumpta, in qua mens Prophetæ per lumen ſupernaturale eleuatur ad intelligendum ea quæ prædicit,

dicit, & Deum eſſe qui reuelat, certo cognoſcit. Quia in hoc A
genere Prophetiæ intercedit quædam diuinitatis, & diuinorum ſecretorum participatio: quæ participatio ſtare nequit ſine gratia, & charitate, in quibus conſiſtit Dei amicitia. quod probat illud Saluatoris ad Apoſtolos: *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos, quia omnia quæ audiui a Patre meo, nota feci vobis*. Si igitur genus hoc propheticæ prædictionis non poteſt ſtare cum peccato mortali; conſequenter ab hoc ipſo maximum ſanctitatis ſumetur argumentum. B
quia hæc Prophetia proprie dicta cum infuſione ſupernaturalis luminis & intellectus Prophetici eleuatione ad ſtatum ſupernaturalem, conceditur non ſolum in commodum alterius, ſed etiam in bonum proprium, nimirum ad notam diuini amoris in eo cui conceditur, vtque is ſciat ſe à Deo amari, dum illi arcana ſua communicat. Ac proinde talis Propheta non tantum intelligit ea, quæ loquitur; ſed inſuper mentem propriam à Deo lumine ſupernaturali illuſtratam, C
& eleuatam cognoſcit. Ita Iſaias ante, quam à Deo ad Hieroſolymitas mitteretur, prius ſibi ab Angelo labia purificata fuiſſe cognouit. Et Ieremias prius, quam Propheticam legationem obiret, ſe ſatificatum fuiſſe in vtero matris accepit. Ex his alijſque S. Scripturæ locis patet Prophetiæ ſublimioris gradum, de quo loquimur, non concedi alicui niſi in gratia, & Dei amicitia exiſtenti. Quot quot enim Prophetas inter ſanctos reponit Eccleſia tam veteris, quam nouæ D
legis, omnes proprie Prophetas extitiſſe conſtat in eo genere Prophetiæ, de quo loquimur. Prophetauerunt enim & prædixerunt futura lumine ſupernaturali illuſtrati, & ex perfectiſſima Dei reuelatione protulerunt, quæcunque ſacris in litteris, in ædificationem corporis Chriſti, ad Eccleſiam tranſmiſerunt.

Reſtat ſolum, vt ad praxim reducamus quæ hucuſque

A diſputata ſunt; atque ſuis quæque notis quæ hactenus attulimus prædictionum genera diſtinguamus. Ac primum ea quæ caſualiter prædicuntur, communia ſunt etiam non Chriſtianis, & multoties ex inaduertentia proferuntur, quãobrem ex circunſtantijs perſonæ agnoſcuntur: ex quibus ſi ſuſpicari contingat, quod is, qui aliquid pronuntiauit non de induſtria aut præcogitate, ſed temere atque inaduertenter, quod prędictionis aliquam ſpeciem ſiue colorem præſe-
B ferat; quamuis effectus prædictioni reſponderit, caſu tamen prædictum fuiſſe cenſeri debet. Ac propterea quoties inter acta alicuius aliqua talis prædictio conſideranda occurrerit, circumſtantias attendendas arbitror, nimirum, ſi prę ſumptus Dei ſeruus aliquid prędixerit comminatone, & nihil amplius addiderit, ita vt nec ad ea attenderit, nec aliqua circunſtantia habeatur ex qua colligi poſſit eundem lumine ſuperiori, aut Spiritus Sancti afflatu loquutum: profecto caſu illa præ-
C dixiſſe eum cenſerem, præſertim ſi prædictioni additæ fuerint particulæ *forte*, *forſitan*, *fortaſſe*, *fieri poteſt*, & aliæ huiuſmodi, quæ formidinem de oppoſito ſubindicant, ac verba temere ac nullo conſilio prolata maniſeſte commonſtrant.

Quæ vero coniecturaliter prædicuntur, ex antecedentibus, vel ſimilibus, ex rebus geſtis atque hiſtorijs colliguntur: quamobrem quoties is qui aliqua prædixit ſapiens, pru-
D dens, & in hiſtorijs verſatus eſſe cenſebitur, eiſdemque formidinis particulis, *forſitan*, *fortaſsis* vſus fuerit; vel ſimile aut exemplum adhibuerit in hunc modum: *Si mores tuos non permutaueris, continget tibi hoc vel illud, quemadmodum contigit huic, vel illi*: vel rationibus formatis per aliquem diſcurſum ex antecedentibus & conſequentibus, certitudinem futurorum à ſe prædictorum probare tentauerit: vel etiam addiderit loca aliqua ſacrarum litterarum, aut aliorum

auctorum ab probandum rem aliquam futuram. Hæc pro- A
ſecto cuncta coniecturalem prædictionem fuiſſe ſubindica-
bunt, non autem ſpiritum propheticum: quia ſcilicet præ-
dicuntur, aut prænunciantur cum formidine, & prædictio-
nes huiuſmodi diſcurſui & rationibus ab exemplis deſum-
ptis innituntur.

Quæ vero ſcientifice prædicuntur ex aſtrorum peritia,
regulis aſtronomiæ innituntur. quamobrem hoc prædi-
ctionis genus ex qualitate perſonæ prædicentis intelligi po- B
terit: ſi nimirum is qui aliquid prædicit aſtrologiam aliquan-
do fuerit profeſſus, aut alterius facultatis aſtrologiæ coniun-
ctæ notitiam habuerit. Qualem extitiſſe ſcimus venerabilem
Bedam, vt opera eius indicant: & illuſtrem Chriſti martyrem
Dionyſium Areopagitam, adeo vt in Eclipſi ſolari, quæ in
morte Chriſti præter rationes aſtrologicas contigit, dixiſſe
feratur: *Aut Deus naturæ patitur, aut machina mundi diſſo-
luitur*. Nota igitur & ſignum prædictionis aſtrologicæ erit C
certitudo quam Aſtrologus profitetur de his quæ prædicit,
rationes afferens, vt dicebamus, ex aſtrorum aſpectibus, &
cæli conſtitutione.

Prædictio denique magica quæ arte Dæmonum habe-
tur, non aliam certitudinem habet quàm ex fide, quam ma-
gus præſtat Diabolo, qui eſt Pater mendacij, & ſæpeſæpius
hominibus illudit. Hoc genus prædictionis dignoſcetur ex
perſona & eius impietate, hæreſi, aut alijs quam plurimis D
vitijs ac peccatis. Et ſigna quidem prædictionis huius gene-
ris ſunt, alienatio multoties & abſtractio à ſenſibus cum
deordinatione prædicentis, ſicut aduertit D. Th. 2. 2. q. 173.
art. 3. in corpore, quod frequenter contingit in arreptitijs,
& furioſis. quinimo hi qui magicis ſtudijs dant operam,
arripiuntur à Dæmonibus, vel à Dæmone cui ex pacto ſeipſos
tradiderunt. ea propter vel verbis indigna proferunt, vel mo-

tibus

A tibus corporeis inhoneſta faciunt: & quæ ab his prędicuntur, eandem, quá Dæmon ac mendacia, fidem merentur. Ænigmatice vero, & obſcure fere loquuntur Dæmones, cum reſponſa dant: vt ſermo in vtramque partem inflecti, ac interpretari poſſit. quale extitit reſponſum datũ ei, qui ad bellum profecturus cum quęſiſſet ab oraculo an capitis periculum ſibi ex bello immineret? *Ibis redibis non morieris in bello.* Demum ex fine, magicæ prædictiones ſeſe manifeſtant: cum B non aliud magi intendant, niſi vel lucrum, vt Balaam in libro Numerorum, & in actis Apoſtolorum puella arreptitia, à qua Diabolum eiecit Paulus; vel ambitionem, & lucrum ſimul, nam, vt gloriam adipiſcantur magi, & auctoritatem apud Principes, futura, vel procul poſita ſe prędicere profitentur, vt Climas in actibus Apoſtolorum, & Simon magus in Hiſtorijs Eccleſiaſticis.

De prædictionibus propheticis, & eius notis dupliciter C loqui poſſumus, quatenus videlicet vel à prophetia late ſumpta, vel à prophetia proprie cõſiderata procedunt. Nam prædictiones quæ à Prophetia late, ſiue improprie ſumpta proueniunt, habent quidem certitudinem, ſed ignotam, cum tantum ex euentu earum certitudo appareat: quæ cum ſimul ſtare poſſint cũ peccato mortali, non faciunt ad ſanctitatem quam hic inquirimus. At prædictio prophetica proprijſſime ſumpta quæ eſt à diuina reuelatione, habet indu- D bitatam certitudinem, & euentum certũ. Huius propheticę prædictionis in actis ſeruorum Dei ex parte perſonæ prædicentis, notæ & ſigna ſunt: pietas, & ſanctitatis fama certa, ſaltem ex moribus. Inter quæ ſigna præcipuum locum tenet terrenorum bonorum, & diuitiarum contemptus; honorum & dignitatum fuga; veritatis ardor abſque reſpectu Principum cum aliquid fuerit prædicendum, ita vt ad hæc Dei ſerui procedant, etiam cum euidenti capitis diſcrimine;

Pp 2 quemad-

quemadmodum veros Dei Prophetas non ſemel feciſſe le- A
gimus in ſacris libris. Auctoritas etiam ſub qua hoc vel
illud prædicitur; idipſum manifeſtat: nomen nimirum Dei
quod interponitur, à quo ſe accepiſſe Prophetę id, quod prę-
dicunt, teſtantur vbique in ſacris litteris, præmiſſo *Hæc dicit
Dominus*, aut alia ſimili formula. Denique Dei gloria,
fidei Chriſtianæ propagatio, peccatorum conuerſio, Hæ-
reticorum reductio, & alia huiuſmodi quæ comitantur
prædictiones ſeruorum Dei; plane conuincunt ex Spi- B
ritu Prophetico & diuina reuelatione patefactum, quicquid
à Dei ſeruis prædictum fuerit. Quibus quidem ſignis ac
notis prædictiones veræ à ſuſpectis dignoſcuntur
ad Sanctitatis argumentum, & ab his quæ
nullo in numero ponendæ ſunt
in Eccleſia ſecernuntur,
ac diſtinguun-
tur. C

D

CAP.

A

CAP. III.

Quodnam Sanctitatis argumentum ſumatur ab Extaſi, & mentis exceſſu.

HOMINI in peccatis concepto, peccatis, vt humana fert fragilitas, ſubdito, qualis ego ſum, B de mentis alienatione, exceſſu, extaſi, ac raptu verba facere, difficile eſt; cum vix ac ne vix quidem aliquando viri ſanctiſſimi de his ſcribere, aut tractare ſe poſſe confiſi ſint: vtpote ab omni coniectura longe remotis: cum certò quandam alienationem mentis humanæ ab exterioribus ſenſibus, ſiue animæ rationalis ab organis atque inſtrumentis corporeis, præſeferre videntur. Quamuis autem prædicta tria re vera inter C ſe diſtinguantur, vt ſtatim oſtendetur, alterum tamen pro altero multoties tam in Scripturis ſacris quam etiam penes authores, & ſanctos Patres ſumitur, vt rectè adnotauit Conſaluus Durantes Epiſcopus Feretranus, qui de his abunde ſcripſit in tractatu de viſion. cap. 3. §. 2. quem præmiſit commentario quem edidit ſuper reuelationibus Sanctæ Brigittæ.

Quia tamen, ſi ſtricte loqui velimus, Raptus, & Extaſis ve- D luti ſpecies quædam ſub Exceſſu mentis tanquam genere continentur, vel (vt dicit Epiſcopus Feretran.) raptus includit extaſim, & extaſis mentis exceſſum: propterea procedentes ab inferioribus ad ſuperiora, titulum Capituli non de extaſi, aut raptu, ſed de mentis exceſſu inſcripſimus. Et quidem *Exceſſus* à verbo excedo deriuatur, quod motum ab vno ad alium locum præſefert, vt idem fere ſit exceſſus, atque diſceſſus: quamuis exceſſus aliquid minus ſignificare

videatur: *Mens* cum à metiendo deriuari poſſit, hac ratione A
pro quacunque potentia cognoſcitiua & iudicatiua tam interiori, quam exteriori ſumitur: quatenus nimirum ſingulæ illarum circa ſuum obiectum verſantur illud metiendo. (quælibet enim potentia ſuum obiectum metitur) Sed melius forte ab eminentia, mentis vocabulum deduxeris, atque ita communiter pro parte ſuperiori Animæ accipitur. qua ratione mens non eſt in potentijs ſenſitiuis tanquam in ſua ſede, nec in anima ſenſitiua, aut vegetatiua, neque in illarum B
potentijs, ſed tantum in anima rationali collocata exiſtit: non quidem in quacunque animæ rationalis portione, ſed in portione ſuperiori. Exceſſus igitur mentis hic appellatur quædam alienatio mentis à ſeipſa, quæ eſt quaſi quidam à ſeipſa diſceſſus ratione ſuæ operationis. nam quamuis mens ſecundum ſuam eſſentiam in homine, dum viuit, ſemper exiſtat: quia tamen aliquando potentiæ deſtitutę à mente velut aliud agente, non operantur, propterea talis deſtitutio C
mentis exceſſus appellatur.

Vt autē accuratius hæc ipſa diſquirantur, quatenus noſtro inſtituto deſeruiunt, diſtinguere neceſſe eſt in homine triplex genus potentiarum, nimirum exteriorum, quo nomine quinque corporis, ſenſus ſignificantur; & interiorum, quarum aliquæ pertinent ad inferiorem animæ portionem, vt ſunt imaginatio, phantaſia, memoria, & appetitiuæ potentiæ, atque intellectus phantaſmatibus operatiuus, D
aliæ vero ad ſuperiorem Animæ portionem pertinent, vt ſunt, Spiritus, voluntas, mens, & intelligentia. Et quia ex his potentijs nulla operatur niſi ex concurſu animæ rationalis per potentiam intellectiuam, propterea exceſſus mentis quadrupliciter in hominibus contingere poteſt: nimirum in potentijs exterioribus tantum, vel in interioribus ſed portionis inferioris animæ, vel in interioribus ſed ſuperio-

A perioris portionis, vel denique ſecundum totam animam.

Quando igitur alienatio in exterioribus tantum potentijs contingit, vt cum oculus videlicet ita vni obiecto affigitur, vt alteri non attendat, & reliqui ſenſus non moueantur à ſuis obiectis, ob eximiam excellentiam prioris, quod rapit occupatque totum hominem: erit quidem hæc quædam mentis alienatio, ſed ſatis leuis, ob debilitatem corporei inſtrumenti, quod fatigatur in operando, licet circa proprium B obiectum verſetur. Ideoque hæc mentis alienatio, cum non faciat ad rem noſtram, potius diuagatio mentis, quam exceſſus, raptus, aut extaſis dicenda erit.

At vero exceſſus mentis qui contingit in potentijs internis ex vi potentiæ apprehenſiuæ & appetitiuæ, interdum quidem in inferiori tantum animæ rationalis portione contingit, interdum vero in ſuperiori eiuſdem portione: quando nimirum homo taliter mente excedit, vt nec ſenſus com-C munis ſpecies ad phantaſiam tranſmittat, nec phantaſia ad imaginatiuam, nec imaginatiua ad intellectiuam, nec memoria aliquid operetur. Tunc quidem is exceſſus mentis ab aliquibus Extaſis, ab alijs Raptus appellatur.

Denique datur exceſſus ſecundum totam animam, quando nimirum mens ita ſupra ſeipſã excedit, vt illa in ſuo actu ſuſpenſa non ſolum potentiæ exteriores ſed etiam interiores, tam ſuperioris quam inferioris portionis, à ſuis operationibus D quieſcant taliter, vt nec ratio, nec imaginatio, nec phantaſia aliquid operetur, ſed nec ſenſus exteriores ferãtur in ſua obiecta, aut aliquid operentur: cuius ſignum eſt, quod etiam ſi comburatur ab igne aliquod illius membrum, aut etiam ferro transfigatur, id totum fiat abſque ſenſu patientis: quibus experimentis plane conuincitur in eo exceſſu exteriores quoque ſenſus ſuſpenſos exiſtere. Et talis ac tantus eſt aliquando iſte exceſſus, vt nec potentiæ naturales corporeæ, tam

nutritiuæ, quam augmentatiuæ & motiuæ, ad ſuas opera- A
tiones exeant. Talem exſtitiſſe Pauli raptum ex eius ad Co-
rinthios Epiſtola colligitur, ac propterea dixiſſe: *Siue in
corpore, ſiue extra corpus, neſcio*. quia videlicet pontentiæ
omnes tam animæ quam corporis ſuſpenſæ in eo raptu
remanſerant, nec quidquam omnino operabantur.

Extaſis nomen potius ſcribendum erit, Ecſtaſis, cum
c, & ſ, more Græcis vſitato, quorum & vox eſt. formatur
enim à verbo compoſito ἐξίστημι, quod ſignificat dimo- B
ueo, ſeu commoueo. Vnde ἔκστασις recte mentis commo-
tio dici poterit. Vſus tamen Latinorum obtinuit vt ſcribatur
extaſis: quam, iuxta dictam ethymologiam, definiunt
nonnulli cum Scaligero exercit. 312. in Cardanum: *Priua-
tionem officiorum animæ ſentientis, ſimul mouentis, ac intel-
ligentis*. Mercat. l. 3. de morb. par. 1. quæſt. 180. aſſerit:
*Extaſim eſſe alienationem imaginationis ab omnibus rebus, cũ
detentione in alicuius rei conſideratione*. Sed hi loquuntur de C
morboſa extaſi, nos autem de acquiſita, ſeu diuina, quam
dicimus eſſe *Exceſſum mentis quo homo extra ſuam ordina-
tionem fertur, cum ceſſatione omnium aliarum exteriorum poten-
tiarum ab operationibus ſuis*. Homo enim in extaſi poſitus
mouetur quidem ad aliquid extra ſe, ſed non iuxta ſibi con-
naturalem modum.

Extaſim fieri cum ceſſatione operationum in potentijs
exterioribus, non autem in interioribus propterea diximus, D
quia non repugnat hominem in extaſi poſitum intellectu
plura videre, & cognoſcere: quemadmodum Petrus in exceſ-
ſu mentis vidit Cælum aperiri, & linteum ſuperne demitti:
& Paulus audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui:
quæ auditio fuit per actum intellectus. & quia *nihil volitum,
quin præcognitum*, hinc manifeſtum eſt iuxta doctrinam
D. Th. 1. 2. quæſt. 28. art. 3. extaſim dupliciter cauſari in

nobis:

A nobis: nimirum ex vi apprehenſionis alicuius obiecti extra ordinationem hominis, ideſt, extra modum cognoſcendi hominis proprium; vel ratione finis, vt cum homo rapitur ad cognoſcendum diuina: quæ quia captum humani intellectus excedunt, & ad illa cognoſcenda homo non procedit medijs phantaſmatibus, aut aliquibus imaginibus, ſed ex vi obiecti; propterea rapitur in exceſſum mentis: & quia reliquæ potentiæ à ſuis operationibus tunc quieſcunt, etiam in B eo exceſſu homo patitur extaſim. Alio quoque modo cauſatur extaſis, ex vi appetitus, dum potentia appetitiua fertur in obiectum extra ſuam ordinationem, nimirum ex vi amoris, & ita fertur, vt reliquæ potentiæ omnino à ſuis operationibus quieſcant.

Vt autem hæc melius explicentur, D. Th. loco citato in reſponſione ad ſecundum obſeruat in homine dari duplicem appetitum, nimirum intellectiuum, qui dicitur vo- C luntas, & ſenſitiuum qui ſenſualitas appellatur. Inde colligit hominem dupliciter ex vi appetitus poſſe conſtitui extra ſeipſum, & extra ſuam ordinationem: nimirum vel ex vi appetitus intellectiui, quando taliter homo in diuina fertur, vt illorum omnium obliuiſcatur ad quæ mouet appetitus ſenſitiuus. in quo ſenſu D. Dionyſius lib. 4. de diuinis nominibus interpretabatur illud Pauli: *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus.* Poteſt etiam homo conſtitui extra D ſeipſum ex vi ſolius appetitus inferioris, nimirum ſenſitiui, quando v. g. homo ita fertur in res caducas, & in obiecta ſenſibilia, vt nihil omnino curet de ſuperioribus, nec illa appetat. Quia vero appetitus ſuperiorum & diuinorum eſt magis homini proprius, propterea quando ex vi appetitus ſuperioris ad ea quæ ſunt extra ſuam ordinationem fertur, tunc ex vi voluntatis homo pati extaſim dicetur.

Nunc ad Raptum veniamus, qui eſt veluti altera ſpecies alie-

alienationis animæ: vt enim docet D. Th. raptus ſupra extaſim ſolum addit quandam violentiam. Quamobrem ſic definiri poteſt: *Raptus eſt exceſſus mentis violentus, quo homo fertur ad aliquod obiectum, vel contra vel extra ſuam inclinationem, cum ceſſatione omnium reliquarum potentiarum à ſuis operationibus*. Dicitur autem contra vel extra ſuam inclinationem, quia ſi mens humana, exempli gratia, in cognitionem mortis præſentis vel pœnarum aliquarum rapta quas apprehendit vt ſibi contrarias, ita obſtupeſcit, vt præ timore reliquæ potentię ab operationibus quieſcant, dicetur contra ſuam inclinationem ferri. Quia vero poteſt contingere mentem ferri in aliquod obiectum ad quod habeat naturale inclinationem, ſed non ferri eo quo debet aut ſolet modo: propterea dicetur in hoc caſu extra inclinationem moueri. A B

Diligentius conſiderandum remanet qua ratione Raptus ab Extaſi diſtinguatur. pro quo notat D. Th. 2.2. quæſt. 175. art. 1. vocabulum *Raptus* importare violentiam quandam, & quod principium motus violenti ſit aliquid diuerſum realiter ab eo quod mouetur, facultatem habens ad mouendum. quamobrem Violentum ex Ariſt. 3. Eth. cap. 1. circa medium ſic definitur: *Violentum dicitur cuius principium eſt extra, nil conferente eo quod vim patitur*. quam definitionem affert & probat D. Th. Si enim mouens non eſſet diſtinctum ab eo quod mouetur, & extra illud; nulla ratione violentum eſſet: quia nihil à ſeipſo violentiam patitur. Hinc neceſſario ſequitur, raptum in homine effici ab aliquo alio principio extra hominem. Nec ſufficit quod ſit extra hominem, ſed quod ſit poteſtatis ſuperioris ab eo, vt affirmat idem loco citato in reſponſ. ad 3. Niſi enim mouens ſuperioris eſſet poteſtatis ab homine, nequaquam poſſet violentiam aliquam facere enti æqualis, C D

aut

A aut ſuperioris facultatis, vt re ipſa manifeſtum eſt.

Particula poſita in deſcriptione, videlicet: *nil conferente eo quod vim patitur*, vt explicetur, ſciendum eſt ex D. Th. aliquid conferre ad proprium motum quo aliquo tendit, vel ſecundum propriam, vel ſecundum voluntariam, vel ſecundum naturalem inclinationem. Quia igitur ad motum violentum requiritur vt id quod mouetur nihil conferat, propterea oportet, inquit D. Th. quod qui rapitur, in aliquod B rapiatur diuerſum ab eius inclinatione, nimirum tam ab inclinatione naturali, quam ab inclinatione propria, & voluntaria, vt nihil omnino paſſum conferat in eo motu. Quod autem aliquid ſit diuerſum ab inclinatione alterius, contingere poteſt, vel ratione finis, vel ratione modi. Ratione finis aliquid mouetur diuerſimode ab eius inclinatione, ſi moueatur ad terminum contrarium: vt cum lapis v. g. cuius inclinatio eſt moueri deorſum, proijcitur ſurſum. locus enim C ſuperior eſt contra inclinationem lapidis. Ratione vero modi mouetur aliquid extra ſuam inclinationem cum v. g. lapis cuius inclinatio eſt moueri deorſum per motum vt quatuor, proijciatur deorſum cum impetu conferente motum vt octo. Nam motus iſte velocior non eſt contra naturalem inclinationem lapidis ratione finis, ſed tantum ratione modi.

His ita declaratis ex doctrina D. Th. colligitur Extaſim D & Raptum differre primo in modo tendendi in obiectum. nam anima rationalis cum rapitur, multipliciter violentiam pati poteſt: videlicet quantum ad terminum; ſi rapiatur ad aliquid ſibi contrarium, & diuerſum quantum ad inclinationem naturalem, vt ſi rapiatur ad pœnas: & denique quantum ad modum, ſi rapiatur quidem ad intelligendum obiectum ad quod habet inclinationem, ſed diuerſo modo rapiatur quam ſolebat circa illud moueri. Quia igitur anima

quan-

quando mouetur naturaliter ad intelligendum humana, mo- A
uetur per ſpecies ſenſibiles, & phantaſmata; propterea quoties ad intelligendum diuina vel aliquid aliud mouetur, non quidem per ſenſibilia, ſed per abſtractionem à ſenſibilibus; tunc dicitur moueri violenter, & huiuſmodi abſtractio dicetur raptus. Si vero homo moueatur ad aliquod obiectum ad quod inclinatur & mouetur cum delectatione, ſed moueatur extra ordinem propter excellentiam obiecti, vel
propter vehementem complacentiam ex eius fruitione; ille B
motus dicetur extaſis.

Differunt ſecundo extaſis, à raptu ratione cauſæ efficientis, & potentiarum à quibus proueniunt. nam eſtaſis proprie & efficienter à potentia appetitiua procedit: ab intellectu vero non procedit niſi diſpoſitiue, vt docet D. Th. in 1. 2. quæſt. 28. art. 3. quatenus nimirum cognitio eſt cauſa amoris, cum nihil ſit volitum, niſi præcognitum. At vero
effectiuè eſt à voluntate. Et ſicut duplex eſt appetitus, C
ita pariter duplex extaſis datur, nimirum naturalis, & ſupernaturalis. Naturalis ea eſt quæ procedit ex vi naturali, ab appetitu ſenſitiuo. Supernaturalis vero quę tanquam ab efficienti prouenit, à Deo nimirum eleuante humanam mentem ad contemplationem & appetitum diuinorum. De quorum diſcrimine vide Paul. Zachiam in libro Quæſtionum medico legalium lib. 4. tit. 1. quæſt. 7. n. 18. At vero raptus
procedit ab intellectu & pertinet ad vim cognoſcitiuam ma- D
gis quam ad appetitiuam, vt præclare oſtendit D. Th. 2. 2. quæſt. 75. art. 2. per totum.

Differunt tertio quantum ad id ad quod intellectus, & voluntas rapiuntur. Nam intellectus vel ex vi excellentiæ alicuius obiecti, ad quod fertur, vel ratione modi quo fertur rapi dicitur, quia patitur violentiam. at vero quia appetitiua vis non mouetur ad aliquod obiectum, niſi in illo appareat

ratio

A ratio appetibilis, & ad appetibile per ſe mouetur ſecundum
propriam inclinationem; hinc eſt quod voluntas raptum
non patitur, niſi per accidens, vt docet D. Th. loco citato:
nimirum ſi nimis vehementer aliquo obiecto præcognito
afficiatur, adeo vt ab omnibus alijs appetibilibus alienetur.

Reſtat iam examinandum quodnam ſanctitatis argu-
mentum ab huiuſmodi exceſſu mentis, ſiue ſit raptus, ſiue
ſit extaſis, hauriatur ad effectum Beatificationis, & Canoni-
B zationis. Et ab exceſſu quidem mentis præciſe conſiderato, &
ſtrictè loquendo, nullum ſanctitatis argumētum colligi poſſe
ad effectum Beatificationis, & Canonizationis certum eſt.
Quia argumenta ſanctitatis non hauriuntur niſi ex his acti-
bus, qui omne peccatum mortale, ac etiam venialia exclu-
dunt. exceſſus autem mentis, & alienatio à ſenſibus aliquan-
do poteſt ſtare etiam cum peccato mortali. nam ex D. Th.
2. 2. quæſt. 175. art. 1. in corpore articuli, triplices dari poſ-
C ſunt cauſæ externæ raptus, & extaſis: quibus Caiet in Com-
mentario addit etiam quartam. Sunt autem iſtæ: naturalis
defectus, poteſtas Diaboli, vis amoris, & diuina bonitas
erga ſuos ſeruos ac dilectos. Ex naturali defectu exceſſum
mentis contingere poſſe Medici omnes concedunt: aſſerunt-
que animalium facultates à Philoſophis diſtingui in phan-
taſiam, ratiocinatricem, & memoriam; ita tamen vt à phan-
taſia, & eius phantaſmatibus reliquæ duæ, tanquam à mo-
D trice potentia, in operando dependeant. vnde exceſſus men-
tis, imaginatrici facultati ab eis aſcribitur qua vitiata omne
arbitrium ſuſpenditur, mentis actio quieſcit, & homo exta-
tico premitur ſimptomate, quod ipſi Catalepſin ex Galeno
lib. 3. de ſimpt. differ. appellant, & communiter morbus
comitialis dicitur. Hoc autem ſimptoma poſſe accidere ali-
cui exiſtenti in peccato mortali nulla indiget probatione.

Quod etiam ex vi amoris ſenſitiui abſtractio à ſenſibus &
alie-

alienatio omnis à ſeipſo ex violentia ſcilicet talis affectus A contingere queat, tradidit idem D. Th. loco citato art. 2. in corp & 1. 2. quæſt 29. art. 3. vbi id fieri concedit ex nimia delectatione in obiecto ad quod rapitur. Amor enim impudicus non ſolum mentem obnubilat, ſed etiam rapit. Idque ſignificabant veteres Poetæ in Meduſæ fabula, quæ cum eſſet mulier formoſiſſima, eius pulchritudine adeo homines rapiebantur, vt è poteſtate mentis exirent. Socratem quoque apud Gellium lib 2. Noct. Attic. quandoque diem, B & noctem integram abſtractum, & immobilem permanſiſſe legimus: quam abſtractionem cauſæ naturali tribuit Caiet loco citato ex D. Th. & Ariſt in probl. magn. de viris excellentibus. Sed Caietanus prædictam abſtractionem vehementiſſimæ intentioni meditantis tribuit: Ariſtoteles vero Maniacum, ideſt arreptitium Socratem credidit.

Arte vero Dæmonum ſopiri ſenſus corporeos, & mente homines alienari, præter D. Th. demonſtrat ad longum C Martinus Delrius lib. 2. diſquiſit. magic. q. 16. & Malleus maleficarum varijs tum auctoritatibus, tum exemplis probatum reddit. Et quamuis grauiſſimi auctores muliercularum tranſlationem corporalem negent, quam Delrius probat; omnes tamen admittunt mulierculis illis à Dæmonibus illudi, ſenſibus internis externiſque deuinctis, & ſepultis, & læſa ac perturbata phantaſia. Poteſt enim Diabolus, vt Delrius docet, læſis corporeis viribus, & animi facultatibus, D hominem à ſe ipſo alienare, ac etiam in exceſſum mentis rapere: pluraque illi perſuadere quam vel vini copia oppreſſi, vel melancholia ęgri ſe videre arbitrantur. vt lib. 7. de Geneſ. ad litt. cap. 11. Pater Auguſtinus docuit. Vnde clare patet nullum ſanctitatis ſumi poſſe argumentum, aut coniecturam ad effectum Beatificationis, & Canonizationis ab exceſſibus mentis, ſi præciſe ſpectentur.

Verum,

A Verum, vt rem diligentius enucleemus, loquamur non de exceſſu mentis in communi, ſed in ſpecie de Raptu aut Extaſi ſeruorum Dei. In quo dico, nullum ſanctitatis argumentum à tali extaſi vel raptu præciſe conſideratis deſumi poſſe. Pro quo notandum adeo ſublimẽ extare hunc mentis exceſſum, ſiue ſit extaſis, ſiue ſit raptus, quatenus cauſatur ex affectu diuinorum, vt eius eminentia ſit inexplicabilis, ac proinde diuerſa ſortiatur nomina, & ab Auctoribus præ-
B cipue Contemplatiuis multipliciter appellari conſueuerit. Nam à ſancta Thereſia & Brigitta lib. 4. reuelat. cap. 77. ſomnus quidam placidus & ſuauis dicitur, nec non ſopor ſpiritualis animæ. Alij otium ſanctum appellant, alij ſilentium, alij ſolitudinem interiorem, alij etiam mortẽ. Somnus, ac ſopor placidus & ſuauis dicitur: quoniam anima in exceſſu mentis conſtituta rebus huius mundi dormiens, cum ſuis ſpiritualibus facultatibus in lecto ſui dilecti ſponſi ſuauiter
C quieſcit, ſenſibuſque & facultatibus inferioribus à ſuis functionibus ceſſantibus delectatur. Otium prætereа appellatur: non quod anima omnino otioſa maneat, ſed quod tunc à paſſionibus, curiſque corporalibus, & cordis vagis cogitationibus, turbationibuſque libera exiſtens, cum Magdalena in vnius Dei contemplatione occupata eſt. Silentium dicitur: quod ceſſante externo verborum ſtrepitu, atque imaginationis reſtrictis diſcurſibus anima in eo exceſſu ſo-
D lum attendit, vt verbum diuinum excipiat. Solitudo dicitur: quia in eo exceſſu ſpiritus humanus intra clauſtra cordis abditus & totus collectus, ſolus cum Deo ſuo conuerſatur: non aliarum ſolum rerum, ſed ſui etiam ipſius oblitus. Ac proinde mortis etiam nomine à quibuſdam exprimitur: quia ſeruus Dei qui ad hoc contemplationis donum à Deo aſſumitur, non ſolum diuitias & honores, ſed corpori etiam ac vitæ neceſſaria ita negligit & cõtemnit, ac ſi mortuus omnino eſſet.

His

His prænotatis non ſumi argumenta ſanctitatis directe A
ex his raptibus inde patet, quod argumenta ſanctitatis ad effectum Beatificationis, & Canonizationis ſumenda ſunt ex actibus virtutum in gradu heroico, qui actus excludunt omne genus peccati etiam venialis. inter hos autem raptus, & extaſes ſeruorum Dei, etiam circa diuina, poteſt ſe inſinuare aliquod genus peccati. Quia, vt obſeruauit Conſaluus Durantes in notis ad reuelat. S. Brigittæ tract. de viſion. cap. 3. ſi Dei ſeruus aliquis veluti finem principalem B
eiuſdem extaſis, & raptus haberet conſolationem delectationemque, quam in hoc exceſſu experitur, & nequaquam Dei gloriam; is certe peccaret: cum à carnali, & proprio ſenſu motiuum illud proficiſceretur, atque Diabolus interdum ſpiritualibus etiam rebus zizania ſua interſerat, vt communiter docent Sancti Patres & viri Contemplatiui: qui prædictam complacentiam appellant Luxuriam ſpiritualem & Peccatum Luxuriæ. Ergo huiuſmodi extaſes non ſuppe- C
ditant ſufficiens argumentum ſanctitatis ad effectum Beatificationis. Confirmatur. quia Sanctitas eſt ex Virtutibus. Extaſis autem & raptus ad habitus non pertinent virtutum; nec actiue, ſed paſſiue in his ſe habent Dei ſerui. Sumitur quoque ratio ab Eccleſiæ iudicio, quę non iudicat de occultis & internis actibus, nimirum de his quæ fiunt in Anima. Cum igitur tam intentio finalis in Dei ſeruo, quam ipſa extaſis, & raptus fiant in potentijs Animę, in eiuſque ſubiecten- D
tur potentijs Intellectus, & voluntatis, ſcilicet directe in vna, & diſpoſitiuè in altera, vt iam diximus: cum non cadat ſub iudicium Eccleſiæ, an talis alienatio fuerit extaſis, vel raptus, an naturalis defectus; neque etiam cognoſci poterit ab Eccleſia, qua virtute, aut cauſa ille mentis exceſſus contigerit; & an Dei ſeruus in eo luxuriatus ſit, an vero humiliter ſe geſſerit Ergo ille mētis exceſſus nude in ſe conſide-

A ſideratus nullum ſanctitatis argumentum ſubminiſtrare po-
terit ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Quia vero in huiuſmodi mentis exceſſibus contingit in-
terdum, vel poteſt contingere corporis eleuatio in ſublime;
dubitari poteſt, an ſaltem ex huiuſmodi corporea eleuatione
in raptu ſerui Dei, poſſit aliquod ſanctitatis argumentum
captari. Et reſpondeo ſimiliter negatiuè: ſi nempe prædi-
cta eleuatio corporis præciſe in ſe conſideretur. Ratio eſt,
B quia Dæmonum arte & poteſtate hæc eleuatio corporis
contingere poteſt. Nam ſi Dæmon (vt in ſagis ſiue ſtrigis
manifeſtum eſt) poteſt transferre corpora in loca diſtantiſſi-
ma; poterit etiam eadem quam altiſſime in ſublime eleuare:
vt in Simone mago oſtenditur. Aliquando multis etiã dece-
ptionibus, & mulierculatum artibus procuratas fuiſſe inter-
dum huiuſmodi corporis eleuationes, ad captandam vulgi
auram cognouimus. Ac proinde ex his nude conſideratis
C nullum omnino validum ſanctitatis argumentum haurietur.

Si vero ſit ſermo de exceſſu mentis, extaſi, & raptu ſeruo-
rum Dei, quatenus eſt à Deo; licet non directe, indirecte ta-
men aliquod Sanctitatis argumentum educi poterit, ſi vir-
tutes in gradu heroico adfuerint. Nam hunc mentis exceſ-
ſum S. Ambroſius lib. 2 de Abraham cap. 6. eleuationem
propheticam ad intuendum diuina appellat: ad intuendum
aũtem diuina non eleuantur, niſi qui Deo ſunt grati, iuſti, &
D ſancti, Igitur aliquale ſanctitatis argumentum ab huiuſmo-
di exceſſibus deſumi poteſt. Deinde D. Thomas 22. q. 180.
art. 5. raptum huiuſmodi, ſupremum contemplationis gra-
dum vocat: cum quo concordat Auguſtinianæ religionis
ſplendor eximius Iacobus de Valentia in tract. 2. Prologi
ſuper pſalter. art. 2. vbi diſtinguit tres gradus eleuationis in-
tellectus humani ſupra ſeipſum, in contemplando Deo: ſim-
plicem nimirum exceſſum mentis, raptum, & extaſim. iuxta

quos tres gradus contemplationis, cælos quoque diſtinguit, A
& in hoc ſenſu locum Pauli interpretatur,de raptu ſuo vſque ad tertium cælum, vbi, *Audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Ad hos autem ſupremos contemplationis diuinę gradus non aſſumuntur à Deo,niſi viri ſancti, iuxta illud Chriſti: *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos, quia omnia quæ audiui à Patre meo nota feci vobis*. Ab extaſi quoque & raptu diuino, quamuis non directe, indirecte tamen aliquod ſanctitatis argumentum ſumitur. Tria enim bona B
in hac extaſi, & raptu apparent: nimirum ſenſuum tam interiorum, quam exteriorum quædam alienatio: quidam mentis affectus circa boni contemplationem: & quies in bono contemplato. Propterea dicendum eſt, raptum & extaſim in Dei ſeruis fieri ex vi apprehenſiuæ potentiæ, apprehendentis nobiliſſimum obiectum quo nobilius excogitari nequit, & in quo, quotquot excogitari poſſunt, bona reperiuntur. Fit etiam ex vi potentiæ appeti- C
tiuæ quieſcentis in bono iam dicto, quæ quidem quies reperiri nequit in bono creato, ſed tantum in increato. Hinc ſequitur viros tantum perfectos, exercitatoſque in actibus Euangelicarum virtutum ad eum contemplationis gradum peruenire poſſe.

Sed præcipuus labor ac difficultas eſt in his mentis axceſſibus dignoſcendis: an ſcilicet arte Dæmonum contingant, aut ex defectu naturali,an vero virtute diuina In quo,iudicio D
maxime practico opus eſt, quod his fere regulis, quas iam tradituri ſumus, innititur. Ac prima quidem & generalis regula erunt actiones, ſiue mores illius, qui hos mentis exceſſus, extaſes, aut raptus patitur. Etenim ſi mores illius Chriſtianam obtinent perfectionem in gradu heroico, prout iam docuimus;credi profecto poteſt hos raptus,& extaſes à Deo fieri. Si vero qui prædicta patiuntur, moribus non concordant,

A dant, ſed ab Euangelicæ doctrinæ, aut perfectionis Chri-
ſtianæ regula verbis, vel factis deuiant; tales exceſſus non
erunt à Deo, ſed ab aliqua alia cauſa, vel naturali, vel etiam
à Dæmone: præcipue ſi in mulierculis contingant, quæ fa-
mam inde ſanctitatis, vel lucrum captare videri poſsint.

Vt autem deſcendamus ad ſingularia, exordiemur ab
exceſſu mentis naturali, quem dicunt medici veluti quen-
dam ſomnum à cauſa mere naturali procedere: nimirum
B ab eleuatione vaporum frigidorum à ſtomacho ad cere-
brum. Cuius fere notæ ſunt, inordinatio corporis aut mem-
brorum, pulſus in cataleptico inæqualis, non contractus,
ſed externus cum quodam motu obtruncato. ex Galeno ibi-
dem, & lib. 4. de locis affect. cum tamen nihil videant aut
intueantur, qui eo morbo afficiuntur Et licet interdum ocu-
los moueant, & palpebris conniueant, ſi quis manus eorum
oculis admouerit; nihilominus aliquando palpebrarum ſta-
C tum immobilem ſeruant. Præterea, ſi ex improuiſo patienti
accidant hi mentis exceſſus, vel ſtatis lunæ ac dierum muta-
tionibus; naturalem ægritudinem arguunt. Comitatur etiam
hunc morbum triſtitia, ex Galeno lib. 3 de locis affectis: ti-
mor quoque aſſiduus, ex eodem Galeno cap 4. falſas pari-
ter patiuntur imaginationes, varijſque modis vexantur: quæ
omnia latiſſime pertractant Galeni & Hippocratis inter-
pretes.

D Extaſis vero, ſiue mentis exceſſus ex vi amoris humani
proueniens, vel ex deſiderio obiecti amati, vel ad obiecti
præſentiam, cum maxima pariter deordinatione corporis,
membrorum, geſtuum etiam, atq; actionum, accidere ſolet.
multoties enim, etiam ſi nihil loquantur, edunt motus inor-
dinatos ac plerumque inhoneſtos: ac ſi loquantur, non niſi
amatoria plerumque & impudica loquuntur. Cumque ab
eo mentis exceſſu ad ſeipſos redeunt, nihil recordantur illo-

rum quæ prius dixerunt aut fecerunt. Iidem de virtutibus, de Deo, de ſalute animæ minimum, aut nihil prorſus cogitant aut loquuntur: ſed eos aut verſus amatorios cantillare, aut libros Venereos manibus peruoluere videbis: ad rerum vero ſpiritualium mentionem frontem ducerę, aut etiam aufugere. A

Extaſis denique, quę arte Dæmonis cauſatur in arreptitijs, ac Magis, ſuis notis dignoſci poteſt. Accidit enim cum maxima humanorum membrorum deordinatione, & corporis motu ſupra modum vehementi & incompoſito. Deinde vt plurimum nihil loquuntur, aut non niſi vana ac ſuperſtitioſa loquuntur, & in Dei offenſam, ac proximi damnum. Fæminam ego noui, quæ cum ſimiles exceſſus mentis frequenter pateretur, ſtatim atque ad quietem rediſſet cum à me de vita ad Chriſtianæ perfectionis normam inſtituenda admoneretur, cum irriſione cuncta excepit: quo indicio à Sathana eam agitari, & Dæmonis arte extaſim pati conieci, vt poſtmodum Inquiſitorum cura & examine compertum fuit. B C

Suſpecti ſunt etiam raptus, & extaſes voluntariæ, illorum nimirum, qui, quoties eis collibuerit, ſe extaſim pati poſſe affirmant, & reuera rapiuntur quoties volunt. eſt enim hæc euidens nota raptus ex arte Dæmonis, vt docte probat Delrius diſquiſ. magic. lib. 2. quæſt. 25. vbi inter alia refert de puella quadam Cæſarauguſtana, cuius fraus ab Archiepiſcopo detecta fuit anno 1588. Hæc enim ſtigmata Chriſti ſe accepiſſe profitebatur, eaque omnibus in proprio corpore detegebat. Raptus erant illi adeo frequentes, vt ad libitum raperetur. quæ tamen omnia ex pacto cum Dæmone inito, dum aliquando oues adhuc puella paſceret, eidem contingebant. Simili modo Magdalena quædam Crucia Cordubenſis, famoſa ſaga, frequentiſſime raptus D

hos

A hos vſurpabat, ad ſanctitatis auram captandam.

Extaſes vero quæ à Deo proueniunt, in arbitrio non ſunt hominum, ſed in manu Dei, qui, cum ei placuerit, ſeruos ſuos ad ſe rapit, vt communicet illis quæ concernunt ipſius gloriam aut ſalutem animarum. Acciduntque hi raptus cum maxima ordinatione totius hominis, tam interni, quam externi, vt adnotauit D. Th. 2. 2. quæſt. 175. art. 3. & Caietan. ibi, & de verit. q. 13. art. 1. Quamobrem quicquid
B in illa extaſi Dei famuli loquuntur (ſi quando loquuntur) diuinum eſt, & cæleſte, & inaſtantium ædificationem, ita vt qui his aſſiſtunt præ deuotione in lachrimas diffluant, & diuini Spiritus igne excitati perfectiſſime ſæpe ad Deum conuertantur. demum cum, ad ſe ſe extatici Dei ſerui reuertuntur, magis ac magis in conuerſatione humiles ac quaſi pudore confundividebis. Statim vero ab huiuſmodi raptu intellectum ſupernaturali lumine illuſtratum, & vo-
C luntatem diuino amore incenſam experiuntur: ac cæleſti quadam lætitia perfuſi, hilaritatem in facie, & ſecuritatem in corde oſtendunt, ſed de circumſtantium præſentia minime gaudent, timentes ne propterea in ſanctitatis opinionem veniant. Quod ſi ex diuino præſcripto aliquid in tali extaſi poſitis reuelatum fuerit, nullatenus erit vanum aut illuſorium: cum exceſſus ille mentis ſit à Spiritu Sancto, qui Spiritus eſt veritatis. Vnde ſi quid in hac extaſi Dei
D famuli dixerint, aut prædixerint, verum fore neceſſe eſt.

Potiſſimum vero diuinæ extaſis ſignum, ac nota ex præcedentibus circumſtantijs, vel actionibus, & ex motiuo hauriri debet. Qui enim in oratione poſiti, vel inter audiendum ſacrum, vel poſt ſumptam Euchariſtiam rapiuntur vel extaſim patiuntur (ſicut ſæpe contigiſſe legimus S. Catharinę Senenſi) vel dum ſermones audiunt de Deo, aut de Paradiſo, mente excedunt: hi profecto à Deo rapi videntur.

Talis fuit ille Ægidius S. Franciſci quondam ſocius, qui ſta- A
tim ac audiſſet aliquem pronunciantem paradiſum, illico illius deſiderio extra ſeſe abripiebatur: adeo vt in vrbe Peruſina pueri, per iocum, eunti per publicum à tergo clamarent: Frater Ægidi, Paradiſus! vt eum ſcilicet raptum intuerentur. Ideo (vt tandem concludamus) diligenter conſiderandum erit, quinam actus præceſſerint extaſim, quinam illam comitentur (verba nimirum & motus) & denique quæ illam ſubſequantur. ex his enim diuina extaſis, à reliquis B
quæ non ſunt à Deo, ſecernitur.

CAP. IV.

Quodnam Sanctitatis argumentum ſumatur à Reuelationibus.

DIVINARVM reuelationum ſublimitatem, C
& excellentiam Pater Auguſtinus lib. 2. de gen. ad litt. cap. 18. conſiderans: *Mallem* (inquit) *aliorum hac de re opiniones audire, quam propriam ſententiam ferre. Iſtarum namque viſionum ac diuinationum cauſas, & modos inueſtigare ſi quis poteſt, certoque comprehendere; eum magis audire vellem, quam de me expectari, vt ipſe diſſeram. Quid tandem putem? ita vt nec docti me tanquam confirmantem derideant, nec indocti* D
tanquam docentem accipiant, ſed vtriſque diſceptantem potius, & quærentem, quam ſcientem non occultabo. Quod ſi tanto tamque ſancto Doctori materia hæc reuelationum adeo difficilis apparuit; quid mihi dicendum erit? qua ratione de his loqui audeam? Quia tamen ordo inſtituti operis ita exigit, ex aliorum magis doctrina, quam ex meo ſenſu, quæcumque huc facere poterunt, proferre conabor. Ac certe,

his,

A his, qui recte iudicium ferre de reuelationibus voluerint, donum diſcretionis ſpirituum orationibus, ieiunijs, vigilijs, & cum primis ſacro Altaris ſacrificio omnibus viribus à Deo efflagitandum eſſe cenſeo: vt ſincerum manna diuinæ reuelationis, à mellita lethalique Dæmonis offa dignoſcere queant. De hac re multi viri docti pariter & pij ſcripſerunt, vt Ioannes Gerſon. in tractatu de probat. ſpirituum, & alibi S. Vincentius Ferrerius tract. de vita Spir. cap. 11. & 12.
B Card. Turrecr. in præfat. ad reuelat. S. Brigit. Henric. de Fermaria lib. de quat. inſtinctib. Ribadeneyra lib. de tribulat. cap. 15. Alphonſus de Oroſco Auguſtinianus libro de vera, & falſa prophet. & alij quos citant Delrius diſquiſit. magic. lib. 4. quæſt. 3. & Conſaluus Durantes in tractat. de reuelat. quem adpoſuit ad notas quas edidit, ad reuelationes S. Brigittæ. Nobis vnico capitulo, & breuiter hæc complectenda ſunt, quantum ſufficit ad inſtructionem
C illorum, quæ in actis ſeruorum Dei examinanda occurrunt ab effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Libet autem inueſtigare ante omnia vocabulorum Viſionis, Reuelationis Apparitionis, Inſpirationis rationem ethijmologicam, & quinam actus his nominibus ſignificentur. Ac primo Inſpiratio vocatur, motus ille internus, quem Deus in potentijs ſpiritualibus operatur, quique in corde percipitur, idque repente, nulla cauſa præcedente. Cumque
D huiuſmodi inſpirationes ad actus internos pertineant, neque illarum notitia ad Eccleſiæ iudicium peruenire queat; de his nihil à nobis agendum erit.

Viſionis vocabulum eſt magis vniuerſale. Vnde ſicut viſus ad alios ſenſus comparatus primum certitudinis locum tenet, ita & viſio in his cognitionibus ſpiritualibus: adeo vt reuelatio, apparitio, inſpiratio, & reliquæ huiuſmodi operationes internæ, certitudinis cauſa, viſiones aliquando dictæ

fuerint. Quam ob rationem ſacris in litteris Prophetæ videntes ſunt appellati. & de futuris in Eccleſia Chriſti Prophetis Scriptura dicit: *Iuuenes veſtri viſiones videbunt*. & cap. 1. Ezech. dicitur: *Aperti ſunt Cæli, & vidi viſiones Dei*. Cum autem prophetiæ reuelationi diuinæ innitantur, eiſdem mendacium ſubeſſe nequit, ſed immutabilem conſeruant certitudinem, vt pote quæ à prima emanant veritate: ac propterea dictæ ſunt viſiones. A

Vt vero Viſionis proprie ſumptæ naturam, ac differentiam ab alijs loquutionis diuinæ modis melius intelligamus: prænotandum eſt, triplici modo Deum cum creaturis loqui, vt docuit S. Bonau. in 2. ſent. diſt. 10. quæſt. 2. ſecundum totidem modos audiendi. Tripliciter enim dicimus Deum loquentem audire: nimirum, aut per aliquod ſignum exterioribus auribus oblatum, ſicut pluries auditus fuit Deus in veteri, & in nouo teſtamento: aut per aliquod ſignum internum in imaginatione formatum: aut demum per aliquod inſpirationis verbum noſtris mentibus inſtillatum. Pari ratione tripliciter ipſe Deus cum hominibus loqui dicitur: nimirum per externam vocem, per internum verbum in imaginatione formando phantaſmata, & denique per infuſionem alicuius ſpeciei expreſſæ (vt loquamur cum Theologis) in intellectu paſſibili. Hunc triplicem loquutionis diuinæ modum tangit Sanctus Gregorius lib. 28. moral. cap. 2. dicens: *Cum loquitur Deus nobis per Angelum aliquando etiam voluntatem ſuam in rebus indicat: aliquando imaginibus oculis cordis oſtenſis, aliquando imaginibus ante corporeos oculos ex aere aſſumptis, aliquando ſubſtantijs caleſtibus, aliquando terrenis, aliquando ſimul caleſtibus, & terrenis*. B C D

Duo priora genera loquutionis S. Bonauentura loco citato aut ſemper, aut frequenter per Angelos iuſſu Dei fieri,

A poſtremum autem à ſolo Deo exiſtimat, vt pote cum ipſe ſit, qui per ſemetipſum mentem noſtram informat, & lumine ſupernaturali eleuat, vt ſit capax ipſiuſmet Dei, vel verbi mentalis à Deo in intellectu creaturæ producti, quod verius arbitror. ac propterea tertium hoc loquutionis genus Deo proprium eſſe S. Bonauentura docet. quamuis enim quando Deus aliquid interius creaturæ inſpirat, idipſum ab Angelo proficiſci poſsit, tanquam ab excitante, fit tamen B à Deo, tanquam à principali agente.

Quoties igitur per iam allatas loquutiones, cuiuſcunque ſint generis, aliquid hominibus manifeſtatur, quod prius erat incognitum; reuelatio appellatur. Quod ſi reuelatum futurum, præteritum, vel præſens extiterit, ſed procul poſitum; tunc reuelatio ad prophetiam pertinet. Quando vero perſona quæ loquitur, apparet, ſiue per ſeipſam, ſiue per figuram aliquam, aut per ſimilitudinem illam repræſentan- C tem, aut etiam per alia ſenſibilia ſigna; tunc talis loquutio Apparitio ſeu Viſio appellatur.

Reuelationes ſemper alicui viſioni externæ vel internæ coniunguntur. interna viſio erit, quando phantaſmata obiectorum quę cognoſcenda erunt, in imaginatione imprimentur, vel ſpecies intellectuales virtute ſuperiori immittentur in intellectum, in eo gradu claritatis in quo obiecta cognoſcenda erunt; ac etiam lumine ſupernaturali intellectum D illuſtrante, quoties ſupernaturalia obiecta erunt cognoſcēda. Cum enim obiecta hæc ſupernaturalis ſint ordinis, & ſolo lumine naturali ab hominibus cognoſci nequeant, intellectus indiget ſupernaturali eleuatione, & illuſtratione vt ab eo cognoſcatur. Externa vero viſio fit ex apparitione alicuius imaginis, Angeli, Dæmonis, vel vmbræ, aut alterius alloquentis eum, cui fuit reuelatio, & inſtruentis eundem de his quæ illi reuelare voluerit.

Viſio-

Viſionem vero diſtingui ſaltem per accidens à Reuelatione, ex eo aperte conſtat, quod viſionis vocabulum cuiuſcunque rei manifeſtationem indicat: quamuis is à quo viſio conſpicitur, rei conſpectæ ſignificatum, & interpretationem non intelligat. At Reuelatio proprie & ſimpliciter, ex vi vocabuli, rei oſtenſæ intelligentiam ac cognitionem ſubindicat ex parte illius, cui fit manifeſtatio. Itaque poteſt fieri viſio ſine reuelatione, non tamen reuelatio ſine alicuius rei viſione; vt Petro accidiſſe dicitur in Act. Apoſt. cap. 10. *Aſcendit Petrus in ſuperiora vt oraret circa horam ſextam; & cum eſuriret, voluit guſtare. Parantibus autem illis cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit cælum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs ſubmitti de Cælo in terram; in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia Cæli. & facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: Abſit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum. & vox iterum ſecundo ad eum: Quod Deus purificauerit, tu ne commune dixeris. Hoc autem factum eſt per ter, & ſtatim receptum eſt vas in cælum.* A B C

Hæc viſio fuit quidem Petro manifeſtatio eorum, quæ recitata ſunt. tunc autem reuelatio dici non poterat, quia Petrus non intelligebat, quid illa ſignificare vellent: hæſitabat enim Petrus intra ſe, *Quid nam eſſet viſio, quam vidiſſet*. Nec eam intellexit, quoſque venit in Ioppen. vbi cum introiſſet in domum Cornelij Centurionis, & ibi multos ex Gentilibus comperiſſet, qui eum expectabant, vt ex ore illius verbum Dei audirent; tunc quid ſibi vellet viſio lintei cognouit: *Dixitque ad illos, Vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam, ſed mihi oſtendit Deus, neminem communem, aut immundum dicere hominem*. Quamobrem ex quo Petrus intellexit D

A tellexit quid viſio lintei ſibi vellet, & tunc prædicta viſio reuelationis rationem induit.

Poteſt igitur aliqua Reuelatio interne, & externe, contingere: ſed qualitercunque fieri contingat, nequaquam per apertam aliquam viſionem fiet, qualem habent Sancti in æterna illa Beatitudine Deum facie ad faciem intuentes; ſed per quandam internam certitudinem à Deo reuelante tam clare procedentem, vt is cui facta fuerit reuelatio, nullatenus B de certitudine Reuelationis ſibi factæ dubitare queat. Quæ Reuelatio pendet à ſuperiori, ac intelligibili lumine, quo mens eleuatur ad ea percipienda, quæ ex vi naturalis luminis intellectus creatus percipere non poteſt, vt habetur ex S.Th. contr. Gent. cap. 154. & 2. 2. quæſt. 172. art. 1. 2. & 3. Huic autem lumini, quo mens illuſtratur, exteriora quædam, & interiora auxilia coniunguntur. Exterius eſt, ſermo ſenſibiliter auditus, qui virtute diuina formatur. Interius, C Deus imaginationem confortans. Ad auxilium exterius pertinent quælibet viſa corporaliter à Deo reuelante formata: ad interius, rerum reuelatarum formæ in imaginatione deſcriptæ.

Quæ omnia vt melius percipi poſſint, notandum eſt; quod ex ſpeciebus ſenſibilibus ab ſenſibus ad phantaſiam transmiſſis fiunt phantaſmata. Eſt enim phantaſia veluti quoddam archiuium ſpecierum, ſiue phantaſmatum obie- D ctorum omnium, quæ homo aliquando per ſenſus percipit. Ad phantaſiam enim intellectus accurrit, quoties ditari vult, aut reminiſci, ſiue cognoſcere aliquid. Intellectus enim conuertendo ſeipſum ad phantaſmata, format ſpecies intelligibiles, ac eaſdem recipiendo res intelligit. Cum autem, vt Philoſophi pariter ac Theologi admittunt, Deus ſupplere poſſit vicem cuiuſcunque cauſæ efficientis creatæ; ex conſequenti poterit fabricari ſpecies intelligibiles quorumcunque

obie-

obiectorum, quę ab Intellectu creato intelligi voluerit, quin A
multo perfectiores, quam naturali virtute ab intellectu fabricarentur. quia cum naturales ſpecies ab intellectu creato per depurationem phantaſmatum à materialitate efficiantur, & à perfectiori intellectu perfectius depurentur; propterea quando huiuſmodi ſpecies immediate proficiſcentur à Deo & non per depurationem à phantaſmatibus, perfectiores vtique erunt, & eminentiori quodam modo repræſentabunt obiecta, quam quæ ab Intellectu creato fabricatæ fuerint: B
atque propterea intellectus perfectius & clarius per ſpecies à Deo immiſſas, obiecta ſibi repræſentata cognoſcet.

2 Præterea notandum eſt, in viſionibus quæ ſunt à Deo, duplex genus notitiarum ſupernaturalium cauſari in homine. Quædam enim verſantur circa Deum: quando nimirum Deus non per ſpecies, ſed per ſemetipſum vnitur animæ: exempli gratia, circa myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, circa diuina attributa, vt ſunt omnipotentia, bonitas, ſapientia, C
immenſitas, & aliæ diuinæ perfectiones, ad quarum cognitionem anima tanta ſuauitate fertur, & tanta claritate illas Dei perfectiones intuetur, vt ad ea exprimenda verba ab hominibus vſitata ſufficere nequeant. Nec ſolum intelligit ſe nec verbis, nec ſimilitudinibus, nec figuris poſſe exprimere quæ cognouit, ſed ipſius cognitionis ſe ſuis viribus minime capacem intelligit: ac proinde anima, cui Deus hęc communicauerit, in cognitione proprij defectus erubeſcit, & D
quo magis à Deo eleuatur ad viſiones diuinorum, eo magis in ſe deprimitur, ac humiliatur.

His præconſideratis certum ſit primo ac conſtitutum, concedendas eſſe in Eccleſia Dei diuinas reuelationes, quandoque rerum futurarum, quandoque præſentium, ſed longe poſitarum. Hæ autem reuelationes conceduntur à Deo quandoque ad inſtructionem vniuerſalis Eccleſiæ, quandoque

A que ad inſtructionem alicuius Eccleſiæ particularis, inter-
dum etiam ad inſtructionem particularis perſonæ. loqui-
mur autem de reuelationibus, quatenus diſtinguuntur à vi-
ſionibus. Ratio enim reuelationis in quadam loquutione
collocatur ſiue per vocem externam, & ſenſibilem, ſiue per
internam fabricationem ſpecierum in Intellectu. Quam-
obrem quæ in Apocalypſi Ioanni demonſtrabantur, Viſio-
nes appellantur, quatenus demonſtrabantur in viſu; Reue-
B lationes verò, quatenus illa ipſa huic, vel illi Epiſcopo, ad il-
lorum inſtructionem aperiri iubebantur. quæ reuelationes,
aliquando etiam per ſomnium habebantur, vt in ſacris Scri-
pturis veteris teſtamenti ſæpiſſimè legimus. Illud autem
obiter hic adnotabo, ſomnia nequaquam reuelationes di-
cenda, niſi reſpectu illius, qui, quid Deus in illis ſomnijs ſi-
gnificare vellet, intelligebat. Nam licet Pharao ſomniaue-
rit ſeptem ſpicas & totidem vaccas, minimè tamen quid
C illud ſomnium vellet intelligebat: ac proinde per reſpe-
ctum ad Pharaonem ſomnium implicitè tantum reuelatio
dici poterat: explicitè vero, poſtquam à Ioſepho ſomnij præ-
dicti ſignificationem Pharao accepit.

Verum multos olim falſas reuelationes confinxiſſe, &
hoc argumento aliquos fideles decepiſſe certum eſt. Tales
finxit in exordio Eccleſiæ Cerinthus, & eas Apoſtolorum
nominibus inſigniuit, vt Caius, & Dionyſius Alexandrinus
D apud Euſeb. lib. 3. cap. 22. & lib. 10. cap. 10. tradiderunt.
Similes fuere reuelationes, & prophetiæ Marci Magi, apud
Irenæum lib. 1. cap 8. & 9. & reuelationes Montani, vt Pa-
tres antiqui Claudius, Apollinaris, Miltiades, Apollonius,
& Serapion prodiderunt apud Euſeb. lib. 3. c. 15. 16. 17.
& 18. Tales Archonticorum reuelationes Martiadis, & Mar-
tiani apud Epiphan. hæreſ. 40. qui librum confinxere, quem
vocabant reuelationes Prophetarum. Tales etiam reuelatio-

nes

nes Manetis, de quibus contra Fauſtum Pater Auguſtinus A
agit. Tales Iuliani Apoſtatæ, quas narrat epiſt. ad Oribaſium de arbuſcula: tales, quibus Donatiſtæ conati ſunt decipere Generoſum, de quibus Auguſtinus epiſt. 165. & lib. 3. de Orig. animæ cap. 11. Tales, quibus illuſi Meſſaliani gloriabantur apud Theodoret. lib. 4. hæreticar. fab. Tales quoque ſuperioribus ſæculis, reuelationes Munzeri, & Anabaptiſtarum: tales nuperæ reuelationes Campani, Iuſti Velſij, & Franciſci de la Cruz. tales denique, reuelationes cuiuſ- B
dam viri, & vxoris qui Gretzij anno. 1601. ſceleris pœnas luere ſuſpendio. etenim penes ſe ſolos Eccleſiam remanſiſſe incolumem pertinaciſſime iactitabant, ac ideo communes liberos pariter baptizabant, & mater Patrini more ſpondebat: mundumque eo anno periturum prædicabant.

Nullum autem ſanctitatis argumentum ex ſolis reuelationibus ſumi poſſe ad effectum Beatificationis & Canonizationis alicuius, certo conſtituendum eſt. quia ſatis dubium C
eſt, & difficile iudicatu, num reuelationes ſint à Deo, an vero ſint à Cacodæmone. ſanctitas autem vera colligi non poteſt & probari ex fundamentis dubijs: cuiuſmodi ſunt reuelationes. Quinimmo etiamſi probabiliter conſtaret, reuelationes de quibus agitur, à Deo extitiſſe, nondum tamen ſolidum erunt Sanctitatis argumentum: cum in ijs non conſiſtat Chriſtiana perfectio (vt docet optime Delrius lib. 4. Diſquiſ. magic. quæſt. 3. ſect. 1. pag. 501.) nec reuelationes nos faciant D
Deo gratiores, aut proximo vtiliores. Sanctitas autem ex his quæ ſunt erga Deum religioſa, & erga proximum vtilia, ex vi charitatis, & ex his quæ nos faciunt Deo gratiores, conſtitui debet. Poſſe autem reuelationes & viſiones alicui fieri aliquando à Dæmone, probat S. Auguſtinus in lib. de diuinat. Dæmonum, & patet ex Apoſtolo dicente, quod Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis: idque illum feciſſe

ſæpiſ-

A ſæpiſſime ex pluribus habemus Eccleſiaſticis hiſtorijs.

Præterea Sathanas tantæ virtutis & poteſtatis eſt, vt de eo dicat Dei ſeruus S. Iob: *Non eſt poteſtas ſuper terram quæ illi comparari poſsit*. & in Apocalypſi dicitur: *Et datum eſt illi bellum facere contra ſanctos, & vincere eos*. Quamuis igitur nequeat Dæmon fabricare ſpecies intelligibiles, & eas immittere in intellectum alicuius; poterit tamen, quemadmodum ſenſus faciunt, tranſmittere ſpecies ſenſibiles ad
B phantaſiam, & hæc deinde per ſeipſam phantaſmata fabricare ex ſpeciebus ſenſibilibus iam à Dæmone immiſſis. Poterit etiam in ipſa Phantaſia Dæmon permiſcere, variare, ac tranſponere phantaſmata, ſecundum quæ voluerit ab intellectu cognoſci, ſicut infirmis delirantibus contingit. quibus ita fabricatis ac permixtis, Intellectus agens proprijs viribus eadem depurando fabricare ſibi poterit ſpecies intelligibiles, & recta ferri in cognitionem illorum obiectorum
C quæ per illas ſpecies intelligibiles repræſentabuntur. Tota hæc philoſophia manifeſta eſt in dormientibus dum ſomniant: certo enim putant ſe nonnulla cognoſcere, & videre, ac ſi vigilarent: immo tam pertinaciter hæ intelligibiles ſpecies adhærent, vt etiam vigiles atque excitati, omnium quæ ſomniarunt aliquando perfectiſſime recordentur.

Signum reuelationis veræ (ſi aliquod certum dari poteſt)
D in actis ſeruorum Dei, illud primum locum obtinet, quod doctrinæ Catholicæ, & ſacris Conciliorum definitionibus reſpondebit: adeoque omnes huiuſmodi reuelationes cenſuræ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubijci neceſſe eſt. Ita docent, quotquot de hac materia tractant, & latiſſime Conſaluus Durantes cap. 11. in tractatu de viſionibus quem præmiſit libro reuelationum S. Brigittæ. Quia vero reuelata probari nequeunt niſi ex depoſitione, & dicto eiuſdem per-

ſonæ

ſonæ cui reuelatio ſacta fuerit; ſingula eius verba, ac circumſtantiæ, quæ in eius relatione elucebunt, perquam maturo iudicio conſideranda erunt, & ad regulas ſacrorum canonum reuocanda. quemadmodum actum ſcimus cum reuelationibus B. Brigittæ, quas ſumma maturitate multum diuque diſcuſſas, ac diligentiſſime examinatas à Theoligis grauiſſimis, & pluribus S. E. Cardinalibus, de mandato Gregorij XI. & poſtea Vrbani VI. teſtatur Cardinalis Turrecremata cap. 1. prologi ad dictas reuelationes. Conſiderandum quoque erit, an reuelationes huiuſmodi vtiles ſint tam toti Eccleſiæ, quam etiam fidelibus in particulari, ad ſpiritualem profectum, & ædificationem. Quales exſtiterunt quotquot in veteri teſtamento ſanctis Prophetis factæ fuerunt. illi enim omnes (vt ex eorum libris conſtat) in ſuis reuelationibus quas populis manifeſtabant, eorumdem conuerſionem à peccatis reſpiciebant, & ædificationem, ſeu reædificationem ſynagogæ, & ad legis Moſaycæ obſeruantiam populum reuocabant. Hac enim ratione omnia ad normam Catholicæ doctrinæ reuocata, præſeferunt veritatis certitudinem, ac proinde etiam aliquod ſanctitatis indicium, in perſona, cui fuerint factæ reuelationes. A B C

Præterea veritatis in reuelationibus ſeruorum Dei, & ſanctitatis non leue ſignum erit, ſolidæ humilitatis petra: vt ſcilicet tam eximio Dei beneficio ac familiaritate ſe plane indignum exiſtimet, cui reuelatio facta erit: ac in dubijs potius credat alijs, quam ſibi. Adeo vt niſi in actis alicuius Dei ſerui aperta profundæ humilitatis indicia exſtiterint in gradu heroico, reuelationes illi factæ in dubium reuocandæ ſint. Eſt enim humilitas aptiſsima diſpoſitio, per quam homines diuinæ conuerſationis ac cæleſtium reuelationum fiunt capaces. vt enim docet Abbas Moyſes apud Caſsianum: *Solis humilibus à Deo hæc cognitio datur*. Huius humilitatis plu- D

res

A res erunt notæ: quarum prima eſt, vt non facile ac præcipi-
tanter credant homines aliquid ſibi à Deo reuelatum eſſe.
Nam dubitare de illuſione aliqua Diaboli nos docent ſa-
cræ litteræ. Hinc Ioſeph patri ſuo ſomnium narrans, ab
eodem increpatur, quamuis interim pater rem tacitus con-
ſideraret Gen. 37. Apparet Angelus Ioſue filio Nun cap. 5.
ſub forma viri armati. interrogat eum Ioſue quis ſit, nec
adorat incognitum. Audit Samuel vocantem Deum. non
B reſpondet Domino, ſed accurrit ad Heli ſummum Sacerdo-
tem, & tam diu accurrit quouſque ab eodem inſtruitur, quo-
modo ſe gerere debeat 1. Reg. 3. Elias diſcernit inter turbi-
nem, commotionem, ignem, & auram lenem, ac pruden-
ter ſecum perpendit, in quonam illorum Dominus ſe ma-
nifeſtaret. Denique ſalutat ſacratiſsimam Virginem Gabriel
Angelus. at hæc, priuſquam reſpondeat, *Cogitabat qualis
eſſet iſta ſalutatio?* non quidem leuiter cogitabat, ſed διελο-
C γίζετο, ideſt, mature & diu animo atque cogitatione peruo-
luebat, an ſalutatio illuſoria, an vera eſſet; vtrum à Deo, an
à Dæmone, vt optime Euthymius obſeruauit. Hac doctri-
na D. Ambroſ. vſus eſt, cum illi corpora Sanctorum Marty-
rum Geruaſij & Protaſij reuelata fuere. Hanc ſecutus eſt
Epiſcopus Cyprius, cum D. Barnabas ſe illi manifeſtauit, &
alij omnes Dei ſerui hac ratione ſe geſſerunt, cũ aliquid illis
reuelatum fuit: ita vt non prçcipitanter reuelationem immiſ-
D ſam à Deo crederent; ſed ſubdubitando, Deum orationi-
bus, Theologos & viros pios conſultationibus, adirent.

Proxima nota ſiue ſignum erit, certo, & ſecure diſtinguere viſiones ac reuelationes diuinas ab inſomnijs, & reliquis viſionibus, ac reuelationibus quæ non ſunt à Deo. quod donum Diſcretio ſpirituum in Scripturis appellatur, & ab Apoſtolo inter alias gratias gratis datas recenſetur. & quoniam apud Gregor. de Valentia tom. 2. diſput. 8. q. 3. p. 1.

& Franciſcum Suar. vbi agit de neceſsitate gratiæ cap. 5. prolog. n. 36. multa habentur de hoc dono diſcetionis ſpirituum ex prima ſecunda S. Thomæ quæſt. 111. art. 4. nobis hic ſufficiet diſcretionem ſpirituum accipere, pro vt eſt peculiare quoddam donum Spiritus ſancti, ſuis ſeruis à Deo conceſſum, ad diſcernendum inter varios, & diuerſos motus ſpirituum: vt diſcernant videlicet, cum eis aliquid reuelatur à quo reuelatio talis proueniat. de qua diſcretione Theophil. Theodoret. Oecumenius & aperte S. Chriſoſt. hom. 19. ac reliqui Doctores communiter Apoſtoli verba accipiunt. A B

Dono hoc Spiritus ſancti S. Monicam dotatam fuiſſe patet ex Confeſſionum filij eius lib. 9. cap. 9. vbi de matrimonio Auguſtini conſultatur. *Cum ſane & rogatu meo* (inquit Auguſtinus) *& deſiderio ſuo forti, clamore cordis abs te deprecaretur quotidie, vt ei per viſum oſtenderes aliquid de futuro matrimonio meo, nunquam voluiſti. Et videbat quadam vana, & phantaſtica, quo cogebat impetus de hac re ſatagentis humani ſpiritus: & narrabat mihi, non cum fiducia qua ſolebat, cum tu demonſtrares; ſed contemnens ea. Dicebat enim, diſcernere ſe neſcio quo ſapore, quod verbis explicare non poterat, quid intereſſet inter reuelantem te, & animam ſuam ſomniantem.* Ex quo manifeſte colligitur Monicæ matris ſanctitas. Nam quamuis diſcretio ſpirituum per ordinem ad alios poſſit etiam cum peccato ſtare, non tamen poteſt ſtare cum peccato per ordinem ad proprias viſiones; qualis erat ea, quam S. Monicę collatam à Deo vidimus, quaque Dei famulæ Brigitta ac Thereſia dotatæ fuerunt. C D

Colligitur ex iam dictis, in reuelationibus examinandis conſiderandam eſſe perſonam, cui fiunt: cuius mores præcipue inſpiciendi cum ſint, primum fidei Catholicæ ſynceritas, & Sedis Apoſtolicæ obedientia examinanda eſt: deinde quæ vitæ integritas, quæ in verbis ac factis modeſtia ac ſan-

ctitas

A ctitas: an à Deo ſeſe de quibuſcunq; actionibus erudiri temerarie ac iactabunde præſumant: an conſilia, & iudicia aliorum ſpernãt: an foris Curios ſimulent, intus Bacchanalia peragant: an mulierculis vanis ac parum probis delectentur: ſi ſe in officia Concionatorum, Confeſſiones excipientium, & alia Eccleſiæ munia, ſine legitima vocatione, ingerant: ſi in reliquis ſuis actionibus vani ſint, præcipites, imprudentes, indiſcreti: ſi adhuc imperfecti, & in via purgatiua poſiti
B arroganter ad contemplatiuam aſpirent, & ad orandum ſine debita præparatione ac mentis ſubmiſſione accedant. Nam ſi quod eſt vllum, hoc ſane eſt illud temerariç prçſumptionis ſaxum, in quod impingentes plerique ſpirituales, per illuſiones periculoſas, & hæreſes fœdiſſimas Begardorum, Beghinarum, Dulciniſtarum, Lollardorum, & Illuminatorum miſerrimum naufragium fecerunt.

Obſeruandam etiam occurrit: an, qui ſibi reuelationes fa-
C ctus narrabunt, ſanæ mentis ac cerebri exiſtant, aut etiam arreptitij ſiue à Dæmone poſſeſsi. horum enim reuelationibus nihil omnino credendum erit, etiam ſi vera fuerint quæ dixerint: cum ex Dæmonis inſtinctu loquantur, qui eſt auctor, & pater mendacij. Apud Euſebium lib. 5. cap. 16. Miltiades falſitatem reuelationum Montani probat, quia ſponte incipiebat ratiocinari, & furore, atque amentia correptus, quaſi à Cacodæmone concitatus. Cuiuſmodi fuere Mo-
D niales Quercetanç de quarum reuelationibus agit Paſſæus in Chronicis libro 20.

Suſpecta eſt etiam ſanctitas illorum, qui facile ac præcipitanter reuelationibus ſibi factis fidem adhibent, inconſultis Theologis, ac Confeſſario. Hi enim leuitatis notam effugere non poſſunt, iuxta illud Spiritus ſancti: *Qui cito credit, leuis eſt corde*. Et niſi cito credidiſſet illa mulier, de qua contra Parmen. Optatus agit, non tam turpiter deluſa fœdi ſchiſ-

-matis & tot in Africa malorum cauſam dediſſet. Qua de re A extat regula perpulcra apud Gerſonem in hanc formam: *Caue ergo, quiſquis eris Auditor aut conſultor, vt non applaudas tali perſonæ* (quæ ſcilicet dixerit ſe habuiſſe reuelationes aliquas) *& non laudes eam, non mireris quaſi ſanctam, dignamque reuelationibus, atque miraculis: obſiſte potius: increpa dure: ſperne eam: cuius ſic exaltatum eſt cor, elati ſunt oculi, vt ambulet in magnis, & mirabilibus ſuper ſe, vt digna ſibi videatur, quæ non humano more operetur ſalutem ſuam* B *per doctrinam ſcilicet ſcripturarum, & ſanctorum, cum dictamine rationis naturalis; niſi conſilium habere præſumat & putet, ne dum ab Angelis, ſed à Deo; ne dum ſemel in neceſſitatibus, ſed pene iugiter, velut in quotidianis collocutionibus. Talem admone non ſublimè ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.*

Suſpecta etiam eſt ſanctitas illorum, qui reuelationes à Deo ſibi immitti deſiderant. nam viri docti, & valde ſpirituales omnia huiuſmodi deſideria, & petitiones tam reue- C lationum, quam miraculorum valde improbant. Inter quos Eccleſiæ lumen S. Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 35. de ſe ipſo ita loquitur: *At ò Domine Deus meus, cui humilem famulatum, ac ſimplicem debeo, quantis mecum ſuggeſtionum machinationibus agit inimicus, vt ſignum aliquod petam. Sed obſecro te per Regem noſtrum, & patriam Ieruſalem ſimplicem, & caſtam, vt quemadmodum à me longe eſt iſta contentio, ita ſit ſemper longe, atque longius*. Et lib. de vera Relig. cap. 25. D quærit idem, cur miracula ſuo tempore ceſſaſſent in Eccleſia? & reſpondet: *Cum Eccleſia Catholica per totum orbem diffuſa atque fundata ſit; nec miracula illa in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne animus ſemper viſibilia quæreret, & eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit*. Et licet Auguſtinus loquatur in allatis locis de petendis à Deo miraculis; tamen æqualis ratio vnius

eſt,

A eſt, atque alterius: & contra reuelationes hæc ipſa loca Doctore afferre ſolent. Ciruel. par. 3. de ſuperſtit. cap. 11. Arias de orat. ment. Delrius Diſquiſit. magic. lib. 4. q 3. ſect. 1. & aperte Gerſon. in hæc verba: *Enarrantur exempla ſanctorum Patrum, qui curioſitatem huiuſmodi viſionum, vel miraculorum, tanquam pernicioſiſsimam, fallaciſsimamq; refugerunt: à qua ſe Auguſtinus liberatum in ſuis cõfeſsionibus gloriatur in Domino. Quam propterea D. Bonauentura abborrendam nimis eſſe deter-*
B *minat, totoque conatu repellendam, nunc orationibus, nunc increpationibus ſeu flagellationibus propriæ mentis & corporis.* Solet enim ex occulta quadam ſuperbia, & ſui æſtimatione oriri curioſitas iſta reuelationum, aut etiam ex hypocriſi, qua alijs ſancti videri cupiunt: quæ omnia cum vera ſanctitate conſiſtere nequeunt. Et vt ſuperbia interdum abſit; ſaltem ex vana curioſitate illud deſideriũ gigni neceſſe eſt, vt optime tradit S. Vincentius Ferrerius in tractatu de vita ſpiritual.
C Quamobrem Deus ſæpe permittit tales decipi, & grauiter impingere, ad eorum vel ſuperbiam, vel curioſitatẽ caſtigandam: vt mulier ſingularis prudentiæ & ſanctimoniç B. Catarina Bonon. lib. 1. de vita, & erroribus ſuis ſibi contigiſſe narrat.

CAP. V.

D Quodnam argumentum Sanctitatis ſumatur ex Scientiarum infuſione.

INFVSÆ ſcientiæ cognitio, ex cognitione dependet ſcientiæ acquiſitæ. Vnde hæc illi præmittenda eſt. Acquiritur autem ſcientia naturaliter per agglomerationem & inhæſionem ſpecierum intelligibilium in noſtro intellectu. quæ quidem ſpecies ex phantaſmatibus opera In-

tellectus agentis tranſmiſſæ ab intellectu gignuntur. De A
quibus late Theologi ac Metaphyſici.

Scientiæ igitur alicuius infuſio per infuſionem ſpecierum intelligibilium fiet, in Intellectu rationali: quemadmodum dicunt Theologi inditas fuiſſe à Deo Angelis, ab inſtanti creationis, omnium obiectorum cognoſcibilium intelligibiles ſpecies. Verum quia ratio ſcientiæ in ratione habitus conſiſtit; nequaquam vero in vno, aut altero actu; propterea ad infuſionem alicuius ſcientiæ non ſolum requiritur infuſio B
ſpecierum, ſed etiam infuſio habituum, per quos intellectus facilè & prompte in hac, vel illa materia diſcurrendo, concluſiones ex principijs eiuſdem ſcientiæ eliciat: quorum principiorum plenam, ac perfectam notitiam ex infuſis in intellectu à Deo ſpeciebus habeat: ita vt facile, & prompte intellectus dijudicet circa quaſcunque difficultates, dubia, & quæſita, quæ in hac vel illa ſcientia tam directe quam indirecte occurrere poſſunt. Nam eo quod aliquis omnium obie- C
ctorum alicuius ſcientiæ ſpecies inditas haberet, & de his quæ ad illam pertinent diſcurrere quidem poſſet, ſed non ſine labore adhibito, nequaquam diceretur habere ſcientiam infuſam: quia nimirum non habet habitum, qui laborem & ſtudium excludit: qualemque in Chriſto fuiſſe arguitur ex Iudæorum verbis, cum admiratione dicentium: *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?*

Poſſe Deum infundere alicui ſcientias, & indoctum do- D
ctiſsimum facere, res eſt apud Theologos indubitata. Fides etiam ex ſcripturis ſacris idipſum admonet, & ratio eſt manifeſta. Poteſt enim Deus facere ex ſua potentia abſoluta quicquid poteſt facere cauſa efficiens creata. poteſt autem homo miniſterio ſenſuum, phantaſiæ, ac intellectus agentis producere in ſeipſo ſpecies obiectorum omnium, quæ cognoſcere voluerit: igitur multo melius id poterit Deus ſine

opera-

A operatione phantaſiæ & ſenſuum: immo ſpecies à Deo in intellectu productæ multo perfectiores erunt, quam quæ ex phantaſmatibus ab ipſomet intellectu producerentur. Poteſt item homo ſtudio, & labore gignere in potentia intellectiua habitus ſcientiarum, quibus reddatur promptus, & facilis ad diſcurendum in hac vel illa materia: igitur multo magis idipſum ſine humano miniſterio facere poterit Deus. Quæ facilis & prompta diſcurrendi facultas, Deum ſolum
B cauſam agnoſcens, vere & proprie erit ſcientia infuſa.

Tale Donum ſcientiarum Deum indidiſſe Adamo certum eſt ex cap. 17. Eccleſiaſtici vbi hæc de primis parentibus: *Diſciplina Intellectus*, inquit, *repleuit illos; creauit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu impleuit cor illorum, & mala, & bona oſtendit illis. Addidit illis diſciplinam, & lege vitæ hereditauit illos: magnalia honoris eius vidit oculus illorum.* Salomonem quoque à Deo omnium ſcientiarum infuſionem acce-
C piſſe liquet ex 3. Reg. cap. 3. n. 12. vbi ità Deus ad Salomonem: *Quia poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum iudicium, ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Quanta autem, ac qualis fuerit hæc Salomonis ſapientia teſtatur ipſe cap. 7. libri ſapientiæ. Chriſto quoque ſeruatori noſtro ab inſtanti conceptionis omnes habitus ſcientiarum infuſos fuiſſe, ſacræ te-
D ſtantur litteræ apud Iſaiam, & docent Theologi cum D. Thoma 3. parte quæſt. 12.

Inter præclariſsima deinde dona, & eximias gratias quibus Deus opt. max. iam inde ab exordio ſanctam exornauit Eccleſiam, ad inſtructionem nimirum fidelium, præcipuum locum obtinet donum ſapientię, & intellectus: quod nihil eſt aliud, quam Scientiarum infuſio. De quo dono & reliquis gratijs gratis datis Apoſtolus in Epiſt. 1. ad Corinth. cap 12.

n. 6. his verbis loquitur: *Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientia, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem ſpiritum*. & infra, *alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum*. Quæ omnia dona ad inſtructionem fidelium ea ratione diriguntur, vt omnino non perficiant ſubiectum cui dantur, ſed vt per illa perficiantur alij. Quapropter notandum occurrit, nequaquam Apoſtolum dixiſſe, dari à Deo fidelibus aliquibus ſapientiam, ſcientiam &c. ſed dari ſermonem ſapientiæ, & ſermonem ſcientiæ. Quia tantum per reſpectum ad Eccleſię vtilitatem prædicta dona fidelibus aliquibus conceduntur. Per ſermonem ſapientiæ, in verbis allatis ex Apoſtolo, Cornelius à Lapide intelligit facultatem explicandi myſteria fidei, Trinitatis videlicet, Incarnationis, Prædeſtinationis, & alia, de quibus idem Apoſtolus in eadem Epiſtola cap. 13. ver. 2. loquitur Per ſermonem autem ſcientiæ intelligit facultatem explicandi ea quæ ad mores, & ad agenda pertinent: nimirum ad philoſophiam moralem & ſacram Theologiam practicam. Hac enim ratione Scientiam à Sapientia diſtinxit P. Auguſt. lib. 12. de Trinit. cap. 14. & 15. Sed poſſe Scientiæ vocabulo intelligi etiam facultatem explicandi res Fidei per exempla, comparationes, & per rationes philoſophicas, ac humanas, & alio huiuſmodi dicendi genere; nequaquam negandum videtur. A B C

Hoc ipſum donum ſcientiarum cum ſermonum interpretatione, attrahit ſecum expoſitionem obſcuriorum locorum ſacræ ſcripturæ. Erant ſane olim ſignatæ peritiæ homimines, non ſolum in Synagoga, qui Scribæ, & Legis periti appellabantur, de quibus ſæpe in Euangelijs: ſed etiam in Chriſti Eccleſiæ exordio. Non enim omnibus ſacram ſcripturam tranſcribere, aut interpretari concedebatur, ſed his tantùm, qui prius probati ab Eccleſia extitiſſent, quibus D

A etiam facultas erat (vt adnotauit Cornelius) ſacram ſcripturam in alias linguas transferendi, vt propterea multi arbitrentur S. Clementem Epiſtolam Pauli ad Hebræos, ex Hebræa in Græcam vertiſſe. Quæ res noſtri temporis Hæreticos confundere deberet, qui ſacram ſcripturam omnibus claram eſſe aſſerunt, ac priuatæ cuiuſuis ſpiritus interpretationi permiſſam.

Statim poſt Reſurrectionem, ante Spiritus Sancti miſſio-
B nem donum hoc Chriſtum Eccleſiæ ſuæ conceſſiſſe, duplici ex capite colligimus. Nam cum ſe primo Chriſtus adiunxiſſet duobus illis diſcipulis in Emaus tendentibus, poſt quam ex oculis eorum euanuit, illi omnia Chriſti verba mẽte reuoluentes atque ad inuicem conuerſi: *Nonne*, inquiunt, *cor noſtrum ardens erat dum loqueretur nobis in via, & ſcripturas interpretaretur?* Ex hoc autem inſolito cordis feruore coniecturare poſſe videmur, illis donum infuſum fuiſſe intel-
C ligentię ſacrarum Scripturarũ. Sed apertius apud Lucam legimus Chriſtum aperuiſſe Apoſtolis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. non enim ſemel Apoſtolos ante id tempus ſcripturas ignoraſſe ſcimus, præſertim quando Chriſti ſacrum corpus ablatum de monumento Petrus, & Ioannes exiſtimarunt potius, quam à mortuis reſurrexiſſe. cuius ignorantiæ cauſam refert ibidem Euangeliſta: *Nondum enim ſciebant ſcripturas.*

D Verum poſt acceptum Spiritum Sanctum quam abunde donum infuſarum ſcientiarum Apoſtoli receperint, manifeſtum eſt ex prędicatione Euangelij, & totius orbis conuerſione ad fidem Chriſti. Hoc autem donũ non ſolum ex Chriſti inſufflatione acceperunt Apoſtoli, quando, vt Lucas ait, *Aperuit illis ſenſũ vt intelligerent ſcripturas*: ſed multo copioſius tunc, quando *factus eſt repente de Cælo ſonus tanquã aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant*

ſeden-

ſedentes; & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, ſeditque ſupra ſingulos eorum. Vt mundum ſcilicet vniuerſum, in ſacris præſertim litteris, erudirent. A

In his ſacris litteris interpretandis, & explicandis quantum ſe ſcientia Apoſtolis infuſa demonſtrauerit poſt acceptum Spiritum ſanctum; Petrus, Ioannes, duo Iacobi, & reliqui diſcipuli, piſcatores primo, & omnium litterarum ignari, tam prædicationibus ſuis, quam Epiſtolis ad Eccleſias conſcriptis plane aperteque teſtati ſunt. Lumine nimirum ſupernaturali Deo illuſtrante illorum Intellectũ, tum ſpecies rerum ſupernaturalium infundente, & habitus ſcientiarum in potentia intellectiua procreante, in vno temporis inſtanti multo ſapientiores effecti, quam vllius præceptoris diligentia, aut multorum annorum ſtudio euadere potuiſſent. *Loquebantur enim, pro vt ſpiritus ſanctus dabat eloqui illis*. B

Videndum nunc, quantum ad ſanctitatis inueſtigandæ notam prædictum ſcientiæ donum conferre poſſit. & dicendum omnino erit, nullum ſanctitatis argumentum hauriri poſſe ad effectum Beatificationis, & Canonizationis ex dono ſcientiarum infuſarum. & ratio eſt manifeſta ex communi D. Th. & Theologorum omnium doctrina, quam ex doctrina Apoſtoli hauriunt, neminem ſcilicet fieri Deo gratum aut iuſtificari, ſeu ſanctificari per gratias gratis datas: quia prædictæ gratiæ, gratis, vt ſæpe dictum eſt, ad vtilitatem aliorum conceduntur. Atque propterea, cum donum hoc ſcientiæ infuſæ ſtare poſſit cum peccato mortali, nullum efficax ſanctitatis argumentum ex ſolo dono ſcientiæ aut ſapientiæ infuſæ deſumi poterit. Nihil enim poteſt efficacius argumentum ad aliquid decernendum præſtare ex aliquo accidenti, quam poſſit ex ſua natura, & eſſentia: ſed habitus ſcientiarum (ſiue ſcientia ſit vna ſimplex qualitas, ſiue vnaquæque ſcientia ſit aggregatum ex pluribus habitibus C D

ſcien-

A ſcientificis, vt volunt alij) nullum ex ſua natura præſtat ſanctitatis argumentum: igitur multo minus tale argumentum ſanctitatis ſubminiſtrare poterit donum ſcientiarum; etiam ſi ſit infuſum, vt Adamo & Salomoni. Præterea quædam quaſi ſcientiarum infuſio à Dæmone ex pacto tacito, vel expreſſo, magicis quibuſdam incantationibus prouenire poteſt. Quinimmo quotquot arroganter ac iactabunde habitus ſcientiarum infuſos oſtentauerint, in ſuſpicionem
B magiæ, aut initi cum Dæmone pacti omnino vocandi erunt: tantum abeſt vt ſancti æſtimari debeant.

Poſſe autem Dæmones docere homines Scientias, & Artes diuerſas, probat Delrius lib. 2. diſquiſit. magic. quæſt. 24. Cuius hæc ſunt verba: *Petes forte, an queat Dæmon artes atq; ſcientias docere? nihil dubitandum poſſe, ſi velit, & ſinatur à Deo: per locutionem nempe, & manifeſtationem ſui conceptus, non tantum ſi in forma viſibili appareat, & homini loquatur*
C *(quod non negat D. Th. 2.2. q. 36. art. 1.) ſed etiam interna locutione & ſuggeſtione intellectu illuſtrato. Non enim video cur hæc illuminatio, quæ in malum finem tendit, Dæmoni ſit adimenda: cum hæc cognitio non referatur in Deum, nec vlla mentis vera fiat purgatione. Quare vtrum dicenda ſit illuminatio, an illuſio, an quo alio indigitanda nomine, verbi gratia, nuda veritatis manifeſtatio: ſane quæſtio de nomine futura eſt.* Hæc ille: ex quibus planè conſtat Dæmonem poſſe communicare
D his, quibus ipſe voluerit cognitiones, doctrinas, & ſcientias, quamuis vere dici nequeant infuſæ, ſed potius perilluſiones quaſdam communicatæ.

Qua ratione autem id fieri poſſit à Dæmone, nobis breuiter explicandum eſt. Non enim poteſt Dæmon infundere in humanam mentem, vt alibi diximus, nouas rerum ſpecies aut habitus ſcientiarum, ſed tantum intellectum humanum ſubtiliorem, & meliorem reddere quoad functiones ingenij, & iudi-

& iudicij, per commodiores organi diſpoſitiones: humoribus videlicet denſioribus diſpulſis, vel naturalibus adhibitis medicamentis, vel ſpiritibus ſenſitiuis expurgatis, & ad organa altero dictorum modorum attractis: aut ſanguinis defæcatione ijſdem ſpiritibus multiplicatis Quo enim plures, meliores, purgatioreſque exiſtunt ſpiritus naturales, & quo expeditiora ſunt interni ſenſus organa, eo expeditior atque felicior naſcitur intellectio. Intellectu igitur alicuius ſic expurgato Dæmonum arte, poterit ille ipſe Dæmon in aere velociſſime formatis ſimulachris, ea phantaſiæ alicuius ita ſpectanda proponere, vt quaſi in ſpeculo mens alicuius vnico intuitu cuncta, quæ voluerit Dæmon, aſpiciat: vel etiam confuſis, ac permutatis, ſeu commixtis phantaſmatibus, ſicut accidit dormientibus dum ſomniant. Ea namque commixtione phantaſmatum, ac ſpecierum intelligibilium, ad artem ſeu ſcientiam aliquam pertinentium illuſus quiſpiam exiſtimabit ſcientiam ſeu artem aliquam ſe adeptum: quam quia nouit ſe nullo præcedente ſtudio acquiſiuiſſe, cenſebit eſſe infuſam, atque in inſtanti ſibi communicatam: quamquam re vera ſucceſſiue atque in tempore, licet breuiſſimo, illam acceperit.

A B C D

Feciſſe hoc aliquando Dæmonem legitur in vita S. Norberti apud Surium 6. Iunij cap. 27. de concurſu fidelium qui ad Dei ſeruum conueniebant. *Fallax*, inquit, *ille ſpiritus quoſdam conſiderans idiotas, & ſua illos quondam recognoſcens fuiſſe vaſcula, in quibus ſuæ quieti, & voluptati indulgere conſueuiſſet: ita eos falſa ſuæ illuſionis ſapientia repleuit, vt qui prius in libro vix legere nouerant, iam ex libris magna quædam dicerent, & de futuris prophetando maiora, & ſtupenda prædicerent. Danielis denique vnus ex eis prophetiam ſe ſcire aſſerebat, & de ea quædam duce mendacio loquebatur.* Idipſum alteri accidiſſe ſub idem tempus ibidem

legi-

A legitur. Et de ſuo ſæculo loquens Delrius loco iam citato:
Hodie inquit, *ſcimus multos Anabaptiſtas ſumptione potus*
vel cibi, ſcripturæ magnam partem, eam nimirum quam reci-
piunt, & erroribus ſuis firmandis putant opportunam, ediſce-
re. Quis docet, niſi Diabolus? Quod teſtimonio Ioannis Mi-
derij lib. 5. comprobat, vbi agit de initiatione lamiarum.
Sumptione etenim cuiuſdam potus hoc hominum genus ſe
omnia condiſcere, quæ ad illam artem faciunt, profitentur.

B Sed videamus nunc, quibus potiſſimum ſignis percipia-
tur, vtrum huiuſmodi ſcientifica cognitio à Deo infuſa ſit, an
à malo Dæmone alicui cõmunicata? Huic quæſito Regula
generali occurrimus, quæ docet ad omnem & quamcunque
humanam actionem, cauſam aliquam aſſignari oportere.
Vnde quoties aliquis artem legendi, ſcribendi, docendi,
ſcientiam explicandi ſacras, aut prophanas ſcripturas, nullo
ſtudio comparatam profitetur: neceſſario ab aliquo ſpiritu
C bono, vel malo, illa cognitio proueniet. & ideo ex moribus
& vitæ inſtituto eius, qui talia profitetur, aliquo modo digno-
ſci poterit, à quo ſpiritu illa peritia, & ſcientifica cognitio
profecta ſit.

Ex qualitate etiam ipſius habitus id colligi poterit. Nam
ſi aliquis profiteatur ſe adeptum nullo ſtudio ſcientiam can-
tandi, arithmeticam, geometriam, aſtrologiam, medici-
nam, philoſophiam vel alias huiuſmodi ſcientias, quæ ex
D ſua natura nequaquam in Dei cultũ, fidei Chriſtianæ ampli-
ficationem, aut proximorum vtilitatem diriguntur: multum
probabiliter ſuſpicari licebit, huiuſmodi habitus non à
Deo, ſed à Cacodæmone generatos.

A cauſa quoque finali certiſſima ſumetur nota ad rectè
huiuſmodi habitus internoſcendos. Qui enim ſunt à Deo,
in Dei cultum, laudem, & honorem collineant: veluti ſcien-
tia infuſa Angelis, animæ Chriſti, & Apoſtolis; quibus
hæc

hæc ſcientia ex neceſſitate Eccleſię, ad ſacrarum ſcripturarũ, A
& myſteriorum fidei declarationem, à Deo donata eſt. Habitus vero ſcientifici, quos ad Dei contumeliam, damnum proximorum, ſubuerſionem Catholicæ religionis, ſacrorum Canonum & dogmatum contemptum, ad lucrum denique, populorum auram, gratias Principum, aut aliquod aliud bonum temporale dirigi videbimus; procul omni dubio cauſam atque auctorem Diabolum agnoſcunt. Talis fuit ſcientia Scoti cuiuſdam, qui Venetijs publice con- B
cluſiones ex omnibus ſcientijs, ſummo cum audientium omnium ſtupore ac miraculo, defendit: qui poſtmodum ibidem mulierculæ cuiuſdam amore captus miſerabili exitu vitam finiuit. Talis & puellæ cuiuſdam Hiſpanæ ſcientia ſuiſſe creditur, quæ Barcinone artium ac ſcientiarum omnium concluſiones publice ſuſtinuit, quindecim annos nata, & ad captandam auram Principum ac Dynaſtarum, eorum aulas diuerſis in terris circumire, atque omnibus ſe ſpectan- C
dam exhibere ſolita.

Poſſunt etiam, qui talis habitus infuſionem profitentur, in ſuſpicionem vocari Diabolicæ fraudis, quoties eiuſmodi ſcientiam non omnimode in propria habent poteſtate, ſed ſtatis ſolum diebus, vel horis, vel non niſi quaſi extra ſeſe rapiantur. Nam ſcientia à Deo olim infuſa Salomoni, Animæ Chriſti, Sanctis Apoſtolis, & alijs Dei ſeruis, in eorum poteſtate fuit poſita, cum per modum habitus infundatur, & D
ad Dei gloriam, & proximorum vtilitatem toties ea vtebantur, quoties, & quando volebant. E contrario qui Scientiam habent Dæmoniacam, non pro libitu atque arbitrio ſuo, ſed tantum præmiſſis certis ceremonijs, multiſque ſuperſtitioſis ritibus, ſtatisq; diebus & horis, illam exercere poſſunt: ſicut Pythoniſſis contingere ſolebat. Quamobrem talis ſcientia non erit proprie infuſa, aut à Deo, ſed à Dæmone,

ex

A ex inito pacto tacito, vel expreſſo, procurata. Tunc vero id ſuſpicandum præſertim erit, cum extra id tempus quo loquuntur de aliqua ſcientia vt alios doceant, eorum, quæ alias dixerunt, aut docuerunt, nequaquam recordantur. Atque hæ notæ ſunt præcipuæ ex quibus colligi queat, an aliqui habitus ſcientiarum infuſi à Deo ſint, an à Dæmone prouenerint. ita tamen vt ex huiuſmodi habitibus, qualeſquales fuerint, nullum omnino ſanctitatis argumentum
B hauriatur ad effectum Beatificationis, aut Canonizationis, etiam ſi à Deo comprobarentur infuſi: ob orationes iam ſæpius in ſupradictis allatas.

CAP. VI.

De notis Sanctitatis ex linguarum diuerſarum peritia.

C

DONO ſcientiarum coniungi poteſt diuerſarum linguarum, & idiomatum peritia, non quidem acquiſita, ſed à Deo infuſa: quæ vna cum alijs donis, quibus Spiritus ſancti afflante aura Eccleſiam ſuam Chriſtus ſtatim ab exordio ditauit, SS. Apoſtolis communicata eſt. Ne ſcilicet propter diuerſitatem nationum ac gentium, quibus Euange-
D lium Chriſti prædicandum erat, in acquirenda multiplicitate linguarum & idiomatum (quæ non niſi multo cum labore addiſcitur) Apoſtoli à prædicatione Euangelij retardarentur. de quo S. Lucas in Actis cap. 2. ſic ſcribit: *Et factus eſt repente de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes, & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœ-*

perunt

perunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sāctus dabat eloqui illis. Ad comprobandum vero miraculum in infuſione variarum linguarum exhibitum, vtque palam ſit, quam lateſe hoc Dei donum extenderit, ſubintulit: *Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi viri Religioſi, ex omni natione quę ſub cælo eſt.* Dicuntur autem viri religioſi in præcitato textu, non quidem viri in congregatione, & monaſterijs viuentes, vt quidam ſcioli noſtris his temporibus ſtultiſſime interpretati ſunt: ſed veri Dei cultores. alias dicendum eſſet totum tunc orbem monachorum atque monaſteriorum exſtitiſſe refertum. A B

Sed quantum attinet linguarum & idiomatum peritiam, riſu digna videntur, quæ de populis Taprobanæ ſcribit Diodorus Siculus lib. 2. in fin. *In lingua ipſorum*, inquit ille, *quiddam peculiare eſt, partim à natura datum, partim ingenij ſolertia adſcitum. Linguam enim habent geminam, & intrinſecus diuiſam, vt duplex ad radicem vſque exiſtat. Ideo maxima illis eſt varietas, & voce non tantum quicquid humanæ & articulatæ eſt loquelæ, imitantur, ſed etiam diuerſos auium garritus, adeoque omnia ſonorum genera exprimunt. Et quod præ cunctis admirandum, ad duos ſimul homines perfecte loqui, tum reſpondendo, tum appoſite de ſubiectis rebus diſſerendo, poſſunt: ita vt in vna linguæ parte loquantur cum vno, altera cum altero ſermocinentur.* At non huiuſmodi extitiſſe credere debemus donum diuerſorum Idiomatum Apoſtolis à Deo conceſſum, vt, lingua in varias partes diuiſa, ſuum quęque pars idioma eodem tempore formaret; ſed tale, vt quotquot diuerſę regionis atq; idiomatis homines Hieroſolymis aderant, clare ac perfecte intelligerent, quidquid vna atque indiuiſa Apoſtolorum lingua inſonabat. C D

Verum quanam id ratione, quoque modo factum ſit, vt ſcilicet ab omnibus intelligerentur loquentes Apoſtoli; Do-

A ctorum diſputationibus agitatur, num videlicet loquentes Hebræum v. g. idioma, vel Syrochaldaicum (quod erat eius temporis vulgare apud Ieroſolymitas) reliquæ annumeratæ nationes quæ tunc Ieroſolymis aderant, quamuis illud idioma ignorarent, ex dono tamen Spiritus Sancti, Syro Chaldaicum vel Hebraicum ex ore Apoſtolorum pronunciatum, ac ſi proprium eſſet, perciperent: an vero ſucceſiue Apoſtoli modo vnum, modo alterum idioma ita perfecte loque-
B rentur; vt ex ea facultate, quidquid vellent, variorum idiomatum gentibus manifeſtarent, veramque ſe linguarum omnium peritiam habere hoc pacto probarent. Priori ſententiæ adhæret S. Cyprianus in ſermone de Spiritu Sancto, his verbis: *Poſt cuius*, (ideſt Chriſti) *aſcenſionem in Cælos Spiritus Sanctus viſibiliter ſuper Apoſtolos in linguis igneis apparuit, & ad inſtar prioris ſæculi, vniuerſitatem fidelium vnius labij eſſe voluit. Vt quorum erat cor vnum, & Anima*
C *vna, eſſet & lingua; nec poſſet impedire intellectum credentium aliqua diuerſitas verborum, ſed euangelica doctrina propria lingua prolata ad omnium auditum, eamdem efficientiam obtineret. vt Græcis & Barbaris omnibuſque gentibus verbum euangelij ſic eſſet intelligibile, ac ſi eorum auribus linguæ, in qua nati erant, idiomata reſonarent. Aderant Medi & Elamitæ, Meſopotameni, & Arabes. His omnibus dũ Hebræa lingua Apoſtoli prædicarent, loquutio Iudaica enunciationis ſuæ articulos cur-*
D *ſu conſueto euoluens, nullo exponebatur interprete, ſed verbo eorum inerat virtus, & gratia, vt habitantes Pontum, & Aſiam, ſuam eſſe dicerent linguam, quam audiebant*. Sequitur eandem ſententiam Oecumenius in acta Apoſt. *Verum quidem*, inquit, *nouerant quæ dicerent, nempe magnalia Dei. qualibus autem linguis ea loquerentur, non nouerant, niſi viri religioſi qui audiebant, puta Scytha fortaſsis, aut Indus, quod Scyhica, aut Indorum lingua loquerentur*. Citatur pro hac

eadem ſententia S. Arator quem non vidi. Dionyſium Car- A
tuſianum legi, quem idem ſenſiſſe conſtat.

Ex aduerſo ſtant alij Patres, qui docent non quidem
vnicum tantum idioma tunc loquutos fuiſſe Apoſtolos, ſed
facultatem loquendi varijs idiomatibus ac linguarum gene-
ribus à Spiritu Sancto accepiſſe: vt quamcunque in prouin-
ciam perueniſſent, non Hebraice, ſed vero & germano illius
prouinciæ idiomate ſermocinarentur. ita Cyrillus Hieroſol.
catec. 17. ante medium: *Galilæus Petrus & Andreas* inquit, B
*vel Perſica vel Meda lingua loquebantur. Ioannes & reliqui
Apoſtoli omni lingua loquebantur eis, qui ex gentibus erant.
Quis tantus inueniatur doctor, qui ſtatim docuit, quæ non
didicerat? Spiritus autem ſanctus docuit multas linguas,
quas toto illi tempore ſuperiori ignorabant.* S. Gregorius
Nazianz. Orat. 44. quæ eſt in Sanct. Pentecoſt. circa finem:
*At vero linguis externis, ac non vernaculis Apoſtoli loqueban-
tur, ſingularique miraculo ſermo ab his, qui non didicerant, pro-* C
ferebatur. Idem ſentit S. Auguſt. tract. 29 in Ioan. S. Leo.
ſer. 1. de Pentecoſt. S. Gregor. hom. 30. in euang. & alij.

In quo ſententiarum diſſidio vt aliquid & nos afferamus,
non negamus fieri potuiſſe à Deo, vt vno idiomate loquen-
tes Apoſtoli ab omnibus, qui aderant, intelligerentur. Nam
præterquam quod id Docet D. Th. 2. 2. q. 176. fauet huic
ſententiæ & Cornelius à lapide in acta Apoſtol. cap. 2. Quod
inſuper probabile redditur ex varijs poſt Apoſtolos Sancto- D
rum hiſtorijs. Fertur enim ſanctus Vincentius Ferrerius Or-
dinis Prædicatorum dono huiuſmodi ditatus à Deo fuiſſe;
nam cum eſſet Valentinus, & Hiſpanice concionaretur,
nihilominus illum Itali, Germani, Flandri, & Galli
optime intellexerunt. Item S. Antonius Vlyſiponenſis cum
Romæ coram ſummo Pontifice aliquando concionaretur,
à variarum nationum, qui aderant, Auditoribus optime

perci-

A percipiebatur. ſic S. Bernardino Senenſi in Concilio Florentino Latine loquente, Græci Latini ſermonis ignari nihilominus, quæ ab eo dicebantur, optimè intelligebant. Et noſtris temporibus idipſum refertur de ſancto Franciſco Xauerio: de quo in relatione, quam in Conciſtorio ſecreto coram Gregorio XV. habuit Cardinalis de Monte ex proceſſu iuridico de illius actis fabricato: *Diuerſarum gentium linguis*, inquit, *quas non didicerat, cum eas Euangelij cauſa*
B *adiret, ita eleganter & expedite loquebatur, ac ſi ibi natus, & educatus eſſet. Et contigit non raro, vt eum concionantem diuerſarum nationum homines ſua quiſque lingua plenè, & publicè loquentem audiuerint. Id quod pro maximo miraculo ab ea gente habitum, non ſolum auxit venerationem Xauerij, ſed multos etiam ad fidem conuertit.*

Potuiſſe igitur hoc etiam contingere Apoſtolorum tempore, in die ſancto Pentecoſtes, concedimus; vt nimirum illi
C patrio idiomate loquendo ab omnibus auditoribus perciperentur. Poteſt id comprobari ex concione quam Petrus habuit ad populum Ieroſolymitanum. Etenim cum nemini ſit conceſſum, niſi vnicum verbum ſimul, ac ſemel proferre; ex conſequenti vnico tantum idiomate quiuis loqui valebit: cum nequeat vnicum verbum ad diuerſa idiomata ſpectare. Propterea probabile eſt Petrum tunc patrio ſolùm idiomate ad populum oraſſe, quandoquidem vniuerſi
D qui aderant, licet eſſent diuerſarum nationum, illum orantem intelligerent. nam conuerſæ ſunt ad Chriſtum, & baptizatæ, illa die Animæ circiter tria millia, vt dicitur in ſacro textu.

Verùm quia vnico idiomate loqui, vt ab omnibus auditoribus percipiatur, non eſt habere donum diuerſarum linguarum, ſed vnius idiomatis ab omnibus perceptibilis; propterea potius ſtandum reor cum Patribus poſterioris

ſententiæ, ob ſequentes rationes. Etenim ſi dixerimus in die ſancto Pentecoſtes Apoſtolis vnico tantum idiomate loquentibus illorum ſermonem ab omnibus quotquot aderant ex diuerſis nationibus, æque ac proprium, fuiſſe perceptum; arbitror quod potius dicendum eſſet, donum intelligentiæ exteri idiomatis auditores accepiſſe, quam Apoſtolos diuerſarum linguarum: cum hi non loquerentur, niſi Hebraicè; auditores verò Græci, Arabes, ac Romani Hebraicum ſermonem audientes, eos qui Hebraice loquebantur perciperent, æquè, ac ſi proprio ac natiuo idiomate Apoſtolos loquentes ac ſermocinantes audirent. hi igitur donum intelligentiæ accepiſſent, non Apoſtoli donum diuerſarum linguarum. A B

Præterea fuerunt ex adſtantibus, qui putauerunt Apoſtolos & fideles in illis collocutionibus ebrios extitiſſe. ſic enim dicitur in ſacro textu cap. 2. Act. Apoſt. *Stupebant autem omnes ac mirabantur ad inuicem dicentes, quidnam vult hoc eſſe? alij autem irridentes dicebant: quia muſto pleni ſunt iſti* Si vero Apoſtolis, & qui cum Apoſtolis Spiritum ſanctum acceperant Hebraice loquentibus, eorũ ſermo ab omnibus tũc perceptus fuiſſet; nemini erat cauſa vnde Apoſtolos ebrios eſſe ſuſpicaretur; quod nimirũ perciperet illos loqui magnalia Dei. Verum quia, licet ex Apoſtolis, & diſcipulis aliquis Hebraice Deum collaudaret, alij tamen ex Apoſtolis, vel Latine, vel Græce, vel Hebraice loquebantur, quæ quidem idiomata à pluribus ex adſtantibus non percipiebantur; propterea ab his ebrij exiſtimabantur, quod Galilæos eos eſſe ſcirent, & verba penes ipſos incognita ab eis efferri audirent. Donum igitur variarum linguarum Apoſtolos recepiſſe die ſancto Pentecoſtes dixerim, & varia ipſo die in cœnaculo idiomata eoſdem loquutos, ita vt aliquis illorum Hebraice, alter Latine, Græce aliquis, Arabice alter, & ſic diuerſis alijs C D

A idiomatibus quiſque Deum collaudaret, *prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis*.

Perſpicuum ac apertum id etiam arbitror ex ſacro textu iam citato. Dicitur enim, quod Apoſtoli *loquebantur varijs linguis*. Græcè ἑτέραις γλώσσαις, ideſt, extraneis, & alienis à patrio idiomate. quamobrem ſacer textus ſubintulit, ſtupuiſſe omnes, atque admiratione plenos dixiſſe ad inuicem: *Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilæi ſunt? Et quomodo nos*
B *audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?*

Vt autem adhuc apertius exprimeret Scriptura, quam latè pateret illud Spiritus ſancti donum, gentium diuerſiſſimarum claram mentionem inijcit, quarum diuerſa erant idiomata. *Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Ægyptum, & partes Libiæ, quæ eſt circa Cirenem, & aduenæ Romani: Iudæi quoque, & Proſe-*
C *lyti, Cretes, & Arabes audiuimus eos loquentes noſtris linguis*. Apoſtoli itaque, & qui cum eis aderant fideles in cœnaculo, quando Spiritus ſanctus ſuperuenit, non ſolum Græcè, Latinè, & Hebraicè loquebantur, ſed etiam lingua Parthorum, Medorum, & Elamitarum, tam illius Elam, quæ eſt in Perſide, quam alterius quæ eſt in Media. Quin etiam idiomate Meſopotamico loquebantur, regionis nimirum, quæ media eſt inter Nilum, & Euphratem. Iudæorum lin-
D gua tunc erat Syrochaldaica. Reliquæ verò gentes in regionibus, ac prouincijs iam dictis in ſacro textu, vtebantur lingua Græca, quæ erat ampliſsima: quamuis in Græco idiomate, ſicut in cæteris, pro diuerſitate prouinciarum, idiomata quoque ſono & accentibus, ac terminatione, & pronunciatione diſtinguerentur; vt Cappadocum, Ponticorum, Aſiaticorum. quorum omnium idioma ab Ægyptio, Lybico, Arabico, & Cretenſi diſtinguebatur. Itaque

in die ſancto Pentecoſtes vnus Apoſtolorum loquebatur A
vnum idioma, alter aliud, & reliqui ſimiliter qui Spiritum
ſanctum in cænaculo acceperant: ita vt ſimul, & ſemel eo
die Deum collaudarent, ex fidelibus Chaldaicè vnus, alter
Arabicè, alter Græcè, alter Latinè, & ſic ſimul eodem tem-
pore audiretur ab omnibus diuerſitas illa Idiomatum in eo-
dem cœnaculo. teſtatur id ſacer textus dicens: *Stupebant
autem omnes*, ideſt qui aderant, & loquentes Apoſtolos au-
diebant, *& mirabantur dicentes: Nonne omnes iſti qui lo-* B
*quuntur Galilai ſunt? & quomodo nos audiuimus loquentes
vnuſquiſque linguam noſtram, in quo nati ſumus?* & ver. 4.
dicitur. *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cæperunt lo-
qui varijs linguis, pro vt Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.*
Cum autem tunc eſſent Hieroſolymis homines ex omni
natione, quæ ſub Cælo eſt, vt in eodem ſacro textu dicitur,
conſequens eſt, vt non ſolum vnico idiomate colloquentes
Apoſtoli ab omnibus perciperentur, ſed etiam linguarũ va- C
ria genera, & idiomatum diuerſa vocabula, ſimul inſonue-
rint. Et hoc eſt, quod Deus per Iſaiam cap. 28. futu-
rum ſpoponderat dicens: *In alijs linguis, & in alijs labijs
loquar populo huic*. Chriſtus quoque idipſum apud Marcum
cap. 16. promiſerat aliquando, cum de miraculis ageret, quę
facturus erat in his, qui eius fidem acceptaſſent; *linguis lo-
quentur nouis*. Non eſt autem noua lingua loqui, ita patria
vti lingua, vt ab omnibus intelligatur, ſed nouis ac diuerſis D
à patrio idiomate vti vocabulis.

Dicendum eſt igitur potuiſſe quidem Apoſtolos vnico idiomate loquendo à pluribus, & diuerſis populis ex dono Spiritus ſancti percipi, quoties ad Euangelij prædicationem hoc fuiſſet neceſſarium, at in die ſancto Pentecoſtes loquutos varia genera idiomatum ex eiuſdem Spiritus dono, vero propius videtur: vtpote qui ad omnes gentes, & ad diuerſas

A totius orbis Prouincias deſtinabantur doctores, vt epiſt. 33. docuit S. Ambroſius. Atque hoc eſt donum linguarum, quod 1. Corint. cap. 14. ſe accepiſſe gloriatur Apoſtolus, dicens: *Gratias ago Deo, quod omnium veſtrum linguam loquor.* Inquirendum nunc, an ex huiuſmodi variarum linguarum, ſeu idiomatum peritia, aliquod ſanctitatis argumentum deſumere liceat ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. Non procedit autem quæſitum de variorum Idiomatum B peritia, arte, & ſtudio comparata, ſeu peregrinationibus ad diuerſas regiones & prouincias acquiſita; ſed de illa, quæ alicui obuenit ex occulta aliqua virtute. Et mihi quidē dicendum videtur, nullum abſolutè Sanctitatis argumentum poſſe colligi ex hac variarum linguarum infuſa peritia, ſed tantum ex his, quæ loquuntur hi, qui ex occulta aliqua virtute prædictum donum habuerint. Eſt igitur reſponſio bipartita: nimirum, quod nullum ſanctitatis argumētum ſumatur ex ipſa C diuerſarum linguarum peritia; & quod aliquod ſumatur ex his quæ loquuntur, qui tale donum conſecuti fuerint.

Prioris aſſerti ratio ſumitur à natura donorum gratis datorum: quæ cum per ordinem ad alterum conferantur, vt ſæpe diximus, non faciunt Deo gratum illum, cui conferuntur, & poſſunt ſtare cum peccato mortali. Cum igitur peritia diuerſarum linguarum à Deo infuſa vnum ſit ex donis quę gratis dantur, nullum ex eo deſumetur ſanctitatis argumen- D tum. Alioquin & ſancta dici poſſet aſina Balahami, quæ in ſacra Scriptura Hebraicè loquuta perhibetur. Confirmatur magis noſtra doctrina, ſi vera ſunt, quæ nonnulli apud Delrium tradunt de his, qui atra bile exagitantur: *qui*, inquit, *non modo ſibi ignota fari ſolent, ſed linguis etiam loquuntur quas, dum ſani erant, nullo modo ſciebant*. Ita lib. 4. diſquiſit. magic. cap. 2. quæſt. 6. ſect. 1. Verum quamuis id commentum exiſtimem, cum Delrio ibidem; in aliam tamen

cauſam referri poteſt, quæ ſimiliter nullum ſanctitatis argumentum ſuppeditabit, nam Codronich. lib.2. de morb. malef.cap.8.Pſell.item,& Fernel.in lib.de abditisrerum cauſis hanc varijs linguis loquendi facultatem Dæmoni aſſiſtenti, vel obſidenti talem hominem adſcribendam iudicant. Cum igitur id fieri poſſit à Dæmone obſidente, vel aſſiſtente, poterit etiam ab eodem ex pacto fieri, & concedi alicui mago, ſeù præſtigiatori quantumcùmq; etiā idiotæ,& litterarum ignaro: vt videre eſt in libris maleficas artes caſtigantibus Immò inter ſigna Dęmonis quempiam obſidentis nullum certius dari poteſt, quam ſi mulier aliqua, aut ruſticus, & indoctus de myſterijs Theologicis diſputauerit, quę, antequā obſideretur, ignorabat: aût Græcè, Hebraicè, Latinè, Germanicè, aut alio linguarum genere exotico loquatur. Quæ cum Dæmonum arte fieri poſſint, reliquum eſt, vt núllum ſanctitatis argumentum ex hoc diuerſorum idiomatum dono deſumi poſſit. A B C

Quod vero aliquod ſanctitatis argumentum materiale ſaltem, educi queat ex his, quę huiuſmodi perſonæ loquûtur, planum eſt ſacris teſtibus Actor.2.in quo Apoſtoli, & reliqui qui in cœnaculo Spiritum Sanctum acceperant, & iam *varijs linguis* loquebantur, non quidem ridicula, vana, aut ad auditorum captandā auram compoſita effabantur; ſed loquebantur, *prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*. Explicans vero ſacer textus, quænam eſſent illa, ad quæ loquenda à Spiritu Sancto impellebantur; auditorum iudicio ac teſtimonio vtitur, qui tanto miraculo cōmoti, dicebant: *Et quomodo nos audiuimus eos loquētes noſtris linguis MAGNALIA Dei?* D

Non videntur autem his omittendæ nonnullæ Regulæ, quas tuto ſequi poterunt, quibus practicum de hoc linguarum dono iudicium proferre incūbet. Quarum prima ſit: ſi aliquis fidelis Dei ſeruus occaſione præſentiæ alicuius hære-

tici,

A tici, vel infidelis peritia linguarum prẹditi, vel peregrinæ na-
tionis conuerſioni adlaborans, illis loqui cœperit Græcè, vel
Hebraicè, vel aliqua alia peregrina lingua, iuxta exigentiam
auditorum; & ea quæ loquetur nihil aliud niſi magnalia Dei;
intonuerint, vt nimirum veritatem agnoſcant hi qui ab ea
alieni exiſtunt· Vtique ex huiuſmodi ſermonibus aliquod
ſanctitatis argumentum hauriri poterit, dummodo is qui ta-
lia loquitur, ex præcedentibus notis, fide, & moribus com-
B mendabilis appareat.

Hæc Regula ex cap. 2. Actorum educitur, in quo cum
Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos deſcendens, variarum lin-
guarum ſcientiam illis infudiſſet; hi qui illos ſic loquentes
audiebant, conteſtabantur non vana, non ridicula, ſed diui-
na eos loqui, ad conuerſionem illorum, qui adſtabant, vnde
& dicebant: *Nonne omnes iſti qui loquuntur Galilei ſunt? &
quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram in qua
C nati ſumus?* Vbi enim infuſa linguarum peritia cum Chari-
tate, & fidei Catholicæ zelo coniuncta reperitur; ibi gratiam
quoque ſanctificantem adeſſe conijcere poſſumus. E con-
trario, ſi quis prætendens infuſam linguarum peritiam, vana,
obſcœna, aut Dei proximiq; honorem lædentia loquitur: quę
hæreſim, vel ſuperſtitionem, aut aliquid alienum à ſacris Ca-
nonibus, Concilijs, & Apoſtolicis traditionibus præſeferant:
quantumuis ea quæ docuerit, videantur arguta, & bona in-
D tentione prolata; nihilominus repellendus atque omnino à
fidelium conſortio, cum linguis ſuis, ſeparandus erit. Quæ re-
gula innititur doctrinæ Apoſtoli cap. 1. ad Galat. dicentis;
*Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam
quod euangelizauimus vobis; anathema ſit. ſicut prædiximus,
& nunc iterum dico: ſi quis vobis euangelizauerit, præter id
quod accepiſtis, anathema ſit.* Igitur quantumcumque quis
peritiam linguarum accepiſſe ſe à Spiritu Sancto probauerit;

ſi à doctrina Eccleſiæ Catholicæ diſſentiant, quæ dicit; A
quodcunque ſpecimen pietatis præſeferat, etiam ſi ſit Angelus Dei, nullatenus audiendus erit.

Secunda Regula erit: vt cautè obſeruetur, num vanitatem aliquam, aut oſtentationem ſcientiæ ſuæ exterius oſtendet, ex qua colligere poſſimus, aut ad captandam populorum ſiue Principum auram, aut etiam ad colligendas pecunias, aut honores, aut aliquid aliud à Dei gloria, & proximorum ſalute alienum, illum ad loquendum induci. Talis B
enim non à Deo, neque ex infuſione Spiritus ſancti donum linguarum accepiſſe, ſed vel ſtudio pertinaci, vel longa peregrinatione ad diuerſas regiones, vel arte atque auxilio Cacodæmonis, eam ſibi peritiam acquiſiſſe iudicandus erit. Eſt enim regula generalis à Criſto Domino tradita Ioannis cap. 7. quæ nunquam à veritatis linea, nec latum vnguem declinat, quod is; *qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit*, ideſt proprijs commodis inhiat: *qui autem quærit* C
gloriam eius, qui miſit eum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt. quamobrem vbi aliquis non in commodum Eccleſiæ loquitur, nec doctrinam iudicio illius ſubmittit, quin conatur oſtentare ſcientias, & artes plurimas, peritiamue linguarum, vt populorum auram captet; is profectò à malo Dęmone agitatur.

D

A
SECTIO NONA.

De notis Sanctitatis, quæ ſumuntur à fama, & his à quibus fama oritur.

EXAMINAVIMVS hucuſque notas, & Sanctitatis ſigna, quæ in ipſo ſunt homine, atque vel in perfectionis Euangelicæ actibus externis, vel in exercitijs
B animæ internis fundamentum habent. quo in genere virtutes, & virtutum actus in gradu heroico veniunt: tum aliæ notæ, quæ ad proximorum ſalutem promouendam faciunt, & gratijs gratis datis annumerantur. Nunc ad ea argumenta procedendum eſt, quæ ſunt extra ipſum hominem, primoque examinandum, quænam argumenta ſanctitatis à monumentis, ſepulchris, ſacris cœmeterijs, ab integritate
C cadauerum, à fama miraculorũ, ab imaginibus, picturis, & appenſis anathematibus, ad effectũ Beatificationis deſumi queant. De quibus omnibus per infraſcripta capita agetur.

CAP. I.

Quodnam argumentum Sanctitatis ſumatur ex monumentis, atque ſepulchris
D ſupra terram poſitis.

PRIMVM quid Monumenti vocabulo ſignificemus declarandum eſt: quod ſic dictum accepimus, quaſi mentem moneat. ideoque aliquibus monumentum dicitur res omnis *memoriæ in poſteros dilatandæ cauſa conſtituta*. Vnde Valla lib. 4. Eleg. cap. 75. *Monumenta*

(in-

(inquit) I *mutata in V, ſepulchra, ſtatuæ, libri, cæteraque dicuntur, quæ nos alicuius rei præteritæ moneant. vixq; monumenta dixerim, niſi litteræ, aut alij tituli appareant: quæ ſi deſint; magis ſepulchrum, quam monumentum erit.* Et quidam alter: *Certè monumentum ſeu monimentum dicitur, quicquid mortui gratia factum fuerit.* Igitur monumentorum vocabulo ſepulchra ſignificantur, & quicquid ad memoriam mortuorum conſtruitur, vt ſunt tituli, & epitaphia, ſiue inſcriptiones, ſepulchris & ſarcophagis adponi ſolita. Statuæ quoque ad memoriam defunctorum alicubi erectæ, aut in ipſiſmet mauſoleis conſtitutæ, monumenta aliquando appellantur. Publicæ item tabulæ, inſtrumenta, atque hiſtoriæ, in quibus acta quorumcumque continentur, hoc nomine interdum expreſſa reperiuntur. A B

Verum in præſenti capitulo Monumenti vox non ſumitur à nobis, quatenus hiſtorias, aut libros ſignificat: quia de his infra agendum erit. neque prout ea voce Statuæ ſignificantur: quia de his obiter ſupra egimus, vbi de picturis, & ſculpturis tractabatur: ſed monumentorum vocabulo in hoc capitulo deſignantur ſepulchra, ſarcophagi, & arcæ in quibus defunctorum cadauera reconduntur, inſcriptiones quoque, quæ ad eorum honorem ſepulchris, & monumentis adponuntur. Ex quibus omnibus quænam argumenta ſanctitatis ad effectum Beatificationis, & Canonizationis hauriri poſſint, videndum eſt. C D

Ac primo notandum, prædicta monumenta & ſepulchra ex ritu Eccleſiaſtico multipliciter conſiderari poſſe: alia enim infra terram, alia vero ſupra terram exiſtunt. Atque eorum quæ ſupra terram ſunt, alia humilia atque ipſi terræ contigua ſunt, alia parietum coſtis intexta, aut intra Altare, aut etiam ſupra illud repoſita. quæ quidem cadauerum depoſitio, ac ſepulchrorum ſitus, cum eorum etiam

inſcri-

A inſcriptiones ſerio attendi debent: ad indicia ſanctitatis inde haurienda ad effectum publici cultus Beatificationis, & Canonizationis alicuius, cuius cadauer in aliquo ſepulchro, qua diximus ratione, conſtituto, reconditum habeatur.

Notandum ſecundo, in inſcriptionibus monumentorum, & ſepulchrorum habendam quoque eſſe rationem titulorum, quibus defunctus in eo monumento reconditus condecoratur; necnon notarum, ſignorum, & hieroglyphi-
B corum, quæ in ſepulchris iam olim à Chriſtianis apponebantur: qualia ſunt palmæ, oliuæ, anchora, columba, ſacræ imagines, ac diuerſi characteres, præſertim Chriſti nomen exprimentes, quo labarum, & coronam Conſtantinus condecorauit. Quæ omnia aliaque his ſimilia in hoc capite contemplanda veniunt, vt ſi quæ in illis ſint argumenta ſanctitatis ad effectum Beatificationis, & Canonizationis eruere valeamus.

C Dico igitur, ex ſepulchris arcuatis, aut inſculptis, mauſoleisq; nude conſideratis; ex ſarcophagis marmoreis, ſtatuis ac ſymbolis, & inſcriptionibus circumquaque exornatis, in quibus virtutes, & mores defuncti in eo monumento, ſiue ſepulchro reconditi collaudantur, & ad aſtra euehuntur; nullum nec argumentum, nec indicium ſanctitatis erui poſſe ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. quamuis ea omnia ornamenta, epitaphia, elogia, & inſcriptiones
D præclariſſimæ de puritate vitæ, & ſanctitate morum, à tempore etiam immemorabili alicui ſarcophago appoſita extitiſſent.

Stat pro noſtra concluſione Chriſtus Saluator, qui reprehendens hypocriſim Phariſæorum dicebat Matth. 23. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis*. Sepulchra dealbata eoſdem propterea appellat, quia nonnulla ex his, foris cum ſint pulchra & pi-

ctuтis,

cturis, ſtatuis, epitaphijs, atque elogijs condecorata; intus A
immunditia, & abominatione plena exiſtunt. Hæc vero nequaquam Chriſtus dixiſſet, ſi ex ſtatuis, mauſoleis, inſcriptionibus, & reliquis ornamentis externis ſepulchrorum, ac monumentorum, aliquod ſanctitatis indicium, aut virtutis eius, cuius cadauer in eo ſepulchro iacet, colligeretur. Nunquam enim Chriſtus cineres ſuorum ſeruorum, ac piorum hominum, quæ in ſepulchris reconduntur, ſpurcas, immundas, & abominabiles dixiſſet. B

Conſentit etiam ratio ipſa. Nec enim his ſolis, qui ſanctè in Domino obdormierunt, ea quæ commemorauimus præſtantur ſepulchrorum ornamenta: ſed paſſim omnibus cuiuſcumque ſint nationis, ſectæ ac Religionis adpoſita videmus: ita vt non ſolum Chriſtiani hanc pietatis notam Regibus, & Principibus, perſoniſque inſignioribus exhibeant, ſed etiam olim idipſum ſuis non ſolum Vatibus, ſed etiam Principibus, ac Regibus, viriſque inſignioribus Ægy- C
ptij præſtarent. Hac enim de cauſa celeberrimas illas pyramides eos excitaſſe conſtat; in quibus Regum, ac Principum ſuorum cadauera reconderentur. Romani quoque, ac Græci pariter viris præclarioribus eximia monumenta conſtruxerunt, in quibus oſſa cum cineribus, vel integra cadauera magnatum reconderentur. Teſtantur hoc arcæ lapideæ, ac ſarcophagi, qui hic Romæ, & alibi olim eruti fuere, atque indies etiamnum eruuntur. Ex quibus multa D
ad vſum quoque Chriſtianorum cadauerum, nunc etiam in diuerſis Vrbis Eccleſijs inſculpta ex ritu Ethnicorum viſuntur; cum tamen in his, vel adhuc cadauera fidelium Chriſtianorum recondita habeantur, vel iam olim in his extitiſſe ex inſcriptionibus perſpicuum ſit. Per totam quoque Galliam, Germaniam, & Italiam, & alibi, ad ornamentum ſepulchrorum præclaræ conſtructiones cum ſtatuis, & elogijs con-

A conſpiciuntur: quibus ad aſtra tolluntur hi, quorum cadauera in illis recondita iacent: cum tamen non ſolùm peccatis, atque criminibus diuerſis contaminatos, ſed etiam plures ex his idololatria, aut hæreſi commaculatos extitiſſe ex hiſtorijs notum ſit: eorundemque impuriſſimi ſpiritus certiſsimè in Inferno crucientur. Perſpicuum eſt igitur nullum ex huiuſmodi mauſoleis, monumentis, atque ſarcophagis nude conſideratis, quantumuis ornatiſsimis, hauriri
B poſſe indicium, aut notam ſanctitatis ad effectum Beatificationis, & Canonizationis, aut cuiuſuis alterius generis cultum.

Accedit, quod ad effectum Beatificationis, & Canonizationis prærequiruntur virtutes in gradu heroico probatæ per teſtes omni exceptione maiores. Sed prædicta elogia, quæcumque illa ſint, ſtatuæ, & ornamenta ſepulchris appoſita, non probant virtutes illius, cuius cadauer in eo re-
C conditur; nec hi, qui prædicta elogia appoſuerunt, teſtes omni exceptione maiores cenſentur: igitur prædicta ornamenta nihil faciunt ad effectum cultus Beatificationis, & Canonizationis. quod perſpicuum eſt: quia elogia & inſcriptiones, quæ monumentis & ſepulchris apponuntur; ad concelebrandas laudes illorum conſcribuntur, quorum cadauera in his repoſita ſunt; & ab his conſcribuntur, qui erga defunctum bene affecti exiſtunt: ac proinde eorum vitia
D atq; ſecta, ſi odioſa ſit, vt Ethniciſmus, hæreſis, quælibet denique culpa, & defectus in his ſubticentur, ac ſolæ celebrantur virtutes ex cenſura eorundem, qui ea elogia, & inſcriptiones adponi curarunt. quorum cenſura, & teſtimonia cum nullius ſint ponderis, ex conſequenti nullum valent ſubminiſtrare argumentum ſanctitatis ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Quæret fortaſſe aliquis, quid dicendum eſſet, ſi aliquod

cada-

cadauer de mandato Epiſcopi, vel de conſenſu eiuſdem à A
terra ſubleuatum fuerit? Antequam quæſito fiat ſatis; prænotandum eſt duplici ex capite cadaueris alicuius eleuationem de mandato Epiſcopi contingere poſſe, nimirum vel honoris cauſa, vel cultus & venerationis. conſuetudo enim iam olim extitit cadauera nobiliorum, non ſolum Regum, ac Principum, & Prælatorum, ſed etiam mulierum, & quorumcunque copijs affluentium, vel ex voluntate defuncti, vel alterius bene affecti erga defunctum, ſepulchro B
extructo in parietibus alicuius Eccleſiæ, vel altero in loco ſpectabili, & eleuato, collocare. Potuit igitur contingere, vt aliquis Epiſcopus tantum beneuolentiæ gratia, non autem cultus, aut venerationis cauſa, alicuius defuncti cadauer eleuari curauerit.

Reſpondeo igitur, ex ſepulchris, & ſarcophagis in ſublime eleuatis, in quibus alicuius cadauer honoris tantum de cauſa reconditum exiſtat, etiamſi de mandato Epiſcopi ele- C
uatum ſit, nullum ſanctitatis argumentum, aut indicium ad effectum Beatificationis, & Canonizationis deſumi poſſe.

Quod vt clarius explicetur, notandum puto, taliter poſſe ſepulchrum alicuius conſtrui, & ædificari in aliquibus capellis, parietibus, & alijs locis alicuius Eccleſiæ, aut cœmeterijs, vt quamuis in eo monumento ſarcophagus appareat ad recondendum cadauer, illud tamen nequaquam in eo reconditum iaceat, ſed non longè ab eadem conſtructione D
ſub terra, vel intra parietem prope terram, poſitum ſit, vt hic Romæ vbique ſeruatur. Et de his noſtra concluſio non procedit, ſed de ſepulchris, & ſarcophagis à terra ſubleuatis loquitur, in quibus revera cadauera recondita exiſtant: atque aio, ex ea cadaueris eleuatione ad honorem defuncti, nullum ſanctitatis indicium hauriri poſſe.

Et ratio eſt, quia indicia, & argumenta præcipua ſancti-

tatis

A tatis ad præſtandum alicui publicum cultum per Beatificationem & Canonizationem, ex his ſumuntur, quæ Defuncti virtutes in gradu heroico ſubindicant, vel potius demonſtrant. At vero Sarcophagus ſic eleuatus, ſeu verius eleuatio ipſa Sarcophagorum honoris de cauſa in quibus Defunctorum cadauera recondita exiſtant, nullum nec argumentum, nec indicium præſtant virtutum in gradu heroico: cum huiuſmodi Sacrophagi ſic eleuati Principibus viris
B ac mulieribus, etiam malæ famæ, atque criminibus obnoxijs, in templis excitati cernantur: ſicuti adhuc reſtant nonnulli à me viſi pluribus Italiæ in Vrbibus.

Præterea huiuſmodi eleuatio cadaueris ſupra terram omnino prohibita eſt per Summos Pontifices, non olim tantum, ſed etiam per Bullam Pij V. datam anno Domini 1566. Calend. April. quæ incipit: *Cum primum.* Et §. 6. hæc habet: *Et vt in Eccleſijs nihil indecens relinquatur,*
C *ijdem prouideant* (nimirum Epiſcopi) *vt capſæ omnes, & depoſita, ſeu alia cadauerum conditoria ſuper terram exiſtentia omnino amoueantur, prout alias ſtatutum fuit: & Defunctorum corpora in tumulis profundis infra terram collocentur.* Ex actibus autem in Eccleſia prohibitis, nullum omnino poteſt deſumi argumentum, aut indicium ſanctitatis ad effectum cultus publici Beatificationis, & Canonizationis: ergo prædicta eleuatio Sarcophagi ſupra terram honoris cauſa
D facta, in quo cadauer alicuius recõditum ſit, nullum ſuppeditabit ſanctitatis indicium ad eum, quem diximus, effectum: etiamſi illud ſepulchrum ſacris etiam imaginibus, ac Chriſti Domini effigie in Cruce pendentis, aut alijs ſimilibus Symbolis noſtræ ſacræ Religionis ornatum exiſteret. Hæc enim Symbola & imagines Chriſti, Chriſtianum eum extitiſſe probant, cuius cadauer in eo ſepulchro reconditur: non autem virtutes in gradu heroico ſubindicant, quæ prærequi-

runtur ad publicum cultum Beatificationis & Canonizationis; nec aliquod ſubminiſtrant indicium, quod is, cuius cadauer ibi reconditur, cælo fruatur. A

Accedit, quod antiquitus interdum fideles nonſancti, vt deuotioni illorum ſatisfieret, ſepeliri inter corpora ſanctorum Martyrum non prohibebantur. Quin etiam ſanctos viros vna cum hæreticis in eodem ſepulchro repoſitos fuiſſe legimus, lib. 10. de vit. part. 12. cap. 40. auctore Ioanne Moſcho. vbi quidam Abbas nomine Coſmas cum clarus miraculis diem ſuum obijſſet, ac de mandato Patriarchæ Alexandrini in ſepulchro, in quo quidam Epiſcopus hæreticus iam olim fuerat ſepultus, conditus eſſet; ſingulis noctibus audiebatur ad conſepultum dicere: *Noli me tangere hæretice, ne appropinques mihi inimice ſanctæ Dei Eccleſiæ Catholicæ*. Neque propterea tamen ſerui Dei cadauer exhumatum fuit, vt ibidem ſcribitur, ſed iuſſu Patriarchæ in eodem ſepulchro relictum. Quamobrem nec ex ſepulchro, neque ex ſimul aut iuxta ſepultis ſanctorum martyrum cadaueribus, aliquod ſanctitatis argumentum ad effectum Beatificationis aut Canonizationis deſumetur. B C

Neque ſolidum argumentum ſanctitatis peti poteſt ad effectum Beatificationis ex eleuatione alicuius cadaueris facta de mandato Epiſcopi, cultus, & venerationis cauſa: quamuis in actibus defuncti aliquod ſanctitatis indicium apparuerit. Quod manifeſtum eſt ex cap. *audiuimus*. de reliq. & venerat. ſanct. in quo omnibus & quibuſcunque interdicitur præſtare cuicunque defuncto quodcunque genus cultus, & venerationis, etiam ſi miracula per eum fierent, abſque licentia ſedis Apoſtolicæ. Secundum quod decretũ prædictus actus eleuationis cadaueris eſt omnino nullus, & illicitus. Ex actibus vero inualidis, atque illicitis, & contra iura peccantibus, nullum poſſe argumentum ſumi ad D

effe-

A effectum Beatificationis, & Canonizationis pluries diximus, & res eſt per ſe nota.

Nihilominus poſſe inde elici aliquale ſanctitatis indicium, nimirum, defunctum ſic eleuatum cum aliqua pietatis & ſanctitatis opinione deceſſiſſe, negare omnino non poſſumus: quandoquidem communis fama & opinio ſanctitatis alicuius defuncti, indicium aliquod ad effectum Beatificationis, & Canonizationis ſubminiſtrat, ſi prædictæ famæ teſtifi-
B catio ſiue teſtimonium Epiſcopi acceſſerit. In caſu autem præſenti videtur conſtare de fama ſanctitatis defuncti, ſaltem pro eo tempore quando cadauer fuit eleuatum, & id ex teſtimonio Epiſcopi, qui iuſsit idē cadauer honoris cauſa eleuari.

Quantum vero ſpectat ad titulum Beatitatis, & Sanctitatis in epitaphijs, & ſepulchrorum inſcriptionibus alicui tributum; aſſero ſimiliter, nullum ſanctitatis argumentum ex illo hauriri poſſe ad effectum Beatificationis & Canonizatio-
C nis: quamuis etiam talis titulus alicui tributus fuiſſet in cœmeterijs ſubterraneis, ſeu cryptis arenarijs antiquis, de quibus in ſequenti capitulo agemus. Et ratio eſt valida: quia ad obtinendam Beatificationem & Canonizationem aut publicum cuiuſuis generis cultum, virtutes in gradu heroico, & miracula iuridice probata, vt vidimus, prærequiruntur, ſi de aliquo non martyre agatur. Prædictæ autem inſcriptiones vbicumque repertę, non indicant virtutes, nec reliqua pręre-
D quiſita ad Beatificationem & Canonizationem ſeruorum Dei. Nam, vt diximus ſectione prima, titulus ſanctitatis fuit olim communis omnium Epiſcoporum; & illorum præcipue Chriſtianorum, qui carceribus pro fide Chriſti traditi fuiſſent. Adeo vt his titulis etiam hæretici ſuos condecorarent Epiſcopos, ac reliquos Chriſtianos, qui pro Religione Chriſtiana, quamuis hæreſi commaculati, ab Ethnicis carceribus traderentur.

Præterea titulus ſanctitatis cuicunque tributus, ac in epitaphijs expreſſus, finalem perſeuerantiam & conſiſtentiam in bono eius qui ſanctus in ijs dicatur, plenè non probat: cum tamen abſque finali perſeuerantia in bono nemo poſt obitum Sanctus dici valeat. Neque prædictus ſanctitatis titulus declarat, an defunctus, qui ibi iacet, Catholicus an hæreticus extiterit. Poteſt enim contingere, atque aliquando contigiſſe puto, vt aliquis carceribus, quibus pro Religione Chriſtiana mancipatus fuerat, liberatus, in varia poſt peccata prolapſus ſit, & à Chriſtiana perfectione, ne dicam Religione exciderit, vt ſtatim ex Cypriano probabitur. Potuit etiam contingere, vt in aliquo ſepulchro recōditus titulo ſanctitatis ab Hæreticis propriæ ſectæ inſignitus fuerit. Igitur ad effectum Beatificationis aut Canonizationis parum proderit, quod quis in ſepulchrali aliqua inſcriptione Sanctus aut Beatus dicatur, niſi re vera talis vita, ac moribus ad extremum vſque vitæ diem extitiſſe probetur.

A B C

Facit ad præſens inſtitutum auctoritas Origenis in lib. Numer. hom. 10. qui cum docuiſſet immunitatem à peccato ad ſanctitatem non requiri, conſequenter docuit, poſſe aliquem ſanctum dici, quamuis in peccatis exiſteret. Quod fortaſſe denominatiue eius ſæculo verum fuit. At ad effectum Canonizationis & Beatificationis, & ad quemcumque alterius generis cultum in Eccleſia, vera, & realis, non autem denominatiua, requiritur ſanctitas. Accedit quod Apoſtolus Paulus, dum Epiſtolas ſuas *ſanctis* inſcribit, ſanctorum vocabulo fideles omnes intelligit, vt interpretes fere omnes affirmant: cum tamen Corinthijs ante alios, quos in epigraphe ſanctos appellarat Apoſtolus, in progreſſu Epiſtolæ plura crimina, & peccata obijciat, nimirum fornicationem, qualis nec inter gentes, abuſum ſacramenti euchariſtiæ, diſcordiam denique inter ipſos & contentiones. Igitur ad ſoli-

D

dum

A dum Sanctitatis argumentum, ſanctitatis titulus non ſufficit.

Ad quod probandum, præter iam allata, etiam nobis ſeruiet Confeſſoris titulus multis olim in Eccleſia tribui ſolitus: quandoquidem ne ex illo quidem argumentum ſanctitatis, aut indicium, deſumi poſſit ad effectum Beatificationis, Canonizationis, aut cuiuſuis alterius generis cultum. Quæ doctrina eſt Cypriani pluribus in locis, præſertim in libro de vnit. Eccleſiæ, dicentis: *Confeſsio exordium* B *gloriæ eſt, non meritum iam coronæ, nec perficit laudem, ſed initiat dignitatem: cumque ſcriptum ſit; Qui perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit: quicquid ante finem fuerit, gradus eſt, quo ad faſtigium ſalutis aſcenditur, non terminus, quo iam culminis ſumma teneatur. Confeſſor eſt, ſed poſt confeſsionem periculum maius eſt: quia plus aduerſarius prouocatus eſt.* & parum infra: *Nemo per confeſſoris exemplum pereat, nemo iniuſtitiam, nemo inſolentiam, nemo perfidiam* C *de confeſſoris moribus diſcat.* Et alia plura habet ſanctus Chriſti martyr in eandem ſententiam. Quod ſi ex Confeſsionis titulo, vt ex allatis patet, nullum finalis in bono perſeuerantiæ, nullum ſanctitatis perfectæ, nullum virtutis in gradu heroico argumentum, aut indicium reſultare poteſt; multo minus id poterit deſumi ex titulo ſanctitatis. Quandoquidem (vti monſtrabimus vbi de martyrio agetur) maioris dignitatis, & perfectionis in Eccleſia exti- D tit titulus confeſſionis, quam ſanctitatis. Nam hic ab Eccleſia ijs concedebatur, qui carceri tantum mancipati pro Religione Chriſtiana fuiſſent, vt diximus ſect. 1. vel fidelibus etiam omnibus interdum communis erat, vt ex Pauli Epiſtolis ſentiunt alij. At Confeſsionis titulus his concedebatur, qui coram iudice pro tribunali ſedente ſe Chriſtianos eſſe publice profeſsi fuiſſent, & torturas atque cruciatus, ac varia tormenti genera pro Chriſto ſuſtinuiſſent.

Quod autem ex titulo confeſſionis nullum ſanctitatis argumentum hauriatur, præter auctoritatem S. Cypriani, illud etiam probat, quod omnes iſti tituli honorarij nullum præſtant argumentũ Virtutum in gradu heroico, quæ neceſſario prærequiruntur in Eccleſia ad rationem publici cultus. Ex hiſtorijs Eccleſiaſticis idpſum manifeſtum eſt. Nam ſanctus Cyprianus in Epiſtola 44. ſecundum editionem Pamelij, conqueritur de quibuſdam Confeſſoribus, qui poſtquam glorioſiſſime fidem Chriſti coram iudice, & in tribunali confeſſi fuiſſent, & ab Eccleſia titulo Confeſſionis condecorati extitiſſent: nihilominus à carceribus liberati, tam glorioſam confeſſionem, tamq; illuſtrem titulum ſchiſmate & defectione polluerant, nec non fornicationibus, alijſque vitijs conſpurcarant. De quibus in lib. de vnitate Eccleſiæ per plures paginas, & Epiſtola 6. in edit. Pamelij hæc habet: *Doleo enim, quando audio quoſdam improbe* (loquitur de Confeſſoribus) *& inſolenter diſcurrere ad ineptias, vel ad diſcordias vacare, Chriſti membra & iam Chriſtum confeſſa per concubitus illicitos inquinare, nec à Diaconis aut Presbyteris regi poſſe, ſed id agere, vt per paucorum prauos & malos mores, multorum & bonorum Confeſſorum gloria honeſta maculetur, quos vereri debent, ne ipſorum teſtimonio, & iudicio condemnati ab eorum ſocietate priuentur.*

Idipſum quoq; manifeſtum eſt non ſolum ex Epiſtola iam citata, ſed etiam Epiſt. quæ eſt ad Maximum & Nicoſtratum & cæteros Confeſſores qui ad partes Nouati deficientes ſchiſmati nomen dederant. & licet Maximus, & alij aliquando ad Eccleſiæ vnitatem redierint, Nicoſtatus tamen Romanæ Eccleſiæ Diaconus cum reliquis non eſt reuerſus, vt notat Pamelius ad hanc Cypriani Epiſtolam. Idipſum liquet ex actis quoque Luciferi Epiſcopi Calaritani & ſociorum, qui cum fortiter contra Conſtantium Arrianum pro fide

Catho-

A Catholica decertaſſet, & tot martyria ſubiſſet, quot apices in Conſtantium ſcripſerat (vt loquamur cum Hieronymo in dialogo contra Luciferianos) nihilominus in ſchiſma prolapſus extra Eccleſiæ Romanæ gremium vita deceſſit. Idem contigit Oſio Cordubenſi, qui titulo Confeſſoris aliquando inſignitus, tandem ad caſtra Arrianorum ſe recepit. Igitur ex titulo Confeſſionis nullum poſſe colligi argumentum, nec coniecturam, nec indicium ſanctitatis ad effectum Beatifi-
B cationis, Canonizationis, aut cuiuſuis alterius generis cultus, ac proinde neque à titulo ſanctitatis (etiam ſepulchris ſubterraneis cæmiteriorum inſcripto) manifeſtum eſt.

Addamus his argumentum ſumptum ex ipſis inſcriptionibus antiquis, quas collegit in vnum corpus Ianus Gruterus: in quibus titulo ſanctitatis etiam Ethnicos non ſolum Imperatores, ſed etiam illorum Vxores inſignitas videmus: nam pag. 272. lapidem ſic inſcriptum reperies:

C

FVRIAE. SABINAE. TRANQVILLINAE
SANCTISSIMAE. AVG
CONIVGI. DOMINI. N.
M. ANTONII. GORDIANI
PII. FELICIS. AVGVSTI.
DECVRIALES. AEDILIVM. PLEBIS
CERIALIVM. DEVOTI. NVMINI
MAIESTATI QVE. EORVM.

In eadem pagina eſt alter ſimilis lapis apud eumdem
D Gruterum, in quo hæc ipſa Sabina ſimiliter SANCTISSIMA dicitur. & pagina 274. Salonina Auguſta ſanctiſſima fæmina appellatur. & pag 101. eſt alter lapis in quo Imperatores ſanctiſſimi dicuntur. & Veronæ in arcu antiquo qui pro vrbis porta aliquando fuit, Gallienus Auguſtus ſanctiſſimus ſimiliter appellatur. Beatiſsimi quoque dicuntur in lapide alio Cæſares filij Conſtantini pag. 284. & eſt huiuſmodi:

D D. N N. A
CONSTANTINO
ET
CONSTANTIO
BB. BEATISSIMIS
QVE. CAESS.
R P. E P.

Sunt alij plures lapides,in quibus alij ex Ethnicis tam viri
quam mulieres Beatitatis ac Sanctitatis titulis condecorantur.
Ex quibus, & reliquis huc vſque dictis planum eſt, neque ex B
monumentis ſpectabilibus,neque ex eleuatione cadauerum,
neq; ex inſcriptionibus antiquis cũ Sanctitatis aut Beatitatis
titulis, aliquod poſſe ſumi argumentum aut indicium ſancti-
tatis ad fauorem alicuius defuncti per reſpectum ad Beatifi-
cationem, aut Canonizationem, aut cuiuſuis alterius gene-
ris cultus: niſi adſint alia ſanctitatis ſigna, & præcipuè Virtu-
tum actus in gradu heroico iuridice probati.

C

CAP. II.

Quodnam argumentum ſanctitatis ſumatur à Cœmeterijs, & cryptis arenarijs antiquis.

A Sepulchris & monumentis ſupra terram con-
ſtructis, & in ſublime eleuatis, de quibus iam
egimus, ad ea quæ ſubtus terram in obſcuris D
atque horridis cauernis exſtant, tranſeundum
eſt. Ijs enim in locis naſcentis Eccleſiæ fideles
defunctorum ſuorum cadauera recondidiſſe, quæ Romæ,
Lugduni, & alibi extant cœmeteria, & cryptæ arenariæ de-
monſtrant. Athenæus lib. 4. Dipnoſoph. auctor eſt in ſin-
gulis Vrbibus apud Cretenſes loca quædam extitiſſe, ac
ædes publicas, in quibus ad quietem omnibus præſtabatur
adi-

A aditus, quæ propterea Cœmeteria dicebantur. Mors igitur fidelibus Chriſtianis quies cum ſit, iuxta illud Ioannis in Apocalypſi: *Beati mortui qui in Domino moriuntur: amodo iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis:* & mors ipſa à Chriſto ſomnus dicatur, cum ait: *Lazarus amicus noſter dormit, & vado vt à ſomno excitem eum:* Propterea non ſolum fideles qui iam deceſsiſſent, dormire ex communi ſacrarum ſcripturarum phraſi dicti ſunt, ſed à dormitione

B quoque & quiete ſumpto vocabulo, loca ipſa, in quibus cadauera defunctorum recondebantur, Cœmeteria à verbo Græco κοιμάομαι quod eſt dormio, quaſi dormitoria, tam primis, quam poſterioribus Eccleſiæ temporibus, dicta fuere. cum hoc tamen diſcrimine; quod noſtris hiſce temporibus,ac ſæculis aliquot præcedentibus,cœmeteria dicta ſunt vel ipſa templa, vel campus quidam ſiue area circa templa vel etiam alibi conſtitutus, & ad fidelium ſepulturam ſacris

C Eccleſiæ ritibus conſecratus:de quibus in præſentiarum non agimus. At vero primis Eccleſiæ temporibus: loca fidelium ſepulturis deſtinata, intra terræ viſcera cryptis arenarijs & cauernis excauatis, ductiſque quaquauerſum longis ac profundis cuniculis parabantur. Et quemadmodum nunc in templis, in quibus à fidelibus Synaxes habentur, myſteria celebrantur, ſacramenta miniſtrantur, & penſum horarum Canonicarum perſoluitur, non ſolum ſanctorum Marty-

D rum corpora, ac reliquiæ ad cultum exponuntur, ſed etiam fidelium defunctorum cadauera reconduntur: Ita pariter prioribus illis Eccleſiæ ſæculis in cryptis arenarijs, & ſubterreneis cuniculis (in quibus tempore perſecutionum fideles ad Synaxes, ad Dei verbum audiendum, ad participationem ſacramentorum, & ad alia miniſteria Eccleſiaſtica conueniebant) non Martyrum ſolum, ſed aliorum etiam fidelium cadauera reponebantur; vt docet noſter nunquam ſatis laudatus

datus Páuinius in libello de Cœmeterijs cap. 11. pag. mihi 68. A
Ac proinde cœmeteria, hæ quoque cryptæ arenariæ dicebantur; de quibus in hoc capitulo agimus: quærimuſque, quodnam ex ipſis argumentum ſumatur ad effectum cultus publici alicuius, cuius cadauer in his repertum fuerit.

Ac ſanctorum quidem martyrum corpora in his cœmeterijs condi ſolita, paſsim in actis ipſorum martyrum, & Eccleſiaſticis hiſtorijs ſcriptum reperimus. Quod autem ad ſepulturam aliorum quoque fidelium eadem cæmeteria deſeruirent, idem Panuinius oſtēdit libro citato: vbi poſtquam in his ſacra quoque myſteria peragi demonſtraſſet, ſubintulit: *Quis igitur negare audebit cœmeteria non ſolum idem cum Eccleſijs fuiſſe, ſed aliquid amplius quam Eccleſias vrbanas? ſepulchra ſcilicet Chriſtianorum, quæ intra vrbem fieri non poterant*. Id ipſum teſtatur Antonius Boſius *Romæ ſubterraneæ* Libro 4. cap. 4. in quo cœmeteria Chriſtianorum nunquam commaculata gentium ſepulchris probare nititur, ac poſtquam apud Ethnicos defunctorum cadauera concremari conſueuiſſe monſtraſſet, loquens de cadaueribus fidelium ita ſcribit: *Ma gli Chriſtiani imitando li Padri del Vecchio teſtamento, che riponeuano li corpi de Defonti nelle ſpelonche, eleſſero luoghi ſotterranei e naſcoſti, come ſono li cemeterij (doue con l'occaſione di cauar l'arena ò pozzolana, al che ſpeſſo erano condennati come particolarmente per la fabrica delle Terme di Diocletiano, per la quale ſette anni vi furono condennati quaranta mila criſtiani) cauando all' hora & in altre ſimili occaſioni ſepolchri da ogni parte; nel tempo delle perſecutioni, babitauano viui, e ripoſauano morti.*

Notandum vero in his ipſis ſepulchris, quæ intra cœmeteria ſubterranea, & cryptas illas arenarias exiſtunt, plura ſymbola & inſcriptiones reperiri: inter quæ frequentiſſimè palmæ quædam inciſæ occurrunt, ſed aliter atque aliter expreſ-

A expreſſæ. nam iterdum tantummodo extra ſepulchrum, videlicet in ipſa exteriori ſepulchri linitura ſupra calcem effigiatæ viſuntur, cum nomine perſonæ cuius cadauer ibi fuit reconditum: aliquando vero in aliquo ſtipite vnica tantum palma ſignata cernitur, interdum plures: quæ etiam aliquando Crucis ſigno vel Chriſti nomine interſecantur. Interdum palmæ non ſolum extra, ſed etiam intra ſepulchrum cadaueri appoſitæ reperiuntur, vel inſculptæ cernuntur in
B aliqua lamina plumbea, cum nomine perſonæ ibi reconditæ. Interdum denique vnà cum palma inſculpta, nonnulla vitrea vel alterius materiæ vaſcula ſanguine plena, vel ſubplena adſunt; cum aliquibus quoque inſtrumentis è ferro, vel alia materia, ad torquendum homines accomodatis, quæ nunc omnia nobis ſingulatim conſideranda ſunt.

Notum eſt cuiuis vel leuiter litterato Palmam, tam apud Ethnicos, quam apud Chriſtianos, victoriæ ſymbolum eſſe.
C Cum autem Chriſtiani purioris vitæ ſtudioſiores duplici olim bello ſubiacerent; nimirum interno, quod cum diabolo, mundo, & carne gerebatur; & externo, quod tempore perſecutionis cum tyrannis habebant: duplicem quoque victoriam apud Chriſtianos palma ſignificari potuiſſe, clarum videtur. nimirum internam, quam conſequuntur perfectioris vitæ ſectatores in Euangelica perfectione, & externam quam martyres de tyrrannis in perſecutionibus adipiſceban-
D tur. Atq; hinc dubitari merito poteſt, qualem victoriam per palmam in ſepulchris expreſſá Chriſtiani ſignificare voluerint; internamne illam de triplici hoſte inuiſibili, an externam, quam milites Chriſti pro Euangelio pugnantes per martyrij cruciatus, & mortem de tyrannis adipiſcebantur.

Auctor Romæ ſubterraneę Antonius Boſius lib 4. cap. 4. de his ipſis palmis agens, ſenſiſſe videtur, palmis quæ in ſepulchris fidelium ſubterraneis viſuntur, ſignificari victoriam

quæ

quæ per martyrium reportatur. Saltem non ſatis ſe ipſum A explicat, vel non ſatis ipſe illius ſententiam percepi. Ego tamen, ſaluo doctiorum iudicio, per ſimplicem palmam (niſi alia ſigna concurrerint) nequaquam martyrium ſignificari arbitror, ſed eam tantum victoriam, quam purioris vitæ chriſtianæ ſectatores de Mundo, Dæmone, & Carne diuina adiuuante gratia adipiſcuntur. Quod ex epitaphijs quæ in ipſis cœmeterijs extant, probatũ eſſe arbitror. nam in lapide quem repertum Calari in Sardinia aſſerunt, ad ſepulchrum B Luciferi quondam Epiſcopi Calaritani, qui ſchiſmaticus deceſſit, vna cum illius nomine Crux cum duabus palmis inciſis viſitur. Verum ille non martyr, ſed confeſſor deceſſit; vt ex Hieronymo, Euſebio, alijſque probat Baronius. vnde per palmam non martyrium ſolum, ſed aliam illam de mundo ac Dæmone victoriam, etiam Chriſtianos olim ſignificare voluiſſe colligimus.

His præmiſſis, vt tandem ad argumenta ſanctitatis, quæ C ex his ſubterraneis locis erui poſſunt, veniamus: dico, nullum validum ſanctitatis argumentum ad effectum Beatificationis, aut Canonizationis alicuius à cœmeterijs ſubterraneis & cryptis arenarijs quæ Romæ adhuc extant, deſumi poſſe, ex eo ſolum, quod alicuius illic defuncti corpus inter reliqua Chriſtianorum corpora reconditum reperiatur: quamuis certo etiam cõſtet cœmeterium illud à Chriſtianis tempore perſecutionum ad ſuos vſus excauatum, atque nonnulla illic D poſita ſanctorum Martyrum corpora. Ratio eſt in promptu, quia cœmeteria non ſolum ad recondenda martyrum & aliorum ſanctorum corpora facta erant, verum ad ſepulturam reliquorum etiam fidelium. Inter hos autem fideles, etiam primitiuæ Eccleſiæ, non omnes vitam omnino à peccatis immunem ducebant, ſed nonnulli ex ijs grauiſſimis etiam criminibus commaculati fuere, vt ex prima Apoſtoli ad

A Corinthios Tertulliano, Cypriano, & ex alijs veterum Patrum ſcriptis perſpicuum eſt: de aliquibus tamen cum conſtet, facta exomologeſi, defunctos in Eccleſiæ communione; in communi quoque ſepulchro cum reliquis Chriſtianis reconditos fuiſſe credendum eſt. ergo ex eo tantum quod alicuius cadauer in antiquis Romæ cœmeterijs reconditum reperiatur, nullum argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis, aut cuiusuis generis cultus hauriri po-
B terit: quemadmodum nec hodie hauriri poteſt aliquod Sanctitatis indicium ad eundem effectum, ex eo quod fideles in Eccleſijs, in quibus aliquorum ſanctorum corpora recondita habentur, ſepeliantur.

Cœmeteria autem quæ habentur extra Romam in alijs chriſtiani orbis Regionibus, vrbibus, & prouincijs, multo minus ſuppeditare poſſunt ſanctitatis argumentum ad effectum eundem: licet quoque in eiſdem ſanctorum mar-
C tyrum corpora recondita probentur. Quia de Cœmeterijs quæ habentur extra Romam, deque illorum indemnitate à ſepulchris, & cadaueribus hæreticorum, aut cuiuſuis generis Infidelium, parua, aut nulla poteſt haberi certitudo. Vnde ſunt aliqui, quos, quod eorum cadauera recondita eſſent in cœmeterijs antiquis, nonnullæ Eccleſiæ Martyres extitiſſe contendunt, & vt tales venerantur, qui interim auctoritate Romanæ Eccleſiæ Canonizatione, vel vindicatione
D (ſi loqui velimus ex antiqua phraſi) non ſunt probati. Cum tamen Romanæ Eccleſiæ teſtimonium ad martyrum, & aliorum ſanctorum cultum prærequiratur, ex cap. *Audiuimus* de rel. & vener. ſanct. Quamuis autem certũ ſit Romanam Eccleſiam in Canonizatione ſanctorum errare non poſſe, illud quoque negari non poteſt non omnes Martyres, nimirum quotquot pro Chriſto occubuerunt, eſſe canonizatos vt etiam adnotauit Baronius: de quo in ſequenti libro plura dicen-

dicentur. Quamobrem certum eſſe debet, aliquam Eccleſiam particularem errare poſſe in cultu alicuius martyris, vel ſancti: ſicut erraſſe conſtat illam Eccleſiam, quæ in Diœceſi Turonenſi vt martyrem colebat, quem S. Martinus ad inferos fuiſſe damnatum volente Deo accepit; ſicut ex eius actis apud Sulpitium Seuerum habetur. Eccleſiam quoque Conſtantinopolitanam ex Nicephoro lib. 14. cap. 26. Eudoxiæ Arriana hæreſi infectæ cultum eximium tribuiſſe conſtat. Idem teſtatur Antiochenam Eccleſiam inter Canonizatos recenſuiſſe Paulinum & Euagrium, viros ſchiſmaticos. Quibus omnibus ex rationibus, tum hiſtorijs & exemplis quæ poſſent afferri, recte colligimus, quod, quamuis alicuius defuncti corpus in aliquo cœmeterio perantiquo, quin etiam inter aliquos martyres, ſepultum reperiatur; inde tamen nullum ſanctitatis argumentum validum ad effectum Beatificationis aut Canonizationis hauriri poſſit, aut ad alterius cuiusuis generis cultum, qui ſolis Sanctis iam probatis ab Eccleſia debetur. A B C

Quin etiam, quamuis diligentiſſime Romana Eccleſia præcauiſſet, ne cœmeteria Chriſtianorum Romæ exiſtentia cadaueribus Iudæorum, Hæreticorum, Ethnicorum, aut etiam Schiſmaticorum contaminarentur, vt ad longum probat auctor Romæ ſubterraneæ: Nihilominus hanc immunitatem iuxta intentum ſuum integre aſſecutam ſubdubitari poteſt, neque à prædicto Auctore plene probari reor. Cum enim multoties, immo ſæpiſſime, inter ſchiſmaticos, hæreticoſque non ſolum aliqui cæteris magis litterati reperiantur, qui hæreſim profiteantur; ſed etiam ex imperitiori plebe plures aliquando exiſtant, qui ſchiſmatibus, doctriniſque hæreticorum adhæreant, qui pariter inter hæreticos, & ſchiſmaticos adnumerantur: ea propter dubitandum nequaquam videtur, quoties aliquod ſchiſma Eccleſiam turbaret, D

vel

A vel per annos complures aliqui hæretici cum ſuis ſectarijs Romæ coſiſterent, quin contingere potuerit, immo de factis cotingerit, vt in cœmeterijs Catholicorum cum reliquis Chriſtianis reconderentur, qui ex illis deceſſiſſent, ſaltem ex imperitiori plebe; nimirum qui non eſſent ex anteſignanis, & coriphæis inter hereticos. Cum enim Chriſtiani eſſent, & inter chriſtianos viuos recenſerentur, inter eoſdem ſepultos poſt mortem fuiſſe, ratio ſuadere videtur;
B ac proinde nequaquam omnino certo conſtare poteſt, cœmeteria Catholicorum à cadaueribus hæreticorum, vel ſchiſmaticorum extitiſſe immunia: præſertim vbi hæretici vel ſchiſmatici Catholicorum cœmeteria occupaſſent.

Occupaſſe autem Catholicorum cœmeteria hæreticos, ſchiſmaticoſque aliquando, certum eſt auctoritate Optati Milleuitani, qui contra Parmenian. lib. 6. de Donatiſtis ait: *Quia ad hoc Baſilicas inuadere voluiſtis, vt vobis ſolis cœmete-*
C *ria vendicetis, non permittentes ſepeliri corpora Catholica. Vt terreatis viuos, male tractatis mortuos, negantes funeribus locum.* Quamuis igitur Optatus Donatiſtas aliquos in illis cœmeterijs ſepultos non affirmet, ſed tantum dicat Donatiſtas impedimẽto Catholicis extitiſſe, ne in cœmeterijs ſepelirentur: ſi tamen recte ſingula expenderis, plane conſtabit etiam Donatiſtas in his fuiſſe ſepultos. *Ad hoc Baſilicas inuadere voluiſtis*, inquit Optatus, *vt vobis ſolis cœmeteria vendicetis.*
D Igitur ante id tempus illa ipſa cœmeteria Hæreticis atque Catholicis communia fuerant, & vtrorumque cadauera in illa inferebantur. occuparunt vero Donatiſtæ cœmeteria, vt ab ijs cadauera Catholicorum arcerent, & ſolis Donatiſtis fas eſſet in cœmeterijs fidelium ſepeliri.

Schiſmaticos quoque cœmeteria Catholicorum aliquando Romæ occupaſſe, conſtat auctoritate doctiſſimi Baronij vbi tractat de ſchiſmate Vrſicini qui ſedere conatus eſt

Romæ

Romæ contra Damaſum. *Eo vſque proruperunt* , inquit, A
Vrſicinæ partis Romæ ſchiſmatici , vt compulſi licet manu militari, atque etiam Baſilica, quam occuparant, ſpoliati fuiſſent ; vel reddita illa Damaſo nequaquam acquieuerint , ſed obduratis animis abhorrentes penitus communicare cum legitimo Vrbis Antiſtite , nouum illud parauerint conſilium à mente admodum obdurata ſuggeſtum , nempe , quod (Præfectis prohibentibus cum intra vrbem conuentus agere non liceret) in ſuburbijs , in
cryptis arenarijs , alijſque priuatorum locis Eccleſiam congre- B
garent. Et licet vix annum vnum illud Vrſicini ſchiſma durauerit; quia tamen intra anni huius ſpatium plures ex ſchiſmaticis deceſciſſe veroſimile eſt , hos ipſos in cœmeterijs, quæ occuparant, ſepultos fuiſſe probabiliter aſſeri poteſt : ac propterea nullum ex cœmeterijs antiquis efficax argumentum ſanctitatis deſumi poteſt ad effectum Beatificationis, ac Canonizationis: quæ non dubijs,aut leuibus argumentis,
ſed plane certis , ac validis inniti debent . C

Sed tranſeamus ad ipſa iam ſepulchra, & varia ſymbola, quæ in his intra ipſa cœmeteria conſpiciuntur . inter quæ frequentiſsime occurrit ſymbolum ſeu hieroglyphicum nominis Chriſti, quo Conſtantinus tam labarum, quam capitis coronam inſigniſſe legitur, extatq; in ſepulchris ſubterraneis ac inſcriptionibus , quę his apponuntur, expreſſum in hanc formam : ☧ Dico igitur, neque ex hoc nominis Chriſti
ſymbolo, quouis modo in ſepulchris expreſſo, vllum D
ſanctitatis argumentum hauriri poſſe ad effectum Beatificationis, Canonizationis , aut cuiuſuis alterius generis cultus. Quia ſanctitatis argumēta ad effectum Canonizationis,alteriuſque ſimilis cultus , ſumi debent ex perfectione vitę, ac morum, & virtutibus gradum heroicum attingentibus : quę ſunt vera ſigna ac veluti pignora glorię qua in cęlo frui colligitur,de cuius in terris cadauere agitur. Ex prędictis autem

hiero

A hieroglyficis, characteribus, ac ſymbolis, nullum poteſt ſumi argumentum morum, aut virtutum in gradu heroico: neque poteſt haberi certitudo aliqua, aut probabilitas, quod is cuius cadauer ibi ſepultum iacet, cælo fruatur. ergo ex illis nullum ſanctitatis, ad effectum Canonizationis, aut cultus publici, deſumetur argumentum.

Atque in primis character ille nominis Chriſti, ☧ non ſanctitatis, neque perfectionis Euangelicæ, ſed B Chriſtianitatis tantum nota eſt: nimirum quod is, qui cum eo ſigno in ſepulchro reconditus eſt, profeſsione Chriſtianus extitit. Verum, an Chriſtianæ fidei, & Catholicæ Religionis verus ſectator extiterit, an aliqua hæreſi, vel ſchiſmate infectus, ex eo ſigno haberi nequit. nam etiam Hæretici, & Schiſmatici Chriſtianam Religionem profitentur, & inter Chriſtianos ſeſe annumerant. Inſuper ex prædicto charactere colligi nequit, an is cuius cadauer ibi recõditum C reperitur, inter bonos Chriſtianos ſit recenſendus, an vero peccator, & malus extiterit: ſicut neque ex inſcriptionibus, & elogijs, quæ ſepulchris inſcribuntur, hæc hauriri queunt. Quapropter his ſymbolis, ac characteribus ſolis fidendum non erit, ſed certiora inquirenda ſanctitatis argumenta, ad præſtandum alicui Beatificationis, vel Canonizationis cultũ.

Quod vero ſpectat ad reliquas figuras, ſiue notas, quæ ſuper ſepulchra in cryptis arenarijs inciſæ reperiuntur, vt D columba cum oliuæ ramuſculo in ore, & ſine illo, Anchora, & his ſimilia ſymbola; nullum ex his omnibus ſanctitatis indicium, aut argumentum ad effectum publici cultus, deſumi poſſe aſſero. & ratio eſt: quia his ſymbolis nihil aliud in prædictis ſepulchris repræſentatur, niſi Chriſtiana religio, quam profeſſus fuerat is, cuius cadauer ibi reconditur. Addebant vero has notas hieroglyphicas ſepulchris illius ſæculi fideles, tùm ad ſolatium viuorum, tùm ad eas

Vu vir-

virtutes exprimẽdas, quas omnis Chriſti aſſecla profiteri ſo- A
let, Fidem ſcilicet, ac Spem in Chriſtum redemptorem.



In his quippe columbis, quæ ramum oliuæ ore deferebant, ad columbam reſpiciebant, quæ à Noe extra Arcam emiſſa, cum oliuæ ramuſculo ſolijs virente ad eundem redijt, in ſignũ pacati Numinis, & ceſſantis diluuij. Vnde ad ſubindicandum, quod qui in eo ſepulchro recondebatur, in arca Noe, ideſt in Eccleſiæ gremio diem ſuum obijſſet, ad eius ſepulchrum B
arcam Noe adpingebant atq; columbam prædictam. Tùm etiam vt ſignificarent defunctum ibi reconditum, non quidem per martyrium tempore perſecutionis, ſed in Eccleſiæ pace diem clauſiſſe extremum. Anchora vero in ſepulchris expreſſa, nota erat virtutis Spei, cum qua defunctus obierat. Quemadmodum igitur ex elogijs defunctorum, epitaphijs, cenotaphijs, carminibus, inſcriptionibus, & alijs huiuſmodi notis, quibus decorantur ſepulchra, & collau- C
dantur hi qui in his reconditi iacent, nullum vel leue indicium ſanctitatis hauritur: ita neque ex prædictis ſymbolis, ſiue notis. quia prædicta, aliaque plura ſepulchris inſcribuntur pro arbitrio illorum, qui bene affecti ſunt erga defunctum: ſiue is fuerit hæreticus, ſiue fidelis, ſiue ſchiſmaticus, ſiue ethnicus.

Sed quia frequentiſſima eſt in his ſubterraneis ſepulchris, inſculpta Palmæ figura; dico ſimiliter, ex ſolis Palmis, ſiue D
intra ſepulchrum cadaueri appoſitis, ſiue extra illi inſculptis, nullum poſſe ſanctitatis, aut martyrij omnino validum educi argumentum. & ratio eſt: quia plurimæ ſepulchrorum inſcriptiones reperiuntur in cœmeterijs Romanis cum palma, in quibus tamen certum eſt nullius Martyris corpus fuiſſe reconditum. In Roma ſubterr. lib. 3. pag. 153. legitur hæc inſcriptio:

LEV-

A



LEVPARDVS
SE BIV. V. FECIT.



Quis enim dicat aliquem ſibi apparaſſe ſepulchrum, dum adhuc inter viuos degeret, palmasq; ad notam Martyrij in-
B ſcripſiſſe? arrogantiæ namque notam, & peccati culpam effugere non poteſt, quiſquis eo temeritatis proceſſerit, vt palmam hoc fine ſepulchro ſuo ipſe inſcribi iubeat. Apud Guterum pag. 1508. n. 6. habetur hæc inſcriptio cum duabus palmis:



REGINA. VIBAS
C IN. DOMINO
ZESV.



Quam inſcriptionem Romæ ex Eccleſia ſanctæ Sabinæ ſibi miſſam aſſerit Guterus. Nullam vero aliquando mulierem nomine Reginam Martyrem agnouit Romana Eccleſia. Sunt quoque alij plures lapides litterati cum palmis in Sub-
D terranea Roma; in quibus deſcribuntur ac notantur conſules eius anni, quo deceſſit is, cuius cadauer in ſepulchro reconditur: cum ex eadem conſulum nota nequaquam martyrio vitam finiſſe, qui in eo reconditur, res ſit manifeſta. & pag. 302. eſt hæc alia inſcriptio: *Ego Aurelius Fortunatus filio dulciſsimo Cerdoni, qui vixit annis decem, dies Biginti, & duo. VIII. Idus Iunias in pace.* Ad quam inſcriptionem binæ inſculptæ palmæ cernuntur: cum tamen ex hac phraſi,

In pace, plane conſtet puerum illum non quidem per martyrium, ſed naturali ex infirmitate ſpiritum reddidiſſe. A

Certè in Græcorũ Meneis,(quo nomine appellant libros diuino Officio deputatos Sanctorum vitas complectentes) per hanc phraſim, ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται idest. *In pace moritur*, paſſim diſtinguuntur nõ martyres à martyribus. Ita die 7. Iunij SS. Stephanus, Antymus, & Sebaſtiana, per hoc quod *in pace* mortui dicuntur, ſeparantur à ſanctis Martyribus Tharaſio, & Ioanne. Non enim in pace Martyres, ſed adiecto B
martyrij genere, gladio puta, aut igni, vitam finiſſe in dictis Meneis referuntur. contra accidit in non martyribus: vt videre licet die 3. Auguſti, vbi mentio fit S. Solomes quę emit vnguenta ad vngendum Chriſtum: ἡ ἁγία Σαλώμη ἡ μυροφόρος ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται idest. *Sancta Salome vnguentifera in pace moritur.* Quæ phraſis paſſim toto, vt dixi, libro occurrit.

Palma etiam aliquando inſculpta ſepulchris viſitur nondum baptizatorum, imo etiam puerorum duorum menſium. In alijs adiunguntur ſequentibus inſcriptionibus: C
CONIVGI CARISSIMÆ, VIRO BENEMERENTI, & alijs ſimilibus, in eorum ſepulchris quos conſtat Martyres non fuiſſe. Vnde nulla ratione admittendam reor illorum ſententiam, qui tantum ad notam martyrij Palmam inſculpi ſepulchris conſueuiſſe affirmant: ac proinde ſolis ex palmis ſepulchro inſculptis in cœmeterijs Chriſtianorum, nullum hauriri poſſe ſanctitatis argumentum puto, D
ad effectum Canonizationis alicuius, aut alium aliquem cultum.

At vero ſi hæ Palmæ in aliquo ſepulchro effictæ, aut inſculptæ, aut etiam cum oſſibus defuncti intra ſepulchrum repertæ, aliqua martyrij inſtrumenta, aut ſanguinis vaſcula, aut panniculos ſanguine coloratos, & his ſimilia adminicula coniuncta habuerint: tùm vero efficax indicium, va-

lidum-

A lidumque ſanctitatis, ac Martyrij argumentum ſubminiſtrabunt.

Vt autem plenè capiatur, quid per ſupradicta verba (*& his ſimilia adminicula*) intelligi velim, ad memoriam reuocanda ſunt, quæ iam ſupra diximus: aliquando nimirum Hæreticos, & Schiſmaticos Catholicorum cœmeteria occupaſſe, præſertim Donatiſtas in Africa. qui cum Eccleſiam penes ſe remanſiſſe dicerent; de numero Martyrum cum B primis gloriabantur. Et plures quidem ex his pro Chriſto occubuiſſe conſtat: ſed quia non ſteterunt in vnitate Eccleſiæ, neque in ea deceſſerunt, propterea ab Eccleſia Catholica merito reijciuntur, & inter veros martyres minime connumerantur. Et hæc eſt Catholica ſanctiſſimaq; Cypriani doctrina in lib. de vnitate Eccleſiæ n. 3. *Primatus Petro*, inquit, *datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & cathedra vna monſtretur.* & infra ſub num. 4. *Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti,* C *incorrupta eſt, & pudica: vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. hæc nos Deo ſeruat, hæc filios regno quos generauit aſſignat. quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ iungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur, nec perueniet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti. alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt: habere iam nō poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem*; & infra ſub num. 9. in fine. *Poſtremo lapſus*, ideſt qui peccat, *martyrium poſtmo-* D *dum conſecutus poteſt regni promiſſa percipere: ille*, (ideſt ſchiſmaticus, de his enim loquebatur Cyprianus) *ſi extra Eccleſiam fuerit occiſus, ad Eccleſiæ non poteſt præmia peruenire*. Quamobrem qui pro Chriſto interficiebantur ex hæreticis, & ſchiſmaticis, à Doctoribus non quidem inter Martyres, ſed inter pſeudomartyres reponuntur. Nemo igitur, ſtatim ac reperiri contigerit aliquod cadauer in ſepulchro cum his quas diximus inſcriptionibus, ſignis, aut martyrij notis, ſeu

inſtrumentis; pro ſacro Martyris corpore illud recipere debet, & ad cultum exponere. Sed prius conſiderare oportebit, num tale cœmeterium aliquãdo ab Hæreticis, vel Schiſmaticis occupatum fuerit, & an is, cuius cadauer in eo ſepulchro iacet, alibi in Eccleſiaſticis Martyrum tabulis conſcriptus reperiatur, vel aliquid aliud in eo ſepulchro habeatur per quod neque de fide Catholica defuncti, neque de veritate Martyrij addubitandum occurrat. hæc inquam ſunt, quæ *adminicula* ſupra appellauimus, eo quod ad alias notas accedentia, illarum auctoritatem, ac fidem adiuuant ad veram, ac plenam martyrij comprobationem, & effectum Canonizationis, aut alterius publici cultus. A B

Non poteſt autem Eccleſia huiuſmodi cultum alicui decernere, niſi prius de defuncti ſanctitate ex eius religione, vita, virtutibus, genere denique mortis, & finali perſeuerantia certa ſit, ac pro indubitato habeat eum, de quo agitur, cæleſti gloria ac diuina viſione perfrui. Hac vero viſione, certum eſt frui omnes, quicumque in vnitate Catholicæ Eccleſiæ glorioſa morte martyrium compleuerint. At ex prædictis palmis, martyrij inſtrumentis, vaſculis ſanguinis, tabulis Eccleſiaſticis, aliiſq; ſimilibus adminiculis, ac ſignis, Eccleſia certa redditur de martyrio, & ſanctitate illius, cuius cadauer in antiquis cœmeterijs repertum fuerit. Ergo hæc prædicta ſigna, & adminicula validum præbebunt ſanctitatis, & Martyrij argumentum ad effectum Canonizationis, vel ad exponendum alicuius nomen, aut reliquias in publicum fidelium cultum. C D

CAP.

A
CAP. III.

Quodnam argumentum ſanctitatis ſumatur ab integritate, ſeu incorruptione cadauerum.

B QVID Cadaueris vocabulo hic intelligamus, omnes intelligere exiſtimo: non cuiuſlibet videlicet animalis, ſed hominis vita extincti corpus. Qui ſi cum ſanctitatis opinione deceſſerit; quærimus in præſenti capite, quodnam adiumentum adferre poſſit ad eum in Sanctorum numero publico Eccleſiæ iudicio reponendum, ſi fortaſſe eius cadauer poſt multa annorum decurſa ſpatia integrum, atque incorruptum perdurauerit.

C Poſſe autem ex ea incorruptione, ſeu integritate cadaueris aliquod ſanctitatis deſumi argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis alicuius ſerui Dei, inde colligitur, quod inter priuilegia Chriſti, atque notas diuinæ eius filiationis à Prophetis decãtatas, hæc quoq; incorruptibilitas recenſetur. Dauid Proph. pſal. 2. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*. quem locum Petrus act. 2. n. 27. de Chriſto interpretatur, ac certo eum reſurrexiſſe ex hoc
D loco demonſtrat. quod etiam facit Paulus eodem argumento innixus eiuſdem libri cap. 13. n. 34. & ſequentibus. Itaque de fide eſt, prædictum locum pſalmi de Chriſto debere accipi. Quæcunque autem priuilegia Chriſto conceſſa fuere, ad eius ſanctitatem præcipuè comprobandam data ſunt. Vnde per antonomaſiam à Propheta Chriſtus *Sanctus* appellatur. Ergo ab incorruptione cadaueris, non leue, aut perfunctorium ſanctitatis argumentum, ad effe-

ctum Beatificationis, & Canonizationis educi poterit. A

Certè, ex miraculis euidentibus, & apertis, validum ſemper ſanctitatis argumentum deſumptum eſt ad eum, quem diximus, effectum. Quod autem homine extincto cadauer eiuſdem incorruptum remaneat, miraculi maximi rationem habere videtur. Igitur & maximum ſuppeditabit, ac planè validum ſanctitatis argumentum ad Beatificationis, & Canonizationis cultum obtinendum. Excedit enim longè Naturæ vires, quod homine extincto, & anima recedente per B quam ipſius corporis forma ſuſtentabatur, eadem tamen forma, ſine corruptione integra, atque indeſtructa perſeueret.

Præterea magnum ſanctitatis argumentum eſt, quod prędicta cadaueris incorruptio aliquo modo primam hominis innocentiam exprimit: ita vt ille, cuius cadauer incorruptum permanſit, quaſi legitimo teſtimonio probare videatur, ſe ex ſpeciali Dei gratia immunem à peccato ex hac vita deceſ- C ſiſſe. Corruptio enim cadaueris poſt mortem, in pœnam peccati Geneſ. cap. 3. fuit homini conſtituta.

Hinc profectò eſt, quòd tam in litteris Apoſtolicis latis pro Canonizatione ſeruorum Dei, quam etiam in hiſtorijs Eccleſiaſticis in quibus eorum acta commemorantur, ad deſignandam eorum ſanctitatem de hac incorruptione cadaueris ſpecialis fit mentio. In actis Sancti Franciſci de Paula die 2. Aprilis in Romano Breuiario legitur. *Cuius* D *corpus dies vndecim inſepultum, ita incorruptum permanſit, vt ſuauem etiam odorem eſſlaret.* De ſancto Romualdo die 7. Februarij. *Eius corpus quinquennio poſtquam ſepultum fuerat, integrum repertum, Fabriani in Eccleſia ſui ordinis honorifice conditum eſt.* Tranſeo innumera alia teſtimonia, ex quibus apertè colligimus maximum, & validum ſanctitatis argumentum ab hac incorruptione cadaueris deſumptum

fuiſſe

A fuiſſe in eis, qui cum ſanctitatis fama ex hac vita ad meliorem tranſijſſent.

Non deeſt tamen huic loco ſua difficultas, quam vt melius diſſoluamus, vtq; obiectionibus, quæ iam dictis opponi poſſent, facilius occurramus; præſupponendum eſt primo, quod humano corpori forma rationali exuto corruptibilitas eſt omnino connaturalis, & intrinſeca: tum ratione propriæ compoſitionis, tum ratione diuini decreti ad pœnam pec-
B cati. Et quantum ad naturalem rationem, eadem eſt in cadauere ratio paſſibilitatis, atque corruptibilitatis. Sequitur enim neceſſario compoſitionem humani corporis ex quatuor elementis, atque humoribus, corruptibilitas: vt docent Theologi, atque inter eos Suarez ad quæſt. 51. D.Th. 3. p. in comment. ad artic. 3. §. in ſolut. ad 2. Quamobrem D. Th. loco citato ad 2. docet, quod corpus Chriſti mortuum, quantum ad conditionem naturæ paſſibilis, fuit pu-
C trefactibile: ac proinde ſublata diuina omnipotentia, in illo triduo, in quo iacuit in ſepulchro, corpus eius certiſſimè corruptum fuiſſet. quod reliqui etiam Theologi cum Magiſtro ſentent. in 3. diſt. 21. communiter affirmant. Putrefactio enim cuiuſcunque corporis, vt habet D. Th. loco citato in corp. prouenit ex infirmitate naturæ illius, ideſt, ex diſpoſitionibus, quæ requiruntur, vt materia informetur hac vel illa forma, videlicet forma cadaueris in re de qua agi-
D mus. quibus diſpoſitionibus amiſſis forma cadaueris amplius ſeruari nequit, ac proinde neque poteſt amplius corpus contineri in vnum, ideſt membra ſimul vnita, quod procedit à forma cadaueris, ita vt eo ipſo quod aliquod corpus humanum recipit formam cadaueris, eo ipſo breui temporis ſpatio corruptibile, & putrefactibile exiſtat.

Secundo ſupponendum eſt corruptionem cadaueris, vt quoddam mixtum eſt, prouenire, tum ratione formæ, tum

etiam

etiam ratione materiæ. Ratione materiæ cadauer corrupti- A
bile eſſe conſtat, quia materia inclinatur ad recipiendam
quamcunque mutationem, & eſt in potentia ad quaſcun-
que formas. Quamobrem materia humani corporis, dum
vna forma informata exiſtit, alias appetit quas non habet,
tanquam actus proprios à quibus perficitur. Et quia non
poteſt eas formas adipiſci, niſi prioris formæ corruptione
interueniente, hinc fit, vt ſaltem per accidens, materia com-
poſiti expetat propriam corruptionem. Quod autem etiam B
ratione formæ corruptibilitas comitetur cadauer, actus pro-
bat, qui ſequitur neceſſariò materiæ potentialitatem. Et
quia corruptio eſt actus per quem potentia, ideſt corrupti-
bilitas materiæ, reducitur ad actum; ſequitur quaſi neceſſa-
rio corruptionem eſſe naturalem cadaueri, non ſolum
ratione materiæ, ſed etiam ratione formæ ſaltem per ac-
cidens.

Obſeruandum quoque, quæ ſint externæ cauſæ corru- C
ptionis cadaueris, de quo argumento Cardanus lib. 6. de
rerum varietate cap. 26. doctè quidem oſtendit aquea om-
nia corrumpi, & humida ſuo generi comparata facilius.
fiunt enim mixta naturaliter ex aqua, & per aqueum humi-
dum tranſitus eſt in pingue humidum, quod ſedes eſt vitæ,
& durationis in humano corpore: ſed quia vi caloris depa-
ſcentis humidum pingue, illud ipſum quotidie reparari ne-
ceſſe eſt, quod in corpore vita deſtituto fieri nequit; pro- D
pterea omne mortuum, vt herbæ, fructus auulſi, animalia
mortua, deficiente nutrimento corrumpuntur, atque eo ma-
gis quo humidi aquei plus habuerint. Quamobrem quæ
facile putreſcunt, ideo facile putreſcunt, quia multo humi-
do aqueo prædita ſunt. Altera cauſa corruptionis eſt aer
ingrediens, qui ob id putrefacit, quia cõiunctus externo aeri
perpetuò mouetur, & mouendo diuidit, & diuidendo ſepa-

A rat partes, atque cadauer corrumpit. quia mortuo animali externus aer depaſcit illud humidum pingue, nec reparari poteſt alimento deficiente. Quod ſi aer calidus ſit, eo tenuior erit, maiorique copia & impetu ingredietur, & ob id facilius corrumpit, quia abſumit humidum pingue, quod reparari nequit.

Ex diuino quoque decreto in pœnam peccati cadauer humanum eſt corruptibile, vt ſuperius inſinuauimus, & ha-
B betur Geneſ. 3. in quo Deus Adamum ſic alloquitur: *Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes; maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: ſpinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ: in ſudore vultus tui veſceris pane tuo; donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ob quam decretoriam ſententiam docet Bartholomæus Sybilla
C in Speculo peregrin. quæſt. Deca. 3. cap. 8. q. 4. quod omnia humana corpora, quibuſcunque de cauſis ab incineratione præſeruata, ante finalem reſurrectionem in cinerem reſoluenda ſunt: vt prædicta verba à Deo contra Adamum omnemque eius poſteritatem prolata adimpleantur. Quam doctrinam alijs examinandam relinquo.

Verum quamuis homo poſt peccatum, in ſceleris pœnam, immedicabili quaſi phtiſi contrariarum qualitatum
D pugna, & corruptione laboret, quæ eum ſenſim abſumit, & enecat, vſque ad vltimum terminum corruptionis humanæ, qui puluis eſt: nihilominus prius in lutum reſoluitur. quia, vt adnotauit Cornelius à Lapide, puluis hic, ex quo factus eſt homo, aqua mixtus extitit, cum primum formatus eſt, ideoque in lutum, & limum terræ prius reſoluitur, antequam in cinerem redigatur. *Homo enim* (vt ait Pater Auguſtinus in ſentent. ſent. 260.) *factus erat immortalis, Deus eſſe voluit.*

voluit. non perdidit, quod homo erat; ſed perdidit, quod immortalis erat. Addamus, & quod incorruptibilis erat. A

His prænotatis dico, quamcumque alterationem in cadauere, genus eſſe cuiuſdam corruptionis: ac proinde, ſi cadauera nigreſcant, in regionibus in quibus homines ſunt albi; nigredo putatur, & eſt primus corruptionis gradus. Ita cadauer quod à calido ad frigidum, ab albedine ad nigredinem tranſit, incorruptum dici nequit. Ratio eſt: quia alteratio eſt motus ad qualitatem ſenſibilem mediam, vel extremam. Videantur Conimbr. in cap. 4. lib. 1. Ariſt. de gen. & corr. quæſt. 1. art. 1. Quamobrem quicumque motus ad qualitates ſenſibiles, ſiue ſint qualitates extremæ, vt calor & frigus, album & nigrum; ſiue ſint qualitates mediæ, vt tepidum, & cæruleum; motus is dicitur alteratio. Cumque qualitates ſenſibiles ſint diſpoſitiones ad formas; propterea quæ alterantur, corrumpuntur: & nihil corrumpitur, niſi per alterationem, & introductionem nouæ formæ in ſubiecto. Quando igitur cadauer ex albo, aut calido, fit frigidum, aut nigrum; ex conſequenti alteratur, & illa alteratio eſt motus ad nouas qualitates, & diſpoſitiones in ordine ad nouam formam, ab ea, quam prius habebat, diuerſam. Vnde non poterit dici incorruptum cadauer, quod ex albo fit nigrum, vel ſubalbum, vel aliquam aliam ſuſcipit alterationem. Et ideo corpora cœleſtia dicuntur incorruptibilia, quia non ſunt alterabilia. Igitur ſi aliquod cadauer fuerit alterabile, vel in totum, vel ex parte, erit etiam corruptibile: & de facto verè incorruptum nequaquam dici poterit, ſi v. g. vel extremum naris, vel aliquod aliud membrum putruerit, vel ad contactum membra defuncti diſſoluantur, & in puluerem redigantur.

B (beside "ratio eſt motus… extremam") · C (beside "pitur, niſi per alterationem") · D (beside "quia non ſunt alterabilia")

Hinc colliges, non poſſe cadauer aliquod dici incorruptibile vel incorruptum, ex eo, quod ad multum tempus inte-

A grum permanſerit, niſi vere & realiter nullam paſſum ſit al-
terationem, neque in colore, neque in carne, neque in oſ-
ſibus, neque quo ad odorem, & niſi omnino integrum etiam
ad contactum perſtiterit. Multoties enim accidit, vt cada-
uere in ſarcophago incluſo, ita vt ab aere non penetretur, &
loco ipſo ſarcophagi ab humiditate tuto exiſtẽte, illud ipſũ
longo poſt tempore integrum reperiatur, membris omni-
bus decenter ſuo loco conſiſtentibus: quod tamen ad pri-
B mum contactum diſſoluitur atque in puluerem redigitur.
Vnde ſimilia cadauera nequaquam dicenda ſunt incorrupta
permanſiſſe.

Dico inſuper, cadauera medicamentis quibuſdam à cor-
ruptione diu quidem conſeruari poſſe, non tamen perpe-
tuo. Hæc poſtrema pars videtur manifeſta, tum quia nihil
poteſt in rebus naturalibus dari, quod perpetuam habeat
virtutem impediendi quo minus aliquid in ſuum natura-
C lem terminum, aut inclinationem tendat. Tum etiam ra-
tione caloris extranei, contra quem nullum poteſt dari me-
dicamentum à quo perpetuo impediatur, quo minus circa
cadauera agat: & ex conſequenti nullum poterit dari natu-
rale medicamentum, quod perpetuo aliquod cadauer à pro-
pria, & naturali corruptione conſeruet.

Quod autem dentur aliqua medicamenta, quæ diu
valeant cadauera à corruptione ſeruare, certiſſimum eſt
D experientia ipſa, & ratio inſuper perſuadet. Conſtat enim
ex hiſtorijs, Herodoti præſertim, fuiſſe vſitatiſſimum apud
Ægyptios aromatibus, & vnguentis cadauera ſuorum con-
dire, vt à corruptione ſeruata diu domi retinere, atque ho-
nore cultuque proſequi liceret. De quo multa Medici, &
Petrus Bellonius libro, quem, poſt vniuerſam Ægyptum
luſtratam, de medicato funere edidit. Videmus hodieque
Summorum Pontificum, Regum, Principum, & aliorum
ma-

magnatum cadauera aperiri, extractisq; viſceribus aromatibus perungi, vt à corruptione ſeruentur. A

Sed rationem, qua id fieri poſſit, videamus. Cauſæ corruptionis in cadauere præcipuè ſunt calor extraneus, & pinguedo corporis: quæ cum humiditate ſuperflua polleat, & humidum facile corrumpatur; quo maior erit pinguedo alicuius cadaueris, eo magis corruptibilitati ſubiacebit. Excrementa quoque quæ in ventre, & viſceribus cadaueris exiſtunt, eiuſdem facilitant corruptionem. At medicamentis, & arte humiditas ſuperflua poteſt minui, & exſiccari, B atque inſuper impediri calor extraneus, ne tam cito humiditatem cadaueris abſumat. Ergo prædictis medijs cadauera à putrefactione defendi, & longo tempore incorrupta conſeruari poterunt.

Sed progredior vltra, aſſeroq; non ſolum medicamentis aliquod cadauer diu incorruptū conſeruari poſſe, ſed etiam abſque vlla arte, ex cauſa mere naturali, ſaltem ex aliquo capite. C Stat pro hac concluſione Bartholomæus Sybilla in Spec. peregrin. quæſt. Decad. 3. cap. 8. quæſt. 4. *Et quando etiam quædam miracula circa mortuorum corpora ad naturales cauſas reducibilia ſunt. Sicut ad illud de conſeruatione corporum à putrefactione poſt mortem, reſpondent aliqui, dicentes, quod virtus loci, vel virtus vnguenti, aut rei alicuius corpori impoſitæ poteſt eſſe cauſa præſeruationis corporum ab incineratione.* Stat etiam Cardanus de varietate rerum cap. 40. D qui hanc cadauerum conſeruationem regioni, & puritati aeris tribuit, necnon exercitationi, atq; victus rationi, quam aliquis dum viueret obſeruauit. Et lib. 6. cap. 26. ſeptem modos tradit res omnes conſeruandi à corruptione. & in fine capituli nonnulla præſcribit medicamenta, quibus res omnes conſeruari queunt. Facit pro eadem concluſione Fortunius Licetus lib. 4. de recond. antiq. lucern. cap. 6.

A Ratio cui innitimur, eſt: quia poteſt aliquod cadauer naturaliter exſiccari ab aqueo humido ſuperfluo, quod eſt corruptionis cauſa, & conſeruari in eo humidum pingue. Poteſt etiam defendi ab aere extraneo calido, depaſcente ac conſumente illud humidum pingue, per quod membra humani corporis colligantur, & corporis vnitas conſeruatur. Igitur poterit aliquando cadauer naturaliter diù conſeruari incorruptum. Prior pars eſt manifeſta, & probat
B eam abunde Fortunius Licetus loco citato. *Poteſt* (inquit) *cadauer ſiccitate loci in aere non mutato ſic exſiccatum fuiſſe, vt integrum vltra mille annos conſeruari valuerit in loco procul ab omni humiditate, quæ cauſa eſt vbique putrefactionis.* Exenterando quoque cadauera, & replendo eadem intus calce, ſale, vel alijs rebus exſiccantibus, à putredine præſeruari poſſunt. ſicut etiam exterius igne, vel ſole exſiccata nonnulla conſeruantur. Nam piſces, qui præ alijs animali-
C bus aqueo humido abundant, exſiccati, & ſale conditi diutiſſimè incorrupti perſeuerant. Poſſunt etiam defendi cadauera ab aere extraneo ambiente, præſertim à calidiore, ſi intra loculos lapideos in frigidiſſimis regionibus claudantur. Et Olaus Magn. in hiſt. de gentib. ſeptentr. lib. 11. cap. 30. in quo agitur de oppugnat. Nauium congelatarum, referens quid agant nautæ, ſi contigerit aliquem nobilem virum in naui diem claudere: *Frigoris horrore* (inquit) *ple-*
D *rumque mortui ſociorum manu dum terra ſepeliri nequeunt, vrna incluſi, perforata glacie, demerguntur in aquas: vel ſi nobiles, vel alterius reputationis inſignes viri ſunt; ſine horrore fœtoris, quaſi ligna virentia, ſaxea duritie congelati, ſocijs à periculo euadentibus ad honeſtiorem tumulum, ne in hoſtili terra permaneant, reſeruantur.*

Poſſunt etiam pro hac concluſione teſtimonia afferri ex hiſtorijs, quæ tradunt cadauera naturaliter per aliquod tem-

pus

pus conſeruata fuiſſe. Refert Cardan. lib.8. de varietate rerum cap.40. & accepit ex Ammiano Marcell. lib.19. quod, cum ſub Amida Ciuitate, quam Perſarum Rex oppugnauerat, corpora Perſarum, & Romanorum ad ſepulturam quærerentur per Deſcenum Tribunum, & Scribam; animaduerſum eſt Romanos, cæterosq; Europæos poſt quatriduum illico putreſcere, taboque corrumpi, vt non facile quinam eſſent agnoſceretur; cum contra Perſæ ſiccatis corporibus, ſine tabo, vt ligna dureſcerent. *Quod ego in cadauere parentis*, inquit Cardan. *cum lapis poſt viginti annos inſcripto epitaphio reponeretur, animaduerti, ſolum enim labiorum caro, & naſi ſummitas, & oculi abſumpti erant*. Itaque aliqua ex parte incorruptum dici poterat. Et anno 1599. cum ipſe Toleti ſtudiorum cauſa degerem, peſtisq; per vrbem ſæuiſſimè graſſaretur, accidit, vt in Monaſterio S. Auguſtini dum ad ſepeliendum Religioſum quendam terra excauaretur, in fundo eiuſdem foueæ alterius religioſi cadauer appareret, cuius veſtimenta putrida cum eſſent, & calceamentum alterius pedis ad contactum meum diſſolueretur, pes tamen ipſe ac reliquum corpus integrum, pingue, album, & vndequaque perfectum extitit perinde, ac ſi tunc ille Religioſus è viuis deceſsiſſet: cum interim ex Senioribus, qui in eo Monaſterio tunc aderant, nullus meminiſſet vllius illic Religioſi cadauer aliquando ſepultum fuiſſe. Ioannes quoque Dubrauius in vita ſancti Venceſlai Ducis Bohemiæ apud Surium ad diem 28. Septembris, cuiuſdam Podeuini ex infelici ligno ſuſpenſi meminit, cuius cadauer per duos annos incorruptum permanſit.

Dubitabit fortaſſe aliquis poſſe naturaliter abſque artis adminiculo cadauera diu conſeruari: eo quod in his illud humidum pingue, quod quotidie abſumitur ab aere circumabiente, & à calore extraneo, difficulter, aut nullo modo re-

A do reparari poſſe videatur. Cui reſpondeo, quod illud humidum pingue, & aqueum, per quod cadauera conſeruantur, non æqualiter omnibus cadaueribus, nec æqua ratione in ſingulis corporibus, temporibus, ac locis minuetur: vnde non eſt opus ęquali reparatione in ſingulis cadaueribus, ſed maiori, vel minori, habita ratione cadauerum, locorum & temporum. ita in hyeme melius cadauera conſeruari videmus, quam in æſtate: ob qualitatem ſcilicet frigidio-
B ris aeris. Quamobrem quamuis illud humidum pingue nequaquam integre reparari poſſit, ac propterea cadauera perpetuo conſeruari nequeant; poterit tamen effici, vt non tam cito corrumpantur: atq; ita, quod prius aſſerebamus, per aliquod ſaltem temporis ſpatium, ac ſæpe etiam diuturnum, integra conſeruabuntur.

Dico tandem, poſſe Deum cadauera humana ab omni corruptione conſeruare, & facere vt perpetuo incorrupta
C ſeruentur, immo quod ſint omnino incorruptibilia. Nam poteſt Deus (vt cuiquè notum eſt) ſupplere vicem cuiuſcumque cauſæ efficientis creatæ. Vnde ſi aromata, vnguenta, & alia calidiora, vt videbimus in ſequentibus, poſſunt cadauera diu ſeruare incorrupta; multo facilius & efficacius, id facere poterit Deus. Nam quemadmodum is corporibus glorioſis confert ſupernaturale quoddam donum, quod Impaſſibilitatem dicimus, quo in omnem æter-
D nitatem ab omni interitu, & corruptione libera exiſtent: Ita non repugnat diuinæ omnipotentiæ conferre cadaueribus qualitatem aliquam, ſiue ordinis naturalis, ſiue ſupernaturalis (de quo nunc non diſputo) qua cadauera tuta, immuniaque exiſtant à recipiendis extrinſecis qualitatibus, per quas, debito ſibi temperamento turbato ac confuſo, corrumpi ſolent. Deum enim qualitatem quandam naturalem ligno vitæ indidiſſe conſtat, per quam homines

in ſtatu Innocentiæ in flore perpetuæ iuuentutis conſeruarentur, atque ab omni ſenio defenderentur. Quæ qualitas non ſupernaturalis, ſed naturalis ordinis erat. Hanc ipſam, vel ſimilem corporibus cæleſtibus Deus indidit. Ita vt nulla videatur ratio cur non eandem, aut ſimilem cadaueribus mortuorum conferre poſsit, vt à corruptione conſeruentur immunia. A

Verùm ad ſanctitatem tandem veniendum eſt, quæ ac qualis ex hac cadauerum incorruptione educi poſsit, examinandum reſtat. Qua in re dico equidem, nullum certum ſanctitatis argumentum, aut indicium ad effectum Beatificationis, & Canonizationis hauriri poſſe ex ſola, & nuda cadaueris alicuius integritate. Concluſio videtur manifeſta ex Sanctorum cadaueribus, quæ vndequaque per orbem magna veneratione coluntur: quorum maior pars, vel in nudis oſsibus, vel ſaltem ex aliqua parte corrupta cernuntur. Etenim ſi cadauerum integritas aliquam præſeferret notam, & argumentum ſanctitatis; Deus profectò cadauera Apoſtolorum ſuorum, ac præcipuorum Martyrum (quorum ſanctitatem palam omnibus notam eſſe maxime conuenire videtur) ab omni corruptione ſeruaſſet intacta. B C

Deinde, vt ſæpius in præcedentibus diximus, ſanctitas alicuius defuncti ad effectum Beatificationis, & Canonizationis rectè colligi nequit, niſi ex virtutibus in gradu heroico, & ſubſequentibus miraculis. Ex integritate autem cadaueris, nulla habetur certitudo neque virtutum, neque miraculorum. De virtutibus patet. At putabit aliquis hanc ipſam integritatem magnum eſſe miraculum. Quem ad ea remittimus, quæ ſupra hoc eodem capite de incorruptione cadauerum attulimus. D

Quibus adde, quod quamuis miraculoſe aliquorum cadauera integra ſeruari a Deo concedamus; non tamen ex

ea in-

A ea integritate erui poteſt, Deum ad probandam potius de-
functi ſanctitatem ſeruaſſe integrum illius cadauer, quam ad
oſtenſionem impietatis eiuſdem. in quo conſentit Bartho-
lomæus Sibylla in Speculo peregr. quæſt. Decad. 3. cap. 8.
q. 4. his verbis: *Aliquando aliquorum etiam corpora præſer-
uantur à Deo incorrupta, eo quod tales mortui ſint in excom-
municatione. Nam, vt quidam ferunt, excommunicatorum
corpora non putreſcunt. Et ponunt exemplum Caroli Regis*
B *Vngariæ ante plures annos interfecti, & ab Vrbano Sexto ex-
communicati, quem dicunt ideo adhuc integrum remanere, vt
ſcilicet ſit argumentum aliquale quod ille fuerit verus Papa,
qui ipſum excommunicauit, & ſic appareat iniquitas defun-
cti, maiuſque damnum præſeruatio, quam corroſio vermium
foret.*

Hæc ille. Vidi etiam ego dum adhuc iuuenis eſſem in
monaſterio ſanctæ Luciæ Ordinis S. Auguſtini in Vrbe
C Fanenſi, in quadam camera ſubterranea, ſiue veteri potius
monumento retro poſt altare S. Luciæ orientẽ verſus, nimi-
rum ad dexteram veteris tribunæ, multa corpora multis an-
te ſæculis defunctorum integra, qui, dum viuerent, boni an
ſcelerati extiterint, Deus ſcit. Et hic Romæ in Cœmeterio
quod appellant ſanctæ Mariæ de campo Sancto, multis iam
annis cadauer ignotum atque innominatum integrum per-
ſeuerare cernitur. Et apud Surium Dubrauius, cuius ſupra
D etiam meminimus, in vita S. Venceſlai cap. 15. refert Podi-
uinum quendam totum biennium in cruce ſub dio pen-
dentem, nulla tabe corruptum, donec poſt hauſtam terræ
hiatu Drahomiram peſſimam mulierem, quæque illum ad
necem dederat, ille quoque terræ mandatus eſt. Ex quibus
perſpicuum eſt nullum ſanctitatis argumentum, neque in-
dicium colligi poſſe ex integritate cadaueris ad effectum
Beatificationis, & Canonizationis.

Illud tamen aſſero: ſi integritas cadaueris alicuius viri defuncti cum ſanctitatis fama, & opinione, adiunctam habeat fragrantiam, & odorem ſupernaturalem expiret; aliquod ſuppeditari ſanctitatis indicium. Dixi indicium, non vero argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. quia certa argumenta ſanctitatis, vt ſæpè diximus, à virtutibus, & miraculis patratis à Dei ſeruo tam poſt deceſſum, quam in vita ſumentur. At vero indicij vocabulo tantum intelligimus motiua ſufficientia ad hoc, quod Sedes Apoſtolica his cognitis, procedat ad inquirendum de virtutibus, & miraculis illius, qui cum fama, & opinione ſanctitatis deceſſerit. Quia vero ex illo odore, & integritate cadaueris Sedes Apoſtolica habet ſufficiens motiuum ad inquirendum de actibus, & virtutibus illius, cuius id cadauer exiſtit, propterea diximus ab illa corporis integritate, & odoris fragrantia indicium, non autem argumentum hauriri ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. A B C

Confirmatur. quia dum Eccleſia refert aliquem in ſeriem Sanctorum, nunquã pro miraculo afferri ſolet integritas cadaueris, quin ſimul morum integritas, variæque virtutes, ac miracula, cadaueris denique ipſius referatur fragrantia, & odor præternaturalis: vt planè conſtet Eccleſiã non ponere ſanctitatis argumentum in ſola integritate cadaueris, ſed quatenus multis alijs efficacioribus notis coniungitur.

Lucianus quoque Presbyter in epiſtola quam de inuentione corporis S. Stephani ſibi diuinitus reuelati ſcripſit, & habetur apud Baron. to. 5. ad annum 415. & apud Surium ſub die 3. Auguſti, ita habet: *Qui cum aperuiſſent Domini Stephani thecam* (nimirum Epiſcopi, qui ea de cauſa illo perrexerant) *ſtatim terremotus factus eſt, & tanta ſuauitas, & fragrantia odoris inde egreſſa eſt, quantam nullus hominum ſe meminit vel audiſſe, vel ſenſiſſe, ita vt putaremus* D

A *nos in amœnitate paradiſi eſſe poſitos. Multitudo namque po-*
puli aderat nobiſcum: inter quos aderant plurimi infirmi va-
rijs languoribus: & ipſa hora mox de odore ſuauitatis eius ſe-
ptuaginta tres Animæ curatæ ſunt. ab alijs fugati Dæmones,
aliarum fons reſtrictus eſt ſanguinis; alij à ſtrumis, & fu-
runculis liberati; alij Syringio ſanati, alij à tertianis, & quar-
tanis: alios febris reliquit, alios morbus regius. alij à cepha-
leia curati, & hemicrania, nonnulli à viſcerum occulto dolore
B *liberati, & multas alias curationes ſenſerunt homines quas*
enumerare longum eſt.

Eandem fragrantiam habes apud Surium multis locis.
Sufficiet nobis vita ſancti Venceſlai Ducis Bohemiæ ſcripta
per Dubrauium cap. 9 in quo agitur de translatione cadaue-
ris ſeruæ Dei Ludmillæ Venceſlai Auiæ, Drahomirę opera
neci datæ, quod Chriſtianæ Religioni nimis faueret. *Auer-*
tere vnus aliquis ab inſtituto Venceſlaum cupiebat (nimirum
C à translatione cadaueris Auiæ) *inquiens, iam pridem corpus*
Auiæ computruiſſe, quod quidem plus triennium eſſet cum illud
terra obrutum iaceret; proinde nimis ſeram fore eius corporis
tranſlationem. excipit Venceſlaus: & ſi quidem iam in pulue-
rem ſit redactum, vel ipſum puluiſculum perferri ad me cupio:
ſed contra fortaſſe eueniet, ac tu mi Pater autumas: fac modo,
vt deſiderio meo vnà cum cæteris morem geras. Paret ille, ſe-
que ſuis collegis addit comitem, vſque ad locum vbi ſepulta
D *erat Ludmilla. Sepulchro recluſo, nares ſtatim omnium odor*
perfudit ſuauiſſimus; adhucque ſuauior, arcula recluſa, in qua
corpus tabe incorruptum integrumque iacebat; niſi quod parum
quidem et de naſo decerpſerat arcula tabellæ confractæ, quam
incurioſe quidam tractauerat.

Si vero ratio etiam à nobis exigitur; eam formo in hunc
modum. Teſtimonia de puritate vitæ alicuius defuncti,
præſtant indicium maximum illius ſanctitatis. At integri-

tas cadaueris, quæ non poteſt referri ad naturales cauſas(vel A
ratione loci in quo quis fuerit ſepultus, vel ratione medicamentorum, & aromatum, quibus cadauer conditum fuerit) fragrantiæ ſuauiſſimæ & odori ſupernaturali coniuncta, de puritate vitæ, & morum ſanctitate clariſſimum præſtat teſtimonium, *ſermonem Deo confirmante ſequentibus ſignis*. Igitur cadaueris integritas prædicto odori,& miraculis coniuncta aliquod præſtabit ſanctitatis indicium ad effectum Beatificationis, & Canonizationis eius, cuius cadauer taliter B
fuerit repertum. Teſtimonium autem illud Deo innititur, qui eſt prima, & ſumma veritas,neque aliquod falſum teſtificari poteſt, neque miracula facere per quæ alicuius nefarij hominis impietas auctoritatem, ac ſanctitatis titulum acquireret, fideles vero turpiter deciperentur. Quod eius bonitati repugnare videtur.

Concludendum igitur ex omnibus hoc capitulo allatis, quod non omnis integritas cadaueris miraculo ſemper at- C
tribuenda eſt: cum aliquando (quemadmodum oſtenſum eſt) naturaliter id accidere contingat, & aròmatibus alijsq; modis procurari etiam poſſit. Vnde neque nude conſiderata faciet ad notam ſanctitatis: niſi eadem cadaueris integritas virtutibus defuncti, miraculiſque (inter quæ præternaturalis odorum exhalatio cenſebitur) coniuncta ſit. Quod in S. Franciſco de
Paula, S. Romualdo, alijſque eue- D
niſſe legimus.

CAP.

A

CAP. IV.

Quid, & quotuplex ſit fama ſanctitatis.

RVMOR, & fama ab hominum collocutione pendent. Et quamuis veteres Iuriſprudentes alterum pro altero aliquando ſumpſerint, vel ſaltem non diſtinxerint; tamen ſecundum magis, & minus propriè, & impropriè diſtinguuntur. Eſt enim rumor, fama impropriè, & ſecundum Speculat. eſt particularis aſſertio, vel inſinuatio alicuius facti proueniens ex ſola ſuſpicione, & ex incerto auctore. Ita ille cap. *ſuper eo.* de eo qui cog. conſ. vxo. Et notat Nebriſſenſis in ſuo vocabul. iuris, ad rationem rumoris quatenus diſtinguitur à fama, præcipuè requiri, quod illi qui de aliquo facto colloquuntur, non quidem publicè, ſed quaſi occulte de illo colloquantur. Requiritur etiam ſecundum aliquos, quod rumor non ſit iam olim incœptus, & per aliquod tempus continuatus, neque diu perdurans, ſed nouiter originatus. Hac enim ratione Iuriſprudentes rumorem à fama diſtinguunt; cuius diſtinctionis cauſa aliæ quoque circumſtantiæ à nobis infra adferentur.

B

C

Fama ſecundum Bartholum dicitur à fando, quamobrem
D niſi colloquantur inter ſe homines, proprie fama non erit, vt notat etiam Silueſt. verbo fama n. 1. Quamuis autem famæ vocabulum commune ſit ad malam, & bonam famam, hic tamen de bona tantum à nobis agendum erit. Diſtinguendum vero eſt in fama illius materiale à ratione formali eiuſdem. nam formale bonæ famæ, *Eſt illa communis exiſtimatio, & opinio de bonitate alicuius*. Secundum quam rationem Barth. in l. *de min.* ff. de quæſt. dixit, *Famam eſſe*

communem opinionem voce manifeſtatam ex ſuſpicione aliqua probabili prouenientem, vt Silueſter etiam dixit. Et Panorm. in cap. *Veſtra* de cohab. cler. & mul. ſimilibus verbis eam definiuit: *Fama eſt communis loquutio ex veroſimilibus coniecturis conſurgens*. *Intellige* (inquit Silueſt.) *quod ſit communis loquutio, præſupponens opinionem ſiue credulitatem*. A

At materiale famæ eſt id, vnde illa cõmunis opinio originem ducit. Secundum quã rationem definiuit famam Calliſtratus Iuriſconſultus lib. 50. digeſt. tit. 13. lege *cognitionum* dicens: *Fama eſt illæſæ dignitatis ſtatus, vita & moribus comprobatus, & in nullo diminutus*. ff. de extraordin. cognit. quam etiam definitionem famæ affert. glo in cap. *veſtra* de cohabit. cler. & mul. & alia Glo. in cap. *Infames* 3. quæſt. 7. Eſt enim conſideranda fama, veluti vapor ſiue fumus quidam ex aliqua materia conſurgens; qui mox per aerem expanditur, & dilatatur, prout à vento hinc inde circumfertur. Verum vapor ille non conſurgit, niſi prædicta materia igni ſubiecto reſoluatur. Qualis autem extiterit materia igni impoſita, talis inde fumus adſcendet, ingratus ſcilicet ac fœtens, vel ſuauis & naribus acceptus. B C

Colligitur primo ex iam dictis, famam habere pro fundamento eſſentiali cui innitatur opinionem, & credulitatem. Ita Silueſt. verbo *fama* n. 2. Vnde quamuis maior pars alicuius ciuitatis, vel prouinciæ de aliquo facto inter ſe diſſerant, ſi tamen ſic colloquentes crediderint factum illud, vel omnino non contigiſſe, vel non eo modo quo refertur; profecto illa collocutio fama non erit, quia in tali caſu famę fundamentum deeſſet; illa nimirum communis opinio, & communis credulitas, quæ ad eam neceſſario requiritur. Similiter ſi aliqui ita eueniſſe crediderint atque opinentur, prout factum fertur; æqua vero, vel etiam maior pars ſecus credat, vel opinetur; corruet ratio famæ formalis: quia talis D

rumor

A rumor communis opinio dici nequit: nam commune dicitur, quod ad omnes aliquo modo ſe extendit. Requiritur autem neceſſario ad perfectam rationem famæ, præſertim bonæ, vt omnes ad quos illa aliquod factum pertulit, illud certo credant atque opinentur.

Notandum vero, quod cum dicimus ad hanc communem opinionem, & colloquutionem ex qua conſurgit fama, requiri, quod tota, vel maior pars populi de illa re col-
B loquatur: non ita intelligi debere quaſi tota ciuitas, vel illa maior pars populi in vnum locum ad id conuenire debeat. Sed ſufficit, quod dum plures conueniunt in hoc loco, & alij ſimiliter in alio; hi omnes ſic conuenientes ad eum pertingant numerum, vt vere maiorem Ciuitatis partem conſtituere dicantur; etiamſi ſinguli prædicti conuentus ad eum numerum non adſcendant: ita tamen vt de eodem facto colloquantur, & idem opinentur, ac credant.

C Secundo colligitur, neceſſarium eſſe ad rationem famæ, quod talis credulitas, & opinio argumentis ſiue ſuſpicionibus, & coniecturis probabilibus innitatur. Ita Silueſter loco citato. In hoc enim fama à rumore diſtinguitur, quod is nullis innititur argumentis. Fama autem, ſi hæc non adfuerint, nulla erit quoad iuris effectum, ſed vanæ populi voces, vt in cap. *Inquiſitionis* de accuſat. habet Gloſ. & Doctores. Quamobrem ſi maior pars alicuius ciuitatis, vel
D etiam tota ciuitas loquatur de aliquo facto ex eo tantum, quod alter ab altero audiuerit, nullis allatis coniecturis, aut probabilibus argumentis, fama non erit, ſed ſuſpicio, & vanus rumor, qui nullo modo eſt audiendus, per gloſ. cap. 2. de elect. & Barthol. in l. *de minore*. §. *tormenta*. ff. de quæſt.

Præterea notandum, quod cum fama non conſurgat ex qualibet collocutione, ſed ex collocutione de aliqua re,

quæ

quæ probabilibus coniecturis, vt diximus, innitatur, ex quibus deinde conſurgat credulitas: hinc fama de aliqua re graui, qualis eſt ſanctitas, non conſurget ex colloquutione vulgi, aut hominum plebeiorum, ſed virorum prudentum, aut diſcretorum: qui nimirum non ſolum de rebus ipſis de quibus colloquuntur iudicium ferre valeant, ſed etiam de coniecturis, & argumentis probabilibus, ex quibus earum conſurgat fides, ſiue credulitas, tum etiam de famæ authore. Quamobrem ex qualitate, genere, ac numero illorum, qui de re aliqua loquuntur, famæ qualitas, & ratio diſcernenda erit. A B

His ita declaratis de Fama in genere, videndum nunc in ſpecie quid per Famam ſanctitatis intelligatur, ad perfectam elucidationem tituli, quem huic Capitulo præfiximus. Sciendum eſt igitur, quod Sanctitas *eſt puritas quædam animæ rationalis ab omni ſcelere libera, omnino perfecta, & omni ex parte immaculata:* vt iam ex ſancto Dionyſio Areopagita ſect. 1. cap. 2. definiuimus. Vnde in præſenti materia, Fama ſanctitatis nihil aliud erit, quàm exiſtimatio, ſeu communis opinio de puritate, & integritate vitæ alicuius iam defuncti, ab omni nimirum ſcelere libera, & omni ex parte perfecta. Vt igitur rumor de vita alicuius habeat veram rationem Famæ ſanctitatis, præter conditiones iam poſitas, neceſſe eſt, vt talis rumor in moribus eiuſdem puriſſimis, qui omni macula carere cenſeantur, fundatus ſit. C D

Sed quia fama poteſt diuidi in famam publicam, manifeſtam & notoriam, & ad Canonizationem requiratur fama omnibus numeris abſoluta, videndum eſt, quid his vocibus Publicum, Manifeſtum, & Notorium ſignificetur, & qua ratione ab inuicem diſtinguantur. Et proprie quidem loquendo Publicum dicitur per reſpectum ad locum: quod nimirum in publico loco, non vero in priuato, ſiue occulto,

A &abſcondito fit. Vnde non eſt idem publicum, quod palam: quoniam in loco priuato palam aliquid fieri poteſt, quod tamen non erit publicum: quia palam fieri dicitur ex Alciato, quidquid coram pluribus fit, etiam ſi fiat coram duobus tantum, quia in his duobus numerus pluralis verificatur. At vero publicè fieri dicitur, quod coram populo fit, ex eodem Alciato. Non quidem quod neceſſarium ſit, vt totus populus ſimul ad videndum id quod publicè fit con-
B ueniat; ſed ſufficit, quod is qui aliquid publice facit, nullam habens rationem de illis coram quibus illud facit, an nimirum ſint plures an vero pauciores, an aliqua pars populi, an totus populus eo conuenerit; illud tamen faciat in loco publico: nimirum in via, vel in foro, etiam ſi fiat noctis tempore. Publicum igitur eſt, quod in loco publico factum erit: ita vt ad omnium notitiam peruenerit, vel peruenire poſſit, etiam ſi re ipſa ad aliquorum notitiam non peruene-
C rit. Ac proinde publica fama ſanctitatis alicuius dicenda eſſe videtur, communis collocutio cum credulitate, quæ de puritate vitæ alicuius in locis publicis habeatur.

Manifeſtum aliquando ſumitur prout eſt idem, quod notorium. Verum quatenus manifeſtum à notorio diſtinguitur, dicendum eſt manifeſtum eſſe, quod patet pluribus, ſed non omnibus: ſecundum Specul. & notata in l. *Ciues*. C. de appellat. per Baldum; & Butrium. Vel dicendum eſt cum
D gloſſa in cap. *Veſtra*. de cohabit. cler. & mul. manifeſtum dici quod ex certa ſcientia, & certo authore procedit. At per Silueſtrum, & Angelum manifeſtum eſt id quod ſufficienter, & legitimè poteſt probari. ff. de teſt. & qui teſtam. fac. poſſ. *l. hæredes palam*. habetur hæc lex lib. 28. digeſt. tit. 1. ſed hic Vulpian. vt reor. non explicat. quid ſit *manifeſtum*, ſed potius quid ſit *palam*, id nimirum quod haberi poteſt à teſtibus hac de cauſa adhibitis. Vult autem Silue-

ſter

ſter manifeſtum eſſe, ac dici, quicquid etiam probari poteſt ex coniecturis, & veroſimilibus præſumptionibus: pro quo citat textum in l. *licet.* ff. de legat. 1. Vbi voluntas teſtatoris euidens dicitur, quæ coniecturis elicitur. Itaque ſecundum hos Doctores manifeſtum à notorio ita diſtinguitur, quod manifeſtum non ſolum à probationibus, coniecturis, & pręſumptionibus, ſed etiam à teſtibus pendet, à quibus nulla ratione pendet notorium. A

Notorium diuidi ſolet in notorium facti, in notorium iuris, & in notorium præſumptionis: quæ duo poſtrema non faciunt ad rem noſtram. Sufficit enim nobis notorium non dici per reſpectum ad locum, ſed per reſpectum ad notitiam hominum, quæ notitia neceſſario prærequiritur, vt aliquid notorium dicatur. Quamobrem nobis in hoc capitulo notorium facti tantum deſeruit. *Eſt autem notorium facti, quod ita ſe conſpectui hominum exhibet, vt nulla poſsit tergiuerſatione celari.* cap. *tua nos.* §. *nos igitur.* cap. *quæſitum.* de cohab. cler. & mul. & Glo. in cap. *Veſtra.* eodem tit. Vel dicemus notorium facti id eſſe, *quod omnibus conſtare poteſt, ſiue per confeſsionem, ſiue per euidentiam facti.* (cap. *cum olim.* de verb. ſignif.) *& colore nullo obfuſcatur, nec probatione indiget,* vt docet Caluinus emendatus in ſuo Lexico iuris. Itaque vt aliquid ſit notorium, oportet vt in cognitionem, & notitiam multorum veniat: non eſt tamen neceſſe, quod ſit in notitia omnium, ſed ſufficit quod ad omnium notitiam deuenire poſſit, vt habet gloſ. citata in cap. *Veſtra.* Vt quando omnes factum proclamant (2. quæ 1. cap. *ſcelus* cap. *de manifeſt.*) Exempli gratia, quod Romæ palatium maximum ad montem Quirinalem, ad Summorum Pontificum vſum exiſtat; Notorium dicitur: quia omnibus conſtare poteſt, ac taliter ab omnibus digito notari, vt nullo colore obfuſcari, aut in dubium reuocari B C D

poſſit

A poſſit, an illud palatium ſit Pontificium.

Ex quibus omnibus concludimus, Famam publicam de ſanctitate alicuius eſſe communem collocutionem totius, vel maioris partis alicuius prouinciæ, ciuitatis, oppidi, vel loci, in locis publicis, de virtutibus, & inculpata vita alicuius Dei ſerui, cùm firma credulitate, & ex veroſimilibus argumentis, ac coniecturis probabilibus. Ita tamen, vt locorum publicorum nomine veniant fora, palatia iuri dicundo B deſtinata, ſenatula, baſilicæ, porticus, Templa, viæ publicæ, & portæ Vrbium, in quibus interdum cœtus haberi, aut varijs de cauſis homines conuenire, aut ad colloquendum ſubſiſtere ſolent.

Fama autem Sanctitatis manifeſta dicetur, communis collocutio totius vel maioris partis alicuius oppidi, loci, ciuitatis, vel prouinciæ de vita inculpata, & incontaminata deq; ſanctitate morum, ac virtutum alicuius, ita vt prædicta col- C locutio, ſeu narratio coniecturis & argumentis probabilibus innititatur, atque etiam teſtibus, quibus præcipuè, vt vidimus, manifeſtum diſtinguitur à notorio. Quamuis igitur multi ſimul colloquantur de ſanctitate morum, ac vita immaculata, eximijsq; alicuius virtutibus; niſi prædicta communis collocutio rationabili iudicio innitatur teſtium omni exceptione maiorum, à quibus ea, quæ inter ſe loquuntur, acceperint; talis multorum collocutio non erit dicenda D Fama manifeſta. Erit autem talis, ſi vel ex iuridicis informationibus de actibus alicuius fabricatis, vel ex hiſtorijs, aut viris fide digniſſimis id accepiſſe teſtentur.

Fama denique notoria dicitur illa, quæ facto notorio ea ratione innitur, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari, eo quod omnes factum proclament. nam quæ præſumptioni, aut iuribus innititur, ad rem noſtram non facit. Erit igitur fama notoria, collocutio multorum de aliqua re, de qua ex facto ipſo

ipſo habuerunt notitiam: non ex alterius ſcilicet relatione, A
probabilibus coniecturis, iuridicis informationibus, aut teſtibus; ſed ex facto ipſo quod viderunt, & agnouerunt. Itaque ratio huius famæ penes eos tantum remanet, qui facti teſtes fieri poſſunt propriè loquendo, dummodo magno ſint numero. extenditur autem ratio huius famæ notoriæ ad alios etiam, qui eiuſdem facti notitiam habere poſſunt. Quamobrẽ fama ſanctitatis notoria alicuius Dei ſerui erit, collocutio multorum hominum de puritate vitæ, & mo- B
rum innocentia, quam ex facto ipſo cognoſcunt: nimirum ex eo quod illum intime cognouerunt, cumque illo ſint familiariter conuerſati, vt, verbi gratia, cùm Chriſto Apoſtoli, ex quorum nomine ita loquitur Sanctus Ioannes epiſt. 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud* C
patrem. Et Petrus in Concilio Apoſtolorum de aliquo è diſcipulis in Iudæ proditoris locum ſubrogando, Act. 1. *Oportet ergo*, inquit, *ex his viris qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo introiuit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis vſque in diem qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis*. Id enim ſpectabant tum ipſe, tùm alij omnes Apoſtoli, vt fama D
actorum Chriſti omnibus numeris abſoluta appareret.

CAP.

A

CAP. V.

Quodnam argumentum ſumatur ad effectum Canonizationis à fama ſanctitatis.

HVIC difficultati, ſeu quæſito, vt ſatisfaciamus, B aduertendum prius, quod fama ſanctitatis dupliciter poteſt conſiderari, vel per reſpectum ad aliquem dum inter viuos conuerſaretur, vel per reſpectum ad tempus, quod eius mortem ſubſecutum eſt. de vtroque enim quæri poteſt, quid fama ſanctitatis operetur. Sed quia iuxta doctrinam veritatis, ſerui Dei laudandi ſunt poſt vitam, & magnificandi ſunt poſt conſummationem; in præſenti capitulo
C ſolum quærimus de fama ſanctitatis alicuius iam defuncti, quodnam ſcilicet argumentum hauriatur ab ea ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Præterea prænotandum, Famam Sanctitatis conſiderari poſſe, tam in genere, quam in ſpecie: & in ſpecie quidem fama Sanctitatis ea dicetur, quæ aliquibus actibus externis, qui ſanctitatem præſeferunt, innititur: aliquibus puta virtutum actibus, vel miraculis. At fama ſanctitatis in genere ea
D dicitur, quæ nulli ſpeciali virtuti, aut actioni innititur, ſed tantum communi rumori virtutum, & collocutioni hominum, quia nimirum omnes hunc, vel illum Dei ſeruum pluribus ornatum virtutibus, & ſanctum fuiſſe, ac cœlo iam frui dicunt, cum tamen in ſpecie nullum referant virtutis actum, neque aliquod miraculum patratum ab eodem in vita, aut poſt mortem. Quæritur igitur an ad effectum Beatificationis, & Canonizationis fama in genere aliquid

quid

quid operetur, & quodnam ex ea ſanctitatis indicium, aut A
argumentum ſumatur; & vtrumne ſoli huic famæ in genere
Canonizatio, & Beatificatio inniti poſſit.

Circa quod aſſeri poſſe videtur, quod fama ſanctitatis argumentum ſatis bonum, & probabile præſtet Eccleſiæ ad Beatificationis, & Canonizationis effectum. & ratio ſumitur ex pluribus locis Canonicis, in quibus fama probat per reſpectum ad actus iuridicos. Dicitur enim in cap. *Si teſtes.* 4. quæſt. 2. & 3. *ſæpe etiam.* quod *conſentiens fama confirmat* B
rei de qua quæritur fidem. & ſunt verba ex reſcripto Hadriani ad Valerium, & habentur lib. 22. digeſt. tit. de teſtib. l. *teſtium fides*. Et in cap. *Presbyter*. ex Concil. Ilerdenſi ſuſpenditur Presbyter ex vigore malæ famæ, ſicut etiam in cap. *Si mala fama* cogitur Presbyter ad purgationem canonicam. 2. q. 4. Et in cap. *Illud* de præſumpt. Alexander Tertius vigore famæ ratum cenſet matrimonium; quod mulier ratum eſſe negabat, ſicut etiam ſcribitur cap. *ſi duo.* C
35. quæſt. 6. Si ergo fama præſtat argumentum ſufficiens ad probandum quod quæritur in iudicio, etiam illud præſtabit in Beatificatione, & Canonizatione ſeruorum Dei, quia in his ab Eccleſia per modum actus iuridici proceditur. Canonizatio enim eſt actus iuridicus, & Papa in eo ſententiam dicit vt iudex vniuerſalis Eccleſiæ.

Sed tamen his non obſtantibus dico primò, quod fama
latè ſumpta, & in genere, nimirum pro populi rumore, & D
vulgi voce nullum ſanctitatis, nec argumentum, nec indicium ad effectum Beatificationis, & Canonizationis præſtare poteſt, immo nec ſanctitatis alicuius ſuſpicionem. Quia fama eo modo ſumpta, non eſt niſi vanus populi rumor, nullo innixus fundamento, & nullius auctoritate fultus, vt vidimus in eius definitione. Ex vario autem populi rumore nullum poteſt ſumi argumentum, nec indicium iuridicum, vt di-

A vt dicitur cap. *ſuper eo*. de eo qui cogn. conſang. vxo. dicit enim Cœleſtinus Tertius: *Rumor autem vicini non adeo eſt iudicandus validus; niſi rationabiles, & fide digna probationes accedant*. Confirmatur: quia huiuſmodi rumor, & vulgaris fama habet ſolùm vim cuiuſdam aſſertionis, ſeu ſuſpicionis particularis, vt docent Speculat. & Panorm. in cap. *ſuper eo*. De eo qui cogn. conſang. vxor. ſed particularis aſſertio, & ſuſpicio cuiuſcunque facti non facit indicium

B aliquod ſanctitatis, ergo nec poteſt ſuppeditare argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. Quod firmatur amplius ex eo, quod fama plenè & perfectè probata, ſi ſit ſola, vt ſtatim videbimus, nullum facit argumentum ſanctitatis. ergo multo minus tale argumentum haberi poterit ex vano ſanctitatis rumore. Præterea fama debet fundari ſuper firmam credulitatem, & opinionem ſanctitatis virorum Catholicorum, qui de hoc iudicare poſſint: tali-

C ter, vt hi qui colloquuntur, certo credant eum ſanctum eſſe de quo colloquuntur. ſed vanus ille rumor non poteſt inducere eam certam credulitatem, ergo nec ſubminiſtrare argumentum aliquod de ſanctitate alicuius præſertim ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Dico igitur amplius: famam in genere de ſanctitate alicuius, etiam ſi proprie fama ſit, nihilominus nullum præſtare argumentum ad effectum Beatificationis, aut Canonizatio-

D nis. Probatur, quia non poteſt Iudex per ſolam famam procedere ad ſententiam contra aliquem. cap. *tua*. de cohab. Cler. & mul. nec poteſt aliquem deponere: nec ſufficit ſola fama vt aliquis excommunicatus vitetur, vt apertè conſtat ex cap. *inter dilectos*. de exceſſibus Prælat. vbi cum quidam crimine falſitatis ex fama inureretur, & coniecturis probabilibus id probaretur, *quia tamen fides facta nobis non fuit* (inquit ibidem Papa) *quod dictus B. illam clauſulam po-*

poſuerit, vel procurauerit, vt ab alio poneretur, vel etiam quod ſcienter vſus fuerit litteris ſic falſatis, obiectum eundem duximus abſoluendum. Idem patet ex Gloſ. in cap. *Inimicus*. diſt. 93. Si igitur ſola fama nihil probat ad effectum actionum iuridicarum: cum Eccleſia ad Beatificationem, & Canonizationem procedat per formam Iudicij; fabricando nimirum proceſſus & inquiſitiones de actis illorum, qui ſunt canonizandi: cumque Canonizatio ſit actus verè, & propriè iuridicus, in quo Summus Pontifex, vt ſummus Eccleſiæ Iudex, ſententiam dicit ad fauorem illius, qui canonizatur; ſola fama de ſanctitate alicuius in genere non præſtabit argumentum aliquod ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. Confirmatur, quia fama in genere de ſanctitate alicuius, propriè non eſt fama. nam fama, vt vidimus, ſecundum ſuam rationem formalem eſt, communis opinio, quæ innititur probabilibus coniecturis, & argumentis de integritate morum, & vita alicuius ſine labe. Sed fama Sanctitatis alicuius in genere conſiderata, non innititur integritati morum, aut virtutibus alicuius in ſpecie, neque innititur probabilibus coniecturis, aut argumentis aliquibus, ergo verè & propriè fama nequit appellari, & ex conſequenti per reſpectum ad Beatificationes, & Canonizationes nullum præſtat argumentum. A B C

Addo inſuper, quod etiam propriè ſumpta de ſanctitate alicuius, & in ſpecie conſiderata, etiam ſi ſit publica, non tamen ſubminiſtrat efficax, ſed debile Sanctitatis argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis alicuius Dei ſerui. Ratio eſt, quia fama ex ſui natura non facit niſi indicium ad inquirendum, non tamen probat plenè factum. quamobrem eſt Regula in Iure, quod fama nihil probat. Si ergo fama ex ſui natura nihil probat, ſed tantum ſubminiſtrat indicium ad aliquid inquirendum; ex conſequenti à D

A ſama non poterit ſumi argumentum efficax ſanctitatis, ſed tantum indicium aliquod, quod quidem indicium ſatis debile erit. Quod amplius colligere licebit ex hiſtoria, quæ habetur in 2. par. director. inquiſ. Comment. 51. pag. 513. vbi cum è viuis deceſſiſſet quidam frater Petrus Ioannis Minorita, oriundus de villa, quæ dicitur Cerriacum Diœceſis, quæ dicitur Biterrenſ. Lector celeberrimus Sacræ Theologiæ, & ſepultus in Eccleſia fratrum Minorum Ciui-
B tatis Narbonæ; Religioſi eiuſdem inſtituti eũ *Sanctum palam dicebant, & publicè prædicabant: propter quod ſimplices decepti, quam plures de Catalonia, Carcaſſona, Toloſa, & Prouincia ad eius tumulum confluebant*. Ita vt etiam inſtarent religioſi prædicti, vt idem Petrus Ioannis Sanctorum Catalogo adſcriberetur. & tamen poſtmodum inuentus hæreticus, exhumatus & combuſtus fuit, decreto Ioannis XXII. Ita quidam Guido de Laca, teſte Prateolo, ve-
C luti alter ſanctus Ioannes Baptiſta ab omni Brixienſi ditione ſuſpiciebatur, & poſt mortem vt ſanctus colebatur: qui tamen hæreſis damnatus extiterat.

Quòd vero attinet ad Famam manifeſtam de ſanctitate alicuius defuncti, ea ſubminiſtrabit indicium ad formandum inquiſitionem de puritate vitæ, ac morum alicuius: & conſequenter aliquale Sanctitatis argumentum. Quicquid enim facit ſufficiens indicium iuridicum ad inquirendum
D de aliquo facto, etiam ſubminiſtrat argumentum aliquod ad illud ipſum probandum. Sed fama manifeſta, vt declaratum eſt in præcedenti capitulo, indicium ſufficiens ſubminiſtrat ad inquirendum; ergo & ſubminiſtrabit aliquod Sanctitatis argumentum. Confirmatur, quia quicquid facit aliquod genus probationis, præſtat aliquod argumentum: ſed fama manifeſta facit aliquod genus probationis: quia fama coniuncta teſtibus probat in foro fori: ergo Sanctitatis Fa-

ma manifeſta, quæ teſtibus, & probabilibus innititur conie- A
cturis, faciet aliquod genus probationis, & aliquale argu-
mentum.

Sed longe efficacior, maiorisq; momēti erit Fama noto-
ria ſanctitatis, ex qua aſſero efficaciſſimum in informatio-
nibus ad effectum Canonizationis, & Beatificationis, educi
poſſe ſanctitatis argumentum. Ratio eſt: quia notorium
facti, tam efficax probationis argumentum præſtat in iudi-
cijs, vt in talibus caſibus, ſi agatur de aliquo crimine, ſim- B
plici officiali credatur, vt habetur cap. *nullus*. 4. q. 4. §. *ali-
quando. ea enim* (inquit Papa) *quæ per officiales præſidibus
nunciantur etiam citra ſolemnia accuſationum poſſe perpendi
in cognitum.* Quam doctrinam in notorio tantum caſu in-
telligendam eſſe rectè affirmat Gloſa ibi: ita vt in ſimilibus
nulla omnino concedatur appellatio cap. *Cum ſit Romana*.
§. *Præterea.* & ibi Gloſa, & cap. *peruenit.* de appellat. vbi di-
citur, quod ſi caſus eſt publicus & notorius, Iudex procedat C
in cauſa vſque ad ſententiam, nulla admiſſa appellatione.
Idem dicit Gloſa in cap. *veſtra.* de cohab. Cler. & mul. Si
ergo tanta eſt vis in re notoria, vt Iudex in criminibus pro-
cedere poſſit ad finalem determinationem cauſæ, nulla ex-
pectata accuſatione, nullis examinatis teſtibus, nulla ad-
miſſa appellatione; efficax, & plenum præſtat argumentum
ad determinationem Iudicij. Igitur & fama notoria ſancti-
tatis alicuius defuncti, efficax præſtabit argumentum ad effe- D
ctum illius Beatificationis, & Canonizationis.

Probat aſſertionem noſtram Bulla Innocentij III. pro
canonizatione S. Homoboni, quæ incipit: *Quia pietas.* vbi
ſic habetur. §. 2. *Sanè veniens ad præſentiam noſtram vene-
rabilis frater noſter Sicardus Epiſcopus veſter, multis viris
Religioſis, & alijs honeſtis perſonis de ſua Diœceſi comitatus,
cuiuſdam Beati viri, & re, & nomine Homoboni vitam, &*

actus,

A *actus, necnon & modum tranſitus eius humiliter nobis aperuit. In quibus, & ſanctæ ipſius deguſtauimus conuerſationis odorem, Deumque mirabilem, & omnia opera eius in fide cognouimus, & prædicauimus. Idem enim ſanctus tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, prout eorumdem nobis aſſertio facta; tam viua voce, quam aliorum plurium honeſtorum litteris patefecit; adeo in lege Domini meditabatur die, ac no-*
B *cte &c.* Vbi Papa concurſu vniuerſali populi Cremonenſis, & Virorum prudentum, ac bonorum teſtimonio tùm viua voce, tùm litteris expreſſo, tanquam fama notoria ſe motum ſubindicat, ad canonizationis cultum huic Dei famulo decernendum. Vnde & mox §. 3. ſubdit: *Cum igitur hæc omnia tàm de probitate morum, quàm virtute ſignorum, ad fauorem petitionis, pro qua Epiſcopus memoratus & alij ſupradicti ex parte veſtra vehementer inſtabant, concurrere videre-*
C *mus; de fratrum noſtrorum conſilio &c.* Ita B. Antonio de Padua ex hac vita ad meliorem aſſumpto, tam notoria acta ipſius & miracula extiterunt, vt ſtatim Epiſcopus Patauinus, Magiſtratus, & tota fere Ciuitas Patauina commota, nuncios, & litteras tranſmiſerint Gregorio Nono, atque inſtantiſſime eius Canonizationem vrgere auſi fuerint.

Sed ſatisfaciendum eſt iuribus, & legibus, atque Capitulis ſupra allatis, quibus probari videbatur, Famam abſolutè,
D abſque eo quod notoria, aut manifeſta ſit, facere argumentum, & probare aliquid ad effectum Canonizationis, & Beatificationis. Pro quo dico, capitulum citatum *ſi teſtes*. in §. *ſepè etiam*. non dicere ſimpliciter famam probare, ſed quod conſentiens fama confirmet rei, de qua quæritur, fidem. nimirum quod ſi quid ſcripturis, aut teſtibus fuerit probatum, vel aliquo alio genere iuridicæ probationis, idipſum fama conſentiens confirmabit, ideſt, probationes coad-

iuuabit: nequaquam vero illud capitulum docet, ſolam famam aliquid probare. & in cap. *Presbyter.* & in cap. *Si mala fama.* non cogitur Iudex ex ſola fama deponere, aut ſuſpendere Presbyterum, ſed ex fama manifeſta & notoria, vt dicit Gloſa in cap. *Presbyter.* Vel forte verius capitula illa loquuntur de fama adiuncta teſtibus, qui vel legitimi non ſint, vel non tot numero, quot neceſſarij fuiſſent ad iuridicam probationem, vt omnino Presbyter ille, de quo loquitur capitulum, deponeretur, & beneficio priuaretur: & ideo Presbyter ad purgationem Canonicam cogitur. Sic & in cap. *Illud.* de præſumpt. apertè Alexander Tertius non ex ſola fama ſine teſtibus matrimonium illud ratum adiudicat, ſed ex fama & teſtibus, & quodam Inſtrumento, quod vir producebat. Cap. vero *ſi duo.* 35. quæſt. 6. non ſtat pro contraria ſententia, nam ex ſola fama Papa non ſeparat coniuges, ſed tantum compellit eos ad iurandum de veritate, & an ſint conſanguinei, necne: & Epiſcopo ſcribit ſtandum eſſe depoſitioni coniugum. Itaque dicta Capitula, & loca allata pro contraria ſententia, nequaquam probant ſolam famam facere argumentum ad aliquid iuridicè probandum, ſed tantum aliquam ſuſpicionem, ſeu indicium subminiſtrare. Quia igitur ad Canonizationes, & Beatificationes ſeruorum Dei non eſt ex ſuſpicionibus procedendum, ſed manifeſtis ex argumentis: hinc, nec fama etiam publica, & manifeſta, vt ſupra monſtrauimus, præſtare efficax & validum poteſt argumentum ad Canonizationis, ſeu Beatificationis effectum.

CAP.

A
CAP. VI.

Quale ſanctitatis argumentum ſumatur ex Imaginibus variè defunctum repræſentantibus.

QVÆSITVM noſtrum non procedit de
B imaginibus quorumcumque, ſed tantum de
imaginibus illorum, qui cum ſanctitatis fama
deceſſerint. Imaginis autem vox multipli-
citer apud iuriſprudentes ſumitur. nos illam
hic accipimus, prout dicit formæ alicuius artificiatæ colla-
tionem cum naturali forma, vel potius naturalis formæ ex-
preſſionem artificiatam l. 3. ff. de iniur. ita vt ad omnem
picturam & ſculpturam ex cera, ligno, marmore, ære, ar-
C gento, auro, & ſimilibus referri poſſit. Quærimus igitur
quodnam argumentum ſanctitatis ad effectum Beatificatio-
nis, & Canonizationis hauriatur ex eo, quod alicuius ima-
go depicta aut inſculpta alicubi cernatur, cum nota aliqua
ſiue ſigno vitæ ſanctè atque integrè peractæ.

Et validum quidem ſimile videri poteſt argumentum;
quòd pictura litteras neſcientibus pro ſcriptura eſt, præcipuè
in hiſtorijs, & rebus geſtis exprimendis. Vnde S. Grego-
D rius lib. 9. epiſt. 9. *Quod legentibus ſcriptura, hoc & idiotis*
(inquit) *præſtat pictura, quia in ipſa ignorantes vident, quid*
ſequi debeant, in ipſa legunt, qui litteras neſciunt. Vnde &
præcipuè gentibus pro lectione pictura eſt. Quæ verba refe-
runtur in cap. *Perlatam.* diſt. 3. & ibi in cap. *Venerabiles.* &
in ſeptima Synodo act. 6. Sed ex ſcripturis, libris, alijſque
veterum monumentis validum deſumitur Sanctitatis ar-
gumentum ad effectum Canonizationis: ergo & ex pictura.

Vnde varij Pontifices in Sanctorum Canonizatione, præter A
alia, hoc etiam argumento vſi ſunt. ita ſub Clemente VIII.
probatum eſt S. Raymundum de Peniafort ab inſulis Balearibus Barchinonem vſque, pallio ſubſtrato, per maris vndas deuectum eſſe, ex picturis, quæ à tempore immemorabili hunc Sanctum ſupra Religionis ſuæ pallium freta tranſmittentem exprimere conſueuerunt. Sanctam quoque Franciſcam Romanam, quam Paulus Quintus in Sanctarum Catalogũ conſcripſit, Angelum cuſtodem ſibi familiarem habuiſſe, picturis maximè probatum eſt: quod nimirum ab immemorabili tempore ſic pingi conſueuiſſet. B
Denique ſub Gregorio XV. Sanctum Iſidorum agricolam Domino ſuo ſitienti bouis ſtimulo fontem aquæ excitaſſe probatum fuit, quia ab immemorabili tempore Madriti eius imago ſic depicta fuerat. ex quibus effici videtur, non inane, aut leue eſſe ſanctitatis argumentum, quod ex imaginibus, ac picturis educitur. C

Verùm vt melius præſenti quæſtioni ſatisfiat, diſtinguenda erunt in his imaginibus ſigna & notæ beneficij alicuius percepti, à notis deuotionis ac pietatis; & hæc, à notis & ſignis ſanctitatis. Quæ enim notis ac ſignis repræſentantur diuinum aliquid & humano maius teſtantibus (qualia ſunt ſplendores, & radij à facie promicantes, aut circuli lucidi circa caput, qui diademata dicuntur; aſſiſtentia denique ſiue comitatus Sanctorum in Cælo cum Chriſto regnantium; aut collocutio cum Chriſto, Virgine Deipara, aut aliquo ex Sanctis Angelis; item delatio Angelorum manibus per aerem, aut ſupra nubes; miracula denique varia imaginibus adpoſita) Hæc inquam, & alia his ſimilia ſigna Dei ſeruis adpingi ſolita, ad deſignandam illorum ſanctitatem adhiberi ſolent. D

At verò adpoſita alicui caluaria, non ſanctitatem, ſed mortis

A mortis meditationem ſubindicat; ſicut Crux in manibus, paſſionis contemplationem. ita ſi quis depictus ſit Deum orans, aut coram imagine B. Virginis, aut Chriſti Crucifixi in genua prouolutus: hæc omnia nihil aliud præferunt, niſi illius viri erga res ſacras, ac pias deuotionem, & ſunt notæ ac ſigna pietatis, deuotioniſque, non autem ſanctitatis.

Solent non raro quoque in Eccleſijs depingi, aut in mar-
B more exprimi conſtructores, & benefactores Eccleſiarum, Capellarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum, in teſtimonium accepti beneficij, vel depoſiti alicubi cadaueris. his autem nullæ ſanctitatis notæ adhibentur, ſed vel figurantur eo habitu, quo inter mortales vti conſueuerant, vel ad ſummum cum aliquibus Chriſtianitatis notis.

Notandum præterea, habendam locorum rationem in
C picturis ac imaginibus, de quibus loquimur. non enim eſt æqua ratio alicuius Imaginis ſerui Dei depictæ in aliquo Oratorio, Eccleſia, vel alio loco religioſo, ac eiuſdem Imaginis in aliquo priuato cubiculo, vel loco minus religioſo. Aliter etiam de imagine alicuius ſerui Dei depicta in cathedrali Eccleſia dijudicandum erit, ac, ſi extiterit in aliqua Eccleſia minori, aut in Eccleſijs ruralibus, aut in aliquo alicuius Confraternitatis Oratorio, ſeu
D Hoſpitali. Nam imago quæ in cathedrali aliqua extiterit; de mandato Epiſcopi, vel eo ſaltem conſentiente in ea collocata præſumitur. Contra vero accidit in Oratorijs, vbi vel ipſius auctoritate Confraternitatis, vel aliqua alia auctoritate laica imago collocata præſumitur. In Eccleſijs vero, & locis Regularium exemptis, quæ non ſubſunt Epiſcopis, talis imago poſita præſumetur ex ſola auctoritate ſuperioris, qui huic conuentui præerat, niſi publicis tabulis de

con-

conſenſu Epiſcopi poſita fuiſſe probabitur. A

Minor autem ratio habenda erit illarum imaginum, quæ depictæ viſentur in pagis, atque Eccleſijs ruralibus, in quibus plurima fieri ſolent parum exacta ad ſacrorum Canonum normam, oſcitantia, vel etiam ignorantia Parochorum, vel ædituorum, aut aliorum qui harum Eccleſiarum curam gerunt. Vnde facile in ijs reperire erit Eremicolam aliquem, aut peregrinum Hieroſolymitanum cum adpoſitis Sanctitatis notis, vt olim in ſimilibus ſæpe contigiſſe ſcimus: maximè, cùm Beguardorum, & Beguinarum ſecta vigebat. Non eſt autem imperiti vulgi, & ruſticorum, decernere de ſanctitate, pietate, ac deuotione alicuius iam defuncti, ſed (vt dicitur in cap. *Audiuimus.*) Romanæ ſolius eſt Eccleſiæ. B

Non ſolum autem in his imaginibus habenda erit loci ratio; ſed etiam cauſæ, ob quam aliqua imago in Eccleſia, vel alio loco publico depicta extabit: necnon auctoritatis ex qua talis imago fortaſſis alicubi fidelium cultui expoſita erit. Eſt enim conſuetudo vetuſtiſſima, in Cœmeterijs, aut Eccleſijs adponere ſepulchris imagines, defunctorum atque illic depoſitorum vultum, atque habitum referentes. Quæ ſi aliquid adiunctum habebunt Sanctitatis indicium, hoc ipſum, atque eius cauſa, diligenter excutienda erunt. C

His prænotatis, aſſero, nullum argumentum Sanctitatis hauriri ad effectum Beatificationis, aut Canonizationis ex picturis, aut imaginibus alicuius (etiam qui cum Sanctitatis opinione deceſſerit) eo quod eius imagines in triuijs, compitis, porticibus, aut alijs publicis locis collocatæ cernantur. Ratio eſt, quia à locis non religioſis, ſeu profanis, nulla poteſt hauriri ſanctitas, ergo neque ſanctitatis argumentum, aut indicium ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. Præcipuè cùm in his locis Imperatorum plerumque D

A que Ethnicorum, Ducum, Equitum, Militum, & quorumcumque aliorum, quantumuis impiorum, imagines depingantur. Vnde ex eo quod alicuius imago in prædictis locis depicta cernatur, nullius heroicæ virtutis actus elicitur, ſine quo nulla eſt vera Sanctitas, vt ſæpe demonſtratum eſt. Sed nec vllum ex his locis venerationis genus deſumi poteſt, vnde vel leue aliquod ſanctitatis indicium hauriatur: cum prædicta loca non magis venerationi Sanctorum,
B quam profanis hominibus, & hiſtorijs dicata ſint.

Aſſero ſecundò. Ex imaginibus, & picturis in Cœmeterijs, Capellis, aut etiam Altaribus collocatis, ex eo præcisè, quod in prædictis locis cernantur, nullum ſanctitatis argumentum hauriri poteſt ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. Depingitur enim ſæpe etiam in ipſo altari alicuius imago, ſolummodo ad teſtandum poſteris, quod is, cuius ibi imago vel ſimilitudo viſitur, illam Capellã, vel
C Altare conſtruxit. Quamobrem etiam dũ adhuc viuunt, aliquorum imagines in eiſdem Altaribus collocantur: cum hac tamen vtrobique cautela, vt vel ipſæ ſolæ, vel longè à Sanctis quibus altare dedicatum eſt, poſitę cernantur. Deinde tales imagines nullam arguunt virtutem in gradu heroico, neque eandem repræſentant: eoque in loco poſitę ſunt, quem omnes altarium fundatores (ſiue bona intentione, ſiue mala, aut etiam coacti & inuiti ea fundauerint) occu-
D pare ſolent. Ex quo patet nullum ex his imaginibus, ſiue ſimulachris, Sanctitatis argumentum rectè deduci poſſe.

Dico inſuper: ex picturis, & imaginibus aliquorum cum notis & ſignis deuotionis, ac pietatis depictorum, nullum ſanctitatis argumentum aut indicium ſumitur ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. & ratio eſt, quia ſola pietatis & Religionis, ac deuotionis ſigna, quæ alicui imagini apponuntur, vt ſunt caluariæ, cruces, Saluatoris Crucifixi,

fixi, vel Deiparæ Virginis imago, flagella, libri ſpirituales; A
aut alia ſimilia, neque virtutum actus in gradu heroico repræſentant; neque quidquam habent, vnde colligere poſſimus eas imagines aliquo decreto Summi Pontificis, vel Sacræ rituum Congregationis, vel Concilij Prouincialis ab Eccleſia Romana approbati, cum talibus ſignis, ad indicandam alicuius ſanctitatem, depictas eſſe. Sine quo decreto, ſiue conſenſu, omnia pietatis aut ſanctitatis ſigna alicuius imagini adpicta, vana ac nullius momenti habenda ſunt: B
vtpote ab arbitrio pictorum dependentia, quibus, vna cum Poetis (Horatio teſte) quidlibet audendi quam largiſſima ſemper conceſſa fuit libertas. Quinimmo iam pænè in vſum vertit, vt ſimulachris, aut imaginibus virorum Eccleſiaſticorum, præſertim Regularium, ſimilia ſigna ac notæ pietatis, & deuotionis adponantur: ita vt nefas cenſeatur apud bonos viros, aliquem Sacerdotem, aut Regularem virum effigiare, & eidem prædicta ſigna, & notas pietatis non C
adponere.

Aſſero amplius: ex picturis, & imaginibus etiam in locis ſacris, & religioſis depictis cum notis, & ſignis ſanctitatis, debile & fallax ſumi indicium ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. & ratio eſt in promptu, quia neque à loco, neque à prædictis ſignis ac notis per ſe conſideratis poſſunt ſumi argumenta virtutum in gradu heroico, quæ omnino prærequiruntur ad Beatificationem, & Canonizationem; D
ergo neque argumenta ſanctitatis ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. Nam prædicta ſigna, & prædictæ notæ, vt conſtat, non ſunt argumenta virtutum in gradu heroico, ſed tantum conceptus & opinionis illorum, qui eas imagines cum illis notis depingi mandarũt. Nec etiam prædicta ſigna ſunt argnmenta certa, & infallibilia miraculorum, aut Beatitudinis & gloriæ cæleſtis illorum,

A rum, qui ſic depinguntur. Quod ex eo patet, quia etiam hæretici ſuos depingunt pſeudomartyres cum his notis, & ſignis, vt Huſſitas feciſſe & facere Cocleus teſtatur in Hiſtor. Huſſit. Ioannem enim Hus, quem illi velut Sanctum, & Martyrem Chriſti colunt, cum notis & ſignis ſanctitatis pingunt ac venerantur. Sicut etiam hic ipſe Ioannes effigiem Vvicleſi cum diademate, & radijs, apud ſe retinebat. Hieronymus quoque de Praga effigiem ſimili modo Ioan-
B nis Hus habebat. & quotquot ex Concilij Conſtantienſis decreto ex prædictis combuſti fuerunt, eos omnes Huſſitæ non ſolum vt martyres venerantur, ſed etiam cum notis, & ſignis ſanctitatis depingunt. Quod etiam iam olim plures alios hæreticos feciſſe, veteres ſcriptores teſtantur.

Sed miſſis Hæreticis, ad Catholicos reuertamur: inter quos (ſi antiqua retro tempora, quadringentorum nimirum vel quingentorum ab hinc annorum ſpatium, attendamus)
C Regulares omnes ſibi quodámodo facultatem vſurpaſſe videntur, appendendi in ipſorum Eccleſijs, & alijs in locis publicis imagines & ſimulachra illorum, qui apud illos pie putabãtur obijſſe, cum fulgoribus, & radijs à facie emanantibus, cum circulo circa caput, quod dicunt diadema, & cum alijs notis, & ſignis ſanctitatis: vt nullum fere ſit regulare inſtitutum in Eccleſia, quod non habeat in depictis tabellis plurimos ſui inſtituti Summos Pontifices, Imperato-
D res, Reges, Duciſſas, Reginas, Cardinales, Epiſcopos, Abbates, alioſque, cum notis & ſignis præſumptæ ſanctitatis expreſſos.

Pergo nunc vlterius, aſſeroq; , ex imaginibus cum notis, & ſignis ſanctitatis in locis religioſis expoſitis, antequam Beatificentur (quamuis etiam de licentia Ordinarij inibi collocatæ fuiſſent) nullum ſanctitatis argumentum, aut indicium hauriri poſſe ad effectum Canonizationis, & Beati-

fica-

ficationis. Probatur, quia ex actibus quibuſcunque ipſo iure nullis, nullum genus probationis ſumitur per reſpectum ad actus iuridicos, & ad validitatem ſententiæ pronunciandæ in quocunque iudicio. Exponere autem imagines cum notis & ſignis ſanctitatis, cuiuſcunque Ordinarij auctoritate, actus eſt ipſo iure nullus, vt ex cap. *Audiuimus*. de reliq. & vener. Sanct. manifeſtum eſt. Et ad Canonizationem, & Beatificationem Papa non procedit, niſi ſeruata forma iudicij, tam in fabrica proceſſus, quam etiam in terminando iudicium per actum Canonizationis, pronunciando ſententiam definitiuam. A B

Confirmatur. Quia Epiſcopi in concedendo, vt ſimiles imagines appendantur, & collocentur in locis religioſis cum notis & ſignis ſanctitatis, ſæpiſſimè decepti ſunt, vel ex ignorantia, vel ex aliqua oſcitantia & inaduertentia. nam quamuis ex decreto Concilij Tridentini nullibi ſit ponenda imago, niſi conſulto Epiſcopo; nihilominus ſæpe obſeruaui paſſim imagines in Eccleſijs, Oratorijs, alijſque locis publicis, & priuatis collocari, Epiſcopo omnino inconſulto. cùm interim ipſe Epiſcopus, neque grauiter id ferre videretur, neque admodum ſollicitè pro Sacri Concilij Tridentini decreto, & eius obſeruantia, allaborare: licet decretum illud loquatur de Canonizatis, non autem de non canonizatis, nec Beatificatis, vt ſuo loco probabitur. C

Quinimmo hæreticorum imagines cum notis ſanctitatis aliquando permiſiſſe Epiſcopos, in hiſtorijs legimus: vt apud Ioannem Baptiſtam Pignam in hiſtoria Familiæ Eſtenſis lib. 3. ad annum Domini 1300. pag. 214. de quodam Armanno hæretico legitur, qui cũ iam ab anno Domini 1271. diem clauſiſſet extremum cum fama ſanctitatis; eiuſdem Epiſcopi tunc oſcitantia in cathedrali Eccleſia Ferrarienſi erectum fuerat Altare, & eiuſdem Imagines non ſolum in D

pluri-

A pluribus eiuſdem partibus templi, ſed etiam in alijs pluribus templis, oratorijs, ac Eccleſijs cum notis & ſignis ſanctitatis viſebantur. De hoc eodem Hermanno meminit Petrus de Lucemburgo in Catalogo Hæret. lib. 2. ſub eo nomine, & Prateol. lib. 8. cap. 11. & Pegna in notis ad Director. inquiſit. 3. p. com. 92. quærens, an Inquiſitores poſſint agere contra hæreticos poſt mortem. Imagines quoque Ioannis Hus, & Hieronymi Pragenſis cum notis, & ſi-
B gnis ſanctitatis depictas, ac cultas ex conſenſu Conradi Epiſcopi Pragenſis, non ſolum idem Cocleus ſcripſit, ſed etiam ex litteris Apoſtolicis Martini V. ad Bohemos manifeſtum eſt.

Dico ſexto. Ex imagine alicuius defuncti cum fama ſanctitatis, etiam ab immemorabili tempore, in aliquo loco religioſo, cū notis & ſignis ſanctitatis; nequaquam hauritur argumentum efficax ad effectum Beatificationis, & Canoni-
C zationis. Voco autem hic tempus immemorabile, ſi tabulis, aut inſcriptionibus probatum fuerit, aliquam imaginem cum notis ſanctitatis depictam extitiſſe in aliquo loco per annos ſupra centum triginta: vel (ſi tabulis aut inſcriptionibus id probari nequiuerit) tamen teſtes ſenio ac fide verendi depoſuerint, à maioribus ſuis ſe accepiſſe, qui id porrò ab alijs ſe maioribus accepiſſe affirmabant, cā ſcilicet imaginem ſic depictam extitiſſe cum notis, & ſignis ſanctitatis.
D ita vt, facta annorum computatione, præfati teſtes ſpatium centum, & triginta circiter annorum conficiant. Ratio autem aſſertionis noſtræ eſt: quia negotium Beatificationis, & Canonizationis in Eccleſia, grauiſſimi eſt momenti. In materia vero graui, & periculoſa tutior pars eſt eligenda. Ac cum dubium ſit, an prædictæ imagines cum notis ſanctitatis ex auctoritate Romanæ Eccleſiæ, an vero alicuius Ordinarij auctoritate, an priuato alicuius iuſſu ibi collocata ſit; tutius

erit

erit dicere, quod priuata tantum alicuius auctoritate, vel, ad A
ſummum, Ordinarij iuſſu aut permiſſione, non autem au-
ctoritate Sedis Apoſtolicæ, id factum ſit. Quæcumque au-
tem tali auctoritate fiunt, nullum ſuppeditant argumentum
ſanctitatis ad effectum Beatificationis, aut Canonizationis;
vt in antecedentibus probatum eſt. Vnde rectè concludetur, ex imaginibus ea ratione expoſitis, etiam ab immemo-
rabili tempore, nullum poſſe ſumi argumentum efficax ad
effectum Beatificationis, & Canonizationis: ad quas Eccle- B
ſia non procedit, ſi argumenta tantum dubia habeat. quale
eſt illud, de quo iam egimus.

Alia ratio ſumitur inde, quod hæc (vt ita loquar) imme-
morabilitas, clauditur terminis eius loci, in quo reperitur,
nec ſe extendit, aut probat quicquam, niſi vbi res illa, quæ
immemorabilis dicitur, exiſtit. Itaque quod alicuius defun-
cti effigies cum ſanctitatis notis ac ſignis, ab immemorabili
tempore alicubi exiſtat; ſolum operatur, vt inde non remo- C
ueatur, ſed relinquatur cum eiſdem ſignis, & notis ſancti-
tatis. Qua de re extat etiam decretum Sacræ Rituũ Con-
gregationis ſub die 20. Nouembris 1628. decernentis (an-
nuente Sanctiſſimo D. N. Vrbano VIII.) *Immemorabilem
probatam ſuper cultu, & veneratione alicuius non Canonizati,
nec Beatificati, non ſuffragari, vt cultus & veneratio exten-
datur, ſed in ſpecie reſtringi ad illum locum tantum.* Cum
autem Beatificatio, & Canonizatio ſe extendant ad plura D
loca, & ſubindicent quandam venerationem generaliorem;
planè conſtat immemorabilem, quam diximus, ad effectum
Beatificationis & Canonizationis non præſtare argumen-
tum efficax, ſed tantum iuuare reliquas probationes: præ-
ſertim ſi eaſdem imagines eodem modo pictas, & expoſitas
cum notis, & ſignis ſanctitatis, pluribus in locis ab imme-
morabili haberi probatum fuerit.

Pro

A Pro vltima tandem ac finali concluſione aſſero, validum & ſatis efficax argumentum ſanctitatis ad effectum Beatificationis, & Canonizationis alicuius defuncti cum opinione ſanctitatis, deſumi ex imaginibus, & picturis eiuſdem cum notis & ſignis ſanctitatis, collocatis in aliquo religioſo loco, oratorio videlicet, ſacello, aut templo, ex conceſsione Sacræ Rituum Congregationis, & Sedis Apoſtolicæ. Ratio eſt: quia actus virtutum in gradu heroico, & miracula, ſunt B efficaciſsima media ad probãdam alicuius ſanctitatem. imagines autem, quæ ex licentia, & conceſsione Congregationis Sacrorum Rituum, cum notis & ſignis ſanctitatis depinguntur, actus virtutum heroicos deſignant, indiceſque ſunt cœleſtis beatitudinis, quam is aſſecutus ſit, qui per eaſdem exprimitur. Quod ex eo patet, quia nunquam Sedes Apoſtolica concedere conſueuit, vt imagines ſeruorum Dei etiam Martyrio inſignium alicubi collocentur cum notis C & ſignis ſanctitatis, radijs puta, & ſplendoribus, aut diadematibus, vel alijs his ſimilibus, niſi præuijs diligentiſsimis informationibus, & iuridicis inquiſitionibus de vita, moribus, & actis atque virtutibus eorumdem. Quæ conſuetudo iam inde ab eius exordio in Eccleſia extitit, atque hac de cauſa Notarios regionarios inſtituit ſanctus Clemens, vt in hiſtorijs Eccleſiaſticis legitur. ita vt Eccleſia, perſoluta etiam pecunia proceſſus ſanctorum Martyrum fabricatos D in tribunali Ethnicorum emeret, quod notat Boroggius. Vt ſcilicet ex proceſsibus, quęnam Ethnici quæſiuiſſent à Martyre, & quænam reſponſa ille reddidiſſet, certior redderetur: vt maturo deinde iudicio decerneret, quis Martyris nomine ac cultu dignus omnibus proponi poſſet. Hanc ipſam ſanctiſsimam conſuetudinem ad hæc vſque tempora in Eccleſia ſemper perduraſſe, latius, ſi Deus annuet, lib. 6. oſtendemus. Ita actum fuiſſe anno ſalutis 755. cum ſancto

Suuiberto, acta eiuſdem apud Surium probant. Idipſum probant cap. *Venerabili*. de teſtib. & atteſtationib. & innumerabiles litteræ Apoſtolicæ latæ pro variorum canonizationibus, quæ habentur in Bullarijs, deinde aliæ quas refert Lucas Vadingus in Fratrum Minorum annalibus, quas omnes repetere longum eſſet. Certum & indubitatum eſt Sacram Congregationem, ac Sedem Apoſtolicam, nec minimam venerationis notam alicui defuncto aliquando conceſsiſſe, quin prius diligentiſsimam inquiſitionem de actis, & virtutibus eiuſdem inſtituerit, viris vndequaque doctiſſimis, & iuris vtriuſque conſultiſsimis in conſilium adhibitis. Vnde quotieſcumque Sacræ Congregationis conceſſione aliquæ imagines cum ſignis Sanctitatis depictæ reperientur, ſuppeditabunt non inefficax argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

A

B

Probatur hæc ipſa concluſio ex illa communi doctrina, qua picturæ ſcripturis æquiparantur, vt rectè tradit & docet Molanus lib.2. cap.2. Quemadmodum igitur ex litteris Apoſtolicis, & decretis Sacræ Congregationis in Romana curia efficaciſsima, immo irreſragrabilia ſumuntur argumẽta ad probandum acta illorum, ad quorum fauorem dantur; ita pariter validiſsimum ſumetur argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis alicuius, ex picturis, & imaginibus depictis cum notis & ſignis ſanctitatis, ex conceſsione Sedis Apoſtolicæ, & decretis Sacræ Congregationis.

C

D

Dicet fortaſſe aliquis, eadem ratione probari poſſe non minus validum ſumi argumentum ex picturis, & imaginibus depictis cum notis, & ſignis ſanctitatis auctoritate Epiſcopi, quam auctoritate Sedis Apoſtolicæ, & decretis Sacræ Congregationis: quia ſimiliter ſcripturis auctoritate Epiſcopi roboratis creditur, & fides præſtatur. Reſpondeo

autem

A autem , non eſſe æquam facultatem Sedis Apoſtolicæ at-
que Epiſcoporum , in præſenti materia cultus Sanctorum :
circa quem nullum ius eſt Epiſcopis etiam in ſua Diœ-
ceſi, vt planè oſtenditur in citato cap. *Audiuimus*. de reliq.
& vener. ſanct. Vbi decernitur nemini licere alicui defun-
cto cultum, aut venerationem Sanctorum præſtare, abſque
auctoritate Romanæ Eccleſiæ, etiam ſi per talem miracula
fierent. Et in cap. *Mandat.* de Inuocat. & vener. ſanct.
B ſeſſ. 25. in Concil. Trident. ſtatuitur, *vt nihil inconſulto San-
ctiſſimo Romano Pontifice, nouum, aut in Eccleſia hactenus inu-
ſitatum decernatur*. Et in conſtitutione S. D. N. Vrba-
ni VIII. quæ incipit: *Cæleſtis Hieruſalem Ciues*. omnibus
prohibetur imagines nondum Beatificatorùm cum notis
& ſignis ſanctitatis, aut Martyrij exponere : & Epiſcopis
iniungitur, vt conſtitutionis huiuſmodi obſeruantiam ſe-
dulo procurent.

C Reſtat, vt argumentis quibuſdam in contrarium facere
apparentibus ſatisfaciamus: quorum primum ſumitur à pa-
ritate ſcripturæ, ac picturæ. Contra quod dicimus quod
non ex quibuſlibet ſcripturis argumentum validum ad ef-
fectum Beatificationis, & Canonizationis deſumatur, ſed
tantum ex ſcripturis authenticis, & fide dignis; quales in
præſenti materia ſunt proceſſus, & aliæ huiuſmodi informa-
tione Sedis Apoſtolicæ auctoritate fabricatæ. ex reliquis
D enim ſcripturis, quæ ſolius Ordinarij auctoritate innituntur,
ſuaderi quidem prima fronte ſanctitas alicuius videtur, ſed
nihil validè probatur. Simile eſt in picturis. ex quibus, nos
quoque diximus aliquod deſumi ſanctitatis indicium pro eo
qui ex Ordinarij facultate cum notis & ſignis ſanctitatis de-
pictus fuerit; illud tamen inefficax, & debile exiſtere.

Quoad picturas vero ſanctæ Franciſcæ, ſancti Iſidori, &
ſancti Raimundi de Peniafort; reſpondeo, nihil omnino his

probatum fuiſſe, ſed admiſſæ fuerunt in proceſſibus prædi- A
ctæ picturæ, veluti adminicula eorum, quæ ex teſtibus, &
ſcripturis validè, & iuridicè in eorum proceſſu fuerant pro-
bata. nullum tamen argumentum, aut probatio valida ex
ſolis picturis prædictis deſumpta fuere.

CAP. VII.

Quale argumentum Sanctitatis ſumatur à fama miraculorum. B

NON agimus in præſenti capitulo de miraculorum natura, cuius tractationem in particularem ac proprium librum reiecimus. neque quærimus, quodnam ex ipſis miraculis ſanctitatis argumentum ſumatur, quod ſupra à no- C
bis diſputatum fuit. Sed ventilandum præcisè hic ſuſcepimus, quænam ſanctitatis nota deſumatur à ſola miraculorum fama, ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Quod autem fama miraculorum alicuius plurimum faciat ad effectum Canonizationis, & Beatificationis, ſuaderi videtur hiſce rationibus. Fama illud ipſum in rei veritate ſubminiſtrat argumentum ad actus iuridicos, quod præſtat id, ex quo fama conſurgit. at miracula efficaciſſimum D
præſtant argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis alicuius defuncti: ergo idipſum fama miraculorum præſtabit. Vt enim dictum eſt cap. præcedenti, fama nihil aliud eſt, ſecundum ſuum eſſe formale, niſi quædam communis opinio de aliquo facto ex coniecturis, & probabilibus argumentis conſurgens. & fama miraculorum nihil aliud eſt, niſi communis aliqua opinio conſurgens ex

pro-

A probabilibus coniecturis; & argumentis, quod aliquis miracula fecerit.

Quod autem miracula efficaciſſimum præſtent argumentum ad effectum in primis Beatificationis, colligitur ex eo, quia Beatificatio nihil aliud eſt, vt ſuo loco nimirum lib. 6. videbitur, niſi ſpeciale Sedis Apoſtolicæ priuilegium; per quod conceditur alicui ſpeciali Eccleſiæ, vel Religioni poſſe exhibere alicui defuncto cultum, qui Sanctis Canoni-

B zatis de iure præſtatur. hanc verò conceſſionem priuilegij poſſe concedi ab Apoſtolica Sede ex ſolis defuncti miraculis, multis probari poteſt diplomatibus. In litteris enim Apoſtolicis quarum exordium eſt *Dominum excelſum.* latis à Paſchale II. anno Domini 1110. pro Beatificatione Petri Epiſcopi Anagnini ſub Dat. Signiæ pridie nonas Iunij, Pontificatus anno decimo, hæc habentur: *Admirantes etiam miraculorum inſignia, quibus ſanctum ſuum ante & poſt obitum*

C *diuina gratia decorauit, prout per Brunorum Signenſem Epiſcopum fideliter adnotatur, & vſque ad noſtra tempora decorare non deſinit; authoritate præſentium vobis licere volumus, & mandamus, quatenus tertiò nonas Auguſti diem Natalis eiuſdem Confeſſoris, & Præſulis numerandi Sanctorum Catalogo, congruè celebrem recolatis.*

Quod autem etiam ad canonizationem miracula efficaciſſimum præſtent argumentũ, innuunt eędem litteræ Apo-

D ſtolicæ. nam Alexander III. in litteris *Redolet Anglia.* datis Signiæ 4. Idus Martij anno Domini 1173. pro Canonizatione Sancti Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi ſic habet. *Redolet Anglia fragrantia & virtute ſignorum, quæ per merita illius Sancti, & venerabilis viri Thomæ quondam Cantuarienſis Archiepiſcopi, Omnipotens Dominus operatur.* & infra: *His vero auditis monumentis, & magnis miraculis, quæ iugiter per illius ſancti viri merita fieri vniuerſitas narrat*

fidelium . & inſra : *Prædictum Archiepiſcopum ſolemniter in Eccleſia, magno collegio ibidem Clericorum & laicorum præſente, in capite ieiunij, deliberato fratrum noſtrorum conſilio canonizauimus, ipſumque decreuimus Sanctorum Catalogo adſcribendum.* Ex quibus colligitur non ſolùm miracula, verum etiam eorum famam, ad canonizationes maximum & efficaciſsimum præſtare argumentum. dicit enim Pontifex ſe motum ad huius ſerui Dei Canonizationem ex fama miraculorum. A B

Gregorius quoque Nonus in litteris *Mira circa nos.* datis Peruſij anno 1228. pro Canonizatione ſancti Franciſci hęc habet: *Omnipotens, & miſericors Deus de cuius munere venit, quod prædictus famulus Chriſti dignè ſibi, & laudabiliter deſeruiuit, tantam lucernam abſconſam ſub modio remanere non patiens, ſed eam volens ſuper candelabrum collocari, his qui ſunt in domo luminis ſolatium præbituram; vitam eius ſibi fuiſſe acceptam, & ipſius memoriam eſſe à militanti Eccleſia* C *venerandam, multis, & præclaris miraculis declarauit.* Vbi clare dicitur: quod volens Deus fidelibus in Eccleſia exiſtentibus vitam ſancti Franciſci imitandam proponere, & declarare genus illud vitę ſibi fuiſſe acceptiſsimum, ac propterea in Eccleſia memoriam eiuſdem Sancti per actum Canonizationis, ab omnibus ſolemni cultu honorari cupiens; in hunc finem illum miraculis illuſtrauit.

Quinimmo communi atque vſitata phraſi, Summi Pontifices aſſerunt ſe miraculis moueri, atque iiſdem inniti, quoties ad alicuius ſerui Dei canonizationem procedunt. Ita Honorius III. in litteris Apoſtolicis latis pro canonizatione ſancti Laurentij Archiepiſcopi Dublinenſis, quarum exordium eſt. *Ineffabilis prouidentia*. Vbi ita dicitur §. 50. *De ipſius igitur ſanctitate tantis certificati miraculis, diuinumque ſecuti iudicium, per quod eius glorifica-* D

tio

A *tio nobis tam euidentibus innotuit argumentis &c.*

Gregorius IX. in litteris datis anno duodecimo Pontificatus, vndecimo Calendas Maij de miraculis ſancti Brunonis Epiſcopi Herbipolenſis: *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis.* & infra: *Sicut enim venerabilis frater noſter Epiſcopus Hermannus, & dilectus filius N. Decanus, & capitulum, ac populus Herbipolenſis nobis per nuncios ſuos, & litteras intimarunt: Dominus tantam piæ memoriæ Brunonis Epiſcopi Herbipo-
B lenſis concedit gloriam, quod ſepulchrum eius tot & tantis dat corruſcare miraculis, vt inter alios Sanctos eius non inuocari ſuffragia ſit indignum &c.* Et Innocentius IV. anno quinto ſui Pontificatus ix. Nouembris ſcribens ad eundem Epiſcopum, & Capitulum Herbipolenſe ſic ait: *Quod ſanctæ memoriæ Bruno Herbipolenſis Epiſcopus qui olim degens in mundo magnis pollebat meritis, nunc viuens in cælo tot coruſcat miraculis, vt eius ſanctitas apertis indicijs comprobetur, & eius
C inter alios Sanctos non inuocari ſuffragia ſit indignum &c.* habentur huiuſmodi litteræ in Vaticana Bibliotheca in Regiſtris Gregorij, & Innocentij, & earum litterarum fragmenta habet Baron. in notis ad Martyrolog. die 17. Maij quo die S. Brunonis memoria recolitur in Eccleſia. ex quibus ſanè affirmari poſſe videtur, quod fama miraculorum ſit validum, & ſufficiens argumentum ad Beatificationis, & Canonizationis effectum.

D Nam Innocentius loco citato, ait ex miraculis ſanctitatem prædicti ſerui Dei cōprobari apertis indicijs. ſanctitas autē comprobata, eſt efficax argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis, imo ad hunc non requiritur aliud niſi, vt ſanctitas alicuius probetur: ergo fama miraculorum præſtat efficax argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. tum quia hæc fama non conſurgit niſi ex miraculis, quæ de facto patrata referuntur ab ali-

quo Dei ſeruo: tum quia fama aliquando in iure habet vim A
probationis.

Pro elucidatione præſentis difficultatis, Notandum eſt quod de miraculis multipliciter loqui poſſumus. Nam genericè loquendo miraculum propriè dicitur illud quod contingit contra naturã, vt dixit Nebriſſenſis in ſuo dictionario. Nam ſi naturaliter aliquid poſſet contingere, non eſſet miraculum. ita ille. Verum peccat is author in eò quod dicit contra naturam eſſe miraculum, melius enim dixiſſet mi- B
raculum, aliquid eſſe ſupra naturam, ideſt ſupra vires naturæ, vt ſuo loco nos dicemus. Quæ autem requirantur ad hoc quod aliquis effectus inter vera miracula recenſeatur, videatur Gloſa ſpeculat. in cap. 1. de reliq. & venerat. ſanct. circa fin. in 6. Qualiter vero probetur miraculum videatur Gemin. ibid. cap. 1. n. 3. & in Poſtilla in verbo de recta probatione de confeſſ. lib. 6. Bald. in l. *ſolum* col. fin. C. de teſtib. & in cap. *venerabili* eo tit. Alex. conſil. 3. volum. 3. ſed de C
his diligentius agendum erit ſuo loco.

Nunc breuiter dicimus miraculi vocabulo ſignificari quidquid rarum eſt, & ſecundum opinionem communem excedit vires naturæ. Quamobrem hoc nomine non tam veniunt vera miracula quæ à ſolo Deo fieri poſſunt, quam etiam ea quæ ſolùm talia putantur, & quæ tabellis, cereis, ſigillis, & alijs anathematibus ſignificantur ad aras vel ſepulchra, aut etiam imagines appendi ſolitis: ex quibus conſurgit D
communis, opinio quod aliqua imago, vel reliquiæ, vel aliquis Dei ſeruus miracula operetur. quæ communis opinio nomine famæ ſignificatur. Quærimus ergo, quodnam ſanctitatis argumentum ſumatur ex aliqua communi fama miraculorum, ad fauorem alicuius Dei ſerui per reſpectum ad eiuſdem Canonizationem, & Beatificationem?

Notandùm deinde triplicem eſſe famam miraculorum,

eo-

A eorùm quæ ante mortem, eorùm quæ poſt mortem, & eorùm quæ ſimul tam ante quam poſt mortem ab eodem patrata feruntur. Præterea diſtinguẽdùm eſt inter famam propriè dictam, & eandem latè ſumptam; iuxta ea quæ capitulo præcedenti tradidimus.

His ita poſitis dico primo. Fama miraculorum quæ nullis innititur argumentis, aut probabilibus coniecturis, ſed in ſolo huius, vel alterius dicto aſſerentis aliquem feciſſe aliqua B miracula, nullum præſtat ſanctitatis argumentum ad effectum Canonizationis vel Beatificationis alicuius. Præſens concluſio duas habet partes: prima loquitur de fama quatenus nullis innititur argumentis; altera loquitur de fama quatenus innititur huius vel illius dicto. Patet primæ partis veritas, quia fama quæ nullis innititur argumentis, aut probabilibus coniecturis; non eſt fama, ſed vanus populi rumor, qui nullum poteſt præſtare ſanctitatis argumentum, C nec quidquam probat, vt cap. præcedenti vidimus.

Secunda pars concluſionis probatur, quia de ratione famæ, vt vere fama ſit, requiritur, vt in aliquo dicto concurrat maior pars ciuitatis, vel loci, eo modo quo ſupra declarauimus; non vero quod vnius, vel alterius, vel etiam plurimorum hominum dicto innitatur: deinde, vt hi qui aliquid affirmant, probabilibus coniecturis & rationibus innixi ita eſſe credant, vt refertur. alias erit vanus populi rumor, non fa- D ma. Deinde quia Hæretici quoque, ad venerationem ſuorum ſectariorum, commendant excellentiam ſanctitatis aliquorum, ac cõfingunt & publicant miracula tam in vita quã poſt mortem edita, vt in errorẽm inducant etiam Catholicos, ſicut teſtatur de quodam Arnaldo Hæretico Albigenſi Lucas Tudenſis lib. 3. cap. 9. cuius ſcripta habentur in Bibliothec. vet. Patr. tom 13. Arrianos quoque conſueuiſſe idipſum de ſuis prædicare tradunt Gregorius Turonenſis in

hiſt.

hiſt. Franc. lib. 2. cap. 30. Paulus Diacon. rerum Romanarum lib. vlt. & ſcriptores rerum Vngaricarum, ac Polonicarum, de quodam hæretico nomine Polichronio: vt propterea circa hæc maxime laborandum fuerit Eccleſiæ Catholicæ, tempore Fraticellorum. A

Dico ſecundo. Fama miraculorum alicuius dum eſſet inter viuos ad effectum Beatificationis, & Canonizationis, nullum præſtat argumentum. ratio eſt, quia tota vis famæ ex ijs ſumitur, vt diximus, ex quibus ipſa conſurgit: nimirum, B à materiali ratione famæ. miracula autem facta ab aliquo dum inter viuos degebat, vt ſic conſiderata non præſtat validum ſanctitatis argumentum, ſi deſint reliqua. quia etiam aliquando peccatores, tanquam inſtrumenta Dei, miracula fecerunt; vt communiter à Doctoribus traditur de Iuda Proditore. Et fide certum eſt, peccatores miracula facere poſſe, quod nos libro 3. fusè probabimus: idq. indicat Chriſtus dum in die Iudicij aliquos reſurrecturos ad damnationem C tradit, qui dicent: *Domine, nonne in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus?* Quibus ſe reſponſurum affirmat: *Amen dico vobis quia neſcio vos*. & Paulus ad Corinthios ſcribens, ſine charitate poſſe aliquem miracula facere, pro certo habet, cum dicit: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*. Igitur gratia miraculorum in vita eſſe poteſt ſine charitate: & conſequenter nullum ex ſeſe præſtabit ſancti- D tatis argumentum.

Dico tertio. Fama miraculorum ab aliquo poſt mortē patratorū, quę nullis innititur coniecturis, aut probabilibus argumētis, nihil probat; neque aliquod ſubminiſtrat argumentum ſanctitatis ad effectum Beatificationis, vel Canonizationis. Probabilis autem coniectura quod aliquis miracula faciat, erit præcedens vitæ ſanctitas, & euangelica perfectio,

ita

A ita vt hi qui miracula alicuius deprædicant, ſimul etiam extollant eius mores ac vitam. nam ſi de aliquo miracula prædicentur, nulla facta mentione de virtutibus, perinde quaſi de homine plane ſibi incognito loquantur; hæc fama non innitetur probabilibus coniecturis. nam quamuis Deus aliquando etiam per homines peccatores miracula fecerit, non tamen poſt mortem illorum, aut ad eorum ſepulchra facta ſunt, niſi ex Sathanæ illuſione.

B Veroſimilia vero argumenta miraculorum duplici ex capite ſumenda ſunt, conſiderando nimirum an ea quæ contigerunt, naturaliter fieri potuerint, vel aliqua ex arte, aut alijs modis. nam ſi naturali medicina aliquis exempli gratia ab aliqua infirmitate ſanatus fuerit, aut ad aliquem ſanandum aliquis adhibuerit naturalia medicamenta, non erit credendum miraculosè ſanatum infirmum. At vero ſi ſanitas alicuius infirmi, euaſio ab aliquo imminenti pericu-
C lo, & ſimilia, naturaliter fieri nequeant; tunc factum aſcribendum miraculo erit, cum Deo ſoli ſit poteſtas ſupra naturæ vires. Ex circunſtantijs quoque veroſimilia argumenta eruuntur, ex his nimirũ quæ reſpiciunt perſonam in qua fertur factũ miraculum. nam ſi illi circa quos patrata miracula feruntur, ex his ipſis intumuerint, aut lucrum quærant, ſeu captare ſtudeant beneuolentiam magnatum, & auram populi; res profecto ſuſpecta erit.

D His præconſideratis probatur concluſio, quia fama miraculorum quę nullis probabilibus coniecturis aut argumentis innititur, non eſt fama propriè dicta, ſed tantum eſt vanus populi rumor, vnde nullum præſtat argumentum ad iuridicos actus, vt ſæpe dictum. ergo fama miraculorum de aliquo defuncto quæ nullis innititur probabilibus coniecturis, nihil omnino probat, neque aliquod ſubminiſtrat ſanctitatis argumentum.

Dico

Dico quarto. Ex fama miraculorum quæ exſurgit ex tabellis nulla auctoritate appenſis, cereis, alijſque anathematibus ad ſepulchra, vel ad imagines alicuius defuncti, nullum poteſt ſumi ſanctitatis validum argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. A

Probatur Concluſio, quia prædictæ tabellæ, cerei, aliaque anathemata, ſi proprie conſiderentur, non ſunt ſigna miraculorum; ſed ad ſummum, vel deuotionis populi, vel gratiæ & beneficij accepti, non tam præciſè ex interceſſione eius cui appenduntur, quam ex diuina benignitate, cauſis ſecundis naturaliter operantibus: ergo fama miraculorum quæ fundatur in his anathematum appenſionibus, nullum facit argumentum ad effectum Beatificationis vel Canonizationis. Eſt enim valde incerta, & ſæpè ſolius appendentis opinioni innititur. B

Quinimo appenſio huiuſmodi, ſi rigorosè conſideratur, eſt potius ſignum vani cuiuſdam rumoris de præſumptis miraculis, quàm verorum miraculorum nota. conſtat enim ex hiſtorijs, aliquando Hæreticis defunctis (qui cùm falſa de eorum ſanctitate vulgi opinione deceſſerant) hæc ipſa anathemata fuiſſe appenſa. Ita 2. parte director. quæſt. 26. comment. 51. ponitur concrematio cadaueris, ac librorum cuiuſdam fratris Petri Ioannis Minoritæ, qui vt Sanctus à multis cultus fuerat, atque vt talis, à Diuini verbi prædicatoribus, plus zeli quàm ſalis habentibus, coram populo ex ſuperiori loco laudabatur. Eius igitur libris ad infamem rogum damnatis, *Idem Dominus Papa Ioannes* (vt ibidem habetur) *fecit exhumari oſſa dicti fratris Petri Ioannis, & omnia, tam cereas imagines, quam pannos, per manus ſimplicium ad eius tumulum deducta, Narbone fecit publicè concremari*. manifeſtum eſt igitur quod, niſi Sedis Apoſtolicæ facultas acceſſerit, illa cereorum, tabellarum, aliorumque anathematum appenſio nullum C D

A lum præſtant argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Dico quinto. Fama notoria miraculorum quæ probabilibus coniecturis, & veroſimilibus argumentis innititur, ſanctitatis indicium pręſtat efficaciſſimum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. Fama enim notoria non innititur niſi coniecturis euidentibus, & miraculis manifeſtis, qualia ad hunc effectum neceſſaria ſunt, & quæ ſi adſint, de B ſanctitate alicuius validiſſimum præſtant argumentum. ergo & horum fama notoria efficax præſtabit indicium.

Sed ſatisfaciendum nunc eſt argumentis in contrarium allatis, notandumque aliud eſſe loqui de miraculis, aliud dę fama miraculorum. nam ratio miraculi in præſenti materia conſiſtit in facto vires naturæ excedente, & approbatione Eccleſiæ: & ratio famæ miraculorum conſiſtit in opinione multorum, qui id ita credant. Fama autem multoties, imo C vt plurimum decipit, ac vana eſt: ac propterea argumenta non valent à fama miraculorum ad ipſa miracula. Poteſt enim fama decipi ac decipere, quamuis miracula vera eſſent. Quamobrem quamuis miracula præſtent argumenta ad effectum Beatificationis, & Canonizationis, non tamen ſequitur quod idipſum præſtet fama miraculorum.

Reſpondeo igitur: quod primum argumentum omnino probat (ſi bene conſideretur) noſtram quintam concluſio- D nem, quæ loquitur de fama quæ innititur probabilibus coniecturis, & argumentis. veriſſime namque dicitur quod miracula pręſtant efficaciſſimum argumentum ad effectum Canonizationis, ſi ſit ſermo de miraculis iam ab Eccleſia probatis, & admiſſis per Iudices ab Apoſtolica Sede ad ea examinanda deputatos; non vero de miraculis nondum approbatis, ſed tantum ex rumore vulgi ſic creditis. hæc enim miracula, vt dicebamus concluſione quarta, nullum præ-

ſtant

ſtant argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. Poteſt etiam ſatisfieri argumento, diſtinguendo inter miracula facta ab aliquo in vita, & ea quæ poſt mortem patrata ſunt, aut ferentur. item inter miracula quę virtutes in gradu heroico adiūctas habuere, & inter miracula quę nulla certa ſecum habeant ſanctitatis argumenta. Si igitur ſermo eſt de miraculis ab aliquo poſt mortem patratis, & quæ innitantur virtutibus in gradu heroico; hæc vtique efficaciſſimum præſtant ſanctitatis argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. non vero idem euenit in miraculis quatenus ſimpliciter facta circunferuntur ante mortem, ab aliquo cuius acta, & vita ab Eccleſia nondum fuerit probata. Concedimus igitur quod fama miraculorum prioris generis, præſtet argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis; non vero fama poſterioris generis. A B

Ad confirmationem vero, & probationem dicimus, quod ea quæ adferuntur ex litteris Apoſtolicis *Dominum excelſum*. pro Beatificatione Sancti Petri Epiſcopi Anagnini; nequaquam innituntur ſolis miraculis præcisè conſideratis, ſed miraculis & virtutibus ſimul; inmo potius virtutibus, quam miraculis. Prius enim Pontifex, in adductis litteris, virtutum diſertè meminit, dicens: *Conſiderantes propterea ſtrenuæ probatæque vitæ merita, quibus vir Sanctus Petrus quondam Anagninus Epiſcopus de Regula Monachorum aſſumptus, in paſtorali officio purè, ſimpliciter, ſolerti vigilantia, & exemplo Deo deſeruiuit. Admirantes etiam miraculorum inſignia &c.* ex quibus verbis planè liquet Summum Pontificem ex conſuetudine Eccleſiæ, ad effectum Beatificationis, non ſolum non conſiderare miracula, vt præciſa à virtutibus; ſed potiorem etiam gradum virtutibus tribuiſſe, quàm miraculis, etiam quatenus præſupponunt virtutes in gradu heroico. C D

Idem omnino reſpondendum eſt ad reliqua, quę ibidem

affe-

A afferuntur . Etenim Alexander Tertius in litteris citatis *Ro-
dolet Anglia* . prius meminit meritorũ S. Thomæ ex actibus,
& virtutibus . *Cuius vita laudabilis* (inquit) *multa fulſit glo-
ria meritorum, & tandem martyrio conſummata eſt certaminis
glorioſi* . Itaque non nudè ac præcisè miracula conſide-
rat , ſed vnà cum virtutibus : nec de fama miraculorum , vt
ſic,procedit Bulla;ſed de miraculis prius per Iudices ab Apo-
ſtolica Sede delegatos (quos ibi nominat) probatis , & ad-
B miſſis . quod pariter habet Gregorius IX. loco citato, dum
agit de Canonizatione S.Franciſci . *Cum igitur* , inquit , *glo-
rioſæ vitæ ipſius inſignia ex multa familiaritate , quam nobiſ-
cum habuit in minori officio conſtitutis , plenè cognita nobis eſ-
ſent ; & de miraculorum coruſcatione multiplici per teſtes ido-
neos nobis facta fuerit plena fides* . Nunquam igitur Summi
Pontifices ex fama ſola miraculorum ad Beatificationem ,
aut Canonizationẽ ſeruorum Dei proceſſerunt , nec per al-
C latas litteras proceſſiſſe probatur: neq. de miraculis ex vulgi
opinione,ſed ex coniecturis euidentibus & virorum probo-
rũ ac doctorum teſtimonio omni tẽpore iudicium tulerunt.
Quem ſenſum habent & reliquæ Apoſtolicæ litteræ in prin-
cipio capituli allatæ . Vnde tandem probatum
manet , ſolam miraculorum famam nul-
lum præſtare argumentum ad effe-
ctum Beatificationis , & Cano-
D nizationis .

 A

CAP. VIII.

Quodnam ſanctitatis argumentum ſumatur ex anathematibus appenſis ad notam miraculorum alicuius iam defuncti.

GRATITVDINIS tanta eſt vis in humano B
animo, vt beneficij à ſe accepti memoriam
perpetuam fieri, quantum ſibi poſſibile eſt,
concupiſcat. Ex hac natum eſt, vt ſi quis
gratiam aliquam, aut beneficium à Deo, aut
ab eius ſanctis acceperit; hæc ipſa illicò non voce ſolum de-
prædicet, ſed permanſuris quibuſdam ſignis non præſenti
ſolum ſæculo, ſed omni venturæ poſteritati teſtatam facere
deſideret. Neque aliam ſanè originem habuere tabellæ, C
cerei, veſtes, ſigilla, aliaque, quæ anathematum nomine in
templis olim hodieque appendi ſolita cognouimus. Non
enim vna ſimplexque huius beneficij teſtandi ratio eſt, ſed
prò diuerſitate Regionum, Prouinciarum, & locorum di-
uerſa. Scio in quibuſdam locis præſertim apud Hiſpanos
conſuetudinem vigere ſumendi ex terra alicuius pij loci, vbi
aliqua Dei Genitricis, aut Crucifixi imago habeatur popu-
lis veneranda, quam terram deinde in potionibus infirmis D
porrigunt ad ſanitatem impetrandam: quam ſi infirmus con-
ſequatur, particulam aliquam eiuſdem terræ linteo illigatam
vel aliquod aliud ſignum ibidem appendunt, ad accepti be-
neficij notam.

Diuerſitas autem ſigni, quo beneficium acceptum in
templis ac locis ſacris conteſtamur, non ſolum oritur ex di-
uerſitate locorum ſiue regionum; ſed ex ipſo etiam conte-

ſtan-

A ſtantis voto, quod pro varietate mali depulſi, ac beneficij accepti, aliter atque aliter ab illo concipitur. Sed qualecumque tandem illud extiterit; omnia ſimilia ſigna, cùm antiquis, ſub vno *Anathematum* vocabulo comprehendimus: quærentes, quodnam argumentum ex his peti poſsit, ad probandam eius ſanctitatem, ad cuius ſepulchrum vel altare appenſa viſentur.

Nominat Anathematis vocabulum explicatque Iuſti-B nus Mart. quæſt. 121. ad Orthodox. his verbis: Ἀνάθεμα λέγεται τὸ ἀνακείμενον, καὶ ἀφωρισμένον θεῷ, καὶ εἰς κοινὴν χρῆσιν μηκέτι λαμβανόμενον· τὸ δὲ ἀπηλλοτριωμένον θεοῦ, διὰ κακίαν κατάθεμα δὲ ἐστί, τὸ συντεθὲν τοῖς ἀναθεματίσασιν. hoc eſt: *Anathema id dicitur, quod Deo eſt dedicatum, atque deſtinatum, & in communem vſum amplius non aſſumitur. at quod à Deo per malitiam eſt alienatum Catathema vero dicitur, quod coniungitur his, qui ſe deuouerunt*. Senſus eſt, anathemata dici donaria, quæ

C Deo offeruntur: quæ nec alienari poſſunt, neque applicari ad communem vſum, aut reponi in theſauro publico ad vſus publicos. Eſt autem ſi vim Ethymologicam ſpectes, *anathema*, ſurſum poſitum, ſicut *catathema*, deorſum vel infra poſitum dicitur. Formantur enim ex verbo τίθημι, quod eſt *colloco*, & præpoſitionibus ἀνὰ, quod eſt *ſurſum*, & κατὰ, quod eſt *deorſum*.

Anathemata igitur dicebantur donaria, quæ Deo Reli-D gionis cauſa offerebantur. & ſic appellabantur, tum quia in templorum parietibus, & columnis olim ſuſpendebantur, quemadmodum plura nunc quoque viſuntur in ſacris Ædibus: tum quia Deo ſummo, quem ſurſum ſiue in ſuperioribus cælorum verſari norunt homines, offerebantur: vel etiam quia donaria hæc à communi hominum vſu ſeparata, & quaſi ſubleuata cenſebantur, vnde nulli fas erat hæc in ſuos, aut publicos vſus conuertere. Vnde & ho-

mines piaculares, & quicquid aliud diris, ac deteſtationibus deuouebatur, *catathema* dicebatur, quaſi Dijs inferis pro piaculari hoſtia oblatum, ac conſecratum. A

Nos vero hic non loquimur de his donarijs, ac ſignis in communi, & quæ Dei famulis ab Apoſtolica Sede canonizatis offeruntur, aut ad illorum ſepulchra appendùntur: ſed in ſpecie de his, quæ ad honorem nondum Canonizatorũ, aut Beatificatorum ad eorum imagines, & ſepulchra ſuſpenduntur, vel iam ex pia credulitate à fidelibus oblata (ex Sanctiſſimi D. N. Vrbani VIII. decreto) recondi iubentur. B

Duo ſuper hac materiã publicata ſunt hic Romæ S.D.N. Vrbani VIII. decreta, alterum ſub die 13. Martij 1625. in quo has tabellas, imagines, & res alias beneficio teſtando in Eccleſijs appenſas omnino remouendas declarauit, ac decreuit. Alterum ſub die 2. Octobris eiuſdem anni, prioris decreti declaratorium: in quo oblatas nondum Beatificatis tabellas, & donaria prædicta in loco aliquo ſeorſum ſeruanda decernit his verbis: *Nos qui tantummodo voluimus occurrendo abuſibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum ſanctimoniam diuinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illuſtrare; re prius cum eiſdem Cardinalibus communicata, de ſimili eorum conſilio declarauimus, quod ſicut nunquam prohibuimus, nec intentionis noſtræ fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum, ac imaginum huiuſmodi, ita vt deinceps nulli dubitationi locus relinqueretur, Statuimus, & decreuimus, vt quoties ad aliquam Eccleſiam, aut oratorium locumvè alium publicum, ſeu ſæcularem, ſeu regularem, tabellas, & imagines, aliudvè ſimile quiſpiam deferret; ac interceſſione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adſcriptorum, quamuis cum Martyrij, aut ſanctitatis fama demortuorum, optata ſe impetrauiſſe diceret; liceret Eccleſiaſticis perſonis* C D

A *Eccleſiarum locorumve prædictorum curæ Prapoſitis, tabellas, & imagines, ſiue pictas, ſiue ex quauis materia fictas, aut alia quæcunque collatæ gratiæ fidem facientia ſimul cum deferentis, aliorumque qui conſcij fuiſſent atteſtationibus recipere, atque approbantibus Ordinarijs ad quos referre ſtatim omnia tenerentur, in ſecreto aliquo ſeorſum ab Eccleſia loco cuſtodire, indeque iam amota collocare, & aſſeruare: vt ſi quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, ſeu Canoniza-*
B *tionis honore in terris decorare voluiſſet, extarent huiuſmodi ſanctitatis qualeſcunque probationes, Apoſtolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ.* Hæc autem decreta, vt firma, & inconcuſſa omnino perſtarent, per alias deinde litteras, quarum exordium eſt *Cæleſtis Ieruſalem ciues* ſub Dat.Romæ die 5. Iulij 1634. Pontificatus anno XI. idem Pontifex firmauit, ac roborauit.

Quid igitur operentur huiuſmodi donaria, & tabellæ ad
C effectum Beatificationis & Canonizationis, videndum remanet: ſiue illę ſuperioribus temporibus appenſæ fuerint eo modo quo tum permiſſum erat, ſiue in aliquo priuato loco ſeruatæ exiſtant, iuxta poſteriora decreta S.D.N. Vrbani VIII.

Sed notandum eſt prius, non omnia anathemata, ſiue donaria eodem modo exprimi, neque eandem habere vim ſignificandi. Poſſunt autem ad tria potiſsimum genera re-
D uocari. Nonnulla enim ex his anathematibus fidelium deuotionem tantummodo exprimunt erga illum Dei ſeruum, ad cuius ſepulchrum, vel imaginem appenduntur: vt nimirum fideles reliqui intelligant, poſſe hũc Dei famulum non ſine fructu in neceſsitatibus inuocari, atque apud Deum pro vobis deprecatorem exiſtere. ita vt in his donarijs nullus exprimatur caſus particularis, vel beneficium acceptum: ſed nuda ſint ſigna venerationis, & fiduciæ quam in eius

meritis ac gratia apud Deum habemus. Cuius generis ſunt candelæ, cerei, lampades appenſæ, vel accenſæ: item flores, rami, coronæ, aliaque ornamenta ſepulchro, vel imagini alicuius appoſita. A

Alia ſunt donariorum, & anathematum genera, quæ non ſolum ſignificant fidelium deuotionem, & piam fiduciam de beneficio accipiendo, ſed illud indicant iam acceptum: verùm ita, vt non ſatis clare explicent, ac determinet, quod aut quale hoc ſit beneficium, ſiue gratia, quam ſe accepiſſe his donarijs teſtari velle videntur. B Huius generis ſunt appenſa veſtimenta, vel tabellæ votiuæ in quibus exprimitur aliquis ante ſerui Dei imaginem in genua prouolutus, appoſita epigraphe: EX VOTO, vel OB GRATIAM ACCEPTAM. abſque vlteriore huius gratiæ, vel beneficij explicatione.

Alia denique ſunt donaria ſiue anathemata, quæ non ſolum in genere teſtantur beneficium, ſiue gratiam acceptam; C ſed proprijs, ac priuatis inſuper ſignis hoc vel illud beneficium in particulari demonſtrant. Quædam vero ex his nudis coloribus conſtant, quædam etiam ſcripturam adiunctam habent, quæ totius rei hiſtoriam, ac ſeriem complectatur. Huius generis ſunt tabellæ omnes votiuæ in quibus depingitur aliquis à ventis deprehenſus, atque naufragio proximus, vel cum tabula enatans: æger lecto affixus, aut animam agens: viator à latronibus ſtrictis gladijs D circumſeſſus: cæcus viſum recipiens: claudus ſurcellis innixus, vel eas humeris ad templum deportans: & alia his ſimilia, quæ ſolis, vt dixi, ſæpe coloribus exprimuntur; interdum etiam ſcriptum aliquod adiunctum habent, quo ipſius periculi grauitas, vouentis fiducia, ſalutis impetratæ tempus, ac modus, clarè ac diſtinctè aperiuntur.

Notandum ſecundo: in his donarijs ſiue anathematibus nume-

A numerum quoque ipſum expendi debere. Argumenta
enim ab inductione quæ ab indiuiduis & ſingularibus ſu-
muntur; efficaciora, vel minus efficacia ſunt, prout plura
vel pauciora in his afferuntur indiuidua, ac proinde magis
efficax argumentũ erit quod à maiori numero donariorum,
& tabellarum ſumitur; quam illud quod minori numero
conſtabit. Ad hunc autem numerum ſæpè reſpexiſſe con-
ſtat Summos Pontifices in Sanctorum Canonizationibus,
B atque inter alios Eugenium Quartum in Bulla Canonizatio-
nis S. Nicolai de Tolentino, cuius exordium eſt *Licet mili-
tans*. ſub Dat. Romæ apud S. Petrum 1447. Calendis Fe-
bruarij, vbi poſt nonnulla recenſita miracula, hæc haben-
tur §. 11. *Quam plurima etiam miracula tam in vita, quam poſt
eius obitum fecit, pluresque homines vtriuſque ſexus à morte
ſuſcitauit, cæcos illuminauit, & ab oculorum infirmitatibus li-
berauit: contractos, & protractos membris, & claudos ere-*
C *xit*. Et poſtquam alia plura recenſuiſſet, ſubinfert: *Quæ
omnia trecenta, & vnum miracula, ad quorum probationem
examinati fuerunt trecenti ſeptuaginta & vnus teſtes, in re-
giſtris annotata coram nobis in publico conſiſtorio relata fuerũt.*
Sed iam quæſtioni propoſitæ ſatisfaciendum eſt, in qua
ſententiam meam ſequentibus aſſertionibus explico.

Aſſertio prima. Si loquamur de ſãctitate formaliter cõſide-
rata; ex dictis tabellis, donarijs, & alijs huiuſmodi anathema-
D tibus nullum colligi poteſt argumentum ſanctitatis ad effe-
ctum Beatificationis vel Canonizationis. Ratio clara eſt.
quia tota ratio ſanctitatis formaliter conſiderata conſiſtit in
virtutum actibus, & moribus ad regulam euangelicæ perfe-
ctionis exactis. In prædictis autem donarijs ad ſepulchra
vel imagines ſeruorum Dei appenſis, nihil apparet quod nos
deducat in cognitionem morum aut vitę illorum: ergo nul-
lum ex ipſis argumentum ſanctitatis hauriri poteſt, ſi de ſan-

ctitate formaliter loquamur, & de argumentis quæ directè A
ad Beatificationem, & Canonizationem deſeruire poſſint.

Aſſertio ſecunda. Donaria primi ac ſecundi generis, ſi
ſint in mediocri numero, nullum ſubminiſtrant argumen-
tum ſanctitatis ad effectum Beatificationis, & Canonizatio-
nis. & ratio eſt, quia ſanctitas alicuius ex ijs tantum donarijs
colligi poteſt, quæ certa & infallibilia ſubminiſtrant mi-
raculorum argumenta. prædicta vero donaria, nimirum
cerei, coronæ, veſtimenta, & tabellæ in quibus nulla hiſto- B
ria expreſſa habetur, non ſunt argumenta miraculorum, ſed
tantum ſigna piæ credulitatis aliquorum fidelium, qui ſe
adiuuari poſſe interceſſionibus illius ſerui Dei exiſtimant.
ergo prædicta donaria nullum præſtant ſanctitatis argumen-
tum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Confirmatur, quia ad effectum Beatificationis, & Cano-
nizationis ſeruorum Dei non martyrum, neceſſariò certa
miracula, & probata requiruntur in Eccleſia; vt lib. 3. à nobis C
probabitur. illa autem donaria non ſunt certa, & infallibilia
miraculorum ſigna. Prꝛterea ad rationem & probationem
miraculi requiritur expreſſio facti, &, quod factum excedat,
ac ſuperet vires naturæ. Id vero ex circumſtantijs antece-
dentibus, ſubſequentibus, & concomitantibus hauriendum
eſt. At ex prædictis donarijs, de quibus agimus nullum cer-
tum factum cognoſci poteſt, neque colligi quod illa quæ
prædictis donarijs ſubindicantur, excedant vires naturæ, ne- D
que ſecundum ſe, neque ex circumſtantijs, eo quod nihil
iſtorum in ipſis exprimatur aut ſubindicetur. ergo ex ipſis
nulla poteſt certa ratio miraculorum deſumi, ac ex conſe-
quenti nec aliquod ſanctitatis argumentum ad effectum Bea-
tificationis, & Canonizationis alicuius Dei famuli. Deinde,
ſi prædicta donaria primi & ſecundi generis cum exiguo nu-
mero aliquid probant, ſolùm efficient famam miraculorum
in

A in genere. quia cum numero ſint exiguo, non poſſunt probare quod maior pars Ciuitatis aut loci credat hic fieri miracula. Fama autem in genere nihil omnino probat, vt ſæpius dictum eſt.

Præterea ex ipſis donarijs ſic appenſis nulla poteſt oriri certitudo iuridica, quod non ficte, aut fraudulenter ad illam imaginem vel ſepulchrum ab aliquo auaro, vel ambitioſo ÆditÆdituo ſuſpenſa ſint, ad inducendum populum in eam cre-
B dulitatem, vt credat Sanctum eſſe illum ad cuius imagines, vel ſepulchrum prædicta fuerint appenſa. de quo nefariorum hominum genere mentio eſt in cap. 2. de reliq. & venerat. Sanctorum.

Aſſertio tertia. Donaria primi & ſecundi generis, etiamſi ſint in maximo numero, & in his etiam tabellæ quæ repræſentent perſonas genuflexas coram alicuius Dei ſerui imaginibus, cum inſcriptionibus *Ex voto*, vel *Ob gratiam impetra-*
C *tam*, non præſtant tamen ſufficiens ſanctitatis argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. Ad hunc enim effectum certa & infallibilia ſanctitatis argumenta requiruntur per ſigna, & miracula certa & indubitata, & publica Eccleſię auctoritate probata: qualia non ſunt prædicta donaria, vt ex ſupradictis conſtare poteſt.

Poteſt idipſum probari Inductione, hoc modo. Hæc tabella, ſiue hoc donarium non eſt ſignum certum, & infalli-
D bile alicuius miraculi, neque hoc, neque iſtud alterum, & ſic de ſingulis donarijs. igitur neque omnia ſimul ſumpta. Confirmatur, quia miracula ad effectum Beatificationis, & Canonizationis iuridicè ſunt probanda, nimirum tabulis, & teſtibus iuridicè conſtitutis ac examinatis præuio iuramento. Talia autem non ineſſe aut contineri in prædictis donarijs, cuilibet poteſt eſſe notum. Igitur prædicta donaria non faciunt ſolidum argumentum aut miraculi fidem: ſed

ſolum alijs veris atque efficacibus argumentis adminiculari poterunt. A

Aſſertio quarta. Donaria, & tabellæ primi ac ſecundi generis, ſolum demonſtrant deuotionem fidelium, & piam quandam credulitatem de ſanctitate alicuius Dei ſerui, & potius inter coniecturas, & præſumptiones miraculorum coaptari debent, quam inter argumenta certa & indubitata.

Poteſt autem credulitas aliqua pia dici duplici ratione: nimirum vel ratione obiecti crediti; quia id quod creditur B
facit ad hominum ſalutem, qualia ſunt dogmata fidei: vel ratione motiui materialis ad credendum, nimirum prout eſt quædam inclinatio humana & facilitas ad credendum ea, quę Religionis amictu tecta proponuntur. Quando igitur dicimus piam credulitatem colligi poſſe ex prædictis donarijs, & tabellis; non loquimur de priori modo, nimirum ex parte obiecti. Cum enim ſanctitas alicuius prædictis tabellis indicata, vt ſtatim videbimus, poſſit eſſe falſa; non erit ſem- C
per pium illud credere. Loquimur autem de pia credulitate reſpectu illorum, qui prætextu Religionis ex quadam pia inclinatione ad hoc, vel illud credendum mouentur. Itaque ratione motiui materialis, illa credulitas appellatur pia, non autem ratione obiecti.

Probatur nunc aſſertio. quia inter venerationis ſigna quæ à fidelibus, Sanctis canonizatis præſtantur, in teſtimonium deuotionis, & piæ credulitatis quæ de illorum Beatitudine D
habetur, recēſentur hæ donariorum oblationes, & appenſiones anathematū: ergo hæc ipſa donaria, & tabellæ oblatæ ad honorem non Beatificatorum, nihil aliud probant niſi fidelium opinionem, & piam de ſanctitate alicuius credulitatem. Hæc autem pia credulitas fidelium, & deuotio, nihil omnino probat miraculoſum: neque ex pia credulitate ſanctitas alicuius probatur.

Con-

A Confirmatur. quia argumenta quæ quis ex talibus donarijs formare volet, ad miracula alicuius vel ſanctitatem comprobandam; omnino erunt fallibilia. Conſtat enim circa ſepulchrum cuiuſdam Petri Ioannis Minoritæ in Gallia, multa ſimilia donaria appenſa fuiſſe, qui tandem cum fuiſſet repertus hæreticus, & multos edidiſſet libros doctrinæ Romanæ Eccleſiæ repugnantes, iuſſu Ioannis XXII. exhumatus, & combuſtus fuit, cum omnibus tabellis, donarijs, cereis, & alijs
B ſimilibus anathematibus, ad eius ſepulchrum ex falſa populorum deuotione ſuſpenſis. Idipſum Ferrariæ aliquando accidiſſe ſcimus, ad imagines & ſepulchrum cuiuſdam Hermanni, qui Fraticellorum auctor fuerat, anno Domini 1301. & in ditione Brixiana, circa imagines ac ſepulchrum cuiuſdam Guidonis de Lacha: quorum ſimiliter corpora terra eruta, atque ad infamem rogum, vna cum tabellis ac donarijs ſuis damnata fuerunt. nullum igitur ẽx his donarijs
C deduci argumentum efficax poterit ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Aſſertio quinta. Ex tabellis tertij generis in quibus repræſentantur variæ infirmitates, morbi, ac vitæ ſalutiſque diſcrimina, cum deſcriptione caſus miraculoſi; ſi ſint iuridicè comprobati caſus, & conteſtati ſaltem auctoritate Ordinarij; faciunt aliquod genus probationis, ſed non plenum, neque efficax, ad effectum Beatificationis, & Canonizatio-
D nis. Equidem quod prædictæ tabellæ non faciant plenum probationis argumentum, liquet: quia ad effectum Beatificationis, & Canonizationis ſeruorum Dei ſaltem non martyrum, ex ſtylo Romanæ Eccleſiæ, non ſufficiunt miracula poſt mortem, ſed requiruntur nonnulla miracula ab eiſdem facta, dum inter mortales degerent. Tabellæ autem prædictæ ad ſummum miracula poſt mortem repræſentant: ergo non faciunt plenum probationis argumentum ad effe-

ctum

ctum Beatificationis, & Canonizationis. Præterea miracula ſeorſum à virtutibus ſumpta, quantumcunque illa ſint magna atque admiranda, non faciunt plenum probationis argumentum ad effectum Beatificationis & Canonizationis. Tabellæ autem & donaria, de miraculis, non de virtutibus agunt, aut teſtantur. A

Quod vero tabellę prædictæ, præſertim magno numero, ex ordinaria auctoritate conteſtatæ & comprobatæ faciant, & ſubminiſtrent aliquod genus probationis, quæ erat altera aſſertionis pars; ex eo patet, quia ſaltem ex his tabellis fama miraculorum probatur. & quamuis ſola fama non probet, facit tamen aliquod genus probationis, quo deinde moueatur Sedes Apoſtolica, ad inquirendum veritatem illorum quę in his tabellis repræſentantur· & poteſt ad id referri auctoritas Hoſtienſis in cap. *Audiuimus*. qui dicit, quod, ſi crebreſcant miracula, tunc Sedes Apoſtolica moueatur ad inquirendum de actis alicuius ad effectum Canonizationis. Ex numero autem prædictarum tabellarum in quibus exprimantur miracula auctoritate ordinaria comprobata, videtur conſtare, quod miracula crebreſcant: & ex conſequenti adiunctis alijs adminiculis, poterit moueri Sedes Apoſtolica ad inquirendum de eorum valore, ac veritate. ergo tabellæ prædictæ comprobatæ, & conteſtatæ ea ratione qua diximus; præſtant aliquod genus probationis, quamuis remotum, ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. B C D

Dicet aliquis: ad effectum Beatificationis & Canonizationis alicuius ſerui Dei non requiritur aliud, quam certitudo moralis de illius ſanctitate, nimirum, quod ille de cuius Beatificatione & Canonizatione agitur, in cæleſti gloria receptus diuina viſione fruatur. At miracula poſt mortem facta, & auctoritate Ordinarij comprobata, ſunt ſigna certa ſanctitatis alicuius, & cæleſtis gloriæ. De ſanctitate, patet ex illo

Euan-

A Euangelij loco: *Nemo poteſt ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*. De cæleſti gloria, patet ex eo, quia ad patrandum miracula ad beneficium hominum ordinata poſt mortem, videtur interponenda deprecatio. quomodo autem eam interponet poſt mortem, niſi in gloria receptus? Ceterum, comprobare miracula pertinere ad iuriſdictionem Epiſcopalem, colligitur ex capit. *mandat*. de venerat. ſanct. in Concil. Trident. ſeſſ. 26. Igitur tabellæ votiuæ ex-
B primentes miracula poſt mortem patrata, Ordinarij auctoritate comprobatæ, erunt ſufficiens argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Reſpondetur: miracula ab Eccleſia comprobata, eſſe vera & infallibilia ſanctitatis argumenta. ſed falſum eſt, quod pertineat ad Epiſcopum ferre iudicium de miraculis defunctorum nondum Canonizatorum. Capitulum enim *mandat*. ex Concilio Tridentino allatũ, in quo committitur Epi-
C ſcopis, adhibitis theologis diiudicare de miraculis, intelligitur de miraculis editis à Dei ſeruis iam ab Eccleſia canonizatis, vt ſuo loco probauimus. Quin imo cap. *Audiuimus*. de reliq. & vener. ſanct. dicitur quod etiam ſi per aliquem iam defunctum miracula fieri perhiberẽtur, nemini tamen liceat abſque Romanæ Sedis auctoritate illum pro Sancto venerari.

D

SE-

 A

SECTIO DECIMA.

De argumentis Sanctitatis, quæ ſumuntur à cultu, & veneratione.

PIA fidelium credulitas eo vſque interdum progreditur, vt multos quos piè obijſſe, & ad gloriam cæleſtem tranſlatos crediderit, illicò colere, ac venerari incipiat genuflexionibus, inclinationibus, inuocationibus, precibus, alijsq; ſubmiſſionis ſignis, deque templis, & altaribus honori illorum extruendis ſermonem facere: cum interim hoc genere cultus nullos Sanctos niſi à ſe probatos, & Canonizatos colere, ac venerari conſueuit Eccleſia Chriſti. Quoniam igitur in præcedenti Sectione de argumentis, quæ ſumuntur à pia credulitate egimus, nunc de his, quæ à cultu, & veneratione ſumi poſſunt, ſequentibus capitibus agemus. B C

CAP. I.

Quale ſanctitatis argumentum ſumatur à cultu, ſeu religioſa veneratione alicuius iam defuncti. D

VOCABVLVM *Colo* non ſolum ad agri exercendi, aut corporis ornandi ſtudium deſignandum à Latinæ linguæ auctoribus vſurpatum fuiſſe, ſed adorationem inſuper ac venerationem hac voce ſignificatam, nemini qui vel leuiter Litterarum hoc ſtudium attigit, ignotum eſſe poteſt.

A poteſt. Nos poſteriorem hic ſignificationem ſequimur, ac *Cultum* ſumimus pro religioſa veneratione tēdente in creaturam aliquam, cum reſpectu tamen ad Deum, qui eſt Religionis obiectum.

Ac primum, vt clare ac diſtinctè tractemus quæcumque ad præſens cap. pertinent; cultum ſiue venerationem in publicum, & priuatum diſtinguere oportet. Et cultus quidem publicus triplici ratione talis dicitur, nimirum ratione loci, B in quo præſtatur; deinde ratione generis ſui, vt is qui ex conſtitutione Eccleſiæ canonizatis præſtari conſueuit; denique ratione perſonarum à quibus præſtatur. Quamobrem vt cultus publicus dicatur, perſona, locus, & genus ipſum cultus attendi debent. De quo quidem optimè Contelorius de Canonizat. Sanct. cap. 22. n. 7. his verbis: *Pro ſolemni autem, & publico cultu intelligendus eſt ille cultus, qui fit publicus ratione loci, vt puta ſi fiat in loco publico; vel ratione* C *perſonæ, vt puta, ſi cultus exhibeatur à perſona, quæ ſit miniſter Eccleſiæ in loco publico vel priuato; vel ſit talis cultus, qui ex eius natura, ſeu inſtitutione Eccleſiæ ſolum Sanctis Canonizatis debeatur, vt eſt recitatio diuini officij.* Hæc ille loco citato n. 9. reijciens illorum opinionem, qui verbum *publice* in cap. *cum ex eo.* de reliq. & venerat. ſanct. interpretabantur per cultum præſtitum à perſona publica nomine Eccleſiæ, vt puta à Sacerdote, vel alio Eccleſiæ miniſtro, non au- D tem per cultum in loco publico: quia, vt dicit ille, *hæc interpretatio vim infert textui, qui in cap. 1. de reliq. & venerat. Sanct. prohibet omnibus illis, qui Defunctum venerabantur, ne in poſterum vllum Defunctum amplius venerarentur ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ. Quæ verba ſunt generalia, & comprehendunt quemcūque de populo. nec eſt veroſimile, quod ſoli Eccleſiæ miniſtri, & non alij, venerarentur defunctum de quo loquitur textus.* Cultus igitur publicus tam is erit, qui defun-

cto

cto exhibetur in loco publico, quam is qui à publicis Eccleſiæ miniſtris præſtatur, quam is denique qui Canonizatis ab Eccleſia præſtari conſueuit. A

Ex hac publici cultus declaratione, quinam cultus priuatus dicatur facile colligitur, is nimirum qui præſtatur alicui defuncto à perſonis priuatis; vel in priuato loco, verbi gratia, in proprijs domibus; vel etiam in publicis vti ſunt Eccleſiæ, Oratoria, vel ſimilia loca, dummodo ex ſua natura intra fines priuati cultus ſe contineat, nec ſe extendat ad ea, B quæ de genere cultus publici exiſtunt, qualis eſt quem Eccleſia Sanctis Canonizatis exhibere ſolet.

Hic cultus priuatus ſubdiſtinguitur in cultum externum, & internum. Eſt autem internus, qui per actus interiores animi præſtatur, vt ſi quis aliquem defunctum pie cælo receptum exiſtimans, eiuſdem ſe patrocinio commendet, ſuiſq; in neceſſitatibus adiuuari, ac Deum ſibi propitiare illo mediatore deſideret. Sed hic cultus nihil facit ad præ- C ſens inſtitutum: tum quia de actibus internis Eccleſia non iudicat; tum quia quamuis à ſuperſtitione excuſari fideles nequeant, ſi cultum ſanctis debitum per actus tam internos, quam externos præſtiterint aliquibus nondum ab Eccleſia Beatificatis, aut Canonizatis; nihilominus nulla Eccleſiaſtica lege prohibentur quo minus ſecretum cultum per actus nimirum internos, quibuſlibet præſtent. eſtque communis Canoniſtarum doctrina: è quibus Hoſt. in 3. decret. in D cap. *Audiuimus* de reliq. & venerat. ſanct. n. 11. ita inquit: *Illud etiam non negamus, quin cuilibet in ſecreto liceat alicui defuncto quem credit Sanctum preces porrigere, vt pro ipſo ad Dominum intercedat*. Idipſum confirmant Canoniſtæ in cap. *Cum ex eo.* eodem tit. n. 10. in verbo *publicè*, declarantes propterea Papam dixiſſe, nemini licere reliquias de nouo inuentas *publicè venerari*. quaſi dicat, inquit Hoſtienſis,

In oc-

A *In occulto poteſt quilibet habere deuotionem ſuam*. Idem omnino docet Abbas in eodem cap. *Audiuimus*. n. 3. & gloſſa in ſex. cap. *Glorioſus Deus*. de reliq. & ven. ſanct.

Cultus externus dicitur is, qui per actus exteriores exhibetur, videlicet genuflexionibus, capitis inclinatione, adoratione, precum effuſione, lycnorum ac luminum accenſione, nominis inuocatione, & reliquis quæ Dei ſeruis ab Eccleſia approbatis ab ea præſtari conſueuerunt. Subdiſtin-
B guitur hic cultus in cultum notorium, manifeſtum, & occultum, ſiue ſecretum. Cultus occultus, ſiue ſecretus dicitur, qui alicui ac ſi ſanctus foret in priuatis domibus, ſiue ijs in locis exhibetur ad quos nõ pertingat aliorum hominum conſpectus. Dicitur autem occultus, quod nulla ratione probari, aut puniri poſſit: quia, vt Innocentius in cap. *Chriſtiana* 32. q. 5. *Non habent latentia peccata vindictam:* videlicet iuridicam. nam, etiam ſi aliqui fortaſſe cognouerint
C alicui cultum in priuata domo fuiſſe præſtitum, non tamen deſinet dici occultus, ex glo. in cap. *manifeſta*. 2. q. 1. & ex Gloſa in cap. *Quis aliquando*. §. *in quo moraliter*. de pœnit. diſt. 1. adiuncta gloſa ibi in verbo & §. *ſecreta*. Exempli gratia, ſi aliquis Religioſus, vel alius quiuis Eccleſiaſticus, vel ſæcularis in ſua cella ad imaginem alterius Religioſi defuncti, quem credit Sanctum eſſe, in genua prouolueretur, eius imaginem adoraret, veneraretur, oſcularetur, ante eam
D lampades accenderet, & alia huiuſmodi faceret, quæ Sanctis tantum Canonizatis ab Eccleſia exhiberi ſolent; diceretur tamen is cultus verè occultus. quia quamuis occultum aliquando probari poſſit l. eos. §. ſi quis autem. C. de appellat. nihilominus ratione loci, verè & propriè prædicti venerationis actus, intra fines priuati, & occulti cultus ſe continent: non ſolum quia ad faciem Eccleſiæ non deducuntur, argum. cap. *ex tenore*. de tempor. Ordin. §. *Verum*. Sed

etiam

etiam quia ille cultus non exercetur per aliquem actum; A
qui ſit ſolius miniſtri publici, qualis eſt Miſſæ celebratio, di-
uini officij, vel alicuius orationis publicę recitatio.

Eſt autem cultus notorius, qui ita ſe exhibet conſpectui
hominum, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari, per cap.
Tua nos. & cap. *quæſitum eſt*. de cohabit. cler. & mul. in
quo capitulo dicitur notorium illud eſſe ad cuius probatio-
nem, *nec teſtis, nec accuſator eſt neceſſarius*. & glo. in cap.
Veſtra. eodem titulo idipſum confirmat. Quod ſane no- B
torium, etiam manifeſtum aliquando dicitur, vt ex cap.
cum olim. de verbor. ſignificat. adiuncta Gloſa 2. q. 1. in
cap. *manifeſta* perſpicuè conſtat.

Cultus denique manifeſtus ille dicitur, qui quamuis non
ita ſe exhibeat conſpectui hominum quin poſſit aliquo mo-
do celari, & negari, poterit tamen vel per confeſſionem,
vel teſtibus, & certis argumentis, ac iuridicis coniecturis,
nimirum per ſententiam Iudicis probari. cap. *cum olim*. de C
verbor. ſignif. Itaque aliquis exhibuiſſe cultum manifeſtum
alicui defuncto dici non poterit, niſi vel ipſe reus id confi-
teatur, vel teſtibus id probari poſſit, vel per ſententiam Iu-
dicis confirmaretur. facit pro hac doctrina Gloſa in cap.
Veſtra. de cohab. cler. & mul. & l. *hæredes palam*. ff. de
teſtam. tit. qui teſt. fac. poſſ. Idipſum pariter ex cap. *eorum
qui accuſantur*. 11. quæſt. 3. probatur.

His igitur præmiſsis, pro certo ac conſtituto habemus D
nullum ſanctitatis argumentum ad effectum Beatificationis,
& Canonizationis hauriri poſſe à cultu externo priuato, &
occulto. quia occultum, vt occultum eſt, & ſecretum, vt ſe-
cretum eſt nullam facit probationem. nam probatio ſecun-
dum iuriſconſultos eſt alicuius rei dubiæ legitima declara-
tio. cum autem cultus occultus, quatenus eſt occultus, ſub
legitimam declarationem ſanctitatis alicuius nequeat ve-
nire,

A nite, quia neque rationem teſtificationis, neq; inſtrumenti, neque alterius legitimæ probationis retinet, propterea nihil confert ad effectum Canonizationis, & Beatificationis, nec ad probandam ſanctitatem alicuius defuncti ex Eccleſiæ decreto, vel priuilegio ſpeciali, ad quam ea tantum conducunt, quæ cadunt ſub iudicium Eccleſiæ, & ad illius exterius forum pertinent. Accedit quod ea in quibus homines decipi, aut alios decipere poſſunt, ad probationem
B ſanctitatis facere nihil queunt, quatenus probatio ſanctitatis ad effectum Beatificationis, & Canonizationis dirigitur. Cum autem in pręſtando alicui defuncto cultum occultum, qui illum præſtant decipi & alios decipere poſſint: nullum ex eo genere cultus argumentum ad notam ſanctitatis, & ad effectum Beatificationis, & Canonizationis deducere licet.

Quinimmo adeo grauis eſt hæc materia Canonizationis
C ad quam Beatificatio dirigitur, vt neque à cultu quantumuis notorio, & manifeſto aliquod argumentum hauriri queat ſanctitatis. quia ex actibus illicitis, & indebitis nullum poteſt ſumi argumentum, aut fundamentum in alijs etiam cauſis: igitur multo minus in cauſis Canonizationum, quę ſunt ex maioribus Eccleſiæ, & ex reſeruatis Summo Pontifici, vt dicitur in cap. *Audiuimus*. Cultus autem priuatus exhibitus alicui defuncto abſque Eccleſiæ approbatione quamuis no-
D torius, & manifeſtus, eſt actus omnino illicitus, & indebitus, cum nequaquam ad religionem ſpectet, ſed ad ſuperſtitionis actum, vt ſenſit nouiſſimè Paulus Layman. in verbo *Superſtitio*: docens apertè, quod reliquias aliquorum nondum ab Eccleſia approbatorum, cultu Sanctorum venerari; ſit peccatum mortale ſuperſtitionis. Id etiam manifeſtum eſt ex cap. *Audiuimus*. de reliq. & vener. ſanct. in quo Pontifex dicit, quod colere aliquem abſque auctoritate Romani

Pontificis more infidelium non liceat, quin actus præſumptionis exiſtat. Idipſum docet ibidem Gloſa marginalis, & gloſa in extrauag. Ioan. XXII. *quorumdam exigit.* in verbo *ſuperſtitioſa*. exponitur enim illud verbum per extrinſecas obſeruantias inutiles, & ſuperuacuas, qualis eſſet cultus de quo loquimur. Et quidem Leo X. in litteris Apoſtolicis quarũ exordium eſt *Expoſuit nobis.* datis Florentiæ die 24. Ianuarij 1516. (quibus concedit Fratribus S. Mariæ Seruorum, vt Dei ſeruum Philippum Benitium cultu aliquo ſpeciali colant) ſignanter hæc verba inſerit: *vt abſque aliqua ſuperſtitionis, vel quaſi idololatriæ nota, ac conſcientiæ ſcrupulo eis venerari liceat, concedit: & preces tam publicas, quam priuatas, ſeu ſecretas fundere.* Ex quibus ſanè verbis conſtitutum videtur, quod preces alicui defuncto fundere, cultumque præſtare, etiam priuatum & ſecretum, abſque Sedis Apoſtolicæ facultate, ſuperſtitionis ſpeciem ferat, & actus illicitus exiſtat, ac proinde nec vllum ſanctitatis odorem ſubminiſtrare valeat in fauorem alicuius ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. A B C

A cultu priuato ad publicum progrediamur. qui quidem ſubdiſtinguitur in cultum præceptum, & cultum toleratum ſiue permiſſum, & denique in quoddam genus cultus, qui neque conceditur, neque permittitur, neque toleratur. Cultum præceptum dicemus eum, qui Sanctis Canonizatis, & ab Eccleſia receptis præſtatur, & in ſacris canonibus, in decretis Conciliorum, in Conſtitutionibus Summorum Pontificum, & in Bullis Canonizationum fidelibus omnibus eiſdem præſtandus præcipitur. de quo non ſolum apud S. Clementem extat canon de ferijs, & in decretal. habetur cap. *Conqueſtus eſt.* de ferijs. & in 6. cap. *Glorioſus Deus.* ſed etiam in iure ciuili extant tituli, & conſtitutiones in quibus feſta plurimorum Sanctorum per totum anni circulum ſolemniter D

A ter celebranda indicuntur, & Summus Pont. quoties ali-
quem Dei famulum in catalogo Sanctorum deſcribit, in
Bulla, quæ hac de cauſa expeditur, hæc verba apponi ſo-
lent: *Statuentes, vt ab vniuerſali Eccleſia anno quolibet in*
die N. feſtum ipſius, & officium celebretur. vel alia ſimilia,
mutatis mutandis. quibus perſpicuum eſt Canonizatis cul-
tum deberi ex præcepto Eccleſiæ.

Cultus conceſſus dicetur, qui à Summo Pontifice ex ſpe-
B ciali priuilegio alicui Eccleſiæ, vel Religioni, vel Prouinciæ
ad fauorem alicuius Dei ſerui conceditur, vt nimirum liceat
prædictis communitatibus illum cum notis ſanctitatis de-
pingere; reliquias eius in Altaribus collocare; lampadem an-
te Imagines accendere; Beatitatis titulo illum decorare; aut
officium, & miſſam de eodem celebrare; vt paſſim in Bullis
Beatificationum, & litteris Apoſtolicis conſpicere licet.
Paulus V. in litteris quarum exordium eſt: *In ſupremo Apo-*
C *ſtolatus ſolio*. conceſſis ad fauorem ſerui Dei Thomæ à Vil-
lanoua, concedit, *vt ipſa bonæ memoriæ Thomas à Villanoua*
Beatus nuncupari, atque ſingulis annis die 18. Septembris
in toto Regno Valentiæ à Religioſis eiuſdem Ordinis ſan-
cti Auguſtini, tam *Fratribus, quam Monialibus &c.* & hæc
eſt forma litterarum Apoſtolicarum, quam hodie Summi
Pontifices ſeruant, cum alicui cultum concedunt Beatifica-
tionis, vt, ſi percurrantur ſingulæ litteræ hac de cauſa latæ,
D videri poterit.

Cultus permiſſus dicetur, qui alicui abſque debita Sedis
Apoſtolicę facultate, aut aliquo Summi Pontificis Diploma-
te, aut reſcripto præſtatur. Duobus enim modis aliquid per-
mitti dicitur ex Nebriſſen. in ſuo vocabulario vtriusq; iuris,
nimirum ſi nullo iure prohibeatur, vel ſi contra humanas
conſtitutiones indulgeatur. In quo ſenſu loquimur hic de
cultu permiſſo, ſiue tolerato, quatenus videlicet, vel ex In-

dulgentia Sedis Apoſtolicæ, vel ex aliquo prętenſo antiquô A
viuæ vocis oraculo, vel ſaltem ex antiqua alicuius Eccleſiæ particularis conſuetudine, alicui defuncto cultus Sanctorum præſtatur. etenim cum nonnulli Epiſcopi in ſuis Diœceſibus aliqua feſta non canonizatis, aut ab Eccleſia Romana probatis indixiſſent; inde Canoniſtæ Epiſcopos potuiſſe ſanctos canonizare in ſuis Diœceſibus dixerunt. Quorum quidem doctrina non erit intelligenda de Canonizatione propriè ſumpta, ſed de cultu alicui defuncto præſtito Epi- B
ſcopali auctoritate, qui potius cultus permiſſus, aut vt melius loquamur, toleratus dici debet, quam cultus conceſſus. Solius enim Sedis Romanæ, & non alterius fuit, ex cap. *Audiuimus*. de reliq. & vener. ſanct. cultum defunctis exhibendum concedere. nam in materiâ cultus ſi quæ ex oſcitantia Epiſcoporum contingunt, & ad Romanam Eccleſiam non perueniunt, non ſunt dicenda conceſſa, nec ſtrictè permiſſa, ſed aliquo modo tolerata. Toleratur enim aliquid interdũ, C
vt aliud magis illicitum inconueniens euitetur, vt Gloſa in cap. omnis. diſt. 3. habet. Cultus denique nec toleratus, nec permiſſus, nec conceſſus dicitur, qui cum ſit illicitus, alicui defuncto ab aliquibus propria ex auctoritate præſtatur, canonicis reclamantibus iuribus, Summorum Pontificum conſtitutionibus prohibentibus, ac decretis Eccleſiaſticis obſtantibus. Qualem Bohemi Hæretici Hieronymo Pragenſi, & Ioanni Hus, & alij Hæretici ſuis coripheis exhi- D
bent, quibus vota offerunt, votiuas tabellas affigunt, cereos, ac lampades accendunt, dies feſtos celebrant anniuerſarios, non obſtantibus quibuſcumque tam Eccleſiaſticis cenſuris, quam pœnis, ac prohibitionibus, & ſacri Imperij legibus.

Ex hoc autem genere cultus nullum nec indicium, nec leuem odorem ſanctitatis hauriri poſſe ad effectum Beatificatio-

A cationis, aut Canonizationis. res eſt plus quam manifeſta. quinimò cuiuſcunque defuncti ſic venerati cauſæ, nec ad Sedem Apoſtolicam, neque ad Ordinarium forum deduci poſſunt, vt de actibus, & moribus illius proceſſus, ſeu informationes fabricentur. quia ex actibus ipſo iure illicitis in omni materia, & præſertim in materia cultus, nullum nec argumentum, nec indicium deſumj poteſt in genere ſanctitatis per reſpectum ad Beatificationem, aut Canonizationem, quę
B ad Religionem ſpectant: quia huiuſmodi actus, vel ſapiunt hæreſim, vel declinant ad ſuperſtionem, vel omninò ſunt contra materiam Religionis, vt ex ipſamet veri cultus definitione, & ex cap. *Audiuimus*. de reliq. & ven. Sanct. perſpicuũ eſt, in quo diabolica fraude decepti dicuntur qui quemdam defunctum, quaſi ſanctum, abſque auctoritate Romanę Eccleſiæ venerabantur, ac proinde decernitur, nulli licere aliquem pro ſancto venerari, etiam ſi per eum miracula fie-
C rent abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ.

Quod autem publicè ea ratione veneratorum cauſæ ad forum Eccleſiaſticum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis venire prohibeantur; probari, & hauriri poteſt quodammodo ex eodem capitulo *Audiuimus*. in quo cum quidam defunctus coleretur præter omne Ius; *illum de cætero*, inquit Pontifex, *non præſumatis amplius colere*. Nouiſsimè quoque hoc decretum eſt in Conſtitutione lata per S D N.
D Vrbanum VIII. quæ incipit, *Cæleſtis Hieruſalem Ciues*, ſub Dat. Romæ die 5. Iunij 1634. in qua poſtquam Summus Pontifex quorumdam decretorum meminiſſet, in quibus quodcunque genus cultus circa illos qui non fuerint canonizati, aut ſaltem beatificati, prohibet, tandem hæc habet: *Demum vero vt eiuſmodi decreta obſeruarentur indubiè, ac omnimodam ſortirentur executionem, cum eiſdem Cardinalibus re pariter communicata, deq; eorundem conſilio, præmiſſis addidi-*

mus, ſtatuimus, decreuimus, atque declarauimus, ne ex tunc deinceps quiſpiam Ordinariorum, aut ab Apoſtolica Sede ad hoc ſpecialiter delegatorum, ſuper alicuius vtriuſque ſexus cum ſanctitatis, aut martyrij fama, vel opinione defunctis, miraculis, reuelationibus, alijſve huiuſmodi ſanctitatem redolentibus, ex integro informationes quoquo modo reciperet, aut proceſſum inſtrueret; vel hucvſque receptas informationes, inſtructumvè proceſſum vlterius proſequeretur, niſi poſtulator prius per legitimas iuridice ſuſceptas probationes circa perſonam eius de cuius miraculis, reuelationibus, alijſve rebus geſtis ſanctitatem præſeferentibus ageretur, præſcriptam in præfato noſtro decreto formam omnino ſeruatam extitiſſe docuerit, & niſi poſtea ſucceſſiue idem Ordinarius, aut ab Apoſtolica Sede ad hoc ſpecialiter delegatus, diligenti præhabita diſquiſitione circa eandem perſonam, ſupra citato decreto nullatenus contrauentum eſſe ritè pronunciauerit. Ex quibus ſanè conſtat, quod ſi aliquod publici cultus genus alicui etiam cum ſanctitatis opinione defuncto, nondum tamen ab Eccleſia Beatificato pręſtitum fuerit; nec Ordinario loci, nec Sedis Apoſtolicæ delegatis fabricare proceſſus de illius actis licitum eſſe. Hæc ipſa firmantur ex his quę ſubſequuntur in eadē Conſtitutione in hęc verba: *Vtq; adeo inuiolabiliter obſeruentur, ſtatuimus inſuper ac decernimus, ne tranſmiſſi ad vrbem vndecunque huiuſmodi proceſſus, à Congregationis Sacrorum Rituum Secretario, minuſvè à ſanctæ fidei Promotore quomodolibet aperiantur, niſi prius in ipſa Sacrorum Rituum Congregatione alio ſeiunctim oblato autentico proceſſu, ex eo Ordinarium, aut ab Apoſtolica Sede ſpecialiter delegatum, ritè ac rectè vt præmittitur cognouiſſe, ac pronunciaſſe, prælibato decreto nequaquam contrauentum eſſe, planè conſtiterit, ac deinde à nobis iudicialiter aperiendi eos proceſſus facultas indulta fuiſſet*. Addit infra: *Quare inuiolabili decretorum obſeruationi quantum cum Domino poſſumus con-*

A *conſulere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, & mera deliberatione noſtra, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine decreta prædicta cum omnibus & ſingulis in eis contentis tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque ininuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, omniaq; & ſingula decreta huiuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, obſeruari omninò præcipimus; ſub pœna nullitatis quarumcunque informationum, proceſſuum,*
B *ac interpretationum, aliter quam præuia ſupraſcripta præcognitione inſtructorum, eorumque admiſſionis, publicationis, ac interpretationis, ita vt earumdem informationum receptiones, proceſſuumq; inſtructiones, necnon eorum admiſſiones, ac publicationes, & interpretationes habeantur pro non receptis, non inſtructis, non admiſſis, non publicatis, non interpretatis, eorumque amplius ratio aliqua nullatenus alicubi vnquam haberi debeat.*

C Sed ad cultum permiſſum, & toleratum ab Eccleſia Romana procedamus circa ſepulchra nimirùm, imagines, ac reliquias defunctorum: ex quo aliquod ſanctitatis indicium ſubodorari poſſe dicimus ad effectum Beatificationis, & Canonizationis: ita ſcilicet, vt idem indicium tolerantia aliarum Eccleſiarum non ſubminiſtret. Cum enim à Chriſto ſoli Petro dictum ſit: *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos:* Hinc
D Summum Pontificem Romanum legitimè electum in his quæ ſunt fidei, Religionis, cultus, & venerationis ſeruorum Dei, quæque regimen concernunt vniuerſalis Eccleſiæ, errare non poſſe tradunt Patres, & Theologi omnes. Eapropter in permittendo alicui defuncto cultum ex ſpeciali ſententia tolerando, vel aliquo viuæ vocis oraculo id concedendo (quod genus conceſsionis ad permiſſionem, & tolerantiam tantum reduci debet) ſanctitatis indicium non igno-

bile eſſe dicimus. At non ita ex cultu permiſſo à reliquis ſedibus, & Ordinarijs locorum: quæ cum à Chriſto firmatæ non exiſtant in doctrina, ac proptera illarum ſedium Epiſcopi, & Ordinarij locorum errare poſſint; conſequenter à permiſſione cultus illarum ſedium ſanctitatis indicium haberi non poterit; niſi ante huiuſmodi permiſſionem Sedis Apoſtolicæ conſenſum præceſſiſſe conſtet, & aliquas informationes pro vt de iure, vel aliquod Synodale decretum, ſeu Prouincialem conſtitutionem Sedis Apoſtolicæ auctoritate comprobatam, vel tandem longiſsimi temporis conſuetudo eam permiſſionem probet. Piè enim creditur de conſenſu Sedis Apoſtolicæ præceſſiſſe requiſitas informationes priuſquam in aliqua Eccleſia, ſeu Diœceſi cultus ad alicuius defuncti reliquias, & imagines permiſſus ſit. A B

Ratione noſtrum aſſertum probatur, quia nulla eſt tolerantia inferioris magiſtratus, quæ actum aliquem ex natura ſua malum poſſit facere validum, & bonum: ſed ſemper talis actus malus, & illicitus exiſtet. Pro qua veritate ſtat cap. *Veſtra*. de cohab. Cler. & mul. in quo capitulo quamuis dicatur, quod Presbyter quãtumcumque pollutus, Sacramenta non polluat, licitèq; Miſſa ab eo peracta audiatur, & Sacramentum recipiatur à Sacerdote concubinario, quamdiù ab Eccleſia toleratur; non tamen propterea concubinatum Eccleſia comprobat, aut docet quod Presbyter ille ſine peccato Miſſam celebret, aut ſacramenta rectè miniſtret: quin imò illius actus Eccleſia reprobat, ac reijcit, vt manifeſtum eſt ex toto illo titulo, & alijs innumerabilius iuribus, & capitulis eiuſdem tituli. Cultus autem præſtitus defuncto alicui qui Sedis Apoſtolicæ auctoritate non innitatur, ex cap. *Audiuimus*. cum ſit vetitus, & natura ſua ad ſuperſtitionem pertineat; ex illo tolerato, vt ſimpliciter tolerato, nullum poterit hauriri indicium ad effectum Beatificationis, C D

A tionis, & Canonizationis, niſi Sedis Apoſtolicæ auctoritate firmetur.

Litteræ quoque Apoſtolicæ S. D. N. Vrbani VIII. quarum exordium eſt: *Cæleſtis Hieruſalem*. ſub Dat. Romæ die 5. Iulij anno Domini 1634. noſtrum aſſertum confirmant. In his enim poſtquam Summus Pontifex quemcumque cultum circa ſepulchra & imagines defunctorum vtriuſque ſexus prohibuiſſet, declarat ſe per eam conſtitu-

B tionem nolle præiudicare ijs, *qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſsimi temporis ſcientia, & tolerantia præfatæ Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarij, celebrantur*. Ex quibus quidem verbis qualiſcunque ſimplex tolerantia excluditur in cauſa cultus & venerationis, & ſola admittitur ea, quæ cum immemorabili habet adiunctam Sedis Apoſtolicæ ſcientiam, & Ordinarij tolerantiam,

C nec non longiſſimi temporis ſpatium immemorabile, quod ad exceſſum centum annorum determinauit S.D.N. & non circa quemcunque cultum, ſed circa celebrationem diei feſti, Officij diurni, & Miſſæ. Tolerantia igitur cui non ſit longiſsimi temporis Sedisq; Apoſtolicæ ſcientia adiuncta, nihil operatur quoad Beatificationem, & Canonizationem defuncti cum fama, & opinione ſanctitatis.

Argumentum verò efficax, & validum ſanctitatis ad ef-

D fectum Beatificationis, & Canonizationis ſumitur ex ſtylo & conſuetudine S.R.E. non enim cum quantauis ſanctitatis opinione defuncto cultus ab ea conceditur, quamuis pro Religione fuiſſet occiſus, niſi præuia diligenti informatione de vita, moribus, miraculis, nec non de genere mortis. ex genere autem vitæ, & moribus ad trutinam euangelicæ perfectionis expenſis, nec non ex miraculis, ac denique ex mortis genere, maximum, & efficaciſſimum ſanctitatis argumen-

mentum hauriri liquet; ac conſequenter ex cultu conceſ- A
ſo ab Apoſtolica Sede, maximum, & efficaciſſimum ſanctitatis argumentum haurietur ad effectum Canonizationis eiuſdem ſerui Dei defuncti ad cuius honorem cultus conceſſus fuerit.

Ex ſtylo quoque veteri, & recentiori Diplomatum, quæ ab Apoſtolica Sede expediebantur, & expediuntur ad cultum ſeruorum Dei qui cũ opinione ſanctitatis deceſſerint, manifeſtum eſt validum ſanctitatis argumentum hauriri. B
quia nunquam expedita fuiſſe legimus, niſi præuia inquiſitione de vita, & miraculis eius ſerui Dei, ad cuius honorem conceduntur. non ſolum enim ſingulatim explicantur, quæ & qualia concedantur, ſed inſuper aliquando in his conceſſionibus, & litteris Apoſtolicis adiungi ſolet, vel ex ſpeciali relatione alicuius perſonæ cui à Summo Pontifice cauſa commiſſa fuerit, vel ex decreto Sacræ Congregationis omnia fuiſſe præmiſſa, & facta quæ ad perfectam, & plenam C
formam talis actus prærequirebantur. Quamobrem vbi conſtiterit de culta à ſancta Sede Apoſtolica conceſſo ad honorem alicuius ſerui Dei defuncti; parum adlaborandum erit pro Canonizatione, præſertim ſi alicuius Dei ſerui nomen Romano Breuiario adſcriptum fuerit, atque eidem cultus in vniuerſali Eccleſia conceſſus, quemadmodum ad honorem SS. Romualdi, Brunonis, & Norberti factum ſcimus à Summis Pontificibus Clemente VIII. D
& Gregorio XV. de quorum mandato prædicti Romano Breuiario adſcripti fuerunt.

CAP.

A

C A P. II.

Quale ſanctitatis argumentum ſumatur à cultu anniuerſario obitus alicuius Dei famuli.

RITVS celebrandi memoriæ anniuerſariæ
B diem mortis ſeruorum Dei, antiquiſſimus eſt
in Eccleſia: neque hunc aliũde quam ab Apo-
ſtolorum temporibus originem traxiſſe, ex
lib. 8. conſtit. Apoſtolicarum, quæ Clemen-
tis primi nomine inſigniuntur, manifeſtum habetur. nam
quamuis in aliquibus conſtitutiones prædictæ Hæreticorum
impuris vnguibus malè tractatæ, atque ex induſtria fœdatæ
fuerint, in reliquis tamen ab omnibus antiquiſſimis Patribus
C recipiuntur. Itaque apud illum de diebus feriandis ſub no-
mine Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli conſtitu-
tio extat, in qua cum decreuiſſent Apoſtoli de diebus feſtis
Chriſto Domino celebrandis, tandem hæc habentur:
In diebus Apoſtolorum quieſcant, ſupple ſerui. *Magiſtri enim
veſtri in Chriſto fuerunt, & ſpiritus vos participes fecerunt.
In die Stephani Protomartyris quieſcant, & reliquorum San-
ctorum Martyrum qui Chriſtum propriæ vitæ antepoſuerunt.*
D Tertullianus quoque Apoſtolorum temporibus vicinus
ſcriptor, in libro de corona Militis, *Oblationes*, inquit, *pro
Defunctis, & pro Natalitijs annua die facimus*. & Cypria-
nus epiſtola 37. loquens de anniuerſarijs diebus Sanctorum
Martyrum, ait: *Sacrificia pro eis ſemper, vt meminiſtis offe-
rimus, quoties Martyrum paſſiones, & dies anniuerſaria com-
memoratione celebramus*. Conſtat igitur Eccleſiam, etiam
ante tempora Cypriani, celebrare anniuerſarium diem obi-

tus

tus Martyrum, & Confeſſorum conſueuiſſe. Nos autem loquimur in præſenti capitulo de cultu anniuerſario qui alicui ſeruo Dei recepto in vniuerſali Eccleſia ab eadẽ prçſtatur, cùm hic cultus canonizatis tantũ exhibeatur. Sunt autẽ adeo coniũcta atque indiuiſa hęc duo, cultus nimirũ vniuerſalis, & Canonizatio; vt hoc ipſo quod aliquis Dei ſeruus canonizatus fuerit, eo ipſo ſeruatis ſeruandis cultus ei debeatur in tota Eccleſia; & è contrario, ſtatim atque aliquem in tota Eccleſia cultum anniuerſarium habere conſtat, pro canonizato habeatur. Atque ex hac canonizationis, & cultus publici connexione, quidam Bernardus in glo. ad cap. *Pronunciandum*. de conſecrat. diſt. 3. colligebat, quod capitulum illud Epiſcopis facultatem concedat indicendi aliquibus dies feſtos. Licet falſo aſſerat poſſe Epiſcopum canonizare aliquem Dei famulum in ſua Diœceſi, & facultatem quam Capitulum Epiſcopis pro canonizatis tradebat, etiam de non canonizatis intellexit. A B C

Loquimur igitur de cultu anniuerſario, quem contingere poteſt præſtari in aliqua Eccleſia, ciuitate, vel oppido alicui defuncto non canonizato, ſiue illa Eccleſia regularis exiſtat, ſiue ſæcularis: vt cuidam ſeruo Dei Antonio ab Amandula, in agro Piceno, ſingulis annis præſtatur in Eccleſia eiuſdem Oppidi Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, cuius extitit inſtituti ſub die 25. Ianuarij. Senis ſimiliter anniuerſarius dies colitur cuiuſdam ſerui Dei Auguſtini Nouelli ex eodem Ordine. Pari ratione Recineti in agro Picęno, ſingulis annis Dominica ſecunda Quadrageſimæ habetur concio in Eccleſia Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, & Eccleſiaſtes in concione meminit cuiuſdam ſerui Dei Hieronymi eiuſdem inſtituti, quem ſanctitatis, ac pietatis nomine collaudat. De his igitur atque alijs ſimilibus noſtrum procedit capitulum, & quærit, quondam ſanctitatis argumentum ad effe- D

A ctum Canonizationis, & Beatificationis eorumdem; ex his, & alijs ſimilibus cõmemorationibus anniuerſarijs hauriatur.

Prænotandum vero pro explicatione quæſiti, multipliciter diem anniuerſariam obitus alicuius non canonizati celebrari poſſe; ritu nimirum Eccleſiaſtico, & ritu laico, vt ita loquar. Ritu quidẽ Eccleſiaſtico dies anniuerſaria obitus alicuius cum ſanctitatis fama defuncti, coli poteſt horarum canonicarum recitatione, & miſſæ ſacrificij celebratione ad
B honorem illius, cuius obitus dies anniuerſaria celebratur. Interdum quoque dies obitus anniuerſaria celebritate colitur miſſæ ſolius celebratione, conuentuque populorum circum adiacentium, nec non ſolemni, & publica ſupplicatione viris Eccleſiaſticis ac Regularibus ad ſolemnem ſupplicationem conuenientibus.

Aliquando dies anniuerſaria obitus alicuius Deiſerui colitur populorum conuentu aliquo, & miſſæ currentis, aut
C alterius feſtiuitatis celebratione, vt Molanus in indiculo Sanctorum Belgij quemdam Gerlacum coli teſtatur dicens: *Commemoratio eius fit in vigilia Epiphaniæ Domini, ſed quia non eſt Canonizatus, miſſæ ſacrificium eſt de æterna ſapientia*. Et Romæ nunc in die anniuerſario obitus S. mem. Pij V. Sanctiſſimæ Trinitatis miſſa decantata eius memoria recolitur. Denique aliquando omiſſa miſſæ celebratione, aut ſolemni ſupplicatione, dies anniuerſaria obitus alicuius recoli-
D tur ſolo campanarum ſtrepitu, & luminibus, lampadibuſque ad eius imagines, vel ſepulchrum accenſis, non ſine aliquo populorum concurſu, qualis ad omnem ſtrepitum campanarum ſolemnem concitari ſolet.

Ritu vero laico, & ſæculari dies anniuerſaria obitus alicuius ſerui Dei celebrari conſueuit, laica auctoritate indictis pro ea die ferijs, ſtatuto nimirum peculiari alicuius Ciuitatis, oppidi, vel Principis. ſicut contigiſſe ſcimus pro die an-

niuer-

niuerſaria obitus S. Franciſcæ Romanæ, quæ decreta fuit A
ferianda iam inde à ſuæ mortis tempore ex S. R. conſulto, vt teſtatur Paulus V. in litteris Apoſtolicis *cæleſtis aquæ flumen* latis pro eius Canonizatione. & in ſtatutis Oppidi Amádulæ in Agro Piceno impreſſis Maceratæ iam olim ab anno Domini 1493. decretum feriandi, recurrente die anniuerſário obitus ſerui Dei Antonij ab Amandula, extat. & licet decretum hoc impreſſum fuerit quadraginta tres annos à die obitus eiuſdem (qui deceſſit anno Domini 1450. nonageſimo quinto ſuæ ætatis) multo tamen ante quam ſtatuta illa B
ederentur, vt dies illa feriaretur decretum fuiſſe credendum eſt.

Vt autem latiſſimus, & ampliſſimus digrediendi campus circumſcribatur quoad ſigna, & notas, quibus in hac feſtorum ac feriarum materia dies à diebus, feſta à feſtis diſtinguenda ſunt; obſeruandum in primis, ad rectam celebrationem diei feſti ex inſtitutis Chriſtianorum duo concurrere, in C
quibus tota feſti ratio poſita eſt: ſanctum nimirum otium à terrenis, & diuinorum ſtudium. qua de cauſa diebus feriatis præceptum eſt Chriſtianis non ſolum ſacrum audire, ſed etiam feriari ab operibus manuum, & ab actibus iudicialibus ac forenſibus, vnde hi dies Romanis olim Nefaſti dicebantur. Hoc poſtremum eſt laicalis poteſtatis; & pertinet ad magiſtratum ſæcularem. in quo ſenſu loquitur lex illa *Omnes ciues* C. de ferijs. poſtquam enim Imperatores Valent. D
Theodoſ. & Arcad. legis conditores, dies feriatos recenſuiſſent; ſubintulere: *Vt nec apud ipſos arbitros, vel à Iudicibus flagitatos, vel ſponte electos, vlla ſit cognitio iurgiorum*. & infra: [illegible] *annonariæ functionis, & omnium publicorum,* [illegible]*que debitorum differatur exactio*. In proemio [illegible] Nouellæ Eman[illegible] Comneni hæc habentur: *Cæterum* [illegible]*am die iudi*[illegible] *exactè diſcere velis, lege adorandam*

A *dam illam diuinitus coronati, optimi maximi, ac ſancti noſtri Imperatoris Domini Emanuelis Comneni Nouellam menſe Martio Indictione 14. anno à Chriſto paſſo 674. emiſſam*. Et poſtquam in ea totius anni feriatos dies receſuiſſet Imperator, in fine ita ſubijcit: *Sane præter deſcriptos anni dies, omnes alij faſti erunt, & in illis indicia, indiciarijsque ſententijs conſentanea executiones exercebuntur*. Quibus ex verbis perſpicuum eſt, laicam poteſtatem in indicendis ferijs, iudicia, & iurgia B fori reſpexiſſe, ex indirecto vero Religionis actus, quorum cura pertinet ad Epiſcopos; quorum ius eſt indicere, vt fideles Religioni dent operam, Eccleſiam frequentent, rei ſacræ interſint, ex Religionis motiuo ab operibus manuum vacent. Cum autem inter illa duo, Religionis actus principem obtineat locum; ad Eccleſiæ paſtores pertinet indicere dies feriatos, neque ſine Epiſcoporum cõſenſu Principes ſæculares, vel communitates laicæ feſtorum obſerua- C tionem præcipere poterunt. Vide ad longum Suarez to. 1. de Relig. & Azor. p. 2. Idem indicat capitulum *pronunciandum*. de conſecrat. diſt. 3. & cap. *conqueſtus eſt*. licet ex indirecto capitula prædicta, à iurgijs quoque illos dies feriandos tradant, à iurgijs, nimirum quæ pertinent ad forum Eccleſiaſticum, & ad tribunalia Epiſcoporum. Horum dierum feſtorum publicatio Epiſcopalis eſt muneris, vt dicitur in allatis capitulis & docet Couar. Varr. lib. 4. cap. 19. D num. 9. Azor. inſtit. moral. par. 2. lib. 1. cap. 26. Petr. Gregor. lib. partit. Iuris can. tit. 19. cap. 14. ſchol. 3. Fagundez in quinq. Eccleſ. præcep. lib. 1. cap. 3.

His ita conſtitutis dicendum videtur, quod dies feriatus in honorem ac venerationẽ alicuius Dei famuli, ſi laica auctoritate fuerit indictus; vel omnino lateat, qua auctoritate feriandus præſcribatur; dies ille ex eo præciſe quod ſit feriatus, nullum omnino præſtat, nec præſtare poteſt ſanctita-

tis argumentum ad effectum Beatificationis & Canonizationis. cum laicæ poteſtatis ſit indicere dies feriatos ex quibus ſibi libuerit cauſis, vt probatur ex tit. 12. lib. 3. Codicis Iuſtinianei in quo eſt lex, *vt in die*. lata à Theodoſio Auguſto, & lex *omnes Iudices*. & lex *omnes dies*. & in lib. 2. Codicis Theodoſiani extat titulus octauus de ferijs. Et non ſolum ad honorem Dei, & cultum ſanctorum; ſed etiam ad memoriam natiuitatis Principis, natæ Vrbis, reportatæ alicuius inſignis victoriæ, ad memoriam alicuius liberationis ab obſidione vel inuaſione hoſtili, & alijs huiuſmodi de cauſis quæ non reſpiciunt Religionem, poſſunt indici dies feriati à laica poteſtate, vt habetur expreſſe in l. *omnes dies*. lib. 3. codic. tit. 12. qui eſt de ferijs, Imperatoribus Valent. Theodoſ. & Archadio Auguſtis dicentibus: *Illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis menſib. ad requiem laboris indulgentior annus excepit; æſtiuos feruoribus mitigandis, & autumnos fructibus excerpendis: Kalendarum quoque Ianuariarũ conſuetos dies ocio mancipamus*. his adijcimus natalitios dies Vrbium maximarum *Romæ atque Conſtantinopolis, in quibus debent iura differri quia & ab ipſis nata ſunt*. Et poſtquam Imperatores in allata lege feſta Chriſtianę Religionis recenſuerũt, ſubinferunt: *noſtris etiam diebus, qui vel lucis auſpicia, vel ortus imperij protulerunt:* ſupple, feriandum erit. ſimilia habentur in codice Theodoſiano lib. 2. & in Nouella Emanuelis Comneni iam ſupra citata. ex quibus perſpicuum eſt, ex die aliqua feriata, etiam ſi ſit anniuerſaria (cum ſit in poteſtate Principis laici quem ſibi libuerit feriatum diem & qua libuerit de cauſa indicere) non poſſe argumentum aliquod deduci ad effectum Beatificationis & Canonizationis.

Idipſum probatur ex decreto quoque lato in Sacroſanctæ Inquiſitionis Romanæ Congregatione die decima tertia

tia

A tia Martij anno 1625. quod peculiari Diplomate Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani VIII comprobatum fuit. Litterarum exordium eſt: *Cæleſtis Hieruſalem Cives*. Sub Dat. Romæ die 5. Iulij 1634. in quibus cuiuſuis generis cultus Dei famulis non Beatificatis, aut Canonizatis exhiberi prohibetur ſub his verbis: *Declaramus, ſtatuimus, ac decernimus ne quorũuis hominũ cum ſanctitatis ſeu martyrij fama (quantacunque illa eſſet) defunctorũ imagines, aliaq; præfata, & quodcunq; aliud*

B *venerationẽ & cultum præſeferens, & indicans &c.* Cum igitur diei anniuerſariç cultus ad memoriam obitus alicuius Dei ſerui, ad venerationem & cultũ ſanctorũ pertineat, conſequitur eum eſſe à Pontifice Rom. prohibitum, adeoq; illicitum, ac proinde ab ſimili cultu nullũ poſſe argumentũ ſanctitatis hauriri. Sed quid dicendum, ſi exſtat conſuetudo ad honorem & memoriã illius, qui cum ſanctitatis fama deceſſerit, diem obitus indictis ferijs percolẽdi? Aio vero, quod

C neque ex tali conſuetudine quantumuis immemorabili, ſanctitatis argumentum validum, ad effectum Beatificationis, & Canonizationis deſumi poſſit. ad firmandum enim aliquam conſuetudinem contra ius commune, multa requiruntur, de quibus Gloſa in cap. *Fruſtra*. diſt. 8. Inter quæ præcipuum locum tenet, conſuetudinem inducendam ex ſcientia Principis, non autem ex ſola tolerantia. quia, vt dicitur in cap. *Cum iam dudum*, de præbend. & dignit. *multa per*

D *patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in iudicium, exigente iuſtitia non debent tolerari*. Quod etiam docuit Innocentius, & Placen. dicit conſuetudinem legi contrariam non tollere ius commune, quocunque in loco fuerit introducta, niſi de conſenſu Principis, ff. de ſepulch. viol. 3. §. *Diuus*. Conſenſus autem Principis non probatur per tolerantiam, ſed per reſcriptum, & diplomata. Item requiritur quod inducta conſuetudo in contradictorio iudicio adducta, ſenten-

tiam aliquando fauorabilem obtinuerit, & ex Iudicis ſententia fuerit probata, cap. *Bonæ memoriæ*. 2. de poſtulat. Prælator. Demum quod non fuerit inducta per errorem. l. *quod non ratione*. ff. de legat. & cap. *Fruſtra*. diſt. 8. hæ ſunt præcipuè conditiones inter reliquas quas Gloſa ibi ponit, & quæ ad rem noſtram facere poſſint. Quæcunque igitur fuerit conſuetudo celebrandi anniuerſarium diem feſtum ad honorem alicuius Dei ſerui non canonizati; ex conſuetudine introducta abſque litteris Apoſtolicis, quibus ſcilicet probari poſſit notitia Summi Pontificis (qui eſt Princeps in exercitijs Chriſtianæ religionis) aut probetur in contradictorio iudicio eam conſuetudinem probatam extitiſſe, & non fuiſſe introductam per errorem ante Beatificationem, & Canonizationem; ex tali inquam conſuetudine, nullum argumentum fauorabile hauriri poterit ad effectum Beatificationis illius ad cuius honorem introducta fuerit. Stat pro hac veritate Azorius par. 2. Inſtit. moral. lib. 1. cap. 26. §. *ſexto quæritur*. vbi cum quæſiuiſſet, an conſuetudo laycorum poſſit introducere aliquod feſtum; *Reſpondeo*, inquit, *conſuetudinem, vt vim legis obtineat, debere introduci ab his qui aliqua ratione ſtatuta ponere queant. Cum autem populus abſque Epiſcoporum auctoritate dies feſtorum inſtituere nequeant, conſequitur vt populi conſuetudo dies feſtorum indicere non poſſit, niſi eam Epiſcopi auctoritas tacitè, vel expreſsè confirmet*. Cumque ad quemcunque cultum non Canonizatorum, auctoritas Sũmi Pontificis neceſſario prærequiratur per cap. *Audiuimus*. de reliq. & vener. Sanct. conſequenter dicendum videtur conſuetudine introduci non poſſe diem feſtum aliquem ad honorem alicuius viri defuncti non canonizati, niſi expreſſa Papæ facultas adfuerit. Si vero Epiſcopalis auctoritas acceſſerit in celebratione diei feſti ad honorem alicuius non Beatificati, neque Canonizati, quamuis re vera nullum ſanctitatis argu-

A B C D

A argumentum inde hauriatur ad effectum Beatificationis, & Canonizationis; aliquod tamen indicium inde ſanctitatis deſumi poteſt. controuertitur enim inter Doctores, an penes Epiſcopos ſit plena,& abſoluta facultas indicendi dies feſtos, & quamuis aliqui affirment, plerique tamen negant apud Azor.part.2. inſtitut moral.lib. 1.cap. 26. § *ſecundo quæritur.* cum quibus ipſe ſtat Azorius. *Mihi videtur iure communi*, inquit, *Epiſcopos ſine populo præſente, aut ad id vocato*
B *dies feſtos inſtituere non poſſe. Idq; etiam oſtendunt duo Capitula ſuperius citata, & ita olim fieri ſolitum arbitror. non enim Clerus ſolus vocabatur, ſed etiam populus, quia nimirum diei feſti inſtitutio vtriuſque intererat. conſuetudine tamen receptum eſt, vt nunc dies feſti populo minimè vocato ſola Epiſcopi auctoritate adhibito Clericorum conſilio conſtituti indicãtur.* Et hanc ipſam ſententiam mordicus tenet Pater Suarez primo tomo de Relig. tract. 2. qui eſt de præcept. affirmat per-
C tinentibus ad Dei cultum lib. 11. cap. 11. poſtquam enim num.4. dixi Epiſcopos poſſe præcipere dies feſtos abſque licentia Summi Pontificis, hanc illorum facultatem coarctans num. 7. ſic ait: *Reſpondeo, in rigore iuris Epiſcopum ſolum non poſſe præſcribere leges de peculiaribus feſtis in ſuo Epiſcopatu ſeruandis. His enim ferè verbis eius poteſtas circa hunc actum limitatur in cap. vlt. de ferijs. & in cap. de conſecr. diſt. 3. quibus locis adnotant Doctores, præſertim Abbas num. 4. vbi*
D *allegat Innocentium, & alios. Sequitur Angel. verbo feria nu. 4. Tabien. num. 10. Silueſt. verbo Dominica num. 3. Antonin. 2. par. tit. 9 cap. 2. §. 1.* Adeoque neceſſario conſenſum quoque populi ad id requiri exiſtimat Suarez. & cum multa ſibi ex aliorum ſententia obiecißet, ſic tandem ſub fine num. 8. concludit: *At in præſenti, ius expreſſè videtur poſtulare conſenſum populi. & ſi totus populus contradicat; videtur cenſenda maior pars, & cuius maximè intereſt: ergo debet præualere.*

Præterea notãda ſunt verba dicti cap. 1. de conſec. diſt. 3. (Quam ſinguli Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus cũ populo collaudauerint.) Vbi verbũ (collaudauerint) requirit conſenſum expreſſum, vt notat Ægidius, quem refert, & conſequitur Abbas in cap. 1. de his quæ fiunt à Prælatis & cap. nota 2. num. 3. ergo ex vi Iuris, ac per ſe loquendo, requiritur in præſenti caſu conſenſus populi. Hæc Suarez, quantum ad dies feſtos indicendos ab Epiſcopis in honorem illorum qui iam ab Eccleſia pro Sanctis ſunt recepti, & Canonizati. vt omnino conſtituendum videatur, non poſſe Epiſcopos abſolutè per ſe ſolos indicere dies feſtos, etiam ad honorem Sanctorum iam canonizatorum. Quo dato, iam multo minus id poterunt Epiſcopi ad honorem illorum qui non fuerint Canonizati, aut Beatificati: nec fuit aliquis alicuius auctoritatis Doctor qui hanc illis poteſtatem conceſſit, niſi quidam Bernardus, qui cum in capitulo *Pronunciandum*. de conſecr. diſt. 3. legiſſet, à populis eas feſtiuitates, præter ibi enumeratas, celebrandas, *quas Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus cum populo collaudauerint*; malè de non canonizatis Capitulum interpretabatur, & ideo Gloſa illum reprehendens; *Exaudio*, inquit, *de Canonizatis qui non habent vigilias*, hoc eſt de Sanctis qui non ſunt aliquo iure de præcepto Eccleſiæ celebrandi. Ex qua Gloſa, & reliquis huc vſque dictis planè conſtat Epiſcopos nullam habere facultatem ad indicendum feſtum aliquod anniuerſarium ad memoriam alicuius qui cùm quantauis ſanctitatis opinione deceſſerit, ab Eccleſia tamen pro Beatificato, aut Canonizato non habeatur.

Prætereà expreſsè id prohibitũ videtur Epiſcopis in cap. *Audiuimus*. de reliq. & vener. Sanct. Dicitur enim, nemini licere aliquem pro Sancto venerari abſque licentia Romanę Eccleſiæ. Quo quidem decreto Alexander Tertius apertè profitetur, nequaquam ſe nouam aliquam legem condere

circa

A circa cultum non Beatificatorum, ſed veterem conſtabilire, affirmans etiam ante illud decretum id non licuiſſe, vt notat Suarez tom. 1. de Relig. tract. 2. lib 3. cap. 11. num. 5 in fine. Cum igitur colere diem anniuerſarium obitus alicuius defuncti cum opinione ſanctitatis, ſit idem omninò, ac talem pro ſancto venerari; cumque idipſum quibuſcunque ſit prohibitum; planum videtur non poſſe Epiſcopos diem feſtum alicui non Canonizato indicere. & quoniam ex actibus irri-
B tis, & nullius valoris, nullum etiam argumentum ſumitur in ordine ad actus iuridicos; conſequenter ex eo, quod ad honorem alicuius defuncti celebretur dies anniuerſaria obitus ex præcepto Epiſcopi, nullum argumentum Sanctitatis ad effectum Canonizationis, aut Beatificationis eiuſdem deſumi poterit.

Remanet igitur, ex ſolo illo cultu diei anniuerſarij qui celebrabitur in honorem alicuius defuncti ex conceſſione
C Summi Pontificis, argumentum deſumi efficax ad effectum Beatificationis, & Canonizationis: ſiue dies illa cum luminaribus tantum, ſiue cum luminaribus, & campanis, ſiue cum his, & aliqua pſalmodia, ſiue cum recitatione Horarum Canonicarum, & Miſſæ celebratione, ſiue cum aliquo illorum tantum celebretur. Ratio eſt: quia tantum ex cultu, & veneratione qui præſtatur alicui defuncto ex auctoritate Summi Pontificis, ſanctitas alicuius Dei ſerui plenè, ac per-
D fectè colligitur. Cultus enim qui præſtatur alicui defuncto ſine facultate Eccleſiæ, non ad Religionis virtutem, ſed ad ſuperſtitionis errorem declinat, cùm præſcribere regulas, & cœremonias in materia Religionis, &, quis cuique cultus deferendus ſit, decernere, ad Eccleſiæ caput, id eſt Summum Pontificem, & ad Epiſcopos ex eius ſolum auctoritate pertineat.

Totum hoc argumentum roboratur maximè ex praxi

Eccleſiæ, quam ex litteris Apoſtolicis colligere poſſumus; A ac in primis Leonis X.coram quo cum ageretur de Beatificatione, & Canonizatione Philippi Benitij, Summus Pontifex conceſſit Fratribus S. Mariæ Seruorum, quorum extiterat aliquando Generalis, *vt donec ad canonizationem ipſius Philippi deuentum eſſet cui tunc diuerſis(arduiſq; negotijs præpeditus vacare non poterat) in quibuſcunque Eccleſijs, domibus, Monaſterijs Monialium, Oratorijs vtriuſque ſexus totius illius Ordinis tantum, tam in Italia, quam extra, in quibuſcunque* B *locis exiſtentibus liceret abſque aliqua ſuperſtitionis, vel quaſi idololatriæ nota, ac conſcientiæ ſcrupulo &c.* & infra. *Ac etiam,* inquit, *quod in die obitus dicti Beati Philippi liceat vobis à primis Veſperis, vſque ad ſecundas Veſperas incluſiuè, per omnes Eccleſias, & Monaſteria, ſeu domus Fratrum, & Monialium Ordinis veſtri ipſi Beato Philippo feſtum duplex, cum campanis, & luminaribus, & alijs cæremonijs in feſto duplici fieri ſolitis celebrare, ſeu celebrare facere poſſe, abſque ſuperſtitione,* C *ſeu quaſi idololatriæ nota.* Hæ Apoſtolicæ litteræ incipiunt, *Expoſuit nobis*. ſub Dat. Florentiæ die 21. Ianuarij 1516. ex quibus non ſolum perſpicuum eſt, ſapere ſuperſtitionem quodcunque genus cultus alicui defuncto præſtitum ad memoriam illius obitus, ſine Sedis Apoſtolicæ priuilegio; ſed etiam huiuſmodi conceſſiones dirigi ad effectum Canonizationis: & proinde ab huiuſmodi conceſsionibus validum argumentum ſumi ad effectum Beatificationis, & D Canonizationis. Idem probatur ex litteris Pauli V. quarum exordium eſt, *Cæleſtis aquæ flumen*. Datis ad S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1608. quarto Kalendas Iunij Pontificatus anno quarto. Pro Canonizatione S. Franciſcæ, cuius obitus dies anniuerſario cultu iam inde ab antiquiſſimis temporibus ex Senatus Romani conſulto colebatur, adiuncta tamen Apoſtolicæ Sedis auctoritate. in quibus

A bus §.31. ita habetur: *At licet rem tranſigi, & Beatam Franciſcam, Sanctam declarari, nec tunc temporis* (loquitur de temporibus proximè ab eius obitu ſequentibus) *neque poſtea tot annis ſucceſſerit. tamen Dominus Sanctæ ſuæ ſummum honorem in terris debitum ad hanc vſque diem occulta diſpenſatione differri volens, non permiſit interea alijs honoribus deſtitui. Nunquam enim deuotio fidelium erga ancillam ſuam refrixit in Vrbe, quinimò dies tranſitus eius auctoritate Apoſtolica, &*
B *Populi Romani pia ſollicitudine in honore, & in Curia Capitolina feſtus habitus fuit, donec &c.* Quibus in verbis maximè conſiderandùm eſt, quod auctoritate laica, & Romani Senatus decreto in Curia Capitolina dies obitus ſeruæ Dei, feriatus habeatur: ita tamen, vt diei feriatæ ratio nulla habeatur ad effectum Canonizationis, niſi quatenus Apoſtolica auctoritate illius diei memoria in honore extitit. Quo ſenſu accipiendum reor, quod refert Sanctus Ludgerus Mona-
C ſterienſis Epiſcopus in epiſtola quæ extat apud Surium, ſub die prima Martij, poſt acta Sancti Suuiberti, cap. 3. Vbi narrat Hildegerum Archiepiſcopum Colonienſem eleuaſſe corpus Sancti Suuiberti auctoritate Apoſtolica, ſubditque: *Statuit inſuper idem Archiepiſcopus eumdem diem eleuationis corporis Sancti Suuiberti, ſcilicet quartum idus Iunij, per totum vicum de Verda celebrari perpetuis temporibus, vt diem Dominicam, ab omnibus incolis ipſius vici in honorem Sancti*
D *Suuiberti*. Dicendum eſt enim id ſtatuiſſe Archiepiſcopum ex eadem Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ex qua iam ante eiuſdem Sancti corpus exhumatum eleuauerat.

Quod ſi ad antiquiora his tempora reſpicere velimus; teſtimonio D. Cypriani perantiqui in Eccleſia ſcriptoris comprobare licebit cultum diei obitus alicuius defuncti cum ſanctitatis opinione, debere fulciri auctoritate Romanæ Sedis, vt ſanctitatis ſolidum nobis argumentum ſubminiſtret.

Ille enim cum aliquando ad Clerum propriæ Eccleſiæ litte- A
ras daret de adnotandis diligentiſsimè nominibus, & diebus illorum qui in carceribus, vel in agone diem clauſiſſent extremum, in epiſt. 37. iuxta editionem Pamelij hæc habet: *Denique & dies eorum quibus excedunt annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus. quamquam Tertullus fideliſsimus, & deuotiſſimus frater noſter, pro cætera ſollicitudine, & cura ſua quam fratribus in omni obſequio operationis impertit (qui nec illi circa curam cor-* B
porum deeſt) ſcripſerit, & ſcribat, ac ſignificet mihi dies quibus in carcere Beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiſcum Domino protegente celebrabimus.

Locus perdifficilis eſt, & indiget diligenti, & peracuta animaduerſione. ex phraſi enim Cypriani aliud eſt, oblationes, & ſacrificia ob commemorationes defunctorum in car- C
ceribus celebrare: aliud vero, defunctos in carceribus inter memorias Martyrum reponere. Illud eſt pro defunctis orare, de quo ita ille: *& celebrentur hic à nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationes eorum*. Non eſt autem hoc inter memorias Sanctorum reponere qui in carcere deceſſiſſent, aut diem feſtum illis agere; ſed ſacrum facere, agendo gratias Deo, quod fidelibus dederit vires, & robur ad vincendum carceres, & ærumnas. Non loquitur Cyprianus D
de Martyribus, vt locum interpretatur Pamelius, ſed de Confeſſoribus, pro quibus prædictas commemorationes à ſe celebratas dicit Cyprianus, ſubijciens: *& citò vobiſcum Domino protegente celebrabimus*. quando nimirum ad propriam Eccleſiam rediret. tunc ſcilicet aſſerit ſe pro defunctis in carceribus Deo publicè in Eccleſia cum omni Clero, & Populo Miſſas facturũ non tam pro illis quia defuncti, quam

pro

A pro defunctis in carceribus in teſtimonium Criſtianæ Reli-
gionis. qui enim in carcere detinebantur pro fide Chriſti,
vt alibi diximus, ſanctitatis ſolummodo titulo ab Eccleſia
decorabantur, non vero Martyrij, aut Confeſſionis. hi enim
tituli altioris erant gradus, & honoris in Eccleſia. At de iis
loquitur Cyprianus qui poſtquam ſtetiſſent ad tribunal in
teſtimonium Chriſtianæ Religionis, detinebantur adhuc in
carcere ad grauiora ſupplicia, & ad acerbiores cruciatus, vſ-
B ſque ad mortem, niſi aliter Deus diſpoſuiſſet vel Proconſu-
lum mutatione, vel mirabili è carceribus liberatione. Pro his
igitur qui diuina diſponente clementia deceſſiſſent, ſperabat
Cyprianus aliquando Deo ſacrificia & oblationes facere. nã
licet iuxta doctrinam Auguſtini, iniuriam faciat Martyri, qui
pro Martyre orat: Confeſſoribus tamen non canonizatis in-
iuriam fieri non dixit Auguſtinus: de quibus tunc loqueba-
tur Cyprianus. de Confeſſoribus nimirum ac reliquis qui
C quoquomodo in carceribus pro Chriſto detenti, diem clau-
ſiſſent extremum. liquet ex his quæ ab eo ſubinferuntur in
eadem epiſtola: *Quamquam Tertullus fideliſſimus, & deuotiſ-
ſimus frater noſter ſcripſerit, & ſcribat, ac ſignificet mihi
dies quibus in carcere beati frater noſtri ad immortalitatem,
glorioſæ mortis exitu, tranſeunt*. At vero celebrare inter me-
morias Martyrum, eſt inter Canonizatos aliquem colere.
Qua de cauſa martyrium alicui ædificare, idem olim erat ac
D Eccleſiam ædificare. quamobrem celebrare commemora-
tiones Martyrum, idem valet in phraſi Cypriani, ac celebra-
re aliquem inter Sanctorum memorias in Canone Miſſæ,
quod eſt reponere eumdem in Sanctorum Catalogo ad
celebrandum diem obitus: quod hodie dicimus Canoni-
zare.

Nec prætereundum eſt Cyprianum non dixiſſe, illorũ
nomina qui in carceribus deceſſiſſent, & diem anniuerſa-

riam exceſſus illorum ſe velle tum, cum primum ad Eccleſiam rediſſet, inter memorias Martyrum reponere, cum litteras à Clero accepiſſet de ſingulorum exceſſu; ſed poſtmodum in concilio, cum pax nimirum Eccleſiæ data fuerit, & de lapſis, ac reliquis agendum eſſet de conſilio non tam cæterorum Epiſcoporum per Africam conſiſtentium, quàm de conſenſu Romanæ Sedis, ſine qua nemini aliquando fas fuit aliquem inter Sanctos recenſere, aut dies feſtos indicere. Ita ille epiſt. 13. quæ eſt ad Clerum Romanum: *Planè cæterorum cauſas id eſt lapſorum qui non ægrotarent, quamuis libello à Martyribus accepto differri mandaui, & in noſtram præſentiam reſeruari, vt cum pace à Domino nobis data plures præpoſiti conuenire in vnùm cœperimus, communicato etiam vobiſcum conſilio diſponere ſingula, & reformare poſſimus.* Et quamuis ſigillatim de lapſis hic agatur, nihilominus illa verba, *diſponere ſingula, & reformare*, complectuntur omnia, quæ ad Religionem pertinent, & cultum etiam eorum qui deceſſiſſent reſpiciunt, ac proinde verba Cypriani de anniuerſaria quoque die obitus celebranda ad honorem illorum Confeſſorum accipi debent qui in carceribus deceſſiſſent, antequam Iudicis ſuperueniente ſententia, & carnificis manu eos opperiente glorioſiſſimum martyrij titulum in Eccleſia recepiſſent. Hæc ex Cypriano hauſimus, quibus probari putamus, nulli diem feſtum indictum, etiam ſi pro Chriſto deceſſiſſet, abſque Romanæ Sedis auctoritate. Viderint alij doctiora.

CAP.

A

CAP. III.

Quodnam ex Litanijs argumentum ſumatur ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

B LITANIÆ Sanctorum (quarũ vſus in Eccleſia frequens eſt) in Breuiarijs, Miſſalibus, Pontificalibus, Ritualibus, ac ſimilibus Eccleſiaſticis codicibus habentur. Qui codices plerumque prodeûnt publica fulti auctoritate, recogniti interdum ac correcti, necnon à mendis expurgati, quod ex litteris quæ his præfiguntur perſpicuum eſt: præcipuè in Breuiario, Miſſali, Pontificali, & in Ritualibus Romanis, deinde in libris Eccleſiaſticis Eccleſiæ Bambergen-
C ſis, Toletanæ, Pariſienſis, Colonienſis, Treuerenſis, Ambroſianæ, & alijs, quibus litteræ Præſulum prædictarum Eccleſiarum præfigi ſolent, in quibus non ſolum prædicti libri emendati dicuntur, ſed etiam Clero prædictarum Eccleſiarum his, ac non alijs libris in Diuino Officio peragendo vti conceditur. In Breuiarijs quoque, Miſſalibus, ac Ritualibus Benedictinorum, Cartuſianorum, Prædicatorum, Carmelitarum, & reliquorum Regularium qui in Eccleſiaſticis
D ritibus vſum Romanum non retinent, vbique præfiguntur litteræ Summorum Pontificum, vel Generalium, ac Superiorum ſuorum, quibus prædicti libri comprobantur, & ab omnibus Religioſis prædictorum Ordinum recipi, atque obſeruari mandantur.

De Litanijs igitur quæ in his Eccleſiaſticis libris habentur, hic quærimus. ac primum de Litanijs diuerſarum Eccleſiarum à Romana, in quibus Patroni titulares Eccleſiarum

rum, aut alij qui in aliqua ciuitate, oppido, loco, publice coli ſolent, inſcripti leguntur. nam nomina quorundam ſeruorum Dei, quorum lipſana inſigniora in aliqua ciuitate, vel oppido cuſtodiuntur; ab aliquibus Epiſcopis, Abbatibus, vel Monaſteriorum Præfectis in Litanijs inuocata fuiſſe ſcimus, & refert inter alios Molanus in Indiculo SS. Belgij S. Albertum Monachum Criſpinienſem in Litanijs illius Monaſterij inuocari, quamuis canonizatus minimè exiſtat, & in littera G. vbi agit de quodam Sancto Gerlaco hęc habet: *Commemoratio eius fit in Vigilia Epiphaniæ Domini: ſed quia non eſt Canonizatus, Miſſæ ſacrificium eſt de æterna ſapientia. Et dum Litaniæ canuntur, quando ad eum venitur, ſubmiſſa voce dicitur: Sancte Gerlace, oro pro nobis.* Sub littera quoque H. cum meminit cuiuſdam Sancti Hidulphi Ducis Lubienſis, meminit quoque *Ayæ vxoris eius, quæ in Montibus Hannoniæ eſt ſepulta, ſed non eleuata. inuocatur tamen,* inquit, *in Litanijs Montenſis Eccleſiæ.* Archiepiſcopum quoque Calaritanum conſuetas Litanias nouiſſimè coaùgmentaſſe ſcimus nominibus plurimorum, quorum cadauera in quodam perantiquo cœmeterio, ſeù crypta arenaria reperit: quod itidem feciſſe alios in Gallia, Alemania, ac Flandria antiquis temporibus manifeſtum eſt. Sunt enim apud me plures Litaniarum libelli, in quibus plurium ſeruorum Dei nomina non canonizatorum, omninò ignota leguntur, vt in quodam libello ad vſum Parochorum Viennę impreſſo per Ioannem Singriener anno Domini 1522. & alijs.

Quęritur igitur quodnā argumentū ſanctitatis ex huiuſmodi Litanijs hauriatur, ſi quando agendum ſit de aliquo Dei ſeruo canonizando cuius nomen inſertum in aliqua Litania legatur. Et videri poteſt argumentū efficax ex eo poſſe deſumi, præſertim ſi cūtigerit nomen eius Litanijs inſeri auctoritate Ordinarij, vel Synodi Diœceſanæ, vel alicuius Concilij

cilij

A cilij Prouincialis, cui aſſiſtunt teſtes omni exceptione maiores. Canonizatio autem in Eccleſia nihil aliud eſt, niſi deſcriptio alicuius ſerui Dei in Sanctorum Catalogo ex depoſitione teſtium omni exceptione maiorum. Ex horum autem Catalogorum genere vnum ſunt Litaniæ, vt ſuo loco probabitur: vt propterea canonizatus iam videatur, vel ſaltem pro canonizato haberi, cuius nomen Litanijs inſertum legitur. Adde, quod in actu ſolemnis Canonizationis, ſtatim
B atque cãtatum fuerit *Te Deum laudamus*; Sanctus tunc canonizatus inuocatur ab vno ex Cardinalibus per verſiculum, *Ora pro nobis Sancte N.* Qui Sanctos inuocandi modus, idem eſt planè cum ſtylo Litaniarum.

His nihil obſtantibus, conſtanter aſſerimus, nulli omnino licere alicuius Dei famuli nomen Litanijs inſerere, abſque licentia, & auctoritate Romanæ Eccleſiæ. Probatur per cap. *Audiuimus*. de reliq. & vener Sanct. ſæpè citatum, &
C auctoritate Hieronymi ſuper epiſt. Pauli ad Philemonem, cuius verba referuntur in decret. 11. q. 3. cap. *Si quis hominem*. Vbi Sanctus Hieronymus: *Si quis hominem*, inquit, *qui Sanctus non eſt, Sanctum eſſe crediderit* (ideſt aſſeuerauerit, inquit Gloſa) *& Dei eum iniunxerit ſocietati; Chriſtum violat, cuius corporis omnes membra ſumus*. Et infra; *Qui in Chriſti corpore errat* (non opinando, ſed ſtultè aſſerendo, inquit Gloſa) *& labitur aſſerens membrum eius, vel Sanctum*
D *eſſe, cum non ſit; vel non Sanctum eſſe, cum ſit; vide quali crimini obnoxius fiat*. At conſcribere in Litaniarum ſerie nomen alicuius ab Eccleſia Romana non Canonizati, nec Beatificati, neque aliter probati, idem eſt, quod Sanctum dicere, & Sanctum eſſe aſſeuerare qui Sanctus non eſt: cum non ſit canonizatus, neque vt talis ab Eccleſia receptus. Chriſtum igitur violat, Eccleſiam iniuria afficit, populum fidelem decipit, quicumque nomen alicuius propria aucto-

ritate

ritate Litanijs inſerere auſus fuerit: ac propterea ex ſimili auctoritate, vel actione nullum ſanctitatis argumentum, vel indicium educi poteſt ad Beatificationis, vel Canonizationis effectum. A

Dicet fortaſſe aliquis, allata Capitula probare quidem nō licere aliquem pro Sancto venerari abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ, ſed ab his non prohiberi quin pro Beato colatur. ac proinde, quamuis illicitum cenſeatur conſcribere aliquem in Litanijs ante Beatificationem; non tamen illicitū cenſeri debet conſcribi vt Beatum: præſertim poſtquam Romanæ Eccleſiæ auctoritate titulo Beati donatus erit. id enim indicant litteræ Apoſtolicæ S.D.N. Vrbani VIII. iam alias allatæ, in quibus quodcunque venerationis genus præſtari defunctis ſeruis Dei prohibetur, quouſque ab Apoſtolica Sede fuerint Canonizati, vel Beatificati. igitur ſimul atque aliquis fuerit Beatificatus, conſcribere eumdem in Litanijs licitum erit. B C

Verum nec licere, nec licuiſſe aliquem Litanijs inſerere etiam poſtquam fuerit Beatificatus; aperta ratio declarat. quia in Litanijs ſub titulo Sanctitatis, non autem ſub titulo Beati, Dei ſerui inuocantur. Vnde excederent limites propriæ auctoritatis, & facerent contra cap. *Audiuimus*. qui aliquem ſolummodo Beatificatum, ſub titulo Sanctitatis inuocarent. ac proinde quouſque aliquis Dei ſeruus non fuerit Canonizatus, & Sanctitatis titulo ab Apoſtolica Sede condecoratus, in Litaniarum ſerie eumdem conſcribere, aut inuocare non licet. Dum autem S. D. N. Vrbanus prohibet quodcūque venerationis genus his qui non fuerint ab Apoſtolica Sede Canonizati, aut Beatificati; diuiſiuè accipi debet illud venerationis genus. vt nimirum Beatificatis ea tantùm præſtentur quæ ab Apoſtolica Sede illis concedi ſolent: Canonizatis verò quodcunque venerationis genus. Cumq; D

San-

A Sanctos dicere illos qui Beatificati tantum exiſtunt ſit vetitum per cap. *Si quis hominem.* 11. q. 3. conſequenter nec Litanijs inſerere conceſſum erit.

Stat pro hac eadem doctrina Bulla fel. record. Pij Quinti Breuiario Romano præpoſita, quæ incipit. *Quod à nobis poſtulat.* ſub Dat. Romæ ſeptimo Idus Iulij anno Dom. 1568, cuius conſtitutionis vigore reliqua Breuiaria, & precandi ritus, in totum, & per partes ſublati fuerunt, & Eccleſiæ quę-
B cunque, Monaſteria, ac Conuentus ad Romanum Breuiarium in totum, & per partes adſtringuntur, non ſolum quoad recitationem Officij B. Virginis, Defunctorum, Pſalmorum gradualium, & Pœnitentialium, ſed etiam recitationem Litaniarum ſub forma in Breuiario conſcripta; ſub hac clauſula: *Statuentes Breuiarium ipſum nullo vnquam tempore totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum eſſe.* Ex qua quidem clauſula planè con-
C ſtat non licere, nec licuiſſe Epiſcopis, aut quibuſcumque alijs Superioribus ex propria auctoritate, circa Litanias quidquam immutare, aut illis nomen alicuius, ſiue cum Sancti, ſiue cum Beati titulo inſerere, abſque Sedis Apoſtolicæ conſenſu. Verba enim illa, non ſolum integrum Breuiarium ſpectant, ſed etiam ſingulas eius partes; ac proinde Litanias.

Decreto felic. record. Clementis VIII. in materia Litaniarum, ſub Dat. Romæ viij. Idus Septembris anno 1601.
D idipſum conſtabilitur. cuius conſtitutionis hæc ſunt verba; *Præcipit, & mandat, vt retentis antiquiſſimis, & communibus Litanijs quæ in Breuiarijs, Miſſalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, necnon Litanijs de Beata Virgine quæ in ſacra Æde Lauretana decantari ſolent: Quicunque alias Litanias edere, vel iam editis in Eccleſijs, ſiue Oratorijs, ſiue Proceſſionibus vti voluerint, eas ad Congregationem Sacrorum Rituum recognoſcendas, & ſi opus fuerit corrigendas mittere teneantur,*

neantur, neque ſine licentia, & approbatione prædictæ Congregationis eas in publicum edere, aut publicè recitare præſumant, ſub pœnis &c. A

Confirmantur denique iam dicta ex litteris Apoſtolicis S.D.N. Vrbani VIII. quarum exordium ex, *Cæleſtis Hieruſalem*. ſub Datum Romæ die 5. Iulij anno Domini 1634. in quibus quodcunque venerationis genus, aut quoduis aliud cultum præſeferens & indicans præſtari prohibetur quibuſcumque defunctis cum quauis ſanctitatis fama, aut martirij B gloria, antequam canonizantur ab Eccleſia. Conſcribere autem aliquem in Litanijs, aut ſic deſcriptum inuocare, præcipuum venerationis genus præſefert ex his quæ Sanctis canonizatis præſtantur. Igitur nulli licitum erit, nec Epiſcopo, nec Abbati, nec cuiuis alteri cuiuſcunque dignitatis exiſtat, alicuius nomen conſcribere in Litanijs, aut deſcriptum inuocare.

Vt vero obiectioni in principio Capitis factæ ſatisfaciamus, diſtinguendum eſt inter argumentum, ac fumum in C materia Canonizationis: in qua, fumi metaphora frequens eſt, ſignificatquè certũ genus indicij ad ſanctitatem alicuius probandam. Multum enim intereſt inter ſanctitatis argumenta, & ſanctitatis fumum: & diſcrimen non ſolum ex principijs ex quibus procedunt, verum etiam ex effectu ad quem dirigũtur hauritur. Nam fumi materialia principia incerta exiſtunt. non enim ſemper fumus eſt ſignum ignis, ſed D tantum alicuius caloris. nam & agri, & animalia aliquando fumant, & aqua calefacta fumat priuſquam ad priſtinum ſuum frigus redeat. Argumenta vero quæ ad aliquid probandum aſſumuntur, ex principijs vel certis, vel probabilibus, ſed receptis ab his quibus aliquid erit probandum, omnino procedunt. Differunt etiam termino. quia argumenta probant id quod intendunt: at fumus quamuis ſit ſignum

ignis

A ignis, non tamen ignem iam exiſtere certo & infallibiliter
probat. Differunt quoque, quia fumus de longè & remote
exiſtentiam alicuius caloris indicat. at vero argumentum
de vicino, & de proximo id, quòd intendit, attingit.

Perſpicuum igitur remanet diſcrimen inter ſanctitatis fumum, & ſanctitatis argumentum. Sanctitatis fumus eſt
quaſi quidam odor Euangelicæ perfectionis de longè procedens, ab his videlicet authoribus, & teſtibus prouemens
B quibus nulla ineſt auctoritas aliquem dicendi Sanctum. in
quo genere auctorum eſt communis opinio populi, aut
communis populi conſenſus in genere, Ordinarij alicuius
auctoritate comprobatus. Cum enim nec populis nec Epiſcopis liceat aliquem dicere ſanctum, antequam per Sedem
Apoſtolicam canonizetur; hinc ex fama miraculorum &
virtutum in genere; aut etiam in ſpecie, auctoritate Ordinarij, ſeu Ordinariorum comprobatorum; fumum tantum
C ſanctitatis hauriri poſſe conſtat. At vero ex proceſſu Sedis
Apoſtolicæ auctoritate fabricato, in quo iuridicè, & per teſtes omni exceptione maiores, virtutes & miracula alicuius
ſerui Dei comprobentur; tùm ex qualibet virtute in gradu
heroico iuridicè probata; non ſanctitatis aliquis fumus, ſed
vera ac ſolida iam argumenta hauriuntur. ita vt plures virtutes ſimul in gradu heroico, de proximo ſanctitatem alicuius ad effectum Beatificationis, & Canonizationis omni-
D no probent.

Exſurgit hinc aliud diſcrimen inter ſanctitatis fumum & argumentum: quod nimirum Romana Eccleſia ex ſolo ſanctitatis fumo non mouetur ad canonizandum aliquem cum quauis opinione ſanctitatis defunctum; ſed tantum ad inquirendum de vita, moribus, ac de miraculis illius, ex quibus vera tandem ac realis ſanctitas habeatur. Quemadmodum, ſi quis vellet candelam aliquam accendere, & de lon-

ginquo fumum alicubi conſpiceret; ex fumo tantum, quamtumuis propinquo, candelam accendere nunquam valebit; ſed ex fumo mouebitur ad inquirendum an illic, vnde fumus exſurgit, ignis reperiatur, ex quo candelam ſuam accendere poſſit. At vero vbi reperiuntur ſanctitatis argumenta ſufficientia; Romana Eccleſia mouetur ad ipſam ſeruorum Dei Beatificationem, & Canonizationem. A

Hac præmiſſa conſideratione certo conſtat, ex Litanijs alicuius libelli orationum, qui non ſit ad vſum chori, vel ritus Eccleſiaſtici, & ex alijs ſimilibus codicibus qui non ſint publica alicuius Eccleſiæ auctoritate editi, nullum poſſe ſanctitatis nec argumentum, nec fumum hauriri ad effectum Canonizationis, & Beatificationis. quia ex actibus nullius iuris, & inualidis, nullum poteſt argumentum hauriri ad effectum actus iuridici, qualis eſt actus Canonizationis, & Beatificationis. Quod autem aliquis librorum impreſſor, aut quicunque alius compaginator alicuius libelli orationum, ad excitandum fideles ad aliqua ſpiritualia exercitia, alicuius nomen in Litanijs conſcribat; talis conſcriptio eſt omnino nullius Iuris, & actus inualidus. ergo nullum inde argumentum hauriri poterit ad eum, quem diximus, effectum. B C

Preterea Canonizationis, & Beatificationis ſiue fumus, ſiue argumenta, non ſumūtur ex vno teſte, aut ex priuatis perſonis quatenus tales ſunt, ſed ex actibus publicis qui proueniunt à perſonis publicæ auctoritatis, quatenus tales ſunt. ab Epiſcopis nimirum, Archiepiſcopis, Patriarchis, & ſimilibus. ex quorum fabricato proceſſu de virtutibus alicuius, fumus ſanctitatis hauritur: ſicut à proceſſu ritè, ac recte fabricato per Iudices ab Apoſtolica Sede delegatos, hauriuntur argumenta efficaciſſima, quæ proximè Beatificationem, & Canonizationem ſeruorum Dei attingunt. D

Colligitur quoque, nullum neque argumentum, neque

fu-

A ſumum ſanctitatis hauriri poſſe ex Litanijs quæ habentur in Breuiarijs, Miſſalibus, ac Ritualibus, nonnullis Monaſterijs ac Religionibus ex mera indulgẽtia Sedis Romanæ permiſſis. Quia ſanctitatis fumus ad effectum Canonizationis ſolum hauriri poteſt ex actibus iuridicis, qui auctoritate Ordinarij innituntur. Litaniæ vero quæ in prædictis libris habentur, innituntur auctoritati Abbatum, vel Priorum Generalium alicuius Ordinis, Romana Sede inueteratam conſue-
B tudinem tolerante magis, quam probante.

Erit forte qui dicat, prædictos Superiores in ſuis Monaſterijs, & Religionibus auctoritatem habere quaſi Epiſcopalem, ac proinde quaſi ordinariam. vnde ſequi videtur ex dictis libris auctoritate Abbatum, vel Miniſtrorum Generalium comprobatis, ſumum ſaltem ſanctitatis haberi poſſe: quemadmodum ex ſimilibus libris auctoritate Epiſcopali munitis. Ad quod ego reſpondeo, verum eſſe quod
C prædicti Superiores in ſuis Monaſterijs habeãt auctoritatem quaſi Epiſcopalem, ac proinde quaſi ordinariam. ſed quid inde concluditur? nempe ex Libris aut Litanijs eorum auctoritate impreſſis, non Sanctitatis fumum; ſed quaſi fumum, hauriri poſſe. quod concedimus.

Tertiò colligitur, ex Litanijs quæ habentur in Breuiarijs, & Ritualibus Eccleſiarum ab Eccleſiæ Romanæ ritibus differentium, non quidem argumentum efficax, ſed ſumum
D tamen Sanctitatis deſumi poſſe, ad vlterius ſcilicet inquirendum in acta ac vitam Dei famuli ad effectum Beatificationis. Loquimur autem de libris Litaniarum qui de mandato Epiſcopi, vel Synodi & Archiepiſcopi imprimuntur ad dirigendum Parochos, & reliquos alicuius Eccleſiæ miniſtros in adminiſtratione Sacramentorum, recitatione horarum canonicarum, celebratione Miſſarum, aliiſque ritus Eccleſiaſticos concernentibus, quibus libris præfigi ſolent

epiſtolæ Ordinarij aut Superioris, de cuius mandato publi- A
cantur. Ratio aſſerti eſt manifeſta. quia ex actibus, quantumuis iuridicis, qui auctoritate Ordinariorum innituntur, non ſumitur argumentum aliquod efficax ad effectum Beatificationis, & Canonizationis: ergo neque ex Litanijs quæ in prædictis Breuiarijs, Miſſalibus, aut Ritualibus habentur: cum nulla alia fulciantur auctoritate, quam ordinaria, vt ex epiſtolis Epiſcopalibus, vel Synodalibus perſpicuum eſt, quæ libris prædictis præponi conſueuerunt, & ad Clerum, B
ac Parochos ſuæ Diæceſis dirigi, quorum inſtructioni editi fuere. Adde, quod Epiſcopus ad illos actus non procedit vt Iudex pro tribunali ſedens: neque in ſynodo, dum ſingulorum ſuper his ſuffragia expetuntur, præuio iuramento proceditur. Vnde quamuis Epiſcopus ad comprobandum prædictos libros ordinaria ex auctoritate procedat, non tamen procedit ſeruata iudicij forma.

Aliquis tamen fumus Sanctitatis hauritur: quia is con- C
ſurgit ex ſola fama Sanctitatis ex communi cuiuſuis Diæceſis conſenſu de ſanctitate alicuius; cum ſcilicet à maiori multitudine populi Sanctus appellatur, præſertim ſi hoc Ordinarij auctoritate probetur. Et licet ex coniecturis procedat, ſuæque poteſtatis limites excedat Ordinarius, aliquem in litanijs conſcribendo ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ; quia tamen fama ex actibus etiam non iuridicis conſurgit, ex Litanijs quæ in Miſſalibus, & Ritualibus iam dictis ab D
Ordinario comprobatis, & Clero ſibi ſubiecto propoſitis habentur, ſaltem colligetur fama Sanctitatis in genere, ac per conſequens aliquis Sanctitatis fumus.

Remanet igitur, quod, cum Litaniæ habeant rationem cuiuſdam catalogi Sanctorum, qui à fidelibus ritè ac licitè coli & inuocari poſſint: id verò ſolis competat Litanijs quæ Romanæ Eccleſiæ auctoritate fulciuntur, & in Breuiario,

Miſ-

A Miſſali, Pontificali, ac Rituali Romanis habentur; ab his
tantum libris validum Sãctitatis argumentum hauriri queat.
Adeo vt, quicumque fuerit in Litanijs conſcriptus, habea-
tur pro Canonizato, ſi Litaniæ Romanæ Sedis auctoritate
fuerint comprobatæ. ſola enim hæc Romana Eccleſia fun-
data eſt ſupra firmam petram, proque ea Chriſtum rogaſſe
conſtat, vt non deficeret fides eius, atque huic vni commiſſa
eſt cura omnes cæterarum Eccleſiarum defectus corrigen-
B di, & emendandi.

CAP. IV.

Quodnam argumentum Sanctitatis ſumatur ab Altaribus erectis ad cultum non Canonizati neque Beatificati.

C ALTARIS vocabulum dupliciter hic accipi
poteſt, proprie videlicet, & improprie. nam
tabula depicta, ſiue imago altari ſuperpoſita
interdum Altare appellatur, vnde euenit vt
aliud dicatur Sancti Franciſci, in cuius videli-
cet tabula Sanctus Franciſcus depictus conſpicitur; aliud
Sancti Auguſtini, cuius ſcilicet imago S. Auguſtinum ex-
D primit. & hac ratione hoc vel illud altare, ab hac vel illa
imagine, nomen accipit.

Sumitur etiam Altaris vocabulum pro menſa, & ſubſtru-
ctione ſuper quam poſito ſacro lapide Miſſæ celebrantur,
ſiue ſubſtructio illa ſit lignea, ſiue lateritia, ſiue lapidea.
quæ appellatio altaris magis quidem propria eſt priore, non
tamen propria omnino. quia huiuſmodi ſubſtructiones, qua-
cumque ex materia conſtent, conſecrari non poſſunt, neque

ſuper illas offerri ſacrificium, aut Miſſæ celebrari, niſi in medio illorum lapis conſtituatur conſecratus ex præſcripto Sacrorum Canonum, eius quidem magnitudinis, vt in eo calix cum hoſtia commodè collocari queat. qui quidem lapis verè & propriè *Altare* dicitur. ſed ad ſtabilis, & firmi Altaris diſcrimen *Altare portatile* appellatur. A

Altare tandem propriè ac ſtricte appellatur tota ſubſtructio lapidea ad modum arcæ exiſtens, habens latera, & extremitates cum tabula ſeu menſa ſuperpoſita. Quod Altare B totum è lapide eſſe debet iuxta decreta S. Silueſtri, & conſtituta Concilij Hipponenſis can. 6. & refertur in cap. *Altaria*. de conſecrat. diſt. 1. *Altaria ſi non fuerint lapidea, chriſmatis vnctione non conſecrentur*. & quia in conſecratione altaris non ſolum tabula ſuperior in quattuor angulis ſacro chriſmate linitur, & extrema, ſed etiam latus anterius quod frons altaris dicitur; ideo neceſſe, vt altare quod ſtabile dicitur vndequaque non lateritium, ſed lapideum exiſtat, vt ſacro C chriſmate canonicè liniatur. alias totum conſecrari non poterit, ſi ſub tabula nimirum lapidea ſubſtructio lateritia exiſtat. Quod adnotandum duxi, ne Epiſcopi in conſecratione Altarium decipiantur, quemadmodum nonnullos deceptos nouí, lateritiam ſubſtructionem calce incruſtatam, qua menſa lapidea ſubſtentabatur, chriſmate delinientes. Hæc igitur Altaria lapidea, ea qua diximus forma, illis Sanctis conſecrata dicuntur, quorum vel corpora ſub altaribus recondita iacent, vel reliquiæ ſub ſigillo altaris in eius conſecratione repoſitæ fuerint. D

Nos in præſenti capite de vtraque Altaris acceptione propria & impropria agimus. ac primum quidem quærimus quodnam argumentum ſanctitatis ſumatur à tabulis ſeu imaginibus Altaribus ſuperpoſitis, & alicuius cum ſanctitatis opinione defuncti figuram referentibus, ad cuius propterea

ho-

A honorem ipſa Altaria erecta cenſentur, cum interea talis defunctus nunquam Beatificationis, aut Canonizationis honore ab Eccleſia fuerit donatus.

Quęrimus ſecundo, quodnam argumentum ſanctitatis ſumatur ab Altaribus propriè ſumptis, ſiue, erectis, vel dedicatis ad honorem alicuius, ita vt in eis ipſius corpus aut reliquiæ reconditæ iaceant, Miſſæque ſacrificium peragatur: quamuis is ab Eccleſia non ſit Canonizatus aut Beatificatus?

B Notandum hic occurrit, ſolius Epiſcopalis auctoritatis eſſe Altaria erigere, ex decretis Hormiſdę in cap. *nullus Preſbyter*. vel alterius ſuperioris qui habeat iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate. Capituli hæc ſunt verba: *Nullus Presbyter in Eccleſia conſecrata aliud Altare erigat, niſi quod ab Epiſcopo loci fuerit Sanctificatum, vel permiſſum: vt ſit diſcretio inter ſacrum, & non ſacrum; nec dedicationem fingat, niſi ſit. quod ſi fecerit, degradetur, ſi clericus eſt; ſi vero laicus, anathematizetur.* In quo capitulo

C eiuſdem ſignificationis ſunt verbum *conſecrare*, & verbum *dedicare*; idemque Eccleſia conſecrata & dedicata. & ideo cum dixiſſet Papa, Clerico non licere Altare erigere in Eccleſia conſecrata, ſubiunxit non confingendam eſſe Eccleſiæ alicuius dedicationem, niſi vere fuerit dedicata, vt etiam gloſa ibi exponit. Quamobrem ruit commentum illorum Canoniſtarum, qui dicunt, cuicunque Altare conſtruere li-

D cere in Eccleſijs non conſecratis. Capitulum enim illud prohibet Altaria erigere ſine licentia Epiſcopi in Eccleſia, ſiue conſecrata ſit, ſiue non conſecrata, ſed dedicata tantum exiſtat.

Sed ſuſpicari poſſet fortaſſe quiſpiam, capitulum illud intelligendum eſſe de maiori Altari tantum, quod ſcilicet vna cum Eccleſia conſecratur ex ritu Pontificalis libri, non vero de reliquis Altaribus quæ eriguntur in aliqua Eccleſia poſt

eius conſecrationem. Verum de quibuſcunque Altaribus loqui capitulum, liquet ex verbo *permiſſum*. dicitur enim in eo nullum Presbyterum poſſe aliud Altare erigere in Eccleſia, quam quod ab Epiſcopo loci fuerit ſanctificatum, vel permiſſum. ex quo ſecundo verbo planum eſt, vetitum eſſe quibuſcunque, Altaria quæcunque, in Eccleſia erigere aut conſtituere, ſine licentia Epiſcopi. Igitur niſi conſtiterit qua auctoritate fuerint erecta illa Altaria, & imagines ſuperpoſitæ; nullum argumentum ex ipſis hauriri poterit ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. A B

Aduertendum quoque, aliud eſſe conſecrare altare ad honorem alicuius Sancti ab Eccleſia probati, reliquias, vel corpus eius recondendo intra ſepulchrum Altaris; aliud eſſe, conſtruere Altare ſupra corpus alicuius cum opinione ſanctitatis defuncti, ita tamen, vt illud ipſum Altare alijs Sanctis conſecratum exiſtat, quorum reliquiæ in tabula ſuperiori, vel in Altari portatili, ſuper quod Miſſa celebratur, C in conſecratione repoſitæ fuerint. Non enim Altare huic, vel illi Dei ſeruo conſecratum proprie ex eo dicetur, quod corpus eorum ſub tali Altari reconditum iaceat; ſed ex eo tantum, quod Epiſcopus in recondendis reliquijs in ſepulchro Altaris, ſimul ſcripto aliquo illuc includendo teſtetur ſe corpus, vel reliquias talis Dei ſerui ibi repoſuiſſe, & Altare ad honorem talis vel talis Sancti conſecraſſe.

His præmiſſis certum eſt primo, quod ex ſolis tabulis ſeu D imaginibus Altari ſuperpoſitis nullum poteſt ſumi argumentum efficax ad effectum Beatificationis vel Canonizationis. quia ex actibus ipſo iure nullis, & inualidis argumentum ad effectum Beatificationis vel Canonizationis hauriri nequit. Non eſt autem licitum in altari priuato aliquam imaginem cuiuſcumque non Canonizati ponere, vt docet Philiarch. de offic. ſacerd. tom. 1. par. 2. & lib. 3. cap. 9. Pro

A qua veritate facit Concil. Trident. in cap. *mandat.* ſeſſ. 25. in quo *ſtatuit Sancta Synodus nemini licere vllo in loco vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, vllam inſolitam ponere vel ponendam curare Imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit.* quod Concilij decretum licet eo dirigi videatur, ne in Eccleſijs ſint turpes & obſcœnæ picturæ, vt adnotauit Paulus Fuſcus lib. 1. de viſit. de quibuſcunque tamen Imaginibus accipiendum arbitror. quia loquitur de inſolitis imaginibus

B non ponendis in aliqua Eccleſia. ergo loquitur de Imaginibus etiam non Beatificatorum, quas Altaribus in Eccleſia ſuperponere omnino vetitum eſt, ac prohibitum. & ex verbis *vllo in loco*, colligitur non ſolum non licere iconas non Beatificatorum imponere Altaribus in Eccleſia, ſed neque in Oratorijs, aut in priuatis domibus.

Sed neque ex Altaribus denominatis, ſeu verius erectis ad honorem alicuius ſerui Dei nõ Beatificati, aut Canoniza-

C ti, poteſt hauriri argumentum efficax ad effectum Beatificationis, aut Canonizationis. Tum quia horum Altarium erectio nulla reputari debet; tum quia hoc habetur ex capitulo *Placuit*. de conſecr. diſt. 1. in quo euertenda dicuntur altaria erecta, & conſtituta ad Sanctorum memorias, niſi probetur, vere & realiter eſſe Sanctorum memorias, & Martyrum corpus, aut reliquias ab Epiſcopis ibi fuiſſe collocatas. Verba capituli hęc ſunt ex Concilio Africano: *Placuit,*

D *vt Altaria, quæ paſſim per agros, & per villas, tanquam memoriæ Martyrũ conſtituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyris conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt euertantur.* & infra: *& ideo nulla memoria martyrum probabiliter accipiatur, niſi vbi aut corpus, aut reliquiæ certæ ſunt.* ergo nondum Beatificatis, aut nondum Canonizatis Altaria erigi vetitum eſt, & ſi erigantur, actus ille erectionis erit ipſo iure nullus.

Con-

Confirmantur hæc ex cap. *Audiuimus* de reliq. & vener. A
Sanct. in quo nemini licere dicitur aliquem pro ſancto venerari, etiam ſi per eum miracula fierent, abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate. ergo neque altare erigere. Quod plenius colligitur ex conſtitutione Sanctiſs. D. N. Vrbani VIII. cuius exordium eſt *Cæleſtis Hieruſalem Ciues*. in qua prohibetur quodcunque genus cultus ac venerationis pręſtari Dei ſeruis nondum Beatificatis, aut Canonizatis ab Eccleſia. Erigere autem altaria, manifeſtiſſimum eſt cultus, ac venera- B
tionis ſignum.

At quid dicendum, ſi altaria aliqua reperiantur, quæ ab immemorabili tempore ad honorem non Beatificatorum, aut Canonizatorum erecta extiterint? Reſpondetur, & hoc dato caſu, procedere noſtrum aſſertum. Quia immemorabilis non ampliatur, ſed clauditur terminis loci determinati, in quo immemorabilis dicitur. Cumque ad Beatificationem, & Canonizationem ſeruorum Dei; cultus & ve- C
neratio ſit amplianda vel ad plures Eccleſias in eadem Diœceſi in Beatificatione, vel ad omnes Eccleſias orbis Chriſtiani in Canonizatione; ab immemorabili, quod non ampliatur, nequit ſumi argumentum ad effectum eius quod ex ſua natura ampliatur. etenim illud Altare ab immemorabili erectum, & appoſitum ad imaginem alicuius non Beatificati aut Canonizati, efficacius non præſtat argumentum poſt tempus immemorabile, quam præſtare potuit à primo D
ſuæ conſtructionis die. Sed à principio ſuæ erectionis, ex illa ipſa erectione nullum præſtabat argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis illius ad cuius imaginem appoſitum fuit. igitur neque poſt tempus immemorabile illud præſtare poterit, quia Altaria ad illorum tantum honorem conſecrari queunt, quorum reliquiæ in Altaribus inſeruntur, vel ſaltem in conſecratione nominantur, & in

ſche-

A ſchedula conſecrationis ponuntur. At Canonizatorum tantum, & Martyrum reliquiæ in conſecratione altarium adhibentur, & his tantum altaria propriè conſtrui poſſunt, non autem ad honorem illorum qui non ſunt Canonizati. Igitur cum ab ipſa erectione nullum vllo tempore hauriri potuerit argumentum ad effectum Beatificationis & Canonizationis; neque ab immemorabili illud hauriri poterit. Confirmantur hæc omnia ex ijs quæ habētur in actis S. Mar-
B tini apud Sulpitium Seuerum de Altari quod S. Martinus euerti curauit. Dicit enim Seuerus; *ſed Martinus non temere incertis adhibens fidem, ab his qui maiores natu erant Preſbyteris, vel Clericis, flagitabat nomen ſibi Martyris, & tempora paſſionis oſtendi*. Credibile namque eſt, genus paſſionis, & nomen aliquod Martyris confictum, vel adumbratum, ex vulgi opinione, Epiſcopis qui Martinum anteceſſerant obtruſum fuiſſe, præſertim quando illud altare erexe-
C runt. Quæ tamen omnia tam antiqua erant ipſius Martini tempore, vt non ſolum ex ſenioribus nullus eſſet qui de altaris illius erectione recordaretur, ſed neque ex auditu auditus, illius altaris erectionem accepiſſet. Illud autem, cuius exordij nulla extat memoria, vel ex auditu auditus; immemorabile dicitur, vt habetur leg. 39. digeſt. titul. 3. lex *ſumma*. §. *Idem Labeo*. 8. Nihilominus ſpoliandum poſſeſſione, & cultu Altaris exiſtimauit Martinus, cuius nomen aut paſ-
D ſio reperiri non poterat. neque impedire potuit immemorabile tempus, quo minus illicita veneratio, tanquam parum fundata & ſuperſtitioſa, à viro Sanctiſſimo aboleretur.

Sed neque Sanctitatis argumentum ab Altaribus hauriri poterit, ſi illa erecta ſint ad honorem alicuius Dei ſerui non Beatificati, aut Canonizati, ex ſola auctoritate Epiſcopali. & colligitur ex Cap. *Audiuimus*, de reliquijs & venerat. ſanct. & allata conſtit. *Cœleſtis Hieruſalem Ciues* S. D. N. Vr-

bani,

bani, in quibus vetitum eſt præſtari quodcunque genus cul- A
tus, ac venerationis defunctis non Beatificatis vel Canoni-
zatis, niſi ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ. Epiſcopis, igitur
Altaria non Beatificatis aut ab Eccleſia probatis erigere non
conceditur: Quodſi Altaria huiuſmodi erexerint, actus erit
nullus, & ex conſequenti ſubminiſtrare non poterit, quod
quærimus, Sanctitatis argumentum.

Deceptos enim multoties Epiſcopos in erectione ſimi-
lium Altarium, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ non ſemel oſtendunt. B
Legimus enim apud Niceph. lib. 14. cap. 26. in epiſtola At-
tici Patriarchę Conſtantinopolitani ad Cyrillum, Eudoxium
Arianum reconditum poſt mortem ſub ſanctiore ara Sacri-
ficij, in templo maximo, ad honorem Sanctorum Apoſtolo-
rum Conſtantinopoli erecto. & in actis S. Martini auctore
Seuero Sulpicio eius Diſcipulo qui ea, dum Martinus adhuc
viueret, conſcripſit. cap. 8. apud Surium hæc habentur: *Erat*
autem longe ab oppido, proximo Monaſterio, locus quem falſa C
hominum opinio, velut conſepultis ibi Martyribus conſecraue-
rat. nam & Altare ibi à ſuperioribus Epiſcopis conſtitutum ha-
bebatur. ſed Martinus non temere adhibens incertis fidem, ab
his qui maiores natu erant Presbyteris vel Clericis, flagitabat
nomen ſibi Martyris, & tempora paſſionis oſtendi: grandi ſe
ſcrupulo permoueri, quod nihil certi conſtans ſibi maiorum me-
moria tradidiſſet. Cum aliquandiu ergo à loco illo ſe abſtinuiſ-
ſet, nec derogans Religioni, quia incertus; & auctoritatem ſuam D
vulgo accomodans, ne ſuperſtitio conualeſceret, quodam die pau-
cis ſecum adhibitis fratribus ad locum pergit. deinde ſuper ſe-
pulchrum ipſum adſtans orauit ad Dominum, vt quis eſſet, vel
cuius meriti ſepultus, oſtenderet. tum conuerſus ad læuam, videt
prope aſſiſtere vmbram ſordidam, & trucem, imperat nomen
meritumque vt loqueretur. nomen edicit, de crimine confitetur:
latronem ſe fuiſſe, ob ſcelera percuſſum, vulgi errore celebratum;
ſibi

A *ſibi nihil cum Martyribus eſſe commune, cum illos gloria, ſe pœna retineret*. Ab Altaribus igitur ad honorem alicuius quamuis Epiſcopali auctoritate erectis, nullum certum Sanctitatis argumentum hauriri poteſt. nam Altare prædictum non vnius, aut alterius, ſed plurium Epiſcoporum auctoritate nitebatur, qui Sanctum Martinum præceſſerant. *nam, & Altare ibi à Superioribus Epiſcopis conſtitutum habebatur*, dicit Seuerus.

B Hermannus quoque quidam auctor hæreſis Fraticellorum, cuius meminere Petrus de Luxemburgo, & Prateolus in Catalogis hæreticorum, cum opinione Sanctitatis defunctus, in Cathedrali Eccleſia Ferrarienſi Altare habuit, eiuſque icones ac imagines pluribus in locis eiuſdem templi venerationi populi expoſitæ fuerunt, per ſpatium viginti nouem annorum, vel circiter, vt ſcribit Ioannes Baptiſta Pigna in hiſtoria Familiæ Eſtenſis. quod altare vtique

C approbante, & conſentiente Epiſcopo erectum fuerat. Efficax igitur argumẽtum ſumi non poteſt ad Beatificationis, & Canonizationis effectum ab altaribus in alicuius honorem & cultum erectis, quamuis prædicta altaria Epiſcopali auctoritate fulciantur.

Præterea certum arbitror, neque vllum Sanctitatis argumentum hauriri poſſe ex eo, quod corpus, vel reliquię alicuius fuerint ſub Altari reconditæ. Probat id commu-

D ne argumentum ſumptum ab actibus ipſo iure nullis, & inualidis. Recondere enim corpora, vel reliquias aliquorum defunctorum non Canonizatorum, & ab Eccleſia non probatorum intra, vel ſub Altari, prohibitum eſſe conſtat ex ſæpe citato cap. *Audiuimus*. de reliq. & venerat. ſanct. & conſtit. Sanctiſſ. D.N. Vrbani VIII. *Cæleſtis aulæ Milites*. potiſſimum vero ex cap. *non oportet* de conſecrat. diſt. 1. in quo ex conſilio Martini Papæ, altaria erigere ſuper corpora defun-

functorum, aut ſuper monumenta eorumdem; ſuperque illa Miſſas celebrare interdicitur. Dicet fortaſſe aliquis Capitulum citatum loqui de cadauerib. ſimpliciter defunctorum, nulla re notabili inſignium; non vero ea prohibitione comprehendi corpora piorum virorum, qui cum fama & opinione ſanctitatis deceſſerint. Ad quod reſpondeo, cum Capitulum generaliter & abſolute loquatur, accipiendum eſſe de corporibus quorumcunque non Canonizatorum, etiam quacunque ſanctitatis fama & opinione inſignium; ac propterea neque horum corpora ſub altaribus ſepeliri, aut ſupra illorum corpora altaria erigi poſſe. A

B

Remanet igitur, validum ſanctitatis argumentum ſolummodo ſumi poſſe ab ijs Altaribus, quæ ad honorem alicuius defuncti ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ erecta fuerint; ſiue conceſſio ſit de appoſitione imaginis ſuper altare, ſiue de cõſecratione altaris ſupra corpus defuncti nondum Beatificati. Vt patet ex cap. *Audiuimus* ſæpè citato, in quo dum prohibetur aliquem pro Sancto venerari abſque conſenſu Sedis Apoſtolicæ; è contrario conceditur id fieri poſſe, ſi conſenſus, & auctoritas acceſſerit eiuſdem Sedis. Nam cultus, & veneratio quæ alicui defuncto ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ præſtatur, validum ſanctitatis argumentum ſubminiſtrat, vt cap. 1. huius ſect. dictum eſt. igitur & ab erectione Altaris ad honorem alicuius, vel ſupra eius corpus, ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ; pari ratione validum, & efficaciſſimum ſanctitatis ducetur argumentum. Quibus doctiſſimus Cardinalis Baronius fauere videtur tom. 11. Annal. ad annum Chriſti 1027. Vbi poſtquam retulit auctoritate Sedis Apoſtolicæ Camaldulenſibus ex teſtimonio Petri Damiani conceſſum fuiſſe, vt ſuper corpus Sancti Romualdi Altare conſtrui, & Miſſæ celebrari poſſent; idipſum auctoritate eiuſdem Sedis ad honorem aliorum ſeruorum Dei cõ- C

D

ceſ-

A ceſſum narrat, & in primis ad honorem cuiuſdam Simeonis Monachi, & Eremitæ, à Benedicto Papa VIII. inſtante Bonifacio quodam Marchione Mantuæ, conſideratione miraculorum prædicti Dei ſerui. Additque Baronius hunc fuiſſe ritum canonizandi illius temporis: qui minus ſolemnis ab aliquibus appellatur, vt in Sancto Brunone Carthuſiani Ordinis inſtitutore, quem in Catalogo Sanctorum à Leone Decimo poſitum Ferrarius ſcribit: *Abſque tamen ſolemni ritu*
B *qui in Sanctorum Canonizatione adhibetur*. Validiſſimum, igitur, & efficaciſſimum ſumetur argumentum ex altaris erectione ſuper reliquias, & oſſa alicuius defuncti ſerui Dei accedente auctoritate Sedis Apoſtolicæ.

Validius adhuc, & efficacius argumentum ad eumdem effectum ſumetur ab Altaris conſecratione ad honorem alicuius non canonizati, ſi eiuſdem reliquiæ intra altare reconditæ fuerint in foramine, quod Altaris ſepulchrum di-
C citur in Ritualium libris, & ſigillo clauditur. Cum enim tota altaris conſecratio in eo ſigillo conſiſtat, ita vt eo fracto altare profanum reddatur, cumque ſub tali ſigillo ex ſacris canonibus Sanctorum tantum reliquiæ recondi permittantur; videntur ſerui Dei nulla quaſi alia indigere Beatificatione, aut ſolemniori Canonizatione, quam vt eorum reliquiæ ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ in altari aliquo reconditæ fuiſſe, & ſuper illorum cadauera ſacrificium Eucha-
D riſticum Deo offerri permiſſum eſſe, probetur.

Monet hic locus, atque operæ pretium videtur breuiter hic inquirere, vndenam Eccleſia ritum acceperit in conſecrando Altari à parte ſuperiori illud aperiendi, & foramen in medio altaris apertum, *Sepulchrum* appellandi, intraque illud reliquias & oſſa Sanctorum Martyrum recondendi? Aiunt communiter Doctores id inde fluxiſſe, quod antiquitus corpora Sanctorum ſub altaribus reconderen-

tur,

tur, iuxta illud Apocalypſis: *Vidi ſub Altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei*. id eſt, propter Euangelium, & propter Chriſtum, ſed præterquam quod hęc aſſertio difficilem probationem habet (quia ſi attendantur Martyrum ſepulchra quæ in cryptis arenarijs, & cœmeterijs ſubterraneis Romæ viſuntur; pauciſſimi ex illis ſanctis Martyribus ſub altaribus reconditi viſuntur, quin potius hinc, inde, nullo ordine locati cernuntur) inquirendum adhuc ſupererit, vnde tunc temporis id acceperit Eccleſia primitiua, cuius deinde exemplo mota poſteriorum temporum Eccleſia hunc ritum perpetuo obſeruarit? A B

Vnde, ſi mihi licitum eſt poſt tot viros doctiſſimos & meam afferre ſententiam; dicere malim, Eccleſiam primò accepiſſe eum ritum ab illa crate ænea, quæ in altari Moſaico ex parte ſuperiori inſerebatur, quæ pluribus à nobis deſcripta eſt in ſecundo Mirothecio arcanor. ſac. ſcript. cap. 71. & 72. de qua Deus in libro exodi cap. 27. ſic ait ad Moyſem: *Craticulamque in modum retis* (ſupple, facies in altari) *æneã, per cuius quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, quos pones ſubter arulam, eritque craticula vſque ad Altaris medium*. In huius craticulæ forma explicanda quantum ſe cruciarint ſacræ Scripturæ interpretes, ex ijs quæ prædicto libro attulimus, intelligere licet. Sed mirum non eſt, formam non fuiſſe aſſecutos, qui vſum eius ignorarent. Vtrumque nos in locis citatis explicauimus. Inſerebatur igitur hæc craticula in Altari, & vſque ad illius medium intrò perueniebat. in ipſa vero crate ſtrues lignorum ad carnes ſacrificij comburendas ita adaptabatur, vt, combuſtis carnibus, intra Altaris vacuum cineres, carbones, ac fauillæ deſcenderent, oſſa vero holocauſtorum, & cæterarũ victimarum, conſummato ſacrificio, ſemiuſta in crate remanerent, quaſi ad Altaris conſecrationem, vt fuſius ibidem declarauimus. C D

Ad

A Ad eã igitur altaris Moſaici formam reſpiciens Ioannes in
Apocalypſi, & Græcorum illorum temporum opinioni ſeſe
accommodans, dicit ſe vidiſſe *ſub altari animas interfecto-*
rum propter Verbum Dei, ideſt, propter Chriſtum. Vnde
poſtmodum Eccleſia ſua altaria ad inſtar Moſaici illius con-
ſtruxit, & illis in ſuperiori tabula apertis, in foramine, quod
Sepulcrum vocari placuit, oſſa Sanctorum Martyrum, quaſi
holocauſtorum, ad eorundem altarium conſecrationem re-
B ponenda cenſuit. De his enim Spiritus ſanctus Sap. 3. ait:
Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti
hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectius illorum. & ad
eorum oſſa adhuc ardentia in ea altaris crate reſpiciens, ſub-
dit; *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcur-*
rent. Vnde Eccleſia Spiritu ſancto edocta, iteratis ſæpè de-
cretis, in varijs Concilijs & per plures Summos Pontifices
editis, vetuit, ne ſine reliquijs Sanctorum altaria conſecra-
C rentur, vt videre licet in cap. *Non oportet*. de conſecr. diſt. 3.
cap. *Placuit*. ibid. De quibus omnibus plura Doctores tam
Canoniſtæ, quàm Theologi, ad quos Lectorem remittimus.

CAP. V.

Quodnam argumentum ſanctitatis ſumatur ab Eccleſijs, & Oratorijs conſtructis
D
ad honorem ſeruorum Dei.

VOCABVLVM *Eccleſia*, à græco verbo ἐκκλησιάζω deriuatur, quod conuentum celebrare, & populos ad concionem vocare ſignificat. atque in Chriſtianorum quidem ſcriptis propriè ſumitur pro vniuerſo cœtu ad vitam æternam vocato: deinde etiam pro loco, in quo, qui

veram Chriſti Religionem profitentur, ad participationem A
ſacrorum myſteriorum, & audiendum Dei verbum conueniunt. per quæ duo capita fideles in vitam æternam diriguntur. Hæc ipſa loca *Oratoria* quoque dicta fuerunt, quia orationis cauſa fideles eo conueniebant. licet hodie Oratorij vocabulo minores quædam ædiculæ ſignificentur; In quibus Confratres alicuius Confraternitatis ad ſacrum audiendum, & ad alia ſpiritualia exercitia ſtatis diebus congregantur. B

In hac igitur poſtrema ſignificatione prædictæ voces hic à nobis ſumuntur. & contigiſſe quidem aliquando, vt Eccleſiæ, vel Oratoria ad honorem ſeruorum Dei ab Apoſtolica Sede nondum Beatificatorum, neque Canonizatorum ædificata fuerint; erui poſſe videtur ex S. Hieronymo, qui acta S. Hilarionis ſcribens: *Præterea rogabat* (inquit) *ſenex* Hilarion *Diſcipulos Antonij vt ſibi locum tumuli eius oſtenderent. qui cum ſeorſum eum adduxiſſent; vtrum monſtrauerint,* C
nec ne, ignoratur. Cauſam occultandi iuxta præceptũ Antonij referentes, ne Pergamius (qui in illis locis ditiſſimus erat) ſublato ad villam ſuam ſancti corpore, martyrium fabricaret. Hæc Hieronymus cap. 16. ſub finem. Si vero nulla extitiſſet conſuetudo apud Chriſtianos excitandi templa Dei ſeruis, antequam ab Eccleſia beatificarentur, aut canonizarentur; non erat vnde Antonius ſibi poſt obitum tẽplum excitandum à Pergamio timeret. Quæritur igitur hic à nobis, quodnam ar- D
gumentum ſanctitatis ab huiuſmodi templis hauriri poſſit, ad effectum beatificationis ante Beatificationem, & ad promouendam poſtmodum eorum Canonizationem?

Primum vero ac firmiter tenendum eſt, non licuiſſe fidelibus olim, nec licere hodie, templa, Eccleſias, aut Oratoria pro arbitrio ædificare. cap. *Nemo Eccleſiam*. de conſec. diſt. 1. Imò nec Epiſcopis Eccleſias conſecrare olim permit-

tebatur,

A tebatur, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, vt in eà diſtinctione habetur. cap *De locorum*. & in alijs quatuor capitulis quę ſequuntur. quamuis Gloſa in verbo *abſque præcepto*, decipiatur, putans cap. *Nemo.* contradicere antecedentibus quinque capitulis, quod omnino falſum eſt. nam capitulum *De locorum*. de ædificanda Eccleſia, modum, ac ritus ſeruandos præſcribit, quoties aliquis voluerit Eccleſiam aliquá ædificare, decernitq; ne Epiſcopus Eccleſiam aliquam ædi-
B ficari permittat abſque conuenienti dote, & benedictione tam loci, quàm primarij lapidis in fundamentis collocandi. Reliqua vero quinque capitula quę præcedunt de conſecratione Eccleſiarum poſtquam iam fuerint ædificatæ, loquuntur, quas abſque Sedis Apoſtolicæ conſenſu conſecrari ab Epiſcopis prohibet. Decipitur deinde Gloſa loco citato, exiſtimans prædicta decreta, localia, vel caſualia fuiſſe, vel intelligenda fore de Eccleſia Epiſcopali: cum re vera nec ca-
C ſualia ſint hoc eſt caſu edita, ſed debita cum conſideratione; nec localia, ſed vniuerſalia, & generalia fuerint. Nec loquuntur de Eccleſia Epiſcopali tantum, ideſt, de fundando aliquo Epiſcopatu: ſed de quibuſcunque omnino Eccleſijs abſque licentia Sedis Apoſtolicæ non conſecrandis. Atque hęc Capitula ideo edita fuere, ne templa, & Eccleſiæ conſecrarentur niſi ad honorem Sanctorum qui, iam ab Eccleſia fuiſſent canonizati, & probati; nec non ad coercendam au-
D daciam illorum, qui cum quæſtus cauſa aliquam erexiſſent Eccleſiam, eadem de cauſa eiuſdem Eccleſiæ conſecrationem ſollicitabant. *Auri ſacra fames, quænam non ſacra profanas!*

Eo vſque enim quæſtus deſiderium, & ſcelerata proceſſerat cupido, vt oblationum cauſa quæ Eccleſijs à fidelibus in proceſſionibus, & ad altaria in miſſarum celebrationibus offerebantur, nonnulli Baſilicas ædificarent, & alij altaria.

excitarent. Contra priores illos agit Concilium Brachareñſe in cap. *Si quis Baſilicam.* eos improbando, qui ea conditione in proprijs prædijs Baſilicas ædificabant, vt oblationes cum Clericis diuiderent. *Si quis Baſilicam non pro deuotione, ſed pro quæſtus cupiditate ædificet; vt quidquid de oblatione populi colligitur, medium cum Clericis diuidat, eo quod Baſilicam in terra ſua condidit: hoc de cætero obſeruari debet, vt nullus Epiſcoporum tam abominabili voto conſentiat; nec Baſilicam, quæ non pro Sanctorum patrocinio, ſed magis ſub tributaria condi-* B *tione eſt condita, audeat conſecrare.* A

Templum vero, ſeu Eccleſiam aliquam abſque facultate Sedis Apoſtolicæ non poſſe conſecrari, oſtendit ac probat cap. *Eccleſia.* Et in cap. *Certum eſt.* tanquam firmiſſimum hoc ſupponitur his verbis: *Certum eſt quidem, & noſtris præceptionibus conſtitutum, ne quis in Eccleſia, aut Oratorio, quod Sedis noſtræ non legitur permiſſione dedicatum, proceſſionem publicam putaret impendi, nec conditores furtiuis ſubreptionibus contra regularum ſtatuta proſilirent.* C ex quibus poſtremis huius capituli verbis plane conſtat, ſtatuta, & decreta huiuſmodi propterea fuiſſe facta, vt templa non alia de cauſa quam ad Dei cultum, & honorem excitarentur.

Contra eos vero qui altaria lucri ſpe adducti excitabant, plura agunt Capitula in eadem diſtinctione: in quibus altaria erigi prohibentur ad miſſarum celebrationem, abſque Epiſcoporum licentia, & conſecratione. habentur hæc in D cap. *Non oportet*. in cap. *Nullus Presbyter.* & in cap. *Placuit.* Vbi quibuſnam ſuper altaribus ſacra ſint facienda, celebrandæq; miſſæ, decernitur.

Similiter, quia ex celebratione conuentus fidelium, qui ad aliquem locum conuenire proceſſionaliter conſueuerãt, catholici à non catholicis, ſeu ab hæreticis & ſchiſmaticis diſtinguebantur: hac etiam de cauſa Summi Pontifices à

primis

A primis vſque temporibus exorientis Chriſtianitatis ſeriò ca-
uerunt, ne quibuslibet templa ædificare, & altaria excitare
liceret; vt habetur in cap. *Nemo.* de conſecrat. diſt. 1. ex
Concil. Aurel. Statuitur enim in eo capitulo ne quis Eccle-
ſiam ædificet, antequã Epiſcopus locum deſignet, Crucem
figat, & reliqua conficiat quæ ſunt ex ritu Eccleſiæ. Sub gra-
uiſsimis quoque cenſuris ac pœnis ab Hormiſda in cap. *Nul-
lus*. decernitur, ne Presbyteri audeant altare aliquod exci-
B tare etiam in Eccleſia conſecrata, niſi quod ab Epiſcopo
fuerit conſecratum. imò erecta per agros altaria dirui iuben-
tur in cap. *Placuit*: eiuſdem diſtinctionis, quod deſumptum
eſt ex Concilio Africano.

Cauerunt etiam Patres, ne Epiſcopis liceat conſecrare
templa erecta, & nouiter ædificata, niſi facultate habita
prius ab Apoſtolica Sede, vt habetur in cap. *De locorum*. In
quo Gelaſius Papa can. 33. Epiſcopos redarguit, quod abſ-
C que præcepto Sedis Apoſtolicæ eccleſias, vel Oratoria con-
ſecrare præſumerent. & in cap. *Præcepta Synodalia*. conſtan-
ter repetitur ab Apoſtolica Sede decreta emanaſſe antiquis
canonibus conſentientia his verbis: *Et in vtraque parte con-
ſtat* (nimirum in antiquis canonibus, & tranſmiſſis decre-
tis) *ſine Summi Pontificis auctoritate Eccleſiam nouiter condi-
tam non poſſe dedicari*. Et quia Epiſcopus ad quem dirigitur
capitulum illud, vigore decretorum tranſmiſſorum quan-
D dam Eccleſiam interdicto ſubiecerat, ſeu à celebratione
miſſarum ſuſpenderat, tandem Summus Pontifex eidem
Epiſcopo concedit, vt Eccleſiam quam ſuſpenderat, conſe-
crare valeat his verbis: *Sed quia deuotus locus non debet à mi-
niſteriorum gratia diuina vacuus permanere, frater chariſſime,
eorum Martyrum nomine, quos relatio continet* (ideſt, ſcrip-
tura nobis lata, inquit Gloſa) *auctoritatis noſtræ ſuſcepta ſe-
rie conſecrabis*. & in cap. *Baſilicas*. Pontifex meminit ſimi-

litter eiuſdem decreti, in quo prohibebatur Epiſcopis Eccleſias conſecrare ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate. *Baſilicas nouiter inſtitutas, non petitis ex more præceptionibus, dedicare nemo audeat*. particula enim illa, *ex more*, planè demonſtrat Gelaſium nequaquam noua inſtituiſſe decreta, ſed ex veteri ritu, & perantiquo ſtatuto Romanæ Eccleſiæ conſuetudineque, id fuiſſe ſeruatum. A quo decreto cum forte receſſiſſent aliqui; Summus Pontifex illud idem renouat, dicens infra: *Cumque contra ſalutarium reuerentiam Regularum cupiamus temere nihil decere, & cum Sedes Apoſtolica ſuperioribus omnibus, fauente Domino, quæ paternis canonibus ſunt præfixa, pio deuotoq; ſtudeat tenere propoſito; ſatis indignum eſt, quemcumque Pontificum, vel Ordinum ſubſequentium hanc obſeruantiam refutare, quam Beati Petri Sedem, & ſequi videat, & docere*. Et in cap. *Certum eſt*, idem Pontifex meminit eiuſdem antiqui præcepti de non conſecrandis Eccleſijs abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, & tandem concedit, vt in quodam Oratorio, ad inſtantiam cuiuſdam Megentiæ ſpectabilis feminæ, ſolummodo defunctorum miſſæ celebrari poſſint pro inibi depoſitis.

Hæc autem ſupraſcripta decreta, & alia ſimilia innitebantur vnitati, & coniunctioni fidelium cum Eccleſia Romana. in Eccleſijs enim de licentia Sedis Apoſtolicæ conſtructis, & conſecratis, fideles conuenientes, ſub vnitate ſedis Romanæ, & fidei catholicæ communione ſe conuenire profitebantur, atque eo conuentu ab hæreticis, & ſchiſmaticis diſtinguebantur. Hinc nec fideles proceſſionaliter aliquem ad locum, deuotionis gratia dirigi poterant, abſque licentia Sedis Apſtolicæ, vt in cap. *Certum eſt*, dicitur. Vnde Nicolaus Papa clero & plebi Viennenſis Eccleſiæ ſcribit: *Eccleſia, Catholicorum collectio, quomodo ſine Apoſtolica Sedis inſtituetur nutu? quando, iuxta ſacra decreta, nec ipſa*

A *debet abſque præceptione Papæ Baſilica nouiter conſtrui, quæ ipſam catholicorum intra ſemet amplecti cateruam dignoſcitur.* Ex quibus præceptis, & ſacris Canonibus tam de fabrica Eccleſiarum, & earumdem conſecratione, quam de proceſsiobus non faciendis ſine licentia Papæ, perſpicuum remanet non licuiſſe fidelibus excitare templa quæcumque vellent.

Eruitur ex his intelligentia. cap. *Certum eſt.* quod habetur in eadem diſtinctione. in quo Gelaſius ſcribens ad Ioan-
B nem Epiſcopum Soranum, ad petitionem Megentiæ ſpectabilis feminæ pro Oratorio, & loco in quo defunctorum ſuæ familiæ cadauera recondita iacebant. *Humanitatis intuitu*, inquit Pontifex, *quod priora ſtatuta non maculentur, funeribus, & ſepulcris tantum incomprehenſis, petitorio locis miniſteria noueris pro ſolemnitate præſtanda, vt defunctorum nomine ſolummodo diuina celebrentur Officia, publica frequentatione ceſſante.* Huius capituli ſenſum, ſi adeas
C Canoniſtas, dubito an vnquam aſſequi poteris. Petierat Megentia à Summo Pontifice ſibi concedi, vt miſſæ celebrari poſſent in quodam Oratorio, quod ipſa in fundo ſuo, ſiue prædio ædificauerat. id Pontifex concedit, adiecta conditione, ne ſuper ſepulchra & cadauera defunctorum altaria erigantur, aut miſſæ celebrentur cum proceſsione, iuxta conſtituta ex Concilio Martini Papæ. cap. *Non oportet*. cap. *Præcepta Synodalia.* Idq; volunt in cap. citato ea verba: *Prio-*
D *ra ſtatuta non maculentur de funeribus, & ſepulchris incomprehenſis.* Nam cum in miſsis defunctorum oblationes defuncti ſolius nomine fierent, populuſq; pro ſe nihil offerret, atque ideo nec proceſsionaliter ad loca celebrationis procederetur; ſubdit Pontifex, *publica proceſsione, & frequentatione ceſſante.* Quæ quidem proceſsiones in miſsis viuorum haberi conſueuerant, & vetitum iam fuerat, quocunque in loco ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ celebrari.

Colligitur iam ex dictis, nec templa, nec altaria propriè A
dicta conſtrui, aut conſecrari potuiſſe ad honorem alicuius
Dei ſerui nondum Canonizati, etiam ſi ab Apoſtolica
Sede Beatificatus fuiſſet. Idem perſpicuum eſt ex ſacris Ca-
nonibus: nam in cap. *Placuit*. de conſecrat. diſt. 1. dicitur
altaria non licere erigi, niſi vbi reliquiæ certæ, aut corpus
certum fuerit, ſupple alicuius ſancti Martyris, vel Confeſ-
ſoris: & ſimilia habentur in cap. *Non oportet*. in eadem
diſtinctione. Probatur idipſum ex ritibus, & cæremo- B
nijs Eccleſiaſticis quæ præſcribuntur. Etenim tam ad
altaris, quam eccleſiæ conſecrationem reliquiæ Sancto-
rum præparandæ iniunguntur, & intra altare recludendæ.
Idipſum probant verba omnia, & orationes omnes quæ pro
conſecratione tam altaris, quàm eccleſiæ in Pontificali, &
Ritualibus leguntur, nam vbique Sancti ſolummodo nomi-
nantur & inuocantur, non vero alij. ſub quo Sanctorum vo-
cabulo ſolummodo Canonizati, & ab Eccleſia probati con- C
tinentur, non vero qui tantum Beatificati exiſtunt.

Quod ſi aliquod templum, vel altare ab aliquo nondum
Canonizato denominetur ex fidelium deuotione, & popu-
lorum ad illud concurſu (vt multa ſunt altaria B. Rocco mul-
tis in mundi partibus erecta, & templum S. Didaci Com-
plutenſis ante Canonizationem ab eo denominatum fuiſ-
ſe ſcimus; & capella S. Nicolai Tolentinatis ab eius nomi-
ne appellata fuit à Bonifacio Nono in litteris Apoſtolicis D
quarum exordium eſt. *Licet is* ſub Dat. Romæ Kalendis
Martij Pontificatus anno 11. ideſt anno 1400. quamuis is
nondum fuiſſet Canonizatus, quod poſtmodum accidit
ſub Eugenio Quarto anno Domini 1447.) denominationes
iſtæ, & ſimiles aliæ non propriè, ſed abuſiuè contingunt,
non enim prædicta templa, capellæ, & altaria ſic denomi-
nantur ab ipſa dedicatione, & conſecratione; cum nequa-

quam

A quam in illorum altarium, aut templorum erectione Dei ſeruis non Canonizatis dedicata, aut conſecrata fuerint: vt ex inſtrumentis publicis, tabulis, aut lapidibus in earum conſecratione in parietibus Eccleſiæ poſitis, aut in ſepulchris altarium recluſis manifeſtum eſt. Quinimò ſi contigerit, quod Eccleſia ſub nomine non Canonizati conſecrata fuiſſe iudicetur; neceſſario conſecratio in dubium reuocanda erit, & ex cap. *Eccleſiæ*. de conſecr. diſt. 1. eccleſia ipſa reconſe-
B cranda.

Ex prædictis igitur certum erit, nullum argumentum validum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis hauriri poſſe ab Eccleſia aliqua, aut templo ædificato ad honorem alicuius non Canonizati. Et ratio eſt ſæpe alijs repetita, quia ex actibus ipſo iure nullis, & inualidis, nullum poteſt argumentum efficax haberi ad ea ad quę Eccleſia procedit per terminos Canonicos, & Iuris apices.

C Petet aliquis, quid agendum foret, ſi credatur aliquam Eccleſiam ex nomine alicuius non Canonizati denominatam, conſecratam extitiſſe, ex eo quod adſint, & appareant in parietibus conſueta ſigna conſecrationis, Cruces nimirum quæ ſacro chriſmate in conſecranda Eccleſia inunguntur: ac inſuper ab immemorabili tempore prædictam Eccleſiam, vel templum ab aliquo Dei famulo non Canonizato denominatum extitiſſe conſtaret? An inquam cenſendum foret
D Eccleſiam illam verè conſecratam extitiſſe ad honorem Dei famuli, de cuius Beatificatione, vel Canonizatione ageretur?

Negatiue reſpondeo, & pro ſolutione difficultatis obſeruandum duco, ad alicuius Eccleſiæ conſecrationem certò cognoſcendam, nequaquam conſiſtendum in vna, aut altera nota: cum ſigna conſecrationis alicuius Eccleſiæ plura, ex ſacris Canonibus, & Pontificali libro conſtituantur. Lapis

vide-

videlicet, in quo dies, menſis, & annus conſecrationis inciſa A
legantur: deinde nomen tam Epiſcopi conſecrantis, quàm Sancti, ad cuius honorem Eccleſia fuerit conſecrata. Cruces inſuper in duodecim partibus parietum depictæ, quæ ſacro chriſmate liniuntur. Officium denique anniuerſarium Dedicationis atque conſecrationis Eccleſiæ, quod ſingulis annis per octiduum in Eccleſia conſecrata recitandum decernitur in capitulis *Solemnitates Dedicationum. Et Solemnitates Eccleſiarum*. de conſecr. diſt. 1. his enim notis ac ſignis, deinde B
tabulis ac teſtibus, Eccleſiæ conſecratio probatur. maxime vero his poſterioribus, vt patet ex cap. *Solemnitates Dedicationum*. quod ita habet: *De Eccleſiarum conſecrationibus, quoties dubitatur, vbi nec certa ſcriptura, nec teſtes exiſtant, à quibus conſecratio ſciatur; abſque vlla dubitatione, ſcitote eas eſſe conſecrandas*. Signa enim ſupra allata non ſunt æqualis certitudinis ac ponderis. nam Cruces rubeæ in parietibus depictæ, fallibiles ſunt. quia cum ante diem conſecrationis C
in parietibus depingantur, poteſt contingere ex aliquo caſu interueniente, vt poſtmodum conſecratio non ſequatur. Propterea arbitror non omnino fidendum prædictis Crucibus: ſed magis ſtandum tabulis, & teſtibus, vt dicitur in citato cap. *Solemnitates*, & inciſis in lapide notis, ex libro Pontificali. quæ ſi deerunt, vel antiquitatis iactura, vel negligentia illorum qui conſecrationi præfuerint; nullum poſt hæc certius ſignum haberi poterit, quam annua officij dedicationis recitatio: quam in Eccleſijs tantum conſecratis fiere licere certum eſt. niſi fortaſſis conſtaret, ex non intellectis rubricis Breuiarij aliquos recitare conſueuiſſe Officium Dedicationis, quamuis Eccleſia non fuerit conſecrata, ſed tantum benedicta, vt frequentiſſimè fieri ſcio apud Regulares in Hiſpania, & apud eoſdẽ in Eccleſijs Indiarum. Quamobrem talibus in in regionibus, quamuis ab immemora-

A morabili aliquã Eccleſiam denominari ab aliquo Dei famulo non canonizato probaretur, non propterea conſecratam, aut ſolemniter dedicatam extitiſſe ad honorem eiuſdem probabitur. id enim tabulis, & teſtibus tantum probari poteſt, vt vidimus ex prædicto capitulo. ac proinde ex ea denominatione, vtpotè abuſiua, nullum argumentum ſumi poterit ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Tranſeamus à Cõſecratione Eccleſiarum ad Dedicatio-
B nem, quæ fit ſimplici benedictione, illudque certum ſit ex Dedicatione alicuius Eccleſiæ ad honorem duorum ſeruorum Dei, alicuius nimirum Sancti ab Eccleſia probati, & alterius non probati, iuxta ſacros tamen ritus ex Epiſcopali auctoritate peracta, nullum ſumi ſanctitatis indicium ad effectum Beatificationis, vel Canonizationis. quia actus ille dedicationis eſt omnino inconueniens, irritusq; ex parte, quoad eum Sanctum qui non eſt Canonizatus. Quia tamen
C fumus iuridicus ſanctitatis de aliquo Dei ſeruo conſurgit ex proceſſu, & informationibus iuridicè factis auctoritate Ordinarij; aliquod inde indicium hauriri poterit (ſi reliqua adeſſent adminicula) ad effectum Beatificationis, & Canonizationis: non vero, ſi nulla Epiſcopalis auctoritas ad huius templi benedictionem interueniſſet. nec enim tunc eſſet Dedicatio, ſed actus omnino nullus, nullaq; ratione admittendus, etiãſi reliqua adeſſent adminicula. Nam quamuis Epiſcopis
D ſit interdictum ex ſacris Canonibus templa, & Eccleſias cõſecrare ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate, vt vidimus, non tamen eſt eis interdictum eaſdem dedicare ac benedicere. Cum igitur Dedicatio Eccleſiarum, & benedictio ſit iuridica, & ab actibus iuridicis ad fauorem alicuius non canonizati ſumatur aliquod ſanctitatis indicium, ad effectum Beatificationis, & Canonizationis; propterea diximus, quod quamuis actus ille Dedicationis, ſiue benedictionis alicuius Eccleſiæ

qua-

quatenus reſpicit non canonizatum, ſit nullus: quia tamen iungitur actui iuridico, aliquid facit. A

Efficaciſsimum ſumetur argumentum ad effectum Canonizationis alicuius Dei ſerui defuncti, ſi tabulis, & veterum monumentis aliquam Eccleſiam fuiſſe ædificatã ad honorem alicuius non Canonizati, & ad honorem eiuſdem conſecratam probaretur ex facultate Sedis Apoſtolicæ, ſaltem interpretatiua. dixi *ſaltem interpretatiua*, quia quamuis nullum adeſſet Breue de aliqua eccleſia conſecranda ad honorem alicuius non canonizati, ſi adfuiſſet tamen Sedis Apoſtolicæ facultas ore tenus alicui Epiſcopo conceſſa ad talem Eccleſiam conſecrandam, vel benedicendam; vel ſi Papa miſſam in Eccleſia ſic conſecrata feciſſet; vel de tali ſeruo non canonizato miſſam celebraſſet; Eccleſia pro dedicata, vel conſecrata haberi poterit. B

Verum antequam vltra progrediamur, notandum occurit, aliud eſſe ædificare eccleſiam, aliud dedicare, aliud conſecrare. Nam ædificari Eccleſia tam à laicis, quàm à clericis de licentia Epiſcopi, ſeruatis ſeruandis, poteſt. & verſatur hic actus circa materiale eiuſdem. de quo in capitulo. *Nemo*, de conſecr. diſt. 1. At vero dedicare, & conſecrare Eccleſias, reſpicit miniſterium ſacrum, quo locus qui prius erat profanus, fit ſacer: quod mùnus eſt Sacerdotalis Ordinis. Solius autem Epiſcopi eſt conſecrare Eccleſias, & templa, quorum conſecrationis dies quotãnis ſolemniter celebretur per octiduum cum officio, & miſſa, vt dicitur in cap. *Solemnitates*. Dedicatio autẽ alicuius eccleſiæ per ſimplicem Sacerdotem poteſt fieri, quamquam non ſine licentia Epiſcopi, vt in Romano Rituali ſtatuitur. de qua Dedicatione, ſeu benedictione eccleſiæ, nunquam conceditur poſſe recitare officium, aut miſſam celebrare, neç in ipſo quidem Dedicationis, ſiue benedictionis die. C D

Cum

A Cum igitur à Beatificatione alicuius Dei ſerui, ſiue ſolemni cultu eidem, priuilegio Sedis Apoſtolicæ, conceſſo, efficaciſſimum ad effectum Canonizationis ſumitur argumentum, vt alibi diximus: pari ratione, ex eo quod aliquod templum, aut Oratorium fuerit alicui dedicatum de licentia, ſaltem interpretatiua, Summi Pontificis, efficaciſsimum ſumetur argumentum ad effectum Canonizationis: quia dedicare templa eſt aliquod genus Beatificationis, iuxta ſtylum an-
B tiquum, vt liquet ex quadam epiſtola Benedicti VII. qui dictus eſt VIII. ad Marchionem Mantuæ. Quam epiſtolam ponit auctor Ligni Vitæ totius Religionis Sancti Benedicti par. 2. lib. 3. ſub die vigeſima ſexta Iulij, & habet Caſtellin. de certitudine gloriæ Sanctorum, in indice Sanctorum Canonizatorum §. 4. cuius epiſtolæ tenor eſt: *Benedictus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Marchioni inclyto ſalutem chariſſimam cum benedictione Apoſtolica. Requiſiſtis iudicium no-*
C *ſtrum, ſicut dignum fuerat, vtrum in honorem Simeonis nuper ſanctificati (quod opera probant, & innumera, ac diuina miracula teſtificantur) liceret vobis Eccleſiam conſtruere, & eius venerabile corpus honorificè collocare ibidem? de quo reſpondemus: ſi ita coruſcat miraculis, vt veſter homo nobis aſſeruit, ædificate Eccleſiam, collocate in ea eumdem, iuxta quod Altare conſecrari rogate, in quo reliquiæ antiquorum Sanctorum recondantur, cum Sacratiſsimo corpore Domini noſtri Ieſu Chriſti.*
D *& ſic demum diuina myſteria celebrantes, tractate eum vt Sanctum. Sanctus Sanctorum reddat vobis mercedem Sancti.* Hic autem Simeon non fuit Canonizatus, quamuis dicatur in ea epiſtola, *Nuper ſanctificati*. eſt phraſis illius temporis, qua ſignificabatur aliquem Dei famulum piè ac ſanctè obijſſe. Cum enim mortuus ſit anno Domini 1016. (vt eius acta affirmant, & refert Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italię, & Baron. to. 11. Annalium) Benedictus verò ab anno Do-

mini

mini 1012. vſque ad 1024. Pontificatum tenuerit; nulla A
fit mentio in actis Pontificijs de prædicti ſerui Dei Canoni-
zatione, quæ tunc in concilijs agebatur, vt lib. 7. dicetur. nec
Baronius, quidquã adfert ad hanc Canonizationẽ ſpectans.

Idipſum ex verbis eiuſdem epiſtolæ colligitur, in qua
Summus Pontifex ſolum concedit, vt cadauer prædicti
ſerui Dei prope altare, non autem ſub altari collocetur, ita
vt reliquijs Sanctorum antiquorum, & de more illius ætatis
cum Sacratiſsimo Corpore Domini noſtri Ieſu Chriſti al- B
tare conſecretur. Si autem ille Dei ſeruus Canonizatus
extitiſſet; Pontifex in ea epiſtola non diceret, altare conſe-
crandum cum reliquijs antiquorum Sanctorum. nec Ec-
cleſiam ad eius honorem conſecrari concedit Pontifex, ſed
quod liceat prædicto Marchioni aliquam Eccleſiam ædifi-
care, & demum in ea collocare corpus Dei ſerui, quod erat
quoddam Beatificationis genus.

Nec aliquem turbet S. Hieronymus referens S Antonium C
voluiſſe occultari proprium cadauer ne ad eius honorem ali-
qua fabricaretur Eccleſia. nec enim inde hauritur licuiſſe tẽ-
pla ædificare non Beatificatis, aut non Canonizatis: ſed in-
primis humilitatem Antonij commendatam voluit Hiero-
nymus, deinde eiuſdem merita, ac ſanctitatis vbique famam
diffuſam: ob quã paſſim templa, & aras mereri iudicabatur.
At quod hæc forent cõſtruenda, antequam Canonizaretur;
aut ſine licentia Patriarchæ Alexandrini (cuius auctoritas D
circa ſanctorumũ cult tunc fortaſſe in Eccleſia nequaquam
cenſebatur inferior auctoritate Romani Pontificis, ſaltem
quo ad Beatificationem) nequaquam ex relata hiſtoria, vt
reor, colligitur. Credẽdum enim eſt quod ſi Pergamius ædi-
ficare templum Dei famulo Antonio tentaſſet, debitum Ec-
cleſiæ iudicium expectaſſet, illudq; templum de licentia, &
ex auctoritate ſaltem Patriarchæ Alexandrini conſtruxiſſet.

S E-

A
SECTIO VNDECIMA.

De notis ſanctitatis quæ ſumuntur ex hiſtorijs, tum ſacris, tum profanis, alijsq; ſcriptorum monumentis.

INTER argumenta ſanctitatis ad effectum Canonizationis, & Beatificationis
B ſeruorum Dei, poſtremum locum obtinen Hiſtoriæ, ſiue quælibet litterarum monumenta. Hæc vero omnem auctoritatem, ac pondus ſuum habent ab auctore. Ac propterea hac Sectione exequendum ſumpſimus, quidnam ac quantum hæc ſcripta, eorumq; auctores conferre poſſint ad probandam alicuius ſanctitatem, in ordine ad Beatificationem, & Canoniza-
C tionem.

CAP. I.

Quodnam argumentum ſumatur ad effectum Canonizationis, ex Breuiarijs.

D BREVIARII vocabulo volumen, ſeu codex ſignificatur, in quo Horæ Canonicæ, atque ritus eaſdem ex conſuetudine ac præſcripto Eccleſiæ Latinæ recitandi per totius anni circulum, continētur. Breuiarium autem appellari putarunt aliqui, quod in eo acta, & geſta Sanctorum, breui velut epitome contracta, contineantur. cum interim conſtet, nequaquam geſta Sanctorum olim in choro legi

legi ſolitæ, ſed ſacrorum oraculorum volumina, ac Sancto- A
rum Patrum Sermones, ſiue Homilias. Vt autem veram huius vocabuli originem doceamus; Notandum, quod olim ad vſum chori, ſiue pſalmodiæ Eccleſiaſticæ, diuerſi libri ſub diuerſis nominibus habebantur. Pſalterium nimirum, ex quo pſalmi decantabantur; Hymnarium, ex quo hymni; Antiphonarium, ex quo antiphonæ decantandæ accipiebantur. Erant & Lectionaria, in quibus libri ſacrarum Scripturarum; Sermonarium, ex quo Sanctorum Patrum ſermones legen- B
di inter nocturnas vigilias ſumebantur; Euangeliſtorium, ex quo Lectio Euangelica legebatur, & denique Homiliarium, ex quo alicuius Sancti Patris ſuper lectum Euangelium expoſitio accipiebatur. Tam diu autem lectiones horum librorum protrahebantur, donec is, qui choro præſidebat, terminandi ſignum dediſſet, ad quod ſignum lector dicebat: *Tu autem Domine miſerere nobis*, & chorus reſpondebat: *Deo gratias*. cuius ritus veſtigia, cum dictorum librorum nu- C
mero, ac diuerſis nominibus, etiamnum ſuperſunt inter Monachos, præſertim Carthuſienſes.

Poſtquam vero lectiones omnes, tam quæ ex ſacris Scripturis, quam quæ ex Sanctorum Patrum libris, & homilijs ſumuntur, ad certum numerum, ac breuitatem quandam, Latinæ Eccleſiæ decretis redactæ fuerunt, & in vnicum omnes librum coniectæ, prædicti libri Breuiaria dici cœperunt. Vnde hodieq; Carthuſiani ex alijs in choro Officiũ diuinum D
recitant, ex alijs extra chorum, aut in itinere poſiti: ſicut & Greci. Quoniam vero in hoc Breuiario, tam Romano, quam aliarum Eccleſiarum, loco Sermonum, acta Sanctorum legenda proponuntur; hinc anſam arripuimus quærendi, quodnam ſanctitatis argumentum hauriatur ad effectum Canonizationis, ex eo quod alicuius non Canonizati acta in Breuiarijs habeantur, & in choro legantur?

Prius

A Prius tamen notandum, quod, quamuis in Eccleſia Latina antiquitus vna eſſet communis Eccleſiæ forma diuinum recitandi Officium, *piè olim ac ſapienter à Summis Pont. præſertim Gelaſio, ac Greg. Primis conſtituta, à Gregorio autem Septimo reformata*; vt dicitur in Bulla Pij Quinti: diuturnitate tamen temporis ab antiqua, & laudabili inſtitutione taliter deflecti cœptum eſt, vt non multò ante hoc noſtrum ſæculum, Breuiaria, & Lectionaria tot pęne darentur nume-
B ro, quot dabantur Eccleſiæ, teſte fel. record. Pio Quinto in Conſtitutione, quæ incipit, *Quod nobis*. Data Romæ viij. Idus Iulij 1568. *Alij enim* (vt illic habetur) *præclaram veteris Breuiarij conſtitutionem multis locis mutilatam, alij incertis, & alienis quibuſdam commutatam deformarunt, plurimi ſpecie officij commodioris allecti, ad breuitatem Breuiarij noui à Franciſco Quignonio tit. S. Crucis in Ieruſalem Presbytero Cardinali compoſiti, confugerunt. Quin etiam in prouincias*
C *paulatim irrepſerat illa praua conſuetudo, vt Epiſcopi in Eccleſijs, quæ ab initio cum cæteris veteri Romano more Horas Canonicas dicere, ac pſallere conſueuiſſent, priuatim quiſque Breuiarium conficeret, & illam communionem in Deo, vna & eadem formula preces, & laudes adhibendi, diſſimillimo inter ſe, ac penè cuiuſque Epiſcopatus proprio officio diſcerperent. Hinc illa tam multis in locis diuini cultus perturbatio.*

Neque hodie tamen Breuiariorum multiplicitas ab Ec-
D cleſia Latina omnino ſublata eſt: ſed ex indulgentia Sedis Apoſtolicæ aliquibus Eccleſijs, & Regularium inſtitutis ſpeciales orandi ritus conceſſi ſunt. Hinc fit vt harum Breuiaria diuerſa fulta auctoritate prodeant; alia ſcilicet auctoritate Superiorum Regularium, contendentium hanc licentiam Breuiaria ſua corrigendi, ac reformandi ſe habere, ex antiqua Sedis Apoſtolicæ conceſſione. alia ex auctoritate Epiſcopi in vſum alicuius Eccleſię Cathedralis. Pręter quæ ſunt

alia quædam Breuiaria minora priorum velut appendices, & quaſi auctaria, ex Sedis Apoſtolicæ ſpeciali priuilegio aliquibus Religionibus, vel Eccleſijs conceſſa: interdum generali aliquo indulto; interdum verò in ſpecie hoc vel illud tan- officium, has vel illas lectiones concedendo: vel litteris Pontificijs in hunc finem expeditis, vel ex Sacræ Rituum Congregationis decreto, in quo interdum prædictæ Lectiones ad verbum expreſſæ conſpiciuntur. A

Sed ne ex tanto Breuiariorum numero, ac diuerſitate, confuſio aliqua oriatur, videndum primo, quid Breuiarij Romani vocabulo intelligatur: cum huius eccleſiæ in his negotijs ſumma ſit auctoritas. Plures enim libri ad recitationem Horarum Canonicarum deputati olim ante reformationem factam ſub Pio Quinto, circumferebãtur ſub nomine Breuiarij Romani, nonnulli tamen cum aliqua reſtrictione, per quam à vero Romano Breuiario diſtinguebantur. Eſt apud me Breuiarium manuſcriptum cum hac epigraghe: *Breuiarium Romanum, ſecundum Ordinem Fratrum Minorum*. in cuius Breuiarij corpore, in matutinis, nouem totæ lectiones in narranda inſtitutione feſti, aut rebus geſtis illius Sancti de quo recitatur Officium, occupatæ ſunt. Breuiarium aliud manuſcriptum eſt apud me cum hac epigraphe: *Incipit Breuiarium Fratrum Eremitarum S. Auguſtini ſecundum conſuetudinem Romanæ Curiæ*. Aliud itidem manuſcriptum cum inſcriptione: *Incipit ordo Breuiarij ſecundum Curiam Rom.* & tam in Calendario, quam in corpore huius Breuiarij multa habentur mirè confuſa, & ab hodierno vſu diſcrepantia. in Calendario quidem, cuilibet diei reſpondet feſtum alicuius Sancti: in corpore verò, nihil ex ſacra Scriptura deſumitur, ſed tantum de hiſtoria illius diei. Aliud eſt apud me Breuiarium manuſcriptum charactere Germanico, cum hoc titulo: *Incipit Breuiarium Ordinis* B C D

Fratrum

A *Fratrum Eremitarum S. Auguſtini ſecundum conſuetudinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*, in quo præter plura minus rectè diſpoſita, Kalendarium habet plura Sanctorum feſta, de quibus nuſquam agit Romana Eccleſia. Aliud apud me Breuiarium hunc præfert titulum: *Breuiarium iuxta conſuetudinem Romanæ Curiæ*. Aliud: *Breuiarium Romanum*. cum tamen ſit Breuiarium Franciſci Quignoni Card. S. Crucis; cuius Breuiarij vſus non erat in Romana Eccleſia. aliud
B enim olim fuit Breuiarium ſecundum vſum, vel conſuetudinem Romanæ Curiæ, ſeu ad ritum Romanæ Curiæ, aliud Breuiarium Romanæ Eccleſiæ, ſeu iuxta ritum Romanæ Eccleſiæ. Breuiarium namque ad vſum Romanæ Curiæ appellabatur, quod ad commoditatem Clericorum, qui in Romana Curia verſabantur collectum, ac compilatum fuerat. cum ſcilicet cauſarentur plures minus deuoti prolixitatem Horarum Canonicarum iuxta ritum, & formam Bre-
C uiarij Romanæ Eccleſiæ, nec Theologi deeſſent qui licere recitare officium pro officio, & officium de aliquo Sancto, cum feriali commutare docerent: ita vt nonnulli ſingulis diebus, etiam in Quadrageſima officium de aliquo Sancto recitarent. Vnde factum vt tot Breuiaria emergerent in Romana Curia, quot ferè in ea verſabantur, qui ad diuini officij recitationem tenerentur. & ſi quæ fuerunt edita Breuiaria à Cardinali Quignonio, vel ab alijs, ijs accommodata
D qui in Curia potius negotijs, quam diuinis vacare laudibus ſtudebant; hæc ipſa, Breuiaria ſecundum conſuetudinem Romanæ Curiæ dicta fuere: quorum tamen nullus erat vſus in ſacris Baſilicis.

Verè igitur, ac propriè Breuiarium Romanum ante reformationem dicebatur illud, cuius vſus erat in Baſilicis Lateranenſi, S. Petri, & alijs Vrbis nobilioribus Eccleſijs, cuius Breuiarij formam, & ritum fel. record. Pius Quintus (veti-

tis quibuſcumque alijs Breuiarijs, & illorum vſu ſublato tam A
in Eccleſiis, quam extra penes quoſcumque exiſterent) iam
penè extinctam reuocauit, feliciterq; inſtaurauit. de quo
ipſe in litteris Apoſtolicis Breuiario præfixis: *Nos ita diuina diſponente clementia, licet immeriti ad Apoſtolatus apicem aſſumpti, cum ſacrum opus, ideſt Breuiarium adhibitis etiam ad illud alijs peritis iuris, maximè vrgeremus; magna in nos Dei benignitate (ſic enim accepimus) Romanum hoc Breuiarium vidimus abſolutum. Cuius ratione diſpoſitionis ab illis ipſis,* B *qui negotio præpoſiti fuerant, non ſemel cognita, cum intelligeremus eos in rei confectione ab antiquis Breuiarijs nobiliorum Vrbis Eccleſiarum, ac noſtræ Vaticanæ Bibliothecæ non deceſſiſſe, graueſque propterea aliquot eo in genere ſcriptores ſecutos eſſe, ac denique remotis ijs, quæ aliena, & incerta eſſent, de propria forma veteris diuini officij nihil omiſiſſe; opus probauimus, & Romæ imprimi, impreſſumq; diuulgari iuſſimus.*
Ex quibus patet, Breuiarium Romanum verum, fuiſſe ante C
reformationem, non quodcunque quod eo titulo inſcribebatur, vel quod dicebatur Breuiarium ſecundum conſuetudinem Romanæ Curiæ; ſed illud tantum, cuius vſus erat in nobilioribus Vrbis Baſilicis.

Notandum inſuper, ex inſtituto aliquarum Religionum præſertim Monachorum, atque etiam Fratrum Prædicatorum, nomina quidem nonnullorum ſeruorum Dei tam canonizatorum, quàm non canonizatorum in Kalendario D
Breuiariis affixo deſcripta eſſe, quorum tamen acta non leguntur in officio, nec in corpore ipſius Breuiarii inſerta habentur: ſed ad commemorationem tantum prædicti Dei ſerui in Kalendario ſcriptum habetur: *Sancti N. memoria.* quo ſignificatur, in officio illius diei faciendam tantum eſſe commemorationem de illo Dei ſeruo, recitando nimirum antiphonam, cum verſiculo, & collecta. Hanc ipſam formam

reti-

A retinebant olim breuiaria Carmelitarum, & hodie etiamnum ſeruant Carthuſiani, Benedictini, & alii Monachi.

Sed ad quæſtionem hoc capite propoſitam tandem deueniamus. Ad quam dico primo: ex nominibus inſertis Breuiario particularium Eccleſiarum, & Religionum, in quibus acta ſeruorum Dei non beatificatorum leguntur, aliquod quidem ſanctitatis argumentum hauriri poſſe ad effectum beatificationis, & canonizationis, non tamen om-
B ninò validum, niſi adſit ſpeciale aliquod Sanctæ Sedis, vel Sacr. Congregationis decretum. Tripliciter autem contingere poteſt nomen alicuius Dei ſerui in Breuiario inſeri; nimirum vel ex auctoritate Sacræ Rituum Congregationis in ſpecie: vel ex eadem in genere; vel abſque Sanctæ Sedis auctoritate. Patres Carmelitani Diſcalceati habent quidem conceſſionem à Sacr. Rituum Congregatione ricitandi officia nonnullorum ſeruorum Dei, qui longè poſt tempora
C Alexandri Tertii diem obierunt, & nunquam ab Eccleſia beatificati fuerunt, quæ conceſsio eſt generalis. data ſcilicet idcirco, quod prædicti Patres antequam Breuiarium Romanum admitterent, ſe illa recitare conſueuiſſe aſſeuerarent. Pari ratione in pluribus Eccleſiis Cathedralibus acta nonnullorum ſeruorum Dei leguntur, qui tamen ab Eccleſia Romana nec beatificati, nec canonizati fuere. Ab huiuſmodi igitur actis, quę in prædictis Breuiariis leguntur, dixi-
D mus aliquod ſanctitatis argumentum hauriri, ſed non plenum, & omninò efficaciſsimum ad effectum canonizationis. quia actorum plena probatio in Eccleſia Romana de aliquo Dei ſeruo non habetur, niſi poſt canonizationem, & ſemiplenè tantum cum beatificationis priuilegium ad honorem alicuius à ſancta Sede donatur. Ad ſolum enim Summum Pontificem ſpectat, ac ad Sacr. Rituum Congregationem ex auctoritate Sum. Pont. & non ad alios, aliquem de-

functum fidelibus colendum, atque imitandum pręponere, vt conſtat ex cap. *Audiuimus*. de Reliq. & vener. ſanctor. Congregatio autem Sacrorum Rituum non beatificat, aut beatum dicit: ſed poſtquam pluribus vicibus in vnum conueniens locum, acta alicuius ſerui Dei ex ſpeciali reſcripto Rom. Pontificis diligenter excuſsit, & examinauit; ſi eadem probauerit, exponit votum ſuum Summo Pont. acta nimirum cenſeri ſibi plenè probata, ac proinde poſſe beatificari, ſi videbitur Sanctitati ſuę. Ac tum Pontifex, ſi ita videtur, recitari officium in aliqua Eccleſia de illo, & Beatum appellari poſſe, indulget; ſed non acta illius probat. Et ideo non eſt vltimum ac ſupremum decretum in canonizationis actu illud, quo conceditur vt alicuius etiam beatificati acta legantur in Eccleſia, aut fidelibus proponantur: aliud enim eſt concedere vt legantur, aliud eſt approbare quæ leguntur. Sacra quidem Rituum Congregatio aliquas lectiones, vel etiam Officium interdum ad honorem alicuius Dei ſerui recitari conceſſit, abſque eo quod omnia ac ſingula quæ in eis continebantur, plenè comprobaret. Ideoque huiuſmodi decretis hæc verba addi conſueuerunt: *Sac. Congregatio referente Domino Cardinali N. praedictas lectiones approbauit, & conceſſit, vt recitentur &c.* licet in nouiſſimis Decretis remota dictione, *approbauit*, tantum apponatur *concedit*. Quod autem non probentur abſolutè omnia quæ in lectionibus iſtis continentur, ex eo conſtat, quod multoties permutatæ ſunt, & correctæ in ipſo Breuiario Romano, vt ex Breuiario Pij Quinti, & correctione facta ſub Clemente Octauo, ac nouiſſimè ſub S. D. N. Vrbano Octauo certo conſtat. Quia vero Romana Eccleſia non conſueuit concedere lectiones de geſtis alicuius Dei ſerui in eccleſijs legendas, niſi fuerit vel beatificatus, vel canonizatus, vel iam olim probatus in Eccleſia; propterea ſiquæ lectiones afferantur

A rantur de actis alicuius non beatificati, ſurreptitiæ cenſeri debent, & tanquam non conceſſæ: quia ſi aduertiſſet, & ſciuiſſet Sacr. Congregatio talem Dei ſeruum non fuiſſe beatificatum, idque oratores narraſſent, ſicuti narrare tenebantur; lectiones nequaquam approbaſſet, nec recitari conceſſiſſet. ac proinde ex talibus actis nullum licet ſumere argumentum efficax ad effectum beatificationis, & canonizationis.

B Sed neque ex Breuiario Romano veteri, vt ita appellemus, neque ex actibus, & lectionibus eidem Breuiario inſertis ſatis efficax, & validum ſumitur argumentum ad effectum canonizationis. Dixi ad effectum canonizationis, non autem beatificationis, quia in Romano Breuiario nec olim inſerebantur Dei ſerui, qui non fuiſſent iam beatificati, & vt canonizati ab Eccleſia recepti. illud tamen argumentum nequaquam irrefragabile, & omninò inconcuſſum cenſeri C debere planè conſtat, nō ſolum ex ipſa diuerſitate actorum, quæ in Romanis prædictis Breuiarijs tam manuſcriptis, quā editis ante Pij Quinti reſtitutionem, leguntur: ſed etiam quia prædicta omnia Breuiaria, & alia, quæ conſtituta, & ordinata, atque decreta fuerant in diuerſis Eccleſijs, ac ſub titulo Breuiarij Romani recepta; vigore allatæ conſtitutionis Pij quinti, ſublata fuerunt. ac proindè quæ ex actis ſeruorum Dei in illis legebantur, reiecta, reprobata, & veluti D apocrapha damnata cenſeri debent, ac propterea nullum ſumi poterit ex illis Breuiarijs efficax argumentum ſanctitatis ad effectum canonizationis.

Remanet igitur, argumentum validum, & omninò efficax ad effectum ſolemnis canonizationis tantum ſumi poſſe ex actibus alicuius Dei ſerui in Romano Breuiario reformato inſertis; in quo hodie continentur quatuor nondum ab Eccleſia ſolemniter canonizati. Quorum vnus eſt S. Ro-

muualdus fundator Ordinis Camaldulenſium, cuius dies feſtus, & acta de mandato Clementis Octaui Romano breuiario ſub die ſeptima Februarij inſerta fuere. Nunquam enim ſolemni ritu canonizatum fuiſſe conſtat, ſed tantum iam olim conceſſum legimus, vt ſupra eius ſepulchrum ſacrum Miſſæ ſacrificium licitè celebraretur. & quamuis Baronius genus quoddam canonizationis illius ſæculi, conceſſionem huiuſmodi extitiſſe dicat; rectius tamen dixiſſet, fuiſſe genus Beatificationis, vt ſuo loco probabitur. Alter eſt S. Norbertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Primas Germaniæ, & præclariſſimi Ordinis Præmonſtratenſis fundator, cum tamen nunquam canonizatus extiterit, vt in eius actis adnotarunt Molanus, & alij. Tertius eſt S. Bruno Carthuſianorum inſtitutor, cuius nomen, & acta nouiſſimè Breuiario Romano inſerta fuerunt ex Decreto fel. rec. Gregorij XV. cum tamen ne quidem ex Surio, eius inſtituti, quidquã habeatur de ſolemni eius canonizatione, niſi quoddam Decretum Leonis Decimi, quo concedebatur, vt ad eius ſepulchrum ſacrum Miſſæ ſacrificium celebraretur, quam conceſſionem canonizationem appellat Surius. cum tamen cõceſſionis priuilegium nõ habeatur, nec Religioſi eius inſtituti Officium aliquod ad eius honorẽ recitauerint, donec illius nomen Romano Breuiario adſcriptum agnouerunt. Quarto loco eſt Sanctus Stephanus Rex Hungariæ, nouiſſimè Breuiario inſertus ſub die vigeſima Auguſti. Si igitur de horum canonizatione agendum foret, maximum, ac præſtantiſſimum argumentum ad illud ſolemne iudicium ex eo ſumeretur, quod illorum nomina, & acta Breuiario, ac Calendario Romano ex Decretis Summorum Pontif. fuerint inſerta, & de illis diuinum officium in Romana Eccleſia recitetur.

A

B

C

D

Quod autem præſtantiſſimum ab auctoritate Romani

Breuia-

A Breuiarij ſumatur argumentum inde liquet, quia ex beatificatione ſeruorum Dei probata, præſtantiſſimum ſanctitatis argumentum ſumitur ad effectum canonizationis. cū in Romano Breuiario non inſerantur acta ſeruorum Dei, niſi fuerint iam olim ab Eccleſia ſolemniter beatificati, & taliter recepti, ac ſi iam canonizati ſolemniter extitiſſent. Non procedit autem Romana Eccleſia ad beatificationem alicuius Dei ſerui per ordinem ad canonizationem, niſi prius

B diligentiſſimè, ac rigoroſiſsimè acta eiuſdem excuſſerit expenderitq; cap. *Venerabili*, de teſt. & atteſt. quod teſtantur inſuper clariſsimè ipſæ Summorum Pont. litteræ latæ in Sanctorum canonizationibus, & Doctores in cap. *Audiuimus*. de Reliq. & vener. Sanctorum. Videatur præcipuè Hoſtienſis, Abbas, & reliqui, qui de Sanctorum canonizatione tractant, atque hanc Eccleſiæ diligentiam pluribus latiſsimèque oſtendunt.

C Turbabit fortaſſe aliquem indultum Sedis Apoſtolicæ, vel conſuetudo nonnullarum Eccleſiarum ad honorem alicuius Dei ſerui recitandi Horas Canonicas, vnde ille iam cenſeatur fidelibus propoſitus ad imitandum: ac proindè ex quibuſcunque Breuiarijs argumentum validum ſumi ad effectum canonizationis exiſtimabit. Ex quo contingere aliquando poſſet, vt is publicè pro Sancto inuocaretur, qui nihil minus quam Sanctus eſſet, & fortaſsis ex reproborum

D numero. Verum nullum eſt incommodum, quod id contingere queat in particularibus Eccleſijs, aut aliquādo contigerit. nec enim vniuerſalis Eccleſiæ nomine inuocantur, niſi qui canonizati exiſtunt, & in Romana inuocantur Eccleſia. Nam licet, dum ex auctoritate Romanæ Sedis aliquibus indulgetur, vt aliquem Sanctum colere poſsint, piè credendum ſit Summum Pontif. non errare, propter diligentias, quas in his cauſis adhibere ſolet; cum tamen errare

poſſe

poſſe in conceſsione Priuilegiorum certum cum ſit, certum A
quoque eſſet fruſtra illum conceſsiſſe tale priuilegium in
caſu ſuppoſito. non tamen ſequetur illico, errare in beatifica-
tione. tum quia (vt dicunt Dialectici) à poſsibili ad actum
non valet conſequentia: tum quia Pontifex in conceſsione
Priuilegij, vt aliquis ab alijs inuocetur, aut Beatus dica-
tur, neque inuocat, neque colit, neque affirmat prædictum
eſſe Beatum. aliud enim eſt inuocare aliquem Dei famulum
in recitatione horarum Canonicarum, & in ſacra liturgia B
ex definitione Sanctæ Sedis, & Romanæ Eccleſiæ; aliud ve-
rò inuocare eumdem ex eiuſmdem Sedis Priuilegio, & ſpe-
ciali conceſsione. Certitudo enim fidei de alicuius Dei ſerui
gloria, in priori genere inuocationis conſiſtit, non autem in
poſteriori, in qua pia tantum credulitas fidelium eſt poſita:
quod ſcilicet Dei ſeruus, qui ſic nominatur & inuocatur,
Dei viſione fruatur. non enim in beatificatione Papa cum
aliquem beatitatis titulo condecorat, Sanctum, aut Bea- C
tum eſſe effirmat, aut quod exiſtat in gloria; ſed quia pe-
titores Priuilegij. illud ſe credere teſtantur; & quia quamuis
hoc credant, non tamen licitum eſt illis publicè eumdem
inuocare ſine culpa ſuperſtitionis; Pontifex ab eis rogatus
ſpeciali ex Priuilegio concedit, & indulget, vt liceat illis im-
punè Beatum dicere, & cultu Sanctorum inuocare ſine
nota ſuperſtitionis, in quam alias incurrerent, & caſtigandi
forent exteriori animaduerſione per miniſtros Eccleſiæ ſi D
aliquem defunctum ſine Priuilegio Sedis Apoſtolicæ cultu
Sanctorum proſequi auderent.

Nec aliquem turbet, quod nonnullorum ſeruorum Dei acta in alijs etiam Breuiarijs legantur, tanquam fidelibus ad imitandum propoſita: ideoque ipſa Breuiaria ab Hiſtoricis, Baronio præſertim, frequentiſsimè ad probandam alicuius ſanctitatem, adferri, ſiue citari ſoleant. Nam Breuiaria om-

A nia à Romano diuerſa, non ſunt eiuſdem cum Romano au-ctoritatis. Hiſtoricis autem ſufficit varia attuliſſe veroſimilia argumenta ad probandum ea, quæ referunt, ac propterea ad probandum ſanctitatem alicuius Dei ſerui, varia, & di-uerſa aliquando Breuiaria afferunt, Toletanum videlicet, Bracharenſe, Ambroſianum, vel aliud ſimile. Sed aliud eſt Hiſtorias conſcribere (in quibus Auctor ea ſcribit, quæ ſuo iudicio vera exiſtimat, quæ non aliam habent auctoritatem,
B niſi quam ab ipſo auctore accipiunt) aliud vero agere de ca-nonizatione ſeruorum Dei, in qua ſolemnitate Summus Pontifex, vt ſupremum caput Eccleſiæ, ſummum iudicium exercet. ac proinde quamuis in conſcribendis Hiſtorijs San-ctorum, liceat ſcriptori teſtimonia ſumere ex his, vel illis Breuiarijs, quarumcunque Eccleſiarum, quũ ad Hiſtoriam ſufficiant argumenta probabilia; non ideo idem licitum eſt in canonizatione Sanctorum, ad quam non ſufficit pro-
C baſſe alicuius acta argumento probabili, ſed requiruntur ar-gumenta fortiſsima, ac pluſquam Hectorea. Propterea dici-mus non ex quibuſcumque Breuiarijs, ſed tantum ex Breuia-rio Romano præſtantiſsimum argumentum hauriri ad effe-ctum canonizatinnis. Et quamuis in Canonizatione ſeruo-rum Dei, hi ipſi proponantur imitandi; idipſum tamen in Beati ficationibus non conceditur, etiam reſpectu particula-ris alicuius Eccleſiæ. Imo ex ſtylo hodierno Sacr. Congre-
D gationis, vt diximus, lectiones legendæ inter diuina officia de actis ſeruorum Dei, qui honore beatificationis tantum ſint condecorati, non conceduntur: vti nec hymni, nec an-tiphonæ, nec orationes propriæ. Vbi verò aliquod horum in aliquibus particulariũ Eccleſiarum officijs reperietur; ſu-ſpecta omninò ſunt, & veluti ex propria auctoritate inſerta, vel vt ſubreptitia, & extorta cenſeri debent. Nec enim ſunt omnino idem, concedere recitationem Horarum Canoni-

carum,

carum, ac inſerere acta alicuius in Breuiario. primum nam- A
que in beatificatione ſeruorum Dei ſpeciali ex priuilegio ali-
quando conceditur, poſtremum verò nequaquam. Quod
ſi alicui in Breuiario Romano conceſſum habeatur (vt dixi-
mus contigiſſe SS. Romualdo, Norberto, Brunoni, & Ste-
phano Regi Hungariæ) ideo conceſſum fuit, quia prædicti
Dei ſerui in eo gradu ſanctitatis recepti ſunt ab Eccleſia, ex
fidelium omnium communi conſenſu, vt pro canonizatis
habeantur. Deinde quamuis certum ſit Summum Pontif. B
Chriſti Vicarium infallibilitatem in canonizatione Sancto-
rum habere, quia in illo actu, vt Iudex vniuerſalis Eccleſiæ,
& eiuſdem caput procedit, ſententiam dicens, alicui decer-
nendo cultum qui Sanctis debetur; non tamen habet eam-
dem infallibilitatem in deſcribendo Dei ſeruos in Breuiario,
neque in approbando lectiones de actis ipſorum, vel ipſa-
rum legendas. In his enim Hiſtoriæ inſiſtitur, in qua error
contingere poteſt. Quamobrem apud me ſtylus quorum- C
dam Breuiariorum ſemper probatus extitit, quæ emana-
runt ſtatim ab ipſo reformationis exordio ſub Pio Quinto, in
quibus Auctores Hiſtoriarum in principio lectionum ad-
notabantur, ex quibus lectiones deſumptæ fuerant: ita vt
nullam aliam auctoritatem obtinerent acta illa, vel
Hiſtoriæ Breuiario inſertæ, quam habeant
in ipſis Auctorum ſuorum
auctogra- D
phis.

CAP.

A
CAP. II.

Quodnam argumentum ſanctitatis ad effectum Canonizationis hauriatur ex Calendarijs.

CALENDARIVM dici à Calendarum voca-
B bulo, quo cuiuſque menſis dies primus appellatur, nota res eſt. illo enim die apud Romanos populus conueniebat; & à Pontifice dies faſti ac nefaſti, feriati & non feriati indicabantur, quæque eo menſe ſacra & cæremoniæ peragendæ forent, omnibus declarabatur. de quo Macrob. lib. 1. Saturnal. *Priſcis*, inquit, *temporibus, antequam faſti à Cneo Flauio ſcriba inuitis Patribus in omnium notitiam proderentur,*
C *Pontifici minori hæc prouincia delegabatur, vt nouæ Lunæ primum obſeruaret aſpectum, viſumque Regi ſacrificulo nunciaret. Itaque ſacrificio à Rege, & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex, calata, id eſt, vocata in Capitolio plebe, quotquot numero dies à Calendis ad Nonas ſupereſſent pronunciabat, & quintanas quidem quinquies dicto verbo, calo, ſeptimanas repetito ſepties. & hunc diem qui ex his diebus qui calarentur primus eſſet, placuit Calendas vocari.*

D Calendarium igitur hic ſumimus pro libro, ſiue indice, quo totius anni menſes deſcripti habentur, & qui in quoque menſe dies feſti, aut alicuius Sancti vel rei ſacræ commemoratione inſignes, adnotari ſolent. & quia Calendarium præcipue diſponitur, & ordinatur ad recitationem Horarum Canonicarum iuxta rubricas Breuiarij, propterea quorumcumque ſeruorum Dei nomina in Calendarijs reponuntur, eorum ex more vſitato in recitatione quoque Horarum

Ca-

Canonicarum ratio haberi conſueuit: quamobrem licet de Calendarijs in vniuerſum nobis loquendum ſit, præcipua tamen difficultas verſatur circa illa, quæ Breuiarijs præponuntur. A

Verum ne præſentis capituli tractationem aliquis ambiguitatis ſcrupulus moretur, aut perturbet: aduertendum prius erit apud fideles in Eccleſia tot haberi calendaria quot genera librorum ad vſum precum habentur, atque etiam quot ſunt Typographi qui prædictos libros, aut etiam chartulas ad motum lunarem directas venales publicè exponũt. B Cum enim vnumquodque regnum, & prouincia Chriſtiani orbis, vnaquæque Cathedralis, aut collegiata, vnuſquiſque Religioſorum cœtus, non ſolum habeant proprios Sanctos, & Patronos canonizatos, ſed etiam alios non canonizatos, atque interdum etiam non beatificatos, quorum feſta, vel ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, vel ex conſuetudine, vel etiam abuſu ab ipſis celebrantur; ſit, vt non ſolum C canonizatorum, atque ab Eccleſia probatorum, verum etiam non canonizatorum, nec beatificatorum nomina in eorum Calendarijs conſcripta videantur. Quamobrem quot ſunt genera Breuiariorum, Miſſalium, Ritualium, & rituum tam in recitatione Horarum Canonicarum, quàm in celebratione Miſſarum, tot ſunt diuerſitates Calendariorum. adeo vt iam Breuiarium, & Calendarium Romanum non ſolum à Calendario, Breuiario, & Miſſali Mediolanenſi, Toletano, Pariſienſi, Aquiſgranenſi, Colonienſi, Viennenſi, D Pragenſi, & alijs diſcrepet; verum etiam quilibet Typographus, dum Officium paruum B. Mariæ Virginis, vel libros precum, vel acta Sanctorum, vel curſus lunaris obſeruationes per anni circulum prælo expreſſa publico committit, in eiſdem illorum ſeruorum Dei nomina adſcribat quæ in his locis celebrantur in quibus Calendarium illud impreſſum

A preſſum fuerit, vel quæ ipſe Typographus arbitratu ſuo addenda duxerit. vt propterea in tanta locorum diuerſitate, librorum varietate, Typographorum licentia, plurimorum ſeruorum Dei nomina inducantur Romanæ Eccleſiæ omnino ignota.

Ex Calendarijs igitur quocunque modo impreſſis ſiue ſeorſim, ſiue in libris precum, aut in actis Sanctorum ex priuata auctoritate librariorum, quamuis Superiorum auB ctoritate impreſſa dicantur; nullum tamen hauriri poterit argumentum ad effectum beatificationis, & canonizationis. Eſt enim genus quoddam cultus, & venerationis; conſcribere alicuius nomen inter Sanctos, ſiue, cum titulo ſanctitatis Apoſtolis, Martyribus, alijsque verè ſanctis Dei famulis accenſere. Id autem per cap. *Audiuimus*. de Reliq. & vener. Sanctor. ſoliús eſt Sedis Apoſtolicæ, non autem priuatæ, ac potiſsimum laicæ auctoritatis.

C Deinde valet hic ratio toties repetita, quod ad beatificationem, & canonizationem argumenta valida à virtutibus in gradu heroico, & à miraculis examinatis, ac probatis Eccleſiæ iudicio, haurienda ſint. quæ in Calendarijs, cuiuſcunque generis illa ſint, profecto minime haberi conſtat, ſed nuda defunctorum nomina, priuati ſæpe alicuius, atque indocti arbitrio adpoſita. ac proinde ex prædictis calendarijs nullum poterit hauriri, non ſolum ſolidum argumentum;
D ſed, nec indicium, ſiue coniectura aliqua ſanctitatis ad effectum canonizationis, aut beatificationis.

Ex libris enim, & tabulis, quæ dubiæ fidei exiſtunt, quod quæſo argumentum, aut indicium, non in hac ſolum materia, ſed in alio quouis negocio ſerio deſumi omnino poteſt? Calendaria autem, de quibus loquimur, dubiæ planè ſunt fidei, quando quæ in eis nomina continentur, apponuntur, ac remouentur, pro diuerſitate locorum, & libitu

Typo-

Typographorum: ijs nempe, quibus librorum edendorum cenſura incumbit, vel non conſultis, vel ad longum taliter imprimendi vſum conniuentibus, vel laborem fugientibus ſingula quæ in iis continentur quãuis longo tempore firmata, examinandi, & accuratè enucleandi. quamquam nulla hic diligentia nimia videri debet. Cum igitur ad effectum beatificationis, & canonizationis præcipua argumenta ſumenda ſint ab actibus virtutum in gradu heroico, & à ſcriptis quæ publicam præſeferant auctoritatem; propterea affirmate dicimus nullum argumentum ex prædictis Calendariis ſumi poſſe. A B

Sed quid dicendum de Calendariis præfixis aliquibus Breuiariis, quorum vſus eſt penes aliquas regiones, & Prouincias, earumq; Cathedrales, ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ? Ego quidem exiſtimo neque ex illis argumentum aliquod validum ad iuridicos actus beatificationis, & canonizationis deſumi poſſe. In his enim Calendariis præſertim extra Italiam, & Romam impreſſis, nonnulli aliquando inter Sanctos receſentur, quibus in Miſſali, vel Breuiario, neque Collectam, neque Lectiones, neque aliud quidqiam correſpondere reperiemus. Vnde qua occaſione, vel cauſa nomen illud, quaue auctoritate his Calendariis inſertum fuerit, omnino ignoratur. Diſpoſitio enim Calendarii ad recitationem Horarum Canonicarum, ac Miſſæ celebrationem dirigitur. Cum igitur neque in Miſſa, neque in recitatione Horarum Canonicarum aliquid prædicto nomini in Calendario conſcripto reſpondeat; omnino temerè, nulloque conſilio appoſitum fuiſſe videtur, ac proinde eo in numero habendum, ac ſi omnino Calendario appoſitum non fuiſſet. nàm quamuis Sedes Apoſtolica prædictis Religionibus, ac Monaſteriis quibuſdam ritum ſpecialem diuini Officii recitandi conceſſerit; non continuò omnia, & ſingula C D

quæ

A quæ in illis Calendarijs ſunt ſcripta confirmat. ac proinde ex prædictis Calendarijs nudè conſideratis perſpicuum eſt nullum poſſe argumentum hauriri ad effectum canonizationis, aut beatificationis. Ex Calendarijs verò præfixis Miſſalibus, ac Breuiarijs Romanis ante correctionem, & reformationem eorumdem factam per ſanctæ memoriæ S.D.N. Pium Quintum; aliquod quidem videtur ſumi poſſe argumentum; ſatis tamen debile, ac leue. tùm ob rationem com-
B munem, quia ſcilicet ex ſolis Calendarijs nullius acta, & miracula probantur: tum etiam, quia prædicta Calendaria parum exacta & mirè perturbata in Breuiarijs atque etiam Miſſalibus impreſsis ante prædictam reformationem videntur: taliter, vt in corpore eorumdem Miſſalium atque Breuiariorum inter Sanctos quos colit, & approbat Romana Eccleſia, habeantur aliqui qui nec fuerant canonizati, nec aliquo genere cultus in Eccleſia Romana digni iudicati. Vt vero ven-
C dibiliora prædicta Miſſalia, & Breuiaria redderentur, Typographi ipſi in idem Miſſalium corpus varias Miſſas inſerebant, quas in certis prouincijs tantum tolerabat Eccleſia, non vero approbabat. Vnde apertè conſtat nullum, aut leue ex Calendarijs quæ his Miſſalibus, aut Breuiarijs (nam eadem vtrobique eſt ratio) præmittuntur, deſumi ſanctitatis argumentum.

Dixi: *aut leue*. quia quamuis Calendaria de quibus lo-
D quimur nullius ſint auctoritatis; ex illis nihilominus ſaltem colligi videtur prædictos Dei ſeruos qui in eis conſcribuntur, apud aliquas Eccleſias in alicuius ſanctitatis opinione, ac fama extitiſſe. & quia fama ſanctitatis quantumuis remota ſubminiſtrat aliquale ſanctitatis argumentum; poterunt & hæc Calendaria, coniuncta nimirum alijs efficacioribus notis, aliquid conferre ad probandam alicuius ſanctitatem in ordine ad beatificationem, vel canonizationem.

Alia ſunt Calendaria, Breuiarijs ac Miſſalibus præmiſſa, A
quæ teſtimonia alicuius eccleſiaſticæ facultatis præferunt. qualia ſunt Calendaria particularium Eccleſiarum, & Religionum: quæ vel Epiſcopali auctoritate edita ac publicata ſunt, aut alterius alicuius ſuperioris habentis auctoritatem quaſi Epiſcopalem. Ex quibus pariter argumentum aliquod, ſed leue deſumi aſſero ad beatificationis, vel canonizationis effectum. & ratio eſt quia Epiſcopis, ac quibuſcumque alijs quauis dignitate fulgentibus, nulla ineſt auctoritas circa cul- B
tum, aut venerationem publicam decernendum, aut inſerendum in Calendario, aut Breuiario nomen alicuius cum quantauis ſanctitatis opinione defuncti, abſque Sedis Apoſtolicæ, & Romani Pontificis auctoritate, vt manifeſtum ex cap. *Audiuimus*. de Reliq. & vener. Sanct. dicit enim Pontifex in eo capitulo nemini licere aliquem pro Sancto venerari, etiam ſi per eum miracula fierent, abſque eiuſdem Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Nam nomen alicuius inter C
alios Sanctos reponere, eſt quædam veluti canonizatio. Canonizatio autem propriè dicta, actus eſt iuridicus ſolius primæ Sedis, nimirum Romanæ Eccleſiæ. & Beatificatio licet fiat à Pontifice per aliquod priuilegium, ad eam tamen non procedit Pontifex niſi poſt fabricatum proceſſum iuridicum in quo acta, & geſta ſerui Dei beatificandi examinantur. Quamobrem tam canonizatio, quam beatificatio inniti debet iuridicis actibus, non autem his qui nullam iuris ſpe- D
ciem præſeferunt, qualis eſt deſcriptio nominis alicuius defuncti in Calendario inter Sanctos. Igitur nullum efficax argumentum ad effectum canonizationis, vel beatificationis deſumitur ab eo, quod nomen alicuius in Calendarijs conſcriptum ſit ex ſolius Epiſcopi alicuius auctoritate, aut alicuius Superioris habentis auctoritatem quaſi Epiſcopalem; eſt enim actio omnino illicita, adeoq; irrita & inualida.

Dicet

A Dicet fortaſſe aliquis. acta Epiſcopalia ſubminiſtrant Sedi Apoſtolicæ ſuſpicionem aliquam: igitur & hæc nominis in Calendario repoſitio, tanquam actus Epiſcopalis, idem efficiet in præſenti materia. Reſpondeo duplicem haberi poſſe ſuſpicionem, ſiue, vt quidam appellant, fumum ſanctitatis ad effectum beatificationis, & canonizationis, iuridicum nimirum, & non iuridicum. iuridicus cuiuſcunque cauſæ dicitur, qui ex ſcripturis, & inſtrumentis iuridicis, & ex actibus B iuridicè comprobatis, ac conteſtatis hauritur. exempli gratia. aliquis reperit in aliquo teſtamento Titium debere ſibi centum aureos, quia ſic teſtator depoſuit in teſtamento. reperit quoque inter ſcripturas teſtatoris apocham obligationis iuridicè factam, in qua Titius ſe obligabat ad prædictam ſummam pecuniæ ſoluendam, ſeq; illam debere affirmabat. reperit nonnullos teſtes quos iuridicè examinare facit ad perpetuam rei memoriam: vel intra ſcripta teſtatoris C reperit ſimile examen. res abierit in obliuionem. poſtquam tamen hæres habuerit prædictas ſcripturas, fumum iuridicum habuiſſe dicetur, quod Titius debeat ſibi centum aureos. fumus autem non iuridicus, exurgit ex dicto aliquorum non iuridicè interrogatorum, vel ex ſchedis, aut apochis nullo iure probatis. qualis eſt qui ex ſola fama exurgit. Concedimus igitur aliquem quidem fumum ſanctitatis hauriri ad fauorem alicuius, cuius nomen deſcriptum exiſtat in D calendario ex auctoritate Epiſcopi, vel alterius Superioris habentis auctoritatem quaſi Epiſcopalem. is tamen fumus iuridicus non dicetur, ac proinde neque ſufficiens ad eum quem quærimus effectum. Quamuis igitur Sedes Apoſtolica remotè moueri poſſet ad inquirendum acta alicuius deſcripti in Calendarijs de quibus loquimur; non tamen inde argumentum aliquod efficax hauriri poterit.

Nec aliquem decipiat argumentum ſumptum à bea-

tificationem. quæ cum ex praxi Romanæ Eccleſiæ coniuncta ſit atque annexa recitationi Horarum canonicarum, ac propterea conſcriptioni eiuſdem in Calendario; aliquis inde colligere vellet, ex deſcriptione in Calendario quemadmodum ex beatificatione, validum hauriri argumentum ad effectum canonizationis. Verum non ſunt eiuſdem ponderis beatificatio, & deſcriptio alicuius in calendario, de quo nihil eſt curæ Summo Pontifici, neque Romanæ Sedi. A
Quamuis namque aliquod ſanctitatis argumentum hauriatur ex conſcriptione alicuius Dei ſerui in Romanæ Eccleſiæ, vel in aliquo alio calendario ex Romanæ Eccleſiæ auctoritate; non tamen ex eo, quod aliquis ſimpliciter in Calendario fuerit conſcriptus (non diſtinguendo quale illud ſit, aut qua auctoritate impreſſum ſit) illico ſanctitatis argumentum ſumere licet. Solius enim Romanę eſt Eccleſiæ, de cultu, ac veneratione defunctis exhibenda ſtatuere. B

C

CAP. III.

Quid Martyrologij vocabulo ſignificetur. Dequè varijs Martyrologiorum ſcriptoribus.

MARTYROLOGIVM à Martyribus ... ſumpſit, idemque valet, quod ſerm... liber, in quo de martyribus agitur. ... uis interim in libris hoc titulo inſign... torum quoque Confeſſorum nomi... pta videamus. ideo ſcilicet, quia iam inde ab e... ſcentis Eccleſiæ, martyrij, & confeſsionis vo... fundebantur: tum etiam, quia confeſſores fi... carceres vincti pro Chriſto vita exceſſiſſent... D

A ctorum Catalogo reponebantur, inter Martyrum memorias deſcribi dicebantur, teſte S. Cypriano epiſt. 60. Manet igitur martyrologij nomen, licet in eo conſcripti legantur non pauci, qui ante acceptam martyrij palmam, vel in ipſis carceribus, vel extra illos, diem obierunt: ſumpta denominatione à præſtantiori ſubiecto.

Hic verò mihi ſtatim ipſo in limine quædam occurrunt, vnde ſuſpicari poſſe videmur, Martyrologij vocabulum
B olim laxius accipi ſolitum, quam nunc ſumatur, ita vt calendaria, in quibus adnotantur feſta de quibus peragendum eſt officium, martyrologia olim dicerentur. nam vetus illud martyrologium Romanum apud Adonem, quod nuper prodijt cum inſcriptione martyrologij, ex manuſcripto codice opera Heriberti Rozueidi; calendarij magis, quam martyrologij rationem habet. Primùm, quia quotquot in eo ſerui Dei annotantur per menſes, ac dies totius anni di-
C ſtributi; fere omnes abſque titulo Sancti, aut Beati nominantur: qui ſtylus eſt calendarij Romani, vt videre eſt in omnibus calendarijs, Breuiario, ac Miſſali præfixis, tam antiquis, quam recentioribus. Præterea cum calendarij diſpoſitio reſpiciat h[illegible]um canonicarum recitationem, propte-[illegible]bus ſi[illegible]n omnes martyres, & confeſſores no-[illegible]ur, [illegible]iem mo[illegible] vel inſigni aliquo fa-[illegible]ebre[illegible]runt; [illegible]tum, de quibus eo die [illegible]endu[illegible]cium [illegible]is diebus quibus fit of-[illegible]de [illegible]ius S[illegible]n adſcriptum videatur. [illegible] m[illegible], non ſemper martyrum [illegible]d c[illegible] etiam, atque interdum [illegible]de [illegible]ie Eccleſia Romana offi-[illegible] menſibus aliquis dies va-[illegible]etur, quia ſcilicét ad con-[illegible] Eccleſiæ, eo die, non qui-

dem de aliquo Sancto,ſed de feria recitabatur officium. Sed A
hæc accuratius examinanda me doctioribus relinquo.

Exiſtimat vero Roſvveydus de hoc ipſo martyrologio (quod vna cum altero ipſius Adonis, ſub titulo veteris Romani martyrologij publicauit) loqui S. Gregorium lib. 2. epiſt. 9. ind. 1. quæ eſt ad Eulogium Epiſc. in hæc verba: *Nos penè omnium martyrum, diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus, collecta in vno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Miſſarum ſolemnia agimus:* B *non tamen in eodem volumine, quis qualiter ſit paſſus indicatur, ſed tantummodo locus & dies paſſionis ponitur. Vnde fit, vt multi ex diuerſis terris atque prouincijs per dies, vt prædixi, ſingulos cognoſcantur martyrio coronati. Sed hæc habere vos Beatiſſimos credimus.* Hæc Gregorius. quem quidem de Romano veteri martyrologio loquutum non dubito; at illud fuiſſe idem, quod nunc opera Roſvveydi lucem vidit, multum ambigo. Mouent me iam allata Grego- C rij verba, quibus diſertè affirmat in ſuo illo martyrologio, *penè omnium martyrum nomina* haberi. At in hoc veteri Romano martyrologio quod opera Roſvveydi prodijt, plane conſtat nec minimam haberi eorum partem, qui diuerſis in regionibus vſque ad ea tempora pro Chriſto ſanguinē cum vita fuderant: vt ex actis Sāctorum, & Romano martyrologio quo Romana hodie Eccleſia vtitur, perſpicuum eſt. Neque iuuat, ſi Gregorium loquutum dixeris de martyribus D tantum qui per Italiam mortem pro Chriſto ſubierant: cum ne horum quidem minima pars in dicto martyrologio contineatur. Denique ſi quis vellet Gregorium in ea epiſtola intelligendum de ijs, qui in Vrbe Roma martyrij palmam aſſecuti ſunt: nihil aget, cùm in eo videamus multos recenſeri, qui non extra Romam ſolum, ſed Italiam quoque, paſſi ſunt. nam ſub die nona Ianuarij, hæc in eo leguntur; *In*

Man-

A *Mauritania Cæſarienſi Macræ Virginis, & Martyris*. ſub decima: *In Cypro Nicanoris de ſeptem Diaconibus*. ſub die vndecima: *Alexandriæ; Confeſſorum Petri, Seueri, Lucij. In Affrica Saluij Martyris*. ſub die duodecima: *Antiochiæ, Satyri Martyris*. Alios plures alijs menſibus inſertos reperies, quos huc adferre ſuperſedeo.

Sed nec omnes qui Romæ mortem pro Chriſto ſubiere in hoc veteri Romano Adonis martyrologio conſcripti le-
B guntur. nam ſub prima die Ianuarij in eo legitur: *Romæ S. Almachij decollati ſub Alipio Vrbis Præfecto, & Sanctæ Martinæ Virginis*. & nihil amplius. Et tamen eo die alios Romę martyres haberi, ex martyrologio quo nunc vtitur Romana Eccleſia perſpicuum eſt, in quo ſic legitur: *Ibidem via Appia coronæ ſanctorum militum triginta Martyrum ſub Diocletiano Imperatore*. Sub die ſecũda, in veteri Romano martyrologio Adonis, nullus recenſetur Romæ martyr: & tamen in Ro-
C mano martyrologio quo nunc vtitur Eccleſia, legitur: *Romæ commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui ſpreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi ſacri codices iubebantur, potius corpora carnificibus quam ſancta dare canibus maluerunt*. totum percurratur Romanum martyrologium, & cum illo veteri Romano Adonis martyrologio conferatur, & ſexcentis plus locis ſimilia in eo occurrent: ex quibus planum eſt, nec omnium martyrum orbis Chriſtiani
D nomina, nec ſolius Italiæ, nec quotquot martyres Romæ pro Chriſto paſſi ſunt, in eo contineri.

Ait præterea Gregorius, in ſuo martyrologio penè omniũ martyrum nomina haberi, *diſtinctis per ſingulos dies paſſionibus*. ita ſcilicet vt nullus ſit dies, qui non alicuius martyris nomine, ac paſsione inſigniatur. Cùm in Adonis illo veteri Romano martyrologio, plurimi occurrant dies, in quibus non ſolum nullus martyr, ſed nec vllus omnino ſanctus

annotatur. Vt die octaua Ianuarij: *Neapoli, Seuerini Confeſſoris Victorini fratris*. neque quidquam habet vltra. Die decimaſeptima: *Apud Thebaidem Antonij Monachi*. Dies 28. Februarij omnino vacat cuiuſuis Sancti nomine. Similiter dies 24. Aprilis. 23. Maij. 15. & 20. Octobris, vt & 16. Nouembris. Vnde non video quo pacto, quod Gregorius de veteri Romano martyrologio dixerat, huic, quod nuper prodijt, adaptari queat. Sed quemadmodum in calendario, illorum tantum nomina ſiue confeſſorum, ſiue martyrum recenſentur, de quibus officium recitatur: ita pariter in eo Adonis, & Roſvveydi martyrologio inſcripta tantum illorum nomina crediderim, de quibus officium recitabatur, atque adeo martyrologij nomen (quod huic libro datum eſt) latius olim patuiſſe, quam nunc ſumatur. A B

Quinam vero libri, martyrologij vocabulo hodie ſignificentur, nulla indiget explicatione. Ii enim tantum libri hoc nomine adpellantur, in quibus martyrum paſsiones breui compendio collectæ recenſentur: dies paſſionis, & loca, tormentorum quoque genera adnotantur. quamuis enim prolixius in aliquibus martyrologiis, quam in alijs, id factum appareat, prout collectoribus, ſiue auctoribus martyrologiorum viſum fuit: ab omnibus tamen martyrologiorum ſcriptoribus ea eſt habita compendij ratio, vt longè ſtrictius martyris paſsio ab ijs pertractata ſit, quam in alio quouis narratiuo ſcribendi genere fieri ſolet. C D

Cæterum obſeruo apud Eccleſiaſticos ſcriptores interdum martyrologij vocabulo libros ſignificari, in quibus acta Sanctorum quomodocumque collecta habentur, ſiue proſa, ſiue carmine; ſiue amplè lateque, ſiue breuiter ac ſuccinctè conſcripta fuerint. Alexander enim Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini Eſſebienſis Monaſterii Prior, teſte catalogo ſcriptorum Brittaniæ, elegiaco metro de Faſtis,

ſiue

A ſiue ſacris diebus, librum vnum ſcripſit, quem Martyrolo-
gium Eſſebienſe nonnulli appellant. Huic annumerant ali-
qui Baptiſtam Mantuanum Carmelitam, qui heroico ſimi-
liter verſu, & Ambroſium Nouidium Ferentinatem, qui
verſu elegiaco, Faſtorum eccleſiaſticorum vterque libros
duodecim conſcripſerũt. Verum hi omnes ad præſens in-
ſtitutum nihil faciunt, quo de germanis tantum martyro-
logiis, quorũ vſus eſt, vel fuit aliquando in aliqua Eccleſia,
B tractamus.

Sunt præterea in manibus hominum libri Sanctorum
acta continentes, in menſes ſingulos diesq; diſtincta: quæ ab
alijs Menologia inſcribuntur, quia ſcilicet in illis per dies
ſingulos cuiuſque menſis Sanctorum natalitia recenſentur.
Alij Hagialogia nominare malunt, hoc eſt libros ſanctos,
quod ſanctorum nomina in his conſcripta legantur. Sed nec
ad noſtrum inſtitutum Menologia, aut Hagiologia priuatos
C auctores agnoſcentia quidquam conducunt, qui Martyrolo-
gia Eccleſiaſtica tantum inquirimus.

Inter Martyrologia autem Eccleſiaſtica primam ſedem
occupat antiquiſſimum illud ab Euſebio Cæſarienſi con-
ſcriptum, cuius meminere fere omnes quotquot de Mar-
tyrologijs egerunt. Euſebio in eandem curam ſucceſſit
S. Hieronymus. Poſt hunc ſcripſit Martyrologium Beda,
qui in Catalogo ſuorum operum, quem ſubtexuit epilogo
D hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ; *Scripſi* (inquit) *Martyrologium
de natalitijs ſanctorum diebus, in quo omnes quos inuenire po-
tui, non ſolum qua die, verum etiam quo genere certaminis, vel
ſub quo Iudice mundum vicerint, diligenter annotare ſtudui.*

Bedæ ſuccedit Florus, Magiſter dictus. Is fuit Monachus
S. Trudonis Diœceſis Leodienſis in Hasbania, pietate, &
doctrina præclarus, circa annum Dom. 760. vt ſcribit An-
dreas Duſauſſay Pariſienſis, in Apparatu ad ſuum Martyro-

logium Gallicanum cap. 11. Sed martyrologium, quod ſcripſit Vſuardus Monachus, præ reliquis omnibus, etiam poſt ipſum editis præcipuę ab omnibus auctoritatis habitũ fuit, in tantum, vt in pluribus Eccleſijs Latinis, ne dicam omnibus, legeretur: teſte Bellarmino in libro de ſcriptorib. Eccleſiaſticis, & Trithemio lib. 3. de viris Illuſtribus Ordinis ſancti Benedicti. adeo vt non defuerint, qui Vſuardi martyrologium idem cum Romano exiſtimauerint. Vvandelbertus Monachus Prumienſis ſcripſit quoque ipſe ſacros Faſtos metricè, quod martyrologium Vvandelberti communiter appellatur. Scripſit & martyrologium Ado vir pijſſimus, de quo ſic ipſe in operis ſui prologo: *In gratiam*, inquit, *infirmiorum fratrum, & minus legere valentium, vt ad laudem Dei omnipotentis, & ipſorum inſtructionem haberent in memorijs Martyrum cõpendioſam lectionem, atque in paruo codicillo, quod multo labore alij per plures codices exquirebant &c.* Rabbanus Maurus patria Fuldenſis, demum Archiepiſcopus Moguntinus ſcripſit quoque martyrologium: quod omnibus ignotum diu delituit, donec anno Chriſti 1603. Petrus Caniſius Societatis Ieſu vir doctiſſimus, & de veteribus Eccleſiæ monumentis optimè meritus, è latebris Monaſterij S. Galli inter Heluetios illud in lucem prodidit; vnà cum alio martyrologio Hotkeri Monachi, Abbatis eiuſdem Monaſterij S. Galli. Ioannes Molanus Louanienſis hoc noſtro ſæculo primus martyrologia illuſtranda ſuſcepit, & additionibus, ac notis elucidauit, & loca pleraque in martyrologio Vſuardi obſcura, ex Romano aliarumque Eccleſiarum martyrologijs, potiſſimũ Germanię inferioris, illuſtrauit, ſuumque martyrologium adauxit: ediditq; primò cum notis Louanij anno Chriſti 1568. poſtmodum amplioribus ditatum notis recudit Antuerpiæ 1583. ſed noſter Baronius in hoc laudabiliſſimo pioque ſtudio reliquos omnes

longè

A longè anteceſſit in notis, quibus Romanum correctum martyrologium ditauit.

Ex recentioribus Philippus Ferrarius Ordinis ſanctæ Mariæ ſeruorum Generalis, edidit librum in quo per ſingulos menſes, ac dies totius anni ad inſtar martyrologij nomina Sanctorum, & obitus adnotat, qui non habentur in Romano martyrologio. quem Catalogum generalem Sanctorum inſcripſit. Prodijt quoque Antuerpiæ ex officina Plan-
B tiniana anno 1630. liber in quo Dei ſerui, & famulæ deſcribuntur, qui ſub Regula ſancti Bernardi ſanctitate, ac virtutibus floruerunt, inſcriptus: Menologium Ciſtercienſe. Demum anno 1637. prodijt Pariſijs martyrologium Gallicanum, appoſitis Calendis, Nonis, ac Idibus, tum litteris in martyrologio Romano vſitatis ad inueniendum Lunæ curſum: in quo ſub vno die nomina plurium Sanctorum Beatorum, ac etiam piorum virorum ex ſententia auctoris recen-
C ſentur; quorum Catalogus pluſquam octoginta millium ſanctorum virorum numerum vt putat auctor, excedit. ſimili modo Pariſiis 1638. ex officina Dionyſii Moreau prodiit martyrologium Franciſcanum, auctore Patre Arturio à Monaſterio Rothomagenſi, in quo auctor multa habet ad fauorem ſuæ Religionis Franciſcanæ. de quibus
D pauca infra dicemus.

Alia ſunt Calendaria, Breuiarijs ac Miſſalibus præmiſſa, A
quæ teſtimonia alicuius eccleſiaſticæ facultatis præferunt.
qualia ſunt Calendaria particularium Eccleſiarum, & Religionum: quæ vel Epiſcopali auctoritate edita ac publicata ſunt, aut alterius alicuius ſuperioris habentis auctoritatem quaſi Epiſcopalem. Ex quibus pariter argumentum aliquod, ſed leue deſumi aſſero ad beatificationis, vel canonizationis effectum. & ratio eſt quia Epiſcopis, ac quibuſcumque alijs quauis dignitate fulgentibus, nulla ineſt auctoritas circa cultum, aut venerationem publicam decernendum, aut inſerendum in Calendario, aut Breuiario nomen alicuius cum quantauis ſanctitatis opinione defuncti, abſque Sedis Apoſtolicæ, & Romani Pontificis auctoritate, vt manifeſtum ex cap. *Audiuimus*. de Reliq. & vener. Sanct. dicit enim Pontifex in eo capitulo nemini licere aliquem pro Sancto venerari, etiam ſi per eum miracula fierent, abſque eiuſdem Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Nam nomen alicuius inter alios Sanctos reponere, eſt quædam veluti canonizatio. Canonizatio autem propriè dicta, actus eſt iuridicus ſolius primæ Sedis, nimirum Romanæ Eccleſiæ. & Beatificatio licet fiat à Pontifice per aliquod priuilegium, ad eam tamen non procedit Pontifex niſi poſt fabricatum proceſſum iuridicum in quo acta, & geſta ſerui Dei beatificandi examinantur. Quamobrem tam canonizatio, quam beatificatio inniti debet iuridicis actibus, non autem his qui nullam iuris ſpeciem præſeferunt, qualis eſt deſcriptio nominis alicuius defuncti in Calendario inter Sanctos. Igitur nullum efficax argumentum ad effectum canonizationis, vel beatificationis deſumitur ab eo, quod nomen alicuius in Calendarijs conſcriptum ſit ex ſolius Epiſcopi alicuius auctoritate, aut alicuius Superioris habentis auctoritatem quaſi Epiſcopalem; eſt enim actio omnino illicita, adeoq; irrita & inualida.

Dicet

A Dicet fortaſſe aliquis. acta Epiſcopalia ſubminiſtrant Sedi Apoſtolicæ ſuſpicionem aliquam: igitur & hæc nominis in Calendario repoſitio, tanquam actus Epiſcopalis, idem efficiet in præſenti materia. Reſpondeo duplicem haberi poſſe ſuſpicionem, ſiue, vt quidam appellant, ſumum ſanctitatis ad effectum beatificationis, & canonizationis, iuridicum nimirum, & non iuridicum. iuridicus cuiuſcunque cauſæ dicitur, qui ex ſcripturis, & inſtrumentis iuridicis, & ex actibus B iuridicè comprobatis, ac conteſtatis hauritur. exempli gratia. aliquis reperit in aliquo teſtamento Titium debere ſibi centum aureos, quia ſic teſtator depoſuit in teſtamento. reperit quoque inter ſcripturas teſtatoris apocham obligationis iuridicè factam, in qua Titius ſe obligabat ad prædictam ſummam pecuniæ ſoluendam, ſeq; illam debere affirmabat. reperit nonnullos teſtes quos iuridicè examinare facit ad perpetuam rei memoriam: vel intra ſcripta teſtatoris C reperit ſimile examen. res abierit in obliuionem. poſtquam tamen hæres habuerit prædictas ſcripturas, ſumum iuridicum habuiſſe dicetur, quod Titius debeat ſibi centum aureos. ſumus autem non iuridicus, exurgit ex dicto aliquorum non iuridicè interrogatorum, vel ex ſchedis, aut apochis nullo iure probatis. qualis eſt qui ex ſola fama exurgit. Concedimus igitur aliquem quidem ſumum ſanctitatis hauriri ad fauorem alicuius, cuius nomen deſcriptum exiſtat in D calendario ex auctoritate Epiſcopi, vel alterius Superioris habentis auctoritatem quaſi Epiſcopalem. is tamen ſumus iuridicus non dicetur, ac proinde neque ſufficiens ad eum quem quærimus effectum. Quamuis igitur Sedes Apoſtolica remotè moueri poſſet ad inquirendum acta alicuius deſcripti in Calendarijs de quibus loquimur; non tamen inde argumentum aliquod efficax hauriri poterit.

Nec aliquem decipiat argumentum ſumptum à bea-

tificationem. quæ cum ex praxi Romanæ Eccleſiæ coniun- A
cta ſit atque annexa recitationi Horarum canonicarum, ac propterea conſcriptioni eiuſdem in Calendario; aliquis inde colligere vellet, ex deſcriptione in Calendario quemadmodum ex beatificatione, validum hauriri argumentum ad effectum canonizationis. Verum non ſunt eiuſdem ponderis beatificatio, & deſcriptio alicuius in calendario, de quo nihil eſt curæ Summo Pontifici, neque Romanæ Sedi. Quamuis namque aliquod ſanctitatis argumentum hauria- B
tur ex conſcriptione alicuius Dei ſerui in Romanæ Eccleſiæ, vel in aliquo alio calendario ex Romanæ Eccleſiæ auctoritate; non tamen ex eo, quod aliquis ſimpliciter in Calendario fuerit conſcriptus (non diſtinguendo quale illud ſit, aut qua auctoritate impreſſum ſit) illico ſanctitatis argumentum ſumere licet. Solius enim Romanę eſt Eccleſiæ, de cultu, ac veneratione defunctis exhibenda ſtatuere.

C

CAP. III.

Quid Martyrologij vocabulo ſignificetur. Dequè varijs Martyrologiorum ſcriptoribus.

MARTYROLOGIVM à Martyribus nomen ſumpſit, idemque valet, quod ſermo ſiue D
liber, in quo de martyribus agitur. Quamuis interim in libris hoc titulo inſignitis, multorum quoque Confeſſorum nomina cóſcripta videamus. ideo ſcilicet, quia iam inde ab exordio naſcentis Eccleſiæ, martyrij, & confeſsionis vocabula confundebantur: tum etiam, quia confeſſores fidei qui intra carceres vincti pro Chriſto vita exceſſiſſent, cum in Sanctorum

A ctorum Catalogo reponebantur, inter Martyrum memorias deſcribi dicebantur, teſte S. Cypriano epiſt. 60. Manet igitur martyrologij nomen, licet in eo conſcripti legantur non pauci, qui ante acceptam martyrij palmam, vel in ipſis carceribus, vel extra illos, diem obierunt: ſumpta denominatione à præſtantiori ſubiecto.

Hic verò mihi ſtatim ipſo in limine quædam occurrunt, vnde ſuſpicari poſſe videmur, Martyrologij vocabulum B olim laxius accipi ſolitum, quam nunc ſumatur. ita vt calendaria, in quibus adnotantur feſta de quibus peragendum eſt officium, martyrologia olim dicerentur. nam vetus illud martyrologium Romanum apud Adonem, quod nuper prodijt cum inſcriptione martyrologij, ex manuſcripto codice opera Heriberti Rozueidi; calendarij magis, quam martyrologij rationem habet. Primùm, quia quotquot in eo ſerui Dei annotantur per menſes, ac dies totius anni di- C ſtributi; fere omnes abſque titulo Sancti, aut Beati nominantur: qui ſtylus eſt calendarij Romani, vt videre eſt in omnibus calendarijs, Breuiario, ac Miſſali præfixis, tam antiquis, quam recentioribus. Præterea cum calendarij diſpoſitio reſpiciat horarum canonicarum recitationem, propterea diebus ſingulis non omnes martyres, & confeſſores nominantur, qui illum diem morte ſua, vel inſigni aliquo facto celebrem reddiderunt; ſed hi tantum, de quibus eo die D peragendum eſt officium. adeo vt illis diebus quibus fit officium de feria, nullius Sancti nomen adſcriptum videatur. Ita pariter in præfato martyrologio, non ſemper martyrum nomina leguntur, ſed confeſſorum etiam, atque interdum illorum martyrum de quibus ea die Eccleſia Romana officium peragebat: & in ſingulis ferè menſibus aliquis dies vacuus à Sanctorum nominibus habetur, quia ſcilicét ad conſeruandum antiquiſſimum ritum Eccleſiæ, eo die, non qui-

dem de aliquo Sancto,ſed de feria recitabatur officium. Sed A
hæc accuratius examinanda me doctioribus relinquo.

Exiſtimat vero Roſvveydus de hoc ipſo martyrologio (quod vna cum altero ipſius Adonis, ſub titulo veteris Romani martyrologij publicauit) loqui S. Gregorium lib. 2. epiſt. 9. ind. 1. quæ eſt ad Eulogium Epiſc. in hæc verba: *Nos penè omnium martyrum, diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus, collecta in vno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Miſſarum ſolemnia agimus:* B
non tamen in eodem volumine, quis qualiter ſit paſſus indicatur, ſed tantummodo locus & dies paſſionis ponitur. Vnde fit, vt multi ex diuerſis terris atque prouincijs per dies, vt prædixi, ſingulos cognoſcantur martyrio coronati. Sed hæc habere vos Beatiſſimos credimus. Hæc Gregorius. quem quidem de Romano veteri martyrologio loquutum non dubito; at illud fuiſſe idem, quod nunc opera Roſvveydi lucem vidit, multum ambigo. Mouent me iam allata Grego- C
rij verba, quibus diſertè affirmat in ſuo illo martyrologio, *penè omnium martyrum nomina* haberi. At in hoc veteri Romano martyrologio quod opera Roſvveydi prodijt, plane conſtat nec minimam haberi eorum partem, qui diuerſis in regionibus vſque ad ea tempora pro Chriſto ſanguinē cum vita fuderant: vt ex actis Sāctorum, & Romano martyrologio quo Romana hodie Eccleſia vtitur, perſpicuum eſt. Neque iuuat, ſi Gregorium loquutum dixeris de martyribus D
tantum qui per Italiam mortem pro Chriſto ſubierant: cum ne horum quidem minima pars in dicto martyrologio contineatur. Denique ſi quis vellet Gregorium in ea epiſtola intelligendum de ijs, qui in Vrbe Roma martyrij palmam aſſecuti ſunt: nihil aget, cùm in eo videamus multos recenſeri, qui non extra Romam ſolum, ſed Italiam quoque, paſſi ſunt. nam ſub die nona Ianuarij, hæc in eo leguntur; *In*

Mau-

A *Mauritania Caſarienſi Macra Virginis, & Martyris*. ſub decima: *In Cypro Nicanoris de ſeptem Diaconibus*. ſub die vndecima: *Alexandriæ; Confeſſorum Petri, Seueri, Lucij. In Affrica Saluij Martyris*. ſub die duodecima: *Antiochia, Satyri Martyris*. Alios plures alijs menſibus inſertos reperies, quos huc adferre ſuperſedeo.

Sed nec omnes qui Romæ mortem pro Chriſto ſubiere, in hoc verteri Romano Adonis martyrologio conſcripti leB guntur. nam ſub prima die Ianuarij in eo legitur: *Romæ S. Almachij decollati ſub Alipio Vrbis Præfecto, & Sanctæ Martinæ Virginis*. & nihil amplius. Et tamen eo die alios Romę martyres haberi, ex martyrologio quo nunc vtitur Romana Eccleſia perſpicuum eſt, in quo ſic legitur: *Ibidem via Appia coronæ ſanctorum militum triginta Martyrum ſub Diocletiano Imperatore*. Sub die ſecũda, in veteri Romano martyrologio Adonis, nullus recenſetur Romæ martyr: & tamen in Ro-

C mano martyrologio quo nunc vtitur Eeccleſia, legitur: *Romæ commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui ſpreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi ſacri codices iubebantur, potius corpora carnificibus quam ſancta dare canibus maluerunt*. totum percurratur Romanum martyrologium, & cum illo veteri Romano Adonis martyrologio conferatur, & ſexcentis plus locis ſimilia in eo occurrent: ex quibus planum eſt, nec omnium martyrum orbis Chriſtiani

D nomina, nec ſolius Italiæ, nec quotquot martyres Romæ pro Chriſto paſſi ſunt, in eo contineri.

Ait præterea Gregorius, in ſuo martyrologio penè omniũ martyrum nomina haberi, *diſtinctis per ſingulos dies paſſionibus*. ita ſcilicet vt nullus ſit dies, qui non alicuius martyris nomine, ac paſsione inſigniatur. Cùm in Adonis illo veteri Romano martyrologio, plurimi occurrant dies, in quibus non ſolum nullus martyr, ſed nec vllus omnino ſanctus

annotatur. Vt die octaua Ianuarij: *Neapoli, Seuerini Con-* A
feſſoris Victorini fratris. neque quidquam habet vltra. Die
decimaſeptima: *Apud Thebaidem Antonij Monachi*. Dies 28.
Februarij omnino vacat cuiuſuis Sancti nomine. Similiter
dies 24. Aprilis. 23. Maij. 15. & 20. Octobris, vt & 16.
Nouembris. Vnde non video quo pacto, quod Gregorius
de veteri Romano martyrologio dixerat, huic, quod nuper
prodijt, adaptari queat. Sed quemadmodum in calendario,
illorum tantum nomina ſiue confeſſorum, ſiue martyrum B
recenſentur, de quibus officium recitatur: ita pariter in eo
Adonis, & Roſvveydi martyrologio inſcripta tantum illo-
rum nomina crediderim, de quibus officium recitabatur,
atque adeo martyrologij nomen (quod huic libro datum
eſt) latius olim patuiſſe, quam nunc ſumatur.

Quinam vero libri, martyrologij vocabulo hodie ſignifi-
centur, nulla indiget explicatione. Ii enim tantum libri hoc
nomine adpellantur, in quibus martyrum paſsiones breui C
compendio collectæ recenſentur: dies paſſionis, & loca,
tormentorum quoque genera adnotantur. quamuis enim
prolixius in aliquibus martyrologiis, quam in alijs, id factum
appareat, prout collectoribus, ſiue auctoribus martyrolo-
giorum viſum fuit: ab omnibus tamen martyrologiorum
ſcriptoribus ea eſt habita compendij ratio, vt longè ſtrictius
martyris paſsio ab ijs pertractata ſit, quam in alio quouis
narratiuo ſcribendi genere fieri ſolet. D

Cæterum obſeruo apud Eccleſiaſticos ſcriptores inter-
dum martyrologij vocabulo libros ſignificari, in quibus acta
Sanctorum quomodocumque collecta habentur, ſiue proſa,
ſiue carmine; ſiue amplè lateque, ſiue breuiter ac ſuccin-
ctè conſcripta fuerint. Alexander enim Canonicorum Re-
gulararium Ord. S. Auguſtini Eſſebienſis Monaſterii Prior,
teſte catalogo ſcriptorum Brittaniç, elegiaco metro de Faſtis,

ſiue

A ſiue ſacris diebus, librum vnum ſcripſit, quem Martyrologium Eſſebienſe nonnulli appellant. Huic annumerant aliqui Baptiſtam Mantuanum Carmelitam, qui heroico ſimiliter verſu, & Ambroſium Nouidium Ferentinatem, qui verſu elegiaco, Faſtorum eccleſiaſticorum vterque libros duodecim conſcripſerunt. Verum hi omnes ad præſens inſtitutum nihil faciunt, quo de germanis tantum martyrologiis, quorum vſus eſt, vel fuit aliquando in aliqua Eccleſia,
B tractamus.

Sunt præterea in manibus hominum libri Sanctorum acta continentes, in menſes ſingulos diesq; diſtincta: quæ ab alijs Menologia inſcribuntur, quia ſcilicet in illis per dies ſingulos cuiuſque menſis Sanctorum natalitia recenſentur. Alij Hagialogia nominare malunt, hoc eſt libros ſanctos, quod ſanctorum nomina in his conſcripta legantur. Sed nec ad noſtrum inſtitutum Menologia, aut Hagiologia priuatos
C auctores agnoſcentia quidquam conducunt, qui Martyrologia Eccleſiaſtica tantum inquirimus.

Inter Martyrologia autem Eccleſiaſtica primam ſedem occupat antiquiſſimum illud ab Euſebio Cæſarienſi conſcriptum, cuius meminere fere omnes quotquot de Martyrologijs egerunt. Euſebio in eandem curam ſucceſſit S. Hieronymus. Poſt hunc ſcripſit Martyrologium Beda, qui in Catalogo ſuorum operum, quem ſubtexuit epilogo
D hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ; *Scripſi* (inquit) *Martyrologium de natalitijs ſanctorum diebus, in quo omnes quos inuenire potui, non ſolum qua die, verum etiam quo genere certaminis, vel ſub quo iudice mundum vicerint, diligenter annotare ſtudui.*

Bedæ ſuccedit Florus, Magiſter dictus. Is fuit Monachus S. Trudonis Diœceſis Leodienſis in Haſbania, pietate, & doctrina præclarus, circa annum Dom. 760. vt ſcribit Andreas Duſauſay Pariſienſis, in Apparatu ad ſuum Martyrolo-

rolo-

logium Gallicanum cap. 11. Sed martyrologium, quod ſcripſit Vſuardus Monachus, præ reliquis omnibus, etiam poſt ipſum editis, præcipuę ab omnibus auctoritatis habitũ fuit, in tantum, vt in pluribus Eccleſijs Latinis, ne dicam omnibus, legeretur: teſte Bellarmino in libro de ſcriptorib. Eccleſiaſticis, & Trithemio lib. 3. de viris Illuſtribus Ordinis ſancti Benedicti. adeo vt non defuerint, qui Vſuardi martyrologium idem cum Romano exiſtimauerint. Vvandelbertus Monachus Prumienſis ſcripſit quoque ipſe ſacros Faſtos metricè, quod martyrologium Vvandelberti communiter appellatur. Scripſit & martyrologium Ado vir pijſſimus, de quo ſic ipſe in operis ſui prologo: *In gratiam, inquit, infirmiorum fratrum, & minus legere valentium, vt ad laudem Dei omnipotentis, & ipſorum inſtructionem haberent in memorijs Martyrum cõpendioſam lectionem, atque in paruo codicillo, quod multo labore alij per plures codices exquirebant &c.* A

B

Rabbanus Maurus patria Fuldenſis, demum Archiepiſcopus Moguntinus ſcripſit quoque martyrologium: quod omnibus ignotum diu delituit, donec anno Chriſti 1603. Petrus Caniſius Societatis Ieſu vir doctiſſimus, & de veteribus Eccleſiæ monumentis optimè meritus, è latebris Monaſterij S. Galli inter Heluetios illud in lucem prodidit; vna cum alio martyrologio Hotkeri Monachi, Abbatis eiuſdem Monaſterij S. Galli. Ioannes Molanus Louanienſis hoc noſtro ſæculo primus martyrologia illuſtranda ſuſcepit, & additionibus, ac notis elucidauit, & loca pleraque in martyrologio Vſuardi obſcura, ex Romano aliarumque Eccleſiarum martyrologijs, potiſſimũ Germanię inferioris, illuſtrauit, ſuumque martyrologium adauxit: ediditq; primò cum notis Louanij anno Chriſti 1568. poſtmodum amplioribus dictatum notis recudit Antuerpiæ 1583. ſed noſter Baronius in hoc laudabiliſſimo pioque ſtudio reliquos omnes C

D

longè

A longè anteceſſit in notis, quibus Romanum correctum martyrologium ditauit.

Ex recentioribus Philippus Ferrarius Ordinis ſanctæ Mariæ ſeruorum Generalis, edidit librum in quo per ſingulos menſes, ac dies totius anni ad inſtar martyrologij nomina Sanctorum, & obitus adnotat, qui non habentur in Romano martyrologio, quem Catalogum generalem Sanctorum inſcripſit. Prodijt quoque Antuerpiæ ex officina Plan-
B tiniana anno 1630. liber in quo Dei ſerui, & famulæ deſcribuntur, qui ſub Regula ſancti Bernardi ſanctitate, ac virtutibus floruerunt, inſcriptus: Menologium Ciſtercienſe. Demum anno 1637. prodijt Pariſijs martyrologium Gallicanum, appoſitis Calendis, Nonis, ac Idibus, tum litteris in martyrologio Romano vſitatis ad inueniendum Lunæ curſum: in quo ſub vno die nomina plurium Sanctorum Beatorumque, ac etiam piorum virorum ex ſententia auctoris recen-
C ſentur; quorum Catalogus pluſquam octoginta millium ſanctorum virorum numerum vt putat auctor, excedit. ſimili modo Pariſiis 1638. ex officina Dionyſii Moreau prodiit martyrologium Franciſcanum, auctore Patre Arturio à Monaſterio Rothomagenſi, in quo auctor multa habet ad fauorem ſuæ Religionis Franciſcanæ. de quibus
D pauca infra dicemus.

ſcriptores remanſit, in quorum arbitrio fuit hunc, vel illum A
Dei ſeruum conſcribere: vel quia talem illum credebant, vel quia pro tali ab alijs haberi cognouerant. Tale erit martyrologium Philippi Ferrarij, martyrologium Gallicanum Andreæ du Sauſſay, Menologium Ciſtercienſe, & martyrologium item Franciſcanum, quod nuper lucem vidit: in quo Martyres, & Sancti conſtituuntur pro libitu auctoris quotquot quomodocunque inter Sanctos, vel Martyres recenſentur à quibuſcunque ſcriptoribus, ſiue certæ, ſiue B
incertæ fidei. Philippus enim Ferrarius collectis nominibus quorumcumque ſeruorum Dei qui quoquo modo aliquam habent in aliqua Eccleſia, vel Monaſterio venerationem, ſiue Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ſiue abſque tali auctoritate colantur, ſuum impleuit martyrologium, additis etiam notis, in quibus vnde illos acceperit aperit. Quapropter vbi de beatificatione, aut canonizatione alicuius Dei ſerui fuerit agendum, cuius nomen in hoc martyrologio conſcri- C
ptum ſit, non ab auctore, ſed à tabulis ab eo citatis argumenta ſumenda erunt.

Pro nupero autem martyrologio Gallicano, & Menologio Ciſtercienſi, necnon alio Franciſcano, duo conſideranda eſſe duco, ſicut etiam in omnibus martyrologijs à Romano diuerſis: plures nimirum Dei famulos in his adſcribi quorum nomina in Romano martyrologio deſcripta habentur, & probata ab Eccleſia exiſtunt. de quibus non D
loquimur cum negamus ex eo aliquod hauriri argumentum ſanctitatis. Sed de reliquis loquimur qui in his ipſis martyrologijs conſcripti, in nullis aliis approbatis Romanæ Eccleſiæ auctoritate leguntur. nam Chriſtophorus Enriquez auctor menologii Ciſtercienſis totus innititur ſcriptoribus, qui [illegible] hiſtorias non multis ab hinc annis ſcripſerunt [illegible] auctoritas non ſufficit, vt, S. R. E. declaratione

A tione non expectata, ſanctitatis, ac beatitatis titulo quilibet pro arbitrio decoretur. contra cap. *Audiuimus*. de Reliq. & vener. Sanct. & decreta Concilij Tridentini in cap. *Mandat.* de vener. Sanctor. in quo decernitur non licere Regularibus miracula publicare etiam de Sanctis canonizatis, niſi de licentia Epiſcopi. Ergo multo minus id licitum erit in ijs, qui nec beatificati aliquando fuerunt.

Andreas quoque du Sauſay ad extollendas res Gallicas, B quoſcumque viros accepit chriſtianè obiiſſe, inter cælites reponit. Quamobrem ex eius ſententia præſertim in notis quot quot religioſè, & eccleſiaſticis ſacramẽtis muniti diem clauſerunt extremum, in appendice ad martyrologii lectionem inter pios viros, & quaſi inter Sanctos ab eo enumerantur. Quod autem ex prædictis martyrologiis, & menologio nullum ſanctitatis argumentum hauriri queat ad effectum beatificationis, & canonizationis inde probatur: quia C vnde fumus ſanctitatis haberi nequit, nec argumenta hauriri poſſunt. Atqui fumus ſanctitatis non hauritur niſi ex actibus iuridicis, in quibus plures teſtes omni exceptione maiores coram Ordinario loci de virtutibus, & miraculis alicuius præuio iuramento iuridicè deponant, & ſcientiæ dent rationem. Sed prædicti auctores martyrologiorum, ea in ſcriptis referunt prout ab aliis acceperunt, qui ita propria auctoritate exiſtimabant: vel etiam prædicti auctores volunt videri D ſe ita credere, nec aliquam dant rationem, nec ſunt teſtes omni exceptione maiores, nec iuridicè deponunt quæcumque in libros ſuos congerunt, vt propterea nullum ſubminiſtrent ſanctitatis fumum iuridicum ad effectum beatificationis, aut canonizationis.

Præterea ex priuata cuiuſuis auctoritate nullum poteſt hic ſumi argumentum; martyrologia autem quorum nullus aliquando vſus extitit in aliqua Eccleſia, Regno, vel Prouin-

cia

ſcriptores remanſit, in quorum arbitrio fuit hunc, vel illum A
Dei ſeruum conſcribere: vel quia talem illum credebant, vel quia pro tali ab alijs haberi cognouerant. Tale erit martyrologium Philippi Ferrarij, martyrologium Gallicanum Andreæ du Sauſſay, Menologium Ciſterciense, & martyrologium item Franciſcanum, quod nuper lucem vidit: in quo Martyres, & Sancti conſtituuntur pro libitu auctoris quotquot quomodocunque inter Sanctos, vel Martyres recenſentur à quibuſcunque ſcriptoribus, ſiue certæ, ſiue B
incertæ fidei. Philippus enim Ferrarius collectis nominibus quorumcumque ſeruorum Dei qui quoquo modo aliquam habent in aliqua Eccleſia, vel Monaſterio venerationem, ſiue Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ſiue abſque tali auctoritate colantur, ſuum impleuit martyrologium, additis etiam notis, in quibus vnde illos acceperit aperit. Quapropter vbi de beatificatione, aut canonizatione alicuius Dei ſerui fuerit agendum, cuius nomen in hoc martyrologio conſcri- C
ptum ſit, non ab auctore, ſed à tabulis ab eo citatis argumenta ſumenda erunt.

Pro nupero autem martyrologio Gallicano, & Menologio Ciſtercienſi, necnon alio Franciſcano, duo conſideranda eſſe duco, ſicut etiam in omnibus martyrologijs à Romano diuerſis: plures nimirum Dei famulos in his adſcribi quorum nomina in Romano martyrologio deſcripta habentur, & probata ab Eccleſia exiſtunt. de quibus non D
loquimur cum negamus ex eo aliquod hauriri argumentum ſanctitatis. Sed de reliquis loquimur qui in his ipſis martyrologijs conſcripti, in nullis aliis approbatis Romanæ Eccleſiæ auctoritate leguntur. nam Chriſtophorus Enriquez au[illegible] Menologij Ciſtercienſis totus innititur ſcriptoribus, qui [illegible] ſuorum hiſtorias non multis ab hinc annis ſcripſerunt [illegible] auctoritas non ſufficit, vt, S. R. E. declaratione

A tione non expectata, ſanctitatis, ac beatitatis titulo quilibet pro arbitrio decoretur. contra cap. *Audiuimus*. de Reliq. & vener. Sanct. & decreta Concilij Tridentini in cap. *Mandat*, de vener. Sanctor. in quo decernitur non licere Regularibus miracula publicare etiam de Sanctis canonizatis, niſi de licentia Epiſcopi. Ergo multo minus id licitum erit in ijs, qui nec beatificati aliquando fuerunt.

Andreas quoque du Sauſay ad extollendas res Gallicas, B quoſcumque viros accepit chriſtianè obiiſſe, inter cælites reponit. Quamobrem ex eius ſententia præſertim in notis quot quot religioſè, & eccleſiaſticis ſacramẽtis muniti diem clauſerunt extremum, in appendice ad martyrologii lectionem inter pios viros, & quaſi inter Sanctos ab eo enumerantur. Quod autem ex prædictis martyrologiis, & menologio nullum ſanctitatis argumentum hauriri queat ad effectum beatificationis, & canonizationis inde probatur: quia C vnde fumus ſanctitatis haberi nequit, nec argumenta hauriri poſſunt. Atqui fumus ſanctitatis non hauritur niſi ex actibus iuridicis, in quibus plures teſtes omni exceptione maiores coram Ordinario loci de virtutibus, & miraculis alicuius præuio iuramento iuridicè deponant, & ſcientiæ dent rationem. Sed prædicti auctores martyrologiorum, ea in ſcriptis referunt prout ab aliis acceperunt, qui ita propria auctoritate exiſtimabant: vel etiam prædicti auctores volunt videri D ſe ita credere, nec aliquam dant rationem, nec ſunt teſtes omni exceptione maiores, nec iuridicè deponunt quæcumque in libros ſuos congerunt, vt propterea nullum ſubminiſtrent ſanctitatis fumum iuridicum ad effectum beatificationis, aut canonizationis.

Præterea ex priuata cuiuſuis auctoritate nullum poteſt hic ſumi argumentum; martyrologia autem quorum nullus aliquando vſus extitit in aliqua Eccleſia, Regno, vel Prouin-

cia

ſcriptores remanſit, in quorum arbitrio fuit hunc, vel illum A
Dei ſeruum conſcribere: vel quia talem illum credebant, vel quia pro tali ab alijs haberi cognouerant. Tale erit martyrologium Philippi Ferrarij, martyrologium Gallicanum Andreæ du Sauſſay, Menologium Ciſtercienſe, & martyrologium item Franciſcanum, quod nuper lucem vidit: in quo Martyres, & Sancti conſtituuntur pro libitu auctoris quotquot quomodocunque inter Sanctos, vel Martyres recenſentur à quibuſcunque ſcriptoribus, ſiue certæ, ſiue B
incertæ fidei. Philippus enim Ferrarius collectis nominibus quorumcumque ſeruorum Dei qui quoquo modo aliquam habent in aliqua Eccleſia, vel Monaſterio venerationem, ſiue Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ſiue abſque tali auctoritate colantur, ſuum impleuit martyrologium, additis etiam notis, in quibus vnde illos acceperit aperit. Quapropter vbi de beatificatione, aut canonizatione alicuius Dei ſerui fuerit agendum, cuius nomen in hoc martyrologio conſcri- C
ptum ſit, non ab auctore, ſed à tabulis ab eo citatis argumenta ſumenda erunt.

Pro nupero autem martyrologio Gallicano, & Menologio Ciſtercienſi, necnon alio Franciſcano, duo conſideranda eſſe duco, ſicut etiam in omnibus martyrologijs à Romano diuerſis: plures nimirum Dei famulos in his adſcribi quorum nomina in Romano martyrologio deſcripta habentur, & probata ab Eccleſia exiſtunt. de quibus non D
loquimur cum negamus ex eo aliquod hauriri argumentum ſanctitatis. Sed de reliquis loquimur qui in his ipſis martyrologijs conſcripti, in nullis aliis approbatis Romanæ Eccleſiæ auctoritate leguntur. nam Chriſtophorus Enriquez auctor [illegible]enologii Ciſtercienſis totus innititur ſcriptoribus, qui [illegible] ſuorum hiſtorias non multis ab hinc annis ſcripſerant [illegible] auctoritas non ſufficit, vt, S. R. E. declaratione

A tione non expectata, ſanctitatis, ac beatitatis titulo quilibet
pro arbitrio decoretur. contra cap. *Audiuimus*. de Reliq. &
vener. Sanct. & decreta Concilij Tridentini in cap. *Mandat*,
de vener. Sanctor. in quo decernitur non licere Regulari-
bus miracula publicare etiam de Sanctis canonizatis, niſi de
licentia Epiſcopi. Ergo multo minus id licitum erit in ijs, qui
nec beatificati aliquando fuerunt.

Andreas quoque du Sauſay ad extollendas res Gallicas,
B quoſcumque viros accepit chriſtianè obiiſſe, inter cælites re-
ponit. Quamobrem ex eius ſententia præſertim in notis
quotquot religioſè, & eccleſiaſticis ſacramẽtis muniti diem
clauſerunt extremum, in appendice ad marytrologii lectio-
nem inter pios viros, & quaſi inter Sanctos ab eo enume-
rantur. Quod autem ex prædictis martyrologiis, & meno-
logio nullum ſanctitatis argumentum hauriri queat ad effe-
ctum beatificationis, & canonizationis inde probatur: quia
C vnde fumus ſanctitatis haberi nequit, nec argumenta hauri-
ri poſſunt. Atqui fumus ſanctitatis non hauritur niſi ex acti-
bus iuridicis, in quibus plures teſtes omni exceptione maio-
res coram Ordinario loci de virtutibus, & miraculis alicuius
præuio iuramento iuridicè deponant, & ſcientiæ dent ratio-
nem. Sed prædicti auctores martyrologiorum, ea in ſcri-
ptis referunt prout ab aliis acceperunt, qui ita propria aucto-
ritate exiſtimabant: vel etiam prædicti auctores volunt vide-
D ri ſe ita credere, nec aliquam dant rationem, nec ſunt teſtes
omni exceptione maiores, nec iuridicè deponunt quæcum-
que in libros ſuos congerunt, vt propterea nullum ſubmi-
niſtrent ſanctitatis fumum iuridicum ad effectum beatifica-
tionis, aut canonizationis.

Præterea ex priuata cuiuſuis auctoritate nullum poteſt hic
ſumi argumentum; martyrologia autem quorum nullus ali-
quando vſus extitit in aliqua Eccleſia, Regno, vel Prouin-

ſcriptores remanſit, in quorum arbitrio fuit hunc, vel illum A
Dei ſeruum conſcribere: vel quia talem illum credebant, vel quia pro tali ab alijs haberi cognouerant. Tale erit martyrologium Philippi Ferrarij, martyrologium Gallicanum Andreæ du Sauſſay, Menologium Ciſterciense, & martyrologium item Franciſcanum, quod nuper lucem vidit: in quo Martyres, & Sancti conſtituuntur pro libitu auctoris quotquot quomodocunque inter Sanctos, vel Martyres recenſentur à quibuſcunque ſcriptoribus, ſiue certæ, ſiue B
incertæ fidei. Philippus enim Ferrarius collectis nominibus quorumcumque ſeruorum Dei qui quoquo modo aliquam habent in aliqua Eccleſia, vel Monaſterio venerationem, ſiue Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ſiue abſque tali auctoritate colantur, ſuum impleuit martyrologium, additis etiam notis, in quibus vnde illos acceperit aperit. Quapropter vbi de beatificatione, aut canonizatione alicuius Dei ſerui fuerit agendum, cuius nomen in hoc martyrologio conſcri- C
ptum ſit, non ab auctore, ſed à tabulis ab eo citatis argumenta ſumenda erunt.

Pro nupero autem martyrologio Gallicano, & Menologio Ciſtercienſi, necnon alio Franciſcano, duo conſideranda eſſe duco, ſicut etiam in omnibus martyrologijs à Romano diuerſis: plures nimirum Dei famulos in his adſcribi quorum nomina in Romano martyrologio deſcripta habentur, & probata ab Eccleſia exiſtunt. de quibus non D
loquimur cum negamus ex eo aliquod hauriri argumentum ſanctitatis. Sed de reliquis loquimur qui in his ipſis martyrologijs conſcripti, in nullis aliis approbatis Romanæ Eccleſiæ auctoritate leguntur. nam Chriſtophorus Enriquez auctor Menologii Ciſtercienſis totus innititur ſcriptoribus, qui [illegible] hiſtorias non multis ab hinc annis ſcripſerunt [illegible] auctoritas non ſufficit, vt, S. R. E. declaratione

A tione non expectata, ſanctitatis, ac beatitatis titulo quilibet pro arbitrio decoretur. contra cap. *Audiuimus*. de Reliq. & vener. Sanct. & decreta Concilij Tridentini in cap. *Mandat*, de vener. Sanctor. in quo decernitur non licere Regularibus miracula publicare etiam de Sanctis canonizatis, niſi de licentia Epiſcopi. Ergo multo minus id licitum erit in ijs, qui nec beatificati aliquando fuerunt.

Andreas quoque du Sauſay ad extollendas res Gallicas,
B quoſcumque viros accepit chriſtianè obiiſſe, inter cælites reponit. Quamobrem ex eius ſententia præſertim in notis quot quot religioſè, & eccleſiaſticis ſacramētis muniti diem clauſerunt extremum, in appendice ad marytrologii lectionem inter pios viros, & quaſi inter Sanctos ab eo enumerantur. Quod autem ex prædictis martyrologiis, & menologio nullum ſanctitatis argumentum hauriri queat ad effectum beatificationis, & canonizationis inde probatur: quia
C vnde fumus ſanctitatis haberi nequit, nec argumenta hauriri poſſunt. Atqui fumus ſanctitatis non hauritur niſi ex actibus iuridicis, in quibus plures teſtes omni exceptione maiores coram Ordinario loci de virtutibus, & miraculis alicuius præuio iuramento iuridicè deponant, & ſcientiæ dent rationem. Sed prædicti auctores martyrologiorum, ea in ſcriptis referunt prout ab aliis acceperunt, qui ita propria auctoritate exiſtimabant: vel etiam prædicti auctores volunt vide-
D ri ſe ita credere, nec aliquam dant rationem, nec ſunt teſtes omni exceptione maiores, nec iuridicè deponunt quæcumque in libros ſuos congerunt, vt propterea nullum ſubminiſtrent ſanctitatis fumum iuridicum ad effectum beatificationis, aut canonizationis.

Præterea ex priuata cuiuſuis auctoritate nullum poteſt hic ſumi argumentum; martyrologia autem quorum nullus aliquando vſus extitit in aliqua Eccleſia, Regno, vel Prouin-

logium Gallicanum cap. 11. Sed martyrologium, quod ſcripſit Vſuardus Monachus, præ reliquis omnibus, etiam poſt ipſum editis, præcipuę ab omnibus auctoritatis habitū fuit, in tantum, vt in pluribus Eccleſijs Latinis, ne dicam omnibus, legeretur: teſte Bellarmino in libro de ſcriptorib. Eccleſiaſticis, & Trithemio lib. 3. de viris Illuſtribus Ordinis ſancti Benedicti. adeo vt non defuerint, qui Vſuardi martyrologium idem cum Romano exiſtimauerint. Vvandelbertus Monachus Prumienſis ſcripſit quoque ipſe ſacros Faſtos metricè, quod martyrologium Vvandelberti communiter appellatur. Scripſit & martyrologium Ado vir pijſſimus, de quo ſic ipſe in operis ſui prologo: *In gratiam*, inquit, *infirmiorum fratrum, & minus legere valentium, vt ad laudem Dei omnipotentis, & ipſorum inſtructionem haberent in memorijs Martyrum cōpendioſam lectionem, atque in paruo codicillo, quod multo labore alij per plures codices exquirebant &c.* Rabbanus Maurus patria Fuldenſis, demum Archiepiſcopus Moguntinus ſcripſit quoque martyrologium: quod omnibus ignotum diu delituit, donec anno Chriſti 1603. Petrus Caniſius Societatis Ieſu vir doctiſſimus, & de veteribus Eccleſiæ monumentis optimè meritus, è latebris Monaſterij S. Galli inter Heluetios illud in lucem prodidit; vna cum alio martyrologio Hotkeri Monachi, Abbatis eiuſdem Monaſterij S. Galli. Ioannes Molanus Louanienſis hoc noſtro ſæculo primus martyrologia illuſtranda ſuſcepit, & additionibus, ac notis elucidauit, & loca pleraque in martyrologio Vſuardi obſcura, ex Romano aliarumque Eccleſiarum martyrologijs, potiſſimū Germanię inferioris, illuſtrauit, ſuumque martyrologium adauxit: ediditq; primò cum notis Louanij anno Chriſti 1568. poſtmodum amplioribus ditatum notis recudit Antuerpiæ 1583. ſed noſter Baronius in hoc laudabiliſſimo pioque ſtudio reliquos omnes

longè

A longè anteceſſit in notis, quibus Romanum correctum martyrologium ditauit.

Ex recentioribus Philippus Ferrarius Ordinis ſanctæ Mariæ ſeruorum Generalis, edidit librum in quo per ſingulos menſes, ac dies totius anni ad inſtar martyrologij nomina Sanctorum, & obitus adnotat, qui non habentur in Romano martyrologio. quem Catalogum generalem Sanctorum inſcripſit. Prodijt quoque Antuerpiæ ex officina Plan-
B tiniana anno 1630. liber in quo Dei ſerui, & famulæ deſcribuntur, qui ſub Regula ſancti Bernardi ſanctitate, ac virtutibus floruerunt, inſcriptus: Menologium Ciſtercienſe. Demum anno 1637. prodijt Pariſijs martyrologium Gallicanum, appoſitis Calendis, Nonis, ac Idibus, tum litteris in martyrologio Romano vſitatis ad inueniendum Lunæ curſum: in quo ſub vno die nomina plurium Sanctorum Beatorum, ac etiam piorum virorum ex ſententia auctoris recen-
C ſentur; quorum Catalogus pluſquam octoginta millium ſanctorum virorum numerum vt putat auctor, excedit. ſimili modo Pariſiis 1638. ex officina Dionyſii Moreau prodiit martyrologium Franciſcanum, auctore Patre Arturio à Monaſterio Rothomagenſi, in quo auctor multa habet ad fauorem ſuæ Religionis Franciſcanæ. de quibus
D pauca infra dicemus.

CAP. IV. A

De auctoritate Martyrologiorum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

MIRVM aliquibus fortaſſe videbitur, ac fru-
ſtra quæri quodnam argumentum ad effe- B
ctum beatificationis, & canonizationis ex
martyrologiis ſumatur, exiſtimantibus for-
taſſe aliquem Dei ſeruum eo ipſo quo nomen
ipſius deſcriptum ſit in aliquo martyrologio, cenſendum ca-
nonizatum. Verum is ipſe mirari deſinet, vbi aduerterit
non ſolum in martyrologiis particularium Eccleſiarum, &
diuerſorum ſcriptorum menologiis, nomina plurimorum
ſeruorum Dei legi, qui nec canonizati, nec vnquam beati- C
ficati fuerunt; ſed etiam in Romano martyrologio nonnul-
los haberi non canonizatos, ſed tantum beatificatos, vt Ro-
mualdum, Norbertum, Brunonem, Ambroſium Sanſedo-
nium 20. Martii, Mariam Magdalenam de Patiis Carmeli-
tanam ſub die 4. Septembris, Beatum Philippum Benitium
Florentinum Ord. S. Mariæ Seruorum ſub die 23. Auguſti.
Imò & aliqui qui nec beatificati exiſtunt in Romano marty-
rologio conſcripti ſunt, vt Dei ſeruus Rocchus, qui pro D
beato vbique colitur. Cum igitur ad effectum canonizatio-
nis, & beatificationis à libris eccleſiaſticis argumenta non
ignobilia ſumantur; non inaniter quæri poteſt, quale argu-
mentum ſumatur ex martyrologiis ad eumdem effectum.

Primum ex martyrologiis manuſcriptis, quantumuis an-
tiquiſſimis, incertorum auctorum; non ſolum non poteſt
deſumi argumentum aliquod ad effectum beatificationis,
aut

A aut canonizationis,ſed inſuper ſuſpecta cenſeri debere arbitror nomina quorumcunque ibi conſcriptorum,niſi aliunde de illorum ſanctitate conſtiterit. Ratio eſt,quia hæretici tam veteres, quam recentiores pſeudomartyrologia ſcripſerunt, videlicet in numero martyrum repoſuerunt quotquot à Iudicibus in variis ac diuerſis orbis regionibus, ob hæreſim non eieratam, vltimo fuere ſupplicio affecti. quorum acta impia laudibus quamplurimis extollũtur à Iacobo Auguſto
B Thuano in hiſtoria ſui temporis. De quibus martyrologijs Molanus in tract. de martyrolog. cap. 10. & ex profeſſo. Alanus Copus dialogo ſexto, in quo docet Foxum quemdam in ſuo martyrologio, non ſolum Lutheranos, & Zuinglianos, ſed alios quoque hæreticos, & maleficos repoſuiſſe: veris martyribus è calendario,& Eccleſię martyrologijs exulare iuſſis. *Nouos*, inquit, *nouus iſte Papa faſtos, nouos martyrum Apotheoſes & tam admirabiles pro ſua amplitudine ex-*
C *cogitauit, vt neſcias impudentiam, & impietatem hominis, an ſtultitiam magis demireris.* & cap. 18. *In Calendario Foxi*, inquit, *etiam Confeſſores malè inter ſe conueniunt: reperiuntur enim ibi non Bucerus modo, & Fagius, ſed & Eraſmus Roterodamus, atque Picus ille Mirandulæ Comes*. per quos duos totum Foxi calendarium ſubuerti, & exinaniri Alanus docet cap. 26. & 17. Quod igitur olim Donatiſtas feciſſe Beatus Auguſtinus docuit, id nunc Lutheranis, Caluiniſtis,
D reliquiſque ſectariis accommodari poteſt. Quamobrem nihil omnino fidendum erit martyrologiis manuſcriptis tam recentioribus incertorum auctorum, propter iam dictos hæreticos; quam veteribus, propter Donatiſtas, Montaniſtas, & alios.

Nec maioris auctoritatis cenſeri debent ad effectum beatificationis, & canonizationis martyrologia quorum nullus fuit in Eccleſia vſus, ſed eorum auctoritas penes ſuos con-

ſcripto-

ſcriptores remanſit, in quorum arbitrio fuit hunc, vel illum A
Dei ſeruum conſcribere: vel quia talem illum credebant, vel quia pro tali ab alijs haberi cognouerant. Tale erit martyrologium Philippi Ferrarij, martyrologium Gallicanum Andreæ du Sauſſay, Menologium Ciſtercienſe, & martyrologium item Franciſcanum, quod nuper lucem vidit: in quo Martyres, & Sancti conſtituuntur pro libitu auctoris quotquot quomodocunque inter Sanctos, vel Martyres recenſentur à quibuſcunque ſcriptoribus, ſiue certæ, ſiue B
incertæ fidei. Philippus enim Ferrarius collectis nominibus quorumcumque ſeruorum Dei qui quoquo modo aliquam habent in aliqua Eccleſia, vel Monaſterio venerationem, ſiue Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ſiue abſque tali auctoritate colantur, ſuum impleuit martyrologium, additis etiam notis, in quibus vnde illos acceperit aperit. Quapropter vbi de beatificatione, aut canonizatione alicuius Dei ſerui fuerit agendum, cuius nomen in hoc martyrologio conſcri- C
ptum ſit, non ab auctore, ſed à tabulis ab eo citatis argumenta ſumenda erunt.

Pro nupero autem martyrologio Gallicano, & Menologio Ciſtercienſi, necnon alio Franciſcano, duo conſideranda eſſe duco, ſicut etiam in omnibus martyrologijs à Romano diuerſis: plures nimirum Dei famulos in his adſcribi quorum nomina in Romano martyrologio deſcripta habentur, & probata ab Eccleſia exiſtunt. de quibus non D
loquimur cum negamus ex eo aliquod hauriri argumentum ſanctitatis. Sed de reliquis loquimur qui in his ipſis martyrologijs conſcripti, in nullis aliis approbatis Romanæ Eccleſiæ auctoritate leguntur. nam Chriſtophorus Enriquez auctor menologii Ciſtercienſis totus innititur ſcriptoribus, qui [illegible] ſuum hiſtorias non multis ab hinc annis ſcripſerunt, [illegible] auctoritas non ſufficit, vt, S. R. E. declaratione

A tione non expectata, ſanctitatis, ac beatitatis titulo quilibet pro arbitrio decoretur. contra cap. *Audiuimus*. de Reliq. & vener. Sanct. & decreta Concilij Tridentini in cap. *Mandat*. de vener. Sanctor. in quo decernitur non licere Regularibus miracula publicare etiam de Sanctis canonizatis, niſi de licentia Epiſcopi. Ergo multo minus id licitum erit in ijs, qui nec beatificati aliquando fuerunt.

Andreas quoque du Sauſay ad extollendas res Gallicas,
B quoſcumque viros accepit chriſtianè obiiſſe, inter cælites reponit. Quamobrem ex eius ſententia præſertim in notis quot quot religiosè, & eccleſiaſticis ſacramētis muniti diem clauſerunt extremum, in appendice ad martyrologii lectionem inter pios viros, & quaſi inter Sanctos ab eo enumerantur. Quod autem ex prædictis martyrologiis, & menologio nullum ſanctitatis argumentum hauriri queat ad effectum beatificationis, & canonizationis inde probatur: quia
C vnde fumus ſanctitatis haberi nequit, nec argumenta hauriri poſſunt. Atqui fumus ſanctitatis non hauritur niſi ex actibus iuridicis, in quibus plures teſtes omni exceptione maiores coram Ordinario loci de virtutibus, & miraculis alicuius præuio iuramento iuridicè deponant, & ſcientiæ dent rationem. Sed prædicti auctores martyrologiorum, ea in ſcriptis referunt prout ab aliis acceperunt, qui ita propria auctoritate exiſtimabant: vel etiam prædicti auctores volunt videri
D ri ſe ita credere, nec aliquam dant rationem, nec ſunt teſtes omni exceptione maiores, nec iuridicè deponunt quæcumque in libros ſuos congerunt, vt propterea nullum ſubminiſtrent ſanctitatis fumum iuridicum ad effectum beatificationis, aut canonizationis.

Præterea ex priuata cuiuſuis auctoritate nullum poteſt hic ſumi argumentum, martyrologia autem quorum nullus aliquando vſus extitit in aliqua Eccleſia, Regno, vel Prouin-

cia ex auctoritate, & conſenſu Romanæ Eccleſiæ, nullius A
ſunt auctoritatis: aut ſi aliqua illis auctoritas præſtanda eſt, priuatam non excedat.

Et ne quid intactum relinquamus, attendatur quod in martyrologiis de quibus loquimur, nomina ſeruorum Dei, aut cum titulo ſanctitatis, vel beatitatis, aut ſine his, recenſentur. Si poſtremum; non pertinent ad martyrologium qui abſque aliquo ex allatis titulis nominantur, ſtrictè, & propriè de martyrologiis loquendo. ſi cum titulo ſanctitatis inſcribantur, videndum erit an eo titulo ab Apoſtolica Sede condecorati fuerint: cuius ſolius eſt aliquem Sanctum, vel beatum declarare. Quamobrem niſi auctores talium martyrologiorum expreſſerint in eis, vel in notis adiunctis, quo iure aliquos Beatos, alios vero Sanctos appellarint (niſi fortè illorum mentio in Romano martyrologio habeatur) auctoritas illorum erit omnino nulla. eſt enim aperta doctrina capituli *Audiuimus*. de Reliq. & vener. ſanct. quod etiamſi per aliquem miracula fiant, nemini tamen liceat talem pro Sancto venerari abſque conſenſu, & licentia Sedis Apoſtolicæ. B C

Exiſtimabit fortaſſe aliquis ſuperfluum eſſe, Dei ſeruos in martyrologiis cum ſanctitatis, aut beatitatis titulo cõſcribere; cum videamus eum eſſe ſtylum veteris Romani martyrologii, quod nunc prodiit cum Adone, opera Roſvveydi. Vbi die 2. Iulii ſic legitur: *In Cæmeterio Damaſi, Proceſsi & Martiniani*. Item 6. eiuſdem menſis: *Tranquillini Martyris*. & alibi: *Hilarij Epiſcopi. Pauli primi Eremitæ &c.* Sed iam ſuprà diximus librum illum non habere phraſim martyrologii, ſed calendarii; quale coniectati ſumus illum extitiſſe. D

Ex martyrologiis Bedæ, Flori, Vſuardi, debile quoque argumentum deſumetur in præſenti materia. Etenim ſatis interturbata, & diuerſa à ſuis originalibus, & fortè etiam

depra-

A deprauata eſſe conſtat. teſtatur id Molanus in tract. de martyrolog cap. 4. affirmatq; non eſſe facilè propter additiones ad Vſuardum factas à diuerſis Eccleſijs, ipſum ſolum, ſincerum, & impermixtum Vſuardum prælo in lucē emittere. Et quamuis ipſe Molanus; vir de Eccleſia Dei optimè meritus omne ad id ſtudium adhibuerit; nihilominus ſe vereri fatetur, ne nonnulla curam ſuam effugerint. dicit enim ſe contuliſſe ad inuicem plura martyrologia quæ ſub Vſuardi no-
B mine circumferuntur, tam impreſſa, quam manuſcripta, nullumque non aliqua ex parte adauctum comperiſſe. Quamobrem *optaſſem*, inquit, *magis vetuſta, & Vſuardi ſæculo, aut circiter deſcripta*. Igitur propter hanc incertitudinem codicum, qui Vſuardi nomine circumferuntur, certum & indubitatum ex ijs argumentum haberi nullum poterit.

Quæret fortaſſe aliquis: quidnam cenſendum ſit de martyrologio Vſuardi ab ipſo Molano edito & emendato. Fuit
C enim Molanus vir pius, doctus, & ſani iudicij: & propterea eius fidei plurimum deferendum videtur. Verum omittendum non eſt ex martyrologijs Vſuardi à Molano editis, duas haberi editiones; priorem ſub anno 1568. apud Hieronymum Vellæum Louanij; poſteriorem Antuerpiæ 1583. apud Philippum Nutium. & in ambabus hunc Molanus ſtylum ſeruat: vt in lectione martyrologij aliqua rotundo charactere, alia vero charactere quem curſiuum Typographi dicunt impreſſa cernantur. Et quorumdam quidem
D ſeruorum Dei nomina litterulis A. B. G. E. P. R. prænotantur. Deinde in fine lectionis reponit nomina aliorum minori charactere prænotata hoc ſigno п Demum nonnulla addit, quibus aliquas, non ſine vtilitate Lectoris, voces explicat, aliquando auctores qui illorum Sanctorum meminerunt, adnotat. Quæ autem in eo diuerſo charactere edita leguntur, & in lectione martyrologij inſerta habentur, an-

tequam de his iudicium feratur, valde ſunt conſideranda A
quæ habentur in eius adnotatis, præcipuè in epiſtola ad Le-
ctorem n. ix. & x. poſterioris editionis cap. 12. & 13. Vbi
ex varijs martyrologijs diuerſorum auctorum Eccleſiarum,
& Religionum, item ex Breuiarijs, & Calendarijs diuerſis,
illas editiones ſe confeciſſe teſtatur. quæ huc non tranſcripſi
ne tædio Lectorem afficerem.

Dico igitur, neque ex hoc Vſuardi martyrologio cum
notis Molani, hauriri validum argumentum ad effectum B
beatificationis, & canonizationis. quando ipſemet fatetur
ex particularium Eccleſiarum, & Religionum martyrolo-
gijs ſuum illud martyrologium confectum eſſe. cum enim
in prædictis tam martyrologijs, quàm breuiarijs multa ha-
beantur non exactiſſima diligentia examinata; & in quibuſ-
dam Eccleſijs cultus aliquibus præſtetur Romanæ Eccleſiæ
omnino ignotis, qui nunquam fuerunt beatificati, neque
canonizati, quamuis obierint poſt emanatum cap. *Audiui-* C
mus qui tamen in martyrologio Molani reponuntur; pro-
fecto non poterit in reliquis, ab eius auctoritate validum ſu-
mi argumentum. Audiatur ipſe in epiſt. ad Lect. n. xj. *Addidi*
etiam (inquit) *quædam ad Vſuardum, & Eccleſiæ martyrolo-*
gia, potiſsimum ex recentiorum martyrologijs, aut additionibus,
in quibus aliquando aliena fide contentus ſui; ponens ea lege
commentariorum. Quæ omnia minimo charactere imprimenda
fuere, vt ſecernerentur ab ijs quæ grauioris ſunt auctoritatis, D
vel dignitatis. & num. xij. de nota π inquit: *Notula π ſigni-*
ficat eo vſque in omnibus Eccleſijs noſtra directione legi poſſe.
Illa enim quæ ſequuntur notam π vel ſunt feſta translationum
ferè ex proprijs Eccleſijs ſumpta, vel ſunt minimis typis de non
canonizatis, vel etiam de canonizatis ex ſcriptis recentiorum,
ſed de quibus ego nullam, aut minus ſufficientem habuerim noti-
tiam an ſint canonizati, & in ijs diebus eorum natales occurrãt.

A ex quibus ſane Molani verbis, planè conſtat non æqualis eſſe
auctoritatis quæcumque in eius martyrologio leguntur. In
priori quoque editione cap. 12. præfat. ad Lect. potiſſimum
vſum ſe teſtatur quodam martyrologio Rothomagi excuſo
anno 1507. *Quod Minor quidam qui ſuppreſſo nomine ſuo præ-*
fationem aſcripſit dicit ſe collegiſſe ex martyrologijs quæ antea
Lugduni, Papiæ, & Pariſijs erant impreſſa; cui etiam ipſe ap-
poſuit additiones de proprijs Sãctis ex martyrologijs Mendican-
B *tium, ex martyrologijs Pariſienſis Eccleſiæ, Archi-Cathedralis*
Rothomagen. & ei ſubditarum Baiocenſis, Ebroicenſis, Con-
ſtantienſis, Sagienſis, Aprincenſis, & Luxouienſis. Hæc ibi.
Quam igitur dubia fide laboret martyrologium Molani, ſa-
tis, vt reor, ex eius dictis apertè conſtat: ac proinde ad effe-
ctum beatificationis, aut canonizationis alicuius Dei ſerui
ab eius auctoritate, aut martyrologij ab eo conſcripti teſti-
monio, minimum, aut nullum poſſe ſumi argumentum,
C reor, niſi aliunde argumenta potiora deſumantur.

Accedamus iam ad martyrologia quæ in aliquibus Ec-
cleſijs, aut Religionibus ex illarum ſtatutis leguntur. ex qui-
bus pariter ad effectum beatificationis, & canonizationis
nullum poſſe argumentum hauriri arbitror. cum nulli Ec-
cleſiæ conceſſum fuerit aliquando, quemquam ſub titulo
ſanctitatis conſcribere in martyrologijs, aut martyrologia
propria condere. Quicquid autem conceſſum non reperi-
D tur, prohibitum cenſeri debet, ſecundum doctinam Gloſſę
communiter receptæ in l. *nec non*. 28. ver. *prohibeant*. ff. *ex*
quibus cauſis. Glo. in l. *ſi maritus* 21. de procurat. quæ ſanè
regula potiſſimum valet in materia quæ alias prohibita eſt:
vt tradunt Canoniſtæ in cap. 2. de tranſlat. Prælat. Glo. in ci-
tata lege. *nec non*. verbo *prohibeant*. & Glo. in l. 3. ver. *Illicita*
ff. de Collegiis. & habetur expreſsè in Clem. *Exiui* §. *porrò*
cum dictis. de verborum ſignif. Cum igitur ex toties citato

capitulo *Audiuimus*. de Reliq. & vener. ſanct. planè prohi- A
bitum exiſtat aliquem defunctum pro Sancto venerari abſ-
que conſenſu Sedis Apoſtolicæ; conſequenter nec licebit
alicuius defuncti nomen conſcribere in martyrologio quod
legitur inter diuina officia, ſine Sedis eiuſdem auctorita-
te. Ex litteris quoque Apoſtolicis *Emendato iam &c.* latis
à Gregorio XIII. ſub Dat. Romæ die 14. Ianuarii anno
Domini 1584. prohibitio eſt manifeſta. In his enim quæ-
cumque alia martyrologia interdicuntur, & illorum vſus in B
Eccleſiis quibuſcunque prohibetur. *Mandamus igitur om-
nibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, cæte-
riſque Eccleſijs, Monaſterijs, Conuentibus, Ordinibus, ſiue ſæ-
cularibus, ſiue Regularibus, quibuſcunque Præfectis, vt in pera-
gendo diuino officio, omni alio martyrologio amoto, hoc tantum
noſtro vtantur, nulla re addita, mutata, adempta &c.* Cumque
ex libris atque hiſtoriis, quorum vſus omnino prohibitus
exiſtit in Eccleſia, & ex actibus irritis, & nullo iure factis C
nefas ſit aliquod argumentum ſumi ad alicuius defuncti cul-
tum; ex conſequenti neque ad effectum beatificationis, aut
canonizationis argumentum aliquod ex prædictis martyro-
logiis hauriri poterit.

Dicet fortaſſe aliquis, in rubricis Romani martyrologii in
ordine ad Eccleſias extra Romam haberi §. 3. quod *feſta, de
quibus eo die fit officium* (in quacumque Eccleſia) *ſemper pri-
mo loco ponantur* (in lectione nimirum martyrologii) *Quod* D
*etiam ſeruandum erit in Sanctis proprijs particularium Eccle-
ſiarum in hoc martyrologio non appoſitis, qui etiam in ijs tan-
tum Eccleſijs, & locis, vbi præcipuè memoria eorum celebris
habetur, legi poterunt etiam primo loco, ſi de illis ibidem aga-
tur officium.* ex qua rubrica clarè, & apertè colligi videtur,
licere ad vſum particularium Eccleſiarum publicare, & im-
primere martyrologia, atque in his inſcribere nomina ſeruo-

rum

A rum Dei, de quibus in aliqua particulari Eccleſia fit officium,
quamuis nec beatificati, neque canonizati extiterint. Et
quemadmodum ex recitatione officij ad honorem alicuius
defuncti argumentũ efficax ſumitur ad effectum canoniza-
tionis; pariter ad effectum beatificationis efficaciſſimum à
lectione martyrologij argumentum ſumetur, ſi quando ex
vi allatæ rubricæ aliquem non beatificatum in lectione mar-
tyrologij legi contigerit.

B Verum contra hoc argumentum, quod videtur multum
habere roboris, clamant omnia iam allata iura. nam Grego-
rius XIII. in litteris Apoſtolicis. *Emendata iam.* omnino
prohibet nomina quorumcumque addere Romano marty-
rologio. Nam cum dixiſſet, *omni alio martyrologio amoto, hoc
tantum noſtro vtantur, nulla re addita, mutata, adempta &c.*
ſtatim ſubintulit: *ſi quos alios habuerint Sanctos in ſuis Eccle-
ſijs, aut locis celebrari ſolitos, eos in hunc librum* (ideſt mar-
C tyrologium) *ne inſerant, ſed ſeparatim deſcriptos habeant,
eumque illis locum, atque ordinem tribuant, qui regulis hic de-
ſcriptis traditur.* Ex quibus liquet decreto Summi Pontifi-
cis vetitum eſſe, conſcribere in martyrologio nomen cuiuſ-
uis Sancti; licet de eo in aliqua Eccleſia officium recitetur.
Ratio eſt: quia aliud eſt legitimo loco legi, aliud eſt nomen
eiuſdem imprimi. Illud enim reſpicit Horarum Canonica-
rum recitationem, & veſperam illius diei. Quare vbi de
D aliquo officium Veſperarum recitatur; ex rubrica primo lo-
co legi debet in martyrologio, quamuis in lectione marty-
rologij eiuſdem diei poſtremum locum teneret, aut nullum
haberet. At imprimere nomen alicuius in martyrologio, re-
ſpicit quamdam extenſionem cultus: quem cuipiam præſta-
re ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ, nec Epiſcopis concedi-
tur. Nec allata rubrica particularibus Eccleſijs id concedit:
quia iſtæ facilè poſſent errare. vt conſtat ex Auguſtino in

breuic. çolat. diei tertiæ, erraſſe aliquando in Africa Eccleſiam Tingiſitanam: & poſterioribus ſæculis Eccleſiam Ferrarienſem circa annum Chriſti 1300. A

Argumentum autem à recitatione officij ad martyrologij impreſſionem non valet. quamuis enim argumentum validum ad effectum canonizationis ex recitatione officii hauriatur, ſi de licentia Sedis Apoſtolicæ illud recitetur, quod tantum ad honorem illorum qui beatitatis titulo condecorati fuerint concedi conſueuit; non tamen habet locum B ſi abſque Sedis Apoſtolicæ conſenſu in aliqua Eccleſia talis recitatio fuerit introducta: quia talis recitatio eſt actus irritus, & nullus, ex quo nullum ſumitur argumentum ad effectum beatificationis, vt ſuo loco diximus.

Nunc ad martyrologia Romana veniamus, in quibus diſtinguere oportet inter martyrologia quæ ſub auctoritate Romanæ Eccleſiæ olim circumferebantur, ab his qui eamdem auctoritatem præferunt poſt correctionem factam ſub C Gregorio XIII. Ex prioribus enim nihil amplius quam fumus aliquis ſanctitatis remotus hauriri poteſt. cum enim prædicta martyrologia non exiſtant omnino fidei indubitatæ, ſed ſuſpicione maxima laborent: argumentum nullum præſtare poſſunt. quia tamen in aliquibus concordant cum martyrologio quod legebatur in Romana Eccleſia; & aliquando illa ipſa martyrologia in aliqua Eccleſia legebantur; diximus ex ipſis aliquem fumum ſanctitatis, quamuis remotum, hauriri poſſe. D

Olim enim non vnum, aut alterum tantum, ſed plura martyrologia ſub auctoritate Romanæ Eccleſiæ circumferebantur, in quibus aliquorum Sanctorum nomina inſcripta habebantur, quæ in vero Romano non legebantur, ſed in Eccleſia illius Vrbis in qua typis fuerant edita. vt Molanus in præfat. prioris editionis cap. 12. teſtatur de *martyrologio*

ſecun-

A *ſecundum morem R.E. quod Venetijs ad ſignum Spei excuſum eſt anno 1548. in quo tamen quædam mihi videntur*, inquit Molanus, *ex Venetæ Eccleſiæ martyrologio tranſcripta, vel ad nutum eius qui operi ſuperintendebat, & ſe operis auctorem prænotabat*. Et in epiſt. ad Lectorem poſterioris martyrologii cap. 10. explicans quod in notis indicetur per litteram R, hæc habet: *Significat additionem ex martyrologio ſecundum morem R. E. quod emendauit Magiſter Bellinus de Padua Or-*
B *dinis Fratrum Eremitarum S. Auguſt. Venetijs ad ſignum Spei excuſum anno 1549. & Pariſijs anno 1521. Videtur extra id non nihil auxiſſe ex Sanctis Paduæ & Venetæ Eccleſiæ, & diuerſarum Religionum. extant & alia Romanæ Eccleſiæ martyrologia quæ non vidi. Eccleſia enim S. Petri vtitur martyrologio Venetijs impreſſo 1560. Quod Alexander Peregrinus Brixienſis, Iulij Tertij Sacellarius opera ſua emendatum reddidit. Eccleſia autem Lateranenſis vtitur martyrologio apud Hierony-*
C *mum Caualcalupum, anno 1564. impreſſo*. Martyrologium quoque quod emendauit, & edidit Galeſinus, prodiit ſub titolo Romani martyrologij. necnon quod edidit Maurolicus. Ex quibus martyrologiis Romanæ Eccleſiæ, apud me duo manuſcripta extant, & duo alia perantiqua impreſſa, alterum Patauij, alterum Florentiæ. Sed hodie quoque poſt correctionem non deſunt qui audeant idipſum facere, cum Romanum martyrologium edendum curant. In quo nomina
D Sanctorum, quorum dies feſtus agitur in Eccleſia illius Vrbis in qua martyrologium illud fuerit impreſſum, cum alijs edi faciunt.

Supereſt igitur, vt ex Romano tantum martyrologio emendato, ſcilicet ſub felic. recordat. Gregorio XIII. & nouiſsimè iuſſu Sanctiſsimi D.N. Vrbani VIII. recognito, aliquod poſſit ſumi argumentum efficax ad effectum canonizationis. Et ſignanter quidem diximus, *aliquod* poſſe ſumi

argumentum. quia ex libris hiſtoricis (quorum auctoritas A
ab ipſorum ſcriptoribus pendet, qui aliquando in aliquibus decipi poſſunt) quamuis aliquod ſumatur efficax argumentum ad id, quod quis ex illis probare intendit; non tamen adeo efficax. quin poſsit aliqua ex cauſa infirmari. In quo genere Romanum martyrologium reponitur, quod pluries emendatione indiguit. eſt enim veluti quoddam compendium actorum ſeruorum Dei. in quo compendio ſaltem oſcitantia exſcriptorum, aliquid, quod emendatione indi- B
geat, contingere poteſt. Nihilominus argumentum à martyrologio ſumptum ad effectum canonizationis graue quidem & validum cenſeri debet, ſi reliqua adſint adminicula de actis alicuius ſerui Dei, & ea ſint iuridicè probata: quia in eius lectione, acta ſeruorum Dei fidelibus proponuntur ab Eccleſia imitanda, tanquam probata. Quod autem Romanæ Eccleſiæ auctoritate comprobatum exiſtat martyrologium, oſtendit quotidianus eius vſus in Romana Eccleſia, tum il- C
lius rubricę, ac litterę Apoſt. Gregorii XIII. quarũ exordium eſt: *Emendato iam Calendario*. dat. Romæ die 14. Ianuarii 1584. In quibus ad fauorẽ Romani martyrologii emendati hæc habentur. *Mandamus igitur omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, cæteriſque Eccleſijs, Monaſterijs, Conuentibus, Ordinibus, ſiue ſecularibus quibuſcumque Praefectis, vt in peragendo diuino in choro officio, omni alio martyrologio amoto, hoc tantum noſtro vtantur*. Quin D
etiam Pontifex, ne quidem priuatim, alio martyrologio vti concedit, quam Romano à ſe emendato. *Eadem etiam*, inquit, *ijs qui in horis eccleſiaſticis priuatim martyrologio vti voluerint (quod magnopere cuperemus, vt omnes facere vellent) mandamus. omnibuſque aliorum martyrologiorum omnium publicè, priuatimque, in eccleſiaſticis horis vſum interdicimus*.

Cum ergo inter martyrologia ſolum Romanum corre-

A ctum probetur ab Eccleſia, & eo tantum Summus Pontifex iubeat vti in recitatione Horarum Canonicarum, planè conſtat illud tantum ſummæ fore auctoritatis, ac proinde ad effectum canonizationis ex eo tantum validum, & efficax argumentum ſumi poſſe.

Nec alicui ſcrupulum ingerat rubrica Romani martyrologij quæ ſic habet: *Lectio martyrologij recitatur quotidiè in choro ad Primam, ante verſiculum Pretioſa.* & ibidem §. 3.
B *Feſta de quibus eo die fit officium, ſemper primo loco ponuntur: Quod etiam ſeruandum erit & in feſtis mobilibus, quæ pronuncianda ſunt, vt infra dicetur: & in Sanctis proprijs particularium Eccleſiarum in hoc martyrologio non appoſitis, qui in ijs tantum Eccleſijs, & locis vbi præcipuè memoria eorum celebris habetur, legi poterunt etiam primo loco, ſi de illis ibidem agatur officium. ſi vero non agatur; poſt Sanctos in hoc martyrologio deſcriptos ordine ſuo, videlicet poſt Martyres Con-*
C *feſſores, & Virgines.* Diſtinguit enim rubrica ea feſta de quibus in aliqua Eccleſia fit officium, ab his, de quibus quamuis illorum memoria alicubi ſit celebris, nullum tamen fit officium, vt in aliquibus contingit etiam Romæ. nam de Sancta Franciſca quamuis dies feſtus vti feriatus Romæ coleretur, in corpore tamen Breuiarij de ea non fiebat officium. feſtus dies Sancti Caroli, colebatur pariter vt feriatus. Similium igitur ſeruorum Dei feſtus dies ſi extra Romam
D coli contingat, etiam ſi ſcripti non ſint in Romano martyrologio; rubrica tamen concedit in lectione martyrologij nomina illorum inter Sanctos in martyrologio deſcriptos connumerari, iuxta gradum quem tenent in Eccleſia. Ex qua rubrica colligi videtur, quod quamuis aliquis Dei ſeruus non ſit neque beatificationis, neque canonizationis honore condecoratus, dummodo celebris habeatur in aliqua particulari Eccleſia, eius nomẽ poſſit licitè legi in martyrologio, ac pro-

inde

inde haberi pro canonizato, quia habet partem aliquam in officio diei. A

Sed hæc nihil nobis aduerſantur: nam rubrica loquitur de Sanctis, non autem de his qui Sancti non ſunt. Sanctorum autem nomine intelliguntur qui canonizati ſunt, vel recepti ab Eccleſia Romana, vt canonizati. Et quamuis ex ea rubrica in particularibus Eccleſijs poſſent legi in martyrologio Sanctorum nomina, qui habent aliquem in illis cultum; non tamen concedit rubrica poſſe inſeri in martyrologio. B Quamobrem cum ex martyrologio particularium Eccleſiarum nullum ſumatur, vt diximus, argumentũ ad effectũ beatificationis, & canonizationis; nec ex eo ſumi poterit, quod nomen alicuius non canonizati in particularibus Eccleſijs in lectione martyrologij legatur. præterquam quod in rubrica illa omnino traditur, ſeruandum in eius lectione eſſe ſtylum, & ordinem martyrologii Romani. in quo cum nomina ſeruorum Dei qui ad minus beatificati non fuerint, inſerta non C habeantur; multo minus licebit in particularibus Eccleſijs, alicuius defuncti nomen legere, qui per Sedem Apoſtolicam ſaltem beatificatus non fuerit, vel de quo in ea Eccleſia ex ſpeciali priuilegio Summi Pontificis, non recitatur officium. D

CAP.

A

CAP. V.

Quodnam argumentum ſumatur ad effe-ctum Beatificationis, & Canonizatio-nis ex proceſsibus.

NON agimus hic de ijs proceſſibus qui vlti-
B matè, atque in ipſo canonizationis procin-
ctu ab Ordinarijs locorum, vel alijs à Sede
Apoſtolica delegatis ritè, ac legitimè, ſecun-
dum Iuris formalitates fabricari ſolent; ſed lo-
quimur de proceſſibus iam olim multis ab hinc ſæculis de
alicuius Dei famuli vita ac virtutibus formatis, de quorum
legitima conſtructione aliquo ex capite dubitari merito poſ-
ſit. Nec enim nouum eſt, aut nuper inuentum in Eccleſia
C de actis ſeruorum Dei fabricare proceſſus, priuſquam publi-
cus ijs cultus Sanctorum decernatnr, ſed iam inde ab ipſo
naſcentis Eccleſiæ exordio, & Apoſtolorum temporibus
vſitatum; vt latius à nobis demonſtrabitur libro 4. præſen-
tis operis, qui eſt de formandis huiuſmodi proceſſibus. At-
que in primis S. Clementem S. Petri Apoſtoli diſcipulum,
& poſtmodum in Pontificatu ſucceſſorem, ſeptem Nota-
rios conſtituiſſe legimus per regiones Vrbis, qui acta Mar-
D tyrum collecta adnotarent, & in Archiuijs Eccleſiaſticis fi-
deliter conſeruarent. Et plures alij Summi Pontifices idip-
ſum diligentiſsimè curarunt. quin tanta cum cura, ac dili-
gentia in his procedebat Eccleſia, vt non ſolum ipſa per ſuos
Diaconos, & Notarios de actis ſanctorum Martyrum, & no-
tis fortitudinis, & charitatis in Deum, & Chriſtum, deque
finali eorum perſeuerantia anxiè, ac curioſè inquireret; ſed
etiam proceſſus in tribunali ethnico de dictis Martyribus fa-
brica-

bricatos pretio redimeret, vt aduertit Baronius tom. 2. ad A
annum Chriſti 238. num. 2. vt certo nempe cognoſceret, anſanam vbique, & Apoſtolicam doctrinam Martyr profeſſus fuiſſet, quaque fortitudine, ac ſpe in Chriſtum martyrium tandem conſummaſſet. Hæc enim omnia ab interrogationibus Martyri factis, & eiuſdem in ethnico tribunali reſponſis intra cancellos hauriri poterant. cætera vero quæ circa eoſdem Martyres extra cancellos agebantur, vel dicebantur, ipſi Eccleſiæ Notarij, vt dicit Baronius, magna adhibita B
cautela conſuetis notis quam celerrimè in tabulas referebant. Quam ſanctiſsimam conſuetudinem ad noſtra vſque tempora continuò retinens Eccleſia Romana, nulli, etſi Martyri, cultum & venerationem præſtare conſueuit, niſi prius fabricato iuridico proceſſu de illius actibus, virtutibus, & miraculis ab Ordinarijs locorum, qui hæc diligenter à ſe diſcuſſa ad Sedem Apoſtolicam deferunt: quæ deinde ex proceſſu ab Ordinarijs fabricato ſanctitatis indicia deſumens, C
ipſa pariter fabricato iuridico proceſſu eadem acta diligentiſsimè diſcutit, & examine rigoroſo expendit.

Quodnam igitur ſanctitatis argumentum hauriatur ad effectum canonizationis alicuius ſerui Dei, ex proceſsibus, vigore remiſſorialium fabricatis, atque debitis circumſtantijs ſeruatis; viderint hi, quibus cura fuerit demandata illos excutiendi. quia nos de his non loquimur, ſed de longè antiquioribus. Cum enim interdum acciderit, de actibus ali- D
cuius ſerui Dei ad effectus canonizationis inchoari & compleri proceſſus; interdum vero, ob aliquod ſuperueniens impedimentum, vel proceſſum inchoatum non compleri, vel etiam completum non deduci ad iudicium, aut debita cum auctoritate firmari, ac ſtabiliri: cumque non pauci ex his proceſsibus tam completis, quàm incompletis habeantur non ſolum in archiuijs publicis ciuitatum, Epiſcopatuum,

ac

A ac Monaſteriorum habentium iuriſdictionem Ordinariam, vel quaſi Ordinariam; ſed etiam in priuatis archiuijs, ac bibliothecis Monaſteriorum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium reperiantur: quærendum hoc loco duximus, quale ſanctitatis argumentum ſumatur ab huiuſmodi proceſsibus, fabricatis ea ratione qua dictum eſt; completis, vel incompletis; atque in prædictis archiuijs ſeruatis; ac poſtmodum repertis.

B In quo tria maximè ſunt animaduertenda, nempe valor proceſſus, loca in quibus aſſeruantur, & characteres quibus conſcripti ſunt. nam ad validitatem alicuius proceſſus ad Iuris rigorem exacti, aliqua ſunt de ſubſtantia, quia nimirum pertinent ad eius ſolemnitatem, vt ſuo loco lib. 4. dicetur: alia ſunt accidentalia proceſsibus, ac proinde ſanabilia. Ad eorum autem ſolemnitatem pertinet, vt ſint fabricati à Iudice competenti, qui auctoritatem habeat fabricandi pro-

C ceſſum in ea cauſa. quamobrem in exordio proceſſus de auctoritate Iudicis, & Notarii conſtare debet, necnon de auctoritate curſorum qui ad citationes faciendas deputantur. Sic etiam in diſcuſſione proceſſus neceſſario conſtare debet de iuridica teſtium interrogatione præcedente iuramento, quodque teſtes ſigillatim, & ſecreto interrogentur, & de reliquis omnibus quæ de iure requiruntur ad legitimam alicuius proceſſus conſtitutionem. De quibus omnibus libro

D iam citato latius à nobis agetur. Sunt aliqua alia, vt dicebamus, quæ non ſunt de ſolemnitate iuris in fabricando proceſſu: nimirum quod teſtis alicuius ætas, conditio, & profeſsio exprimantur, quod teſtis iuraſſe dicatur iuxta formam ſolitam, non tamen exprimatur ſub qua forma iurauerit. Quæ quidem circumſtantiæ, & conditiones quamuis ad fabricam proceſſus ſecundum iuris rigorem requirantur; poſſunt tamen à Principe ſanari reliquis conſideratis. Quam-

obrem

obrem prædicti proceſſus, vel erunt validi omnibus ex partibus ſolemnioribus; vel erunt inualidi ex aliquo defectu ſubſtantiali, vel accidentali: & de vtriſque dubitari poteſt, quodnam ſanctitatis argumentum ſuppeditent ad effectum beatificationis, & canonizationis. A

Conſiderandus quoque erit locus in quo prædicti proceſſus, de quibus loquimur, reperti fuerint, & qua ratione cuſtoditi. an nimirum obſignati, & clauſi in prædictis archiuiis, & locis reperti fuerint, ita vt nulli fas fuerit illos aliquando aperire, legere, ac notare: an vero nullo ſigno conſtricti cuſtoditi extiterint, & fas fuerit cuicunque dicta loca adire, & pro libitu prædictos proceſſus aperire, inſpicere, legere, annotare, demere, aliaq; facere quæ ſcripti ſinceritatem ſuſpectam facere poſſent: deinde etiamſi id non licuerit; ſaltem aliquando id potuerit contigiſſe. hac enim ex ratione paginarum numerus diligenter notari conſueuit in proceſſibus, ne aliquando paginam aliquam ex eis demere alicui liceat, ac proceſſum vitiare. B C

Conſiderandus pariter character: videlicet an prædicti proceſſus ſic cuſtoditi eodem, vel diuerſo fuerint charactere conſcripti: an alicubi tranſuerſi calami notæ, vel mutilationes, & hiatus, vel etiam additiones appareant: & an eiuſdem appareat manus ſcribentis, & adnotantis. De vtriuſque enim auctoritate, ac fide diligenter quærendum eſt, eo quod in proceſſu ſcriptorum auctoritas à ſcribentium quoque auctoritate dependeat. qui, videndum quoque, vnuſue an plures fuerint: deinde an proceſſus ſic repertus in archiuiis, vel armariis prædictis, ſit originalis proceſſus Iudicis auctoritate fabricatus, an eiuſdem originalis copia, vel exemplar. vbi, qua fuerit auctoritate exemplatus, aliaq; cognoſci debent, ne in aliquo vitiatus appareat, ac meritò ſuſpectus. D

Exiſtimo igitur nullum omnino ſanctitatis, nec argumen-

tum,

A tum, nec indicium, nec fumum hauriri, ex proceſsibus informibus, & vitiatis in quibus caſſationes locorum, vel additiones, vel chartarum mutilationes cernantur, vel de quibus ſuſpicio tandem aliqua occurrere poſsit: ſiue agatur de proceſſu aliquo auctoritate Ordinarij fabricato, ſiue de proceſſu fabricato auctoritate Sedis Apoſtolicæ. Nam ab omni æuo, ex Iuriſperitorum doctrina, proceſſus vitiati, & informes, nullius omnino ſunt vſus in Iudicijs, ſententiaque
B lata quæ huiuſmodi proceſſibus innititur, omnino nulla, & inualida cenſenda eſt in quibuſcunque cauſis, ſiue ciuilibus, ſiue criminalibus, etiam in materia minimi ponderis, aut momenti. Multo igitur rationabilius arcendi ſunt huiuſmodi proceſſus vitiati, & informes à cauſis beatificationis, & canonizationis, cum tales cauſæ inter præcipuas Eccleſiæ numerentur, quarum iudicium vni Summo Pontifici reſeruatur. Nam ad argumenta ſanctitatis prærequiruntur præ-
C miſſæ certæ, & infallibiles: quæ nulla ratione hauriri queunt ex proceſsibus vitiatis, & informibus, quibus nulla fides habetur in iudicio, cum nec ſufficiant ad faciendam inquiſitionem. ideoq; nec indicium ab his ſumi poſſe dicimus, aut coniecturam (quæ ſola ſumitur ex rationabilibus ſignis, ac veſtigijs ſanctitatis) neque item fumum, qui debet colligi ex proceſſibus iuridicis auctoritate Ordinarii fabricatis. nihil autem horum occurrit in proceſſibus vitiatis. Vnde neque
D vllum præſtabunt ſanctitatis, non ſolum argumentum, ſed neque indicium, aut fumum. nam vt aliquod horum præſtent; nulla ex parte (quantum ad requiſita ex iuris ſolemnibus, tam ſubſtantialia, quàm accidentalia) vitiati videri debent.

Ex proceſſibus deficientibus in ſubſtantialibus, quamuis nulla ex parte vitiati cenſerentur, nullum ſimiliter ſumi poteſt, aut argumentum, aut indicium, aut fumus, aut conie-

ctura

ctura ſanctitatis ad effectum beatificationis, aut canoni- A
zationis. Quamobrem niſi conſtet legitimam Iudicem
habuiſſe auctoritatem in illa cauſa, de qua fabricauit pro-
ceſſum; quodque Notarius ſimiliter legitimam faculta-
tem notariatus habuerit, quam in his cauſis Eccleſiaſticam
eſſe neceſſe eſt, non autem laicam; & niſi conſtet teſtes le-
gitimè interrogatos fuiſſe ſigillatim & ſecreto, ac præuio iu-
ramento; aliaque ſeruata eſſe, quæ de iure ſeruanda ſunt:
proceſſus huiuſmodi totaliter ſtatim ipſo in limine ab Eccle- B
ſiaſtico tribunali ſubmouendi erunt.

Ratio noſtræ aſſertionis manifeſta eſt. quia fumus, vt ſæ-
pe diximus, ex legitimo proceſſu auctoritate Ordinarii fabri-
cato hauritur. Si ergo proceſſus de quo loquimur in ſub-
ſtantialibus deficiat, nō erit legitimus: adeoq; neque fumum
ſanctitatis prębere poterit. Coniecturæ autem ſunt præmiſſæ
quædam ex quibus intellectus manuducitur ad affirman-
dum, vel negandum aliquid, circa id quod quæritur. Sed ex C
contentis in tali proceſſu inualido non poteſt alicuius Iudi-
cis intellectus affirmare, vel negare ſanctitatem alicuius,
neque ferre aliquod iudicium de virtutibus, aut de miraculis
eiuſdem. igitur ex ſimili proceſſu, neque poterit haberi ſan-
ctitatis coniectura. Quod autem ex eodem nec indicium
hauriatur, manifeſtum eſt, quia omnia quæ habentur in eo
proceſsu ſunt incerta, & nullius auctoritatis, nec Iudex qui
vellet procedere in ea cauſa, ex eo proceſsu habet vnde D
moueatur ad inquirendum.

Confirmātur hæc ex cap. *Sancta Romana Eccleſia.* diſt. 15.
in quo dicitur omnino reſpuendos eſſe libros de actis ſancto-
rum, quorum ignorantur auctores, etiam ſi agant de ſan-
ctis qui iam venerationem habeant in Eccleſia. Multo igitur
rationabilius reſpuendi erunt in cauſis ſeruorum Dei, non-
dum ab Eccleſia probatorum, proceſsus deficientes in ſub-
ſtantia-

A ſtantialibus, ſine auctoritate Iudicis, ſine facultate Notario-
rum, ſine debito teſtium examine.

Pari ratione ex proceſſibus fabricatis coram Iudice lai-
co de actibus, virtutibus, & miraculis alicuius Dei ſerui de-
functi, nullum omnino hauritur, nec indicium, nec argu-
mentum, nec fumus Sanctitatis ad effectum Beatificatio-
nis, & Canonizationis: etiam ſi plenè & perfectè fabrica-
tus exiſteret. Ratio ſumitur ex defectu iuriſdictionis. nam
B cauſæ Beatificationis, Canonizationis, & cuiuſuis alterius
generis cultus, merè ſunt Eccleſiaſticæ, nec ad alium per-
tinent Iudicem quam ad Eccleſiaſticum, & ſpecifice ad Se-
dem Romanam, vt dicitur in cap. *Audiuimus*. de reliq. &
vener. Sanct. Quamobrem ſi afferratur in his cauſis aliquis
proceſſus laica auctoritate fabricatus; non ſolum veluti inua-
lidus reſpuendus erit, ſed etiam, veluti inuaſor iuris alieni,
cum ignominiæ nota repellendus.

C Idem dicendum reor, de Schedis ſiue apochis teſtimo-
nialibus (quas Itali vulgari vocabulo *fides* appellant) in
quibus aliquis fidē fecerit de miraculis ab aliquo Dei ſeruo
patratis, etiam in propria perſona; aut de aliquibus eorū vir-
tutibus, aut virtutum actibus, etiam ſi huiuſmodi ſchedę au-
ctoritate Notarij corroboratæ, & ab antiquiſſimis tempori-
bus datæ cenſerentur. Puto enim ex his nullum omnino
argumentum, fumum, indicium aut coniecturam Sanctita-
D tis hauriri ad effectum Beatificationis, aut Canonizationis.
Cum enim, ex antiquo & veriſſimo Iuriſperitorum dicto,
fides non faciat fidem; non poteſt teſtis dictū ſuum in ſcriptis
deponere. ita Nellus de S. Gemin. in tract. de teſt. num. 9.
& probat per cap. *teſtes* 3.q.9. & per cap. *ſi quis*. §. *abſens*.
de elect. in ſex. quia Iudex debet audire teſtem deponētem
& conſiderare qua fronte, vel qua trepidatione loquatur l.
de minore §. *tormenta* ff. de quæſtionib. & notat Innocent.

in cap. *Quoniam contra falſam.* de probation. quæ omnia habent locum maxime in criminalibus, vt notat idem Nellus, ac per conſequens in cauſis Canonizationū, quę cauſis criminalibus æquiparantur, cum in his de actibus, & moribus ſeruorum Dei inquiratur. Deinde teſtes corrupti pecunia, precibus, vel promiſſionibus nullam fidem faciunt, etiam ſi verum dicant, neque in quoquam mentiantur, & iuridice deponant. Oldrad. de teſt. n. 18. Bart. l. *ſi quis teſtibus* ff. de teſt. In prædictis autem ſchedis ſuſpicio de corruptione magna haberi poteſt. Præterea dicta teſtium ſponte deponentium, nullius ſunt roboris: cum non procedatur prout de iure, pręmiſſa nimirum citatione, & pręuio iuramento. Vnde patet prædictas ſchedas, etiam notarij alicuius auctoritate roboratas, non habere vim teſtimonij, adeoque nullius eſſe roboris, aut valoris, in his cauſis, pręſertim Beatificationis & Canonizationis. Quibus addi poteſt defectus iuriſdictionis in Notario. quamuis enim is ratione artis Notariatus, dicatur Iudex Ordinarius, nullam tamen in his cauſis habet iuriſdictionem niſi Notariatus, ſi tamen eam habet. Specialis namque deputatio in his cauſis prærequiritur, ac proinde non eſt Notarijs etiam Eccleſiaſticis licitum, teſtium depoſitiones recipere in cauſis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis. Confirmantur hactenus dicta hac generali ratione, quod prædictæ ſchedæ, & atteſtationes non admittantur in cauſis criminalibus. vnde videtur multo minus admittendas eſſe in ſupremo iudicio Eccleſiæ, quod ad effectum Beatificationis, Canonizationis dirigitur.

Sed fortaſſe putabit aliquis, ſchedas prædictas aliquod robur habituras, ſi auctoritate alicuius Prothonotarij Apoſtolici munitæ extiterint. quando, quotquot Prothonotariatus honore ac titulo decorari fuerunt, his præſertim de cauſis inſtituti fuerint in Eccleſia, vt nimirum fabricarent proceſ-

ſus de

A ſus de actis ſanctorum Martyrum. Hinc enim colligi videtur potuiſſe olim, atque modo poſſe Prothonotarios Apoſtolicos, admittere depoſitiones teſtium, aliquid deponere volentium de actibus virtutum, & de miraculis alicuius Dei ſerui: ac proinde, quod ſchedæ alicuius Prothonotarij Apoſtolici auctoritate roboratæ admitti debeant in iudicio Eccleſiæ, ad effectum Beatificationis, & Canonizationis.

Nihilominus contrarium omnino tenendum arbitror, B has ſchedas nimirum roboratas auctoritate alicuius Prothonotarij Apoſtolici, etiam ſi is foret ex ſeptem Prothonotarij, qui ſpeciali priuilegio condecorati ſunt; nihilominus nullius roboris in hac materia cenſeri debere. Falſum enim eſt, quod Prothonotarii à S. Clemente inſtituti haberent ius fabricandi proceſſus de actis Martyrum. dicuntur namque inſtituti, non ad fabricandum proceſſum de actis SS. Martyrum, ſed vt colligerent acta Martyrum. ita Damaſus, & C Anaſtaſius Bibliothecarius in Vitis Pontificum: vt nimirum agerent cum Notarijs, qui acta Martyrum, & reſponſa illorum ad interrogationes in tribunali ethnico adnotarant: & prolata etiam pecunia proceſſus prædictos redimere ad hoc curarent, atque in ſcrinijs Eccleſiæ reponere. At vero in proceſſu fabricando de actis SS. Martyrum S. R. E. Diaconi Cardinales, vt Iudices deputati fuerunt à ſanctis illis Pontificibus, vt ſuo loco monſtrabitur. qui etiam Diaconi Car- D dinales Prothonotarijs ſuperintendebant, ac præerant, vt digni ac legitimi Iudices in negotio tam graui: vt ex decretali S. Pij manifeſtum eſt.

Sed veniamus tandem ad proceſſus integros, verum incuria eorum qui Archiuis præerant, negligenter ſeruatos. ex quibus quidem arbitror nullum validum argumentum ſumi poſſe ad effectum Beatificationis, & Canonizationis, quacumque auctoritate fabricati extiterint. Debent enim

huiuſmodi proceſſus iuridice fabricati, ſiue Ordinarij, ſiue Apoſtolica auctoritate, obſignari, & cuſtodiri in debitis Archiuijs, ita vt nemo poſsit illis aliquid addere, aut demere; quia ad Beatificationem & Canonizationem ſeruorum Dei requiruntur proceſſus, qui in nullam ſuſpicionem vel minimæ falſificationis vocari poſſint, tanquam teſtes omni exceptione maiores. teſtium enim vocabulo veniunt etiam inſtrumenta, ſcripturæ, & proceſſus per l. *Inſtrumentorum nomine*. Digeſt. lib. 21. tit. 4. qui eſt de teſtib. Non ſunt vero omni exceptione maiores proceſſus fabricati in cauſa canonizationis, qui non fuerint clauſi, obſignati, & iuridice conſeruati; cum maiores certioresq; exiſtant, qui clauſi, obſignati, & iuridicè conſeruati fuerint, quique nullam falſificationis ſuſpicionem patiuntur. Illi enim aliquando potuerunt falſificari non iſti. A B

Ex proceſſibus vero formatis ab Ordinario loci, vel ab Apoſtolica Sede, & non vitiatis in his quæ ſunt de ſubſtantia Iuris, & ad ſolemnitatem Iudicij ſpectant, ſed in aliquibus tantum accidentalibus; ex his, inquam, aliquod indicium, ſeu fumus ſanctitatis ſumi poterit ad effectum Beatificationis Canonizationis. Nam quamuis vnicum indicium non faciat plenam, neque ſemiplenam probationem; & indicium ſit minus, quam ſemiplena probatio; Curt. Pap. tract. de teſt. concl. 62. Tyndar. ibid. n. 36. per ea, quæ notat glo. l. *cum probatio*. ff. de probat. nihilominus ex pluribus indicijs, & veroſimilibus coniecturis ſequitur, ſaltem fieri ſemiplenam probationem. Vbi vero habetur ſemiplena probatio; Iudex iure procedit ad inquirendum in cauſa, & ad fabricandum proceſſum. Sumuntur enim indicia proxima apud Iuriſperitos ex quocunque ſigno, veſtigio, vel motiuo quod Iudicem mouere poteſt ad inquirendum de aliquo crimine. Indicia namque remota, ſeu generalia non ſunt C D

haben-

A habenda in numero in his cauſis grauioribus: cum præſertim, vt dicemus lib.4. cauſæ Beatificationis, & Canonizationis reuocentur ad cauſarum criminalium genus. cum enim ex doctrina Ariſtotelis ab omnibus Philoſophis, & Theologis recepta, contrariorum ſit eadem diſciplina; in cauſis autem criminalibus, de culpis & criminibus alicuius agatur; & in cauſis Beatificationum, atque Canonizationum de virtutibus; propterea in his procedendum erit quemad-
B modum & in illis: certumque, quantum ad iuris apices, erit has cauſas ſubiacere eiſdem legibus, ac doctrinis, quemadmodum illas in quibus de peccatis, & criminibus agitur. Cum igitur ex proceſſu vitiato, & inualido in accidentalibus quantum ad rigorem iuris, non tamen in his quæ ſunt de ſolemnitatibus, & de ſubſtantia proceſſus, Iudex ſæcularis habeat vnde moueatur ſufficienter ad inquirendum de culpis: etiam iudex Eccleſiaſticus habebit vnde ſufficiēter mouea-
C tur ad inquirendum de ſanctitate alicuius, ad effectum Beatificationis & Canonizationis. propterea arbitramur ex huiuſmodi proceſſibus vitiatis tantum in accidentalibus, quamuis non habeantur ſufficientia documenta ſiue argumenta ad Beatificationem, & Canonizationem alicuius cùm ſanctitatis opinione defuncti; hauriri tamen ſufficientia indicia ſanctitatis, ad prædictus effectus.

Sed agamus iam de proceſſibus ſubſtātiatis omnibus vn-
D dequaque ſolemnitatibus. & quidem ex proceſſibus de actis alicuius Dei ſerui fabricatis olim ab Ordinarijs locorum, vel habentibus facultatem quaſi ordinariam & Epiſcopalem, ex quibus conſtiterit de virtutibus, & miraculis alicuius Dei ſerui: ſi ritè ac rectè fabricati fuerint; omninoque validi cenſeantur; ex his, inquam, ſufficiens fumus ſanctitatis hauritur, non autem argumenta ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. Pro cuius aſſerti explicatione ad-

uertendum occurrit, quod quamuis fortaſſe apud iuriſperitos plus dicat *indicium*, quam *fumus*; tamen in his noſtris cauſis plus dicit fumus, quam indicium. Etenim fumus ſanctitatis, vapor ille ſuauiſſimus appellatur, qui apud fideles ex actibus, & virtutibus alicuius Dei ſerui, & ex miraculis exhalans, famam efficit ſanctitatis. De quo fumo dicebat Apoſtolus *Chriſti bonus odor ſumus*. Cum igitur fumus iſte diuinus huc, illucue diſperſus, ac diffuſus, aura Spiritus ſancti flante, ad excitandum fideles, tandem ad Sedem Apoſtolicam peruenerit; hæc ipſa, cuius eſt inuigilare pro ouibus commiſſis, alicuius defuncti cognitis virtutibus, vt illum imitandum toti Eccleſiæ proponat; ex officio de veritate rei, eorumque quæ de illius ſanctitate prædicantur, ſedulo inquirit ac diſquirit. A B

Quod autē ex prędictis proceſſibus ab Ordinarijs fabricatis fumus ſanctitatis exurgat, inde manifeſtum eſt, quod fumus ſanctitatis dicitur illud, à quo mouetur, vel moueri poteſt ſufficienter Sedes Apoſtolica ad inquirendum de actibus, & virtutibus alicuius defuncti ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. ex proceſſibus autem iam dictis Sedes Apoſtolica mouetur, & ſufficienter moueri poteſt ad inquirendum de actibus, virtutibus, & miraculis alicuius. imo non alias mouetur Sedes Apoſtolica, niſi prius ab Ordinarijs locorum proceſſus prædicti fabricati fuerint, vt docet Abbas, & Hoſtienſis in cap. *Audiuimus*. de reliq. & vener. Sanct. ergo ex proceſſibus fumus ſanctitatis exurgit. fumus inquam, non autem argumenta certa ſanctitatis. Itaque ſi alicubi in aliquo archiuio vel ſacrario aliquis talis proceſſus, ad fauorem alicuius Dei ſerui iam olim fabricatus, reperiatur obſignatus, & prout de iure cuſtoditus; non quidem ſanctitas probata cenſeri debet, ſed ex eo haurietur fumus ſanctitatis ſufficiens, vt ab illo Sedes Apoſtolica mo- C D

ca mo.

A ca moueatur ad inquirendum de reliquis quæ ad alicuius Beatificationem, & Canonizationem inquiri, & examinari conuenit.

Reſtat igitur, vt omnino valida argumenta ex ſolis proceſſibus remiſſorialibus ſumantur, qui de actibus, & miraculis alicuius Dei ſerui Sedis Apoſtolicæ auctoritate fabricati, omnino validi reperti fuerint, atque in nullis ſubſtantialibus deficientes. Nam ad effectum Beatificationis & Canoniza-
B tionis (in non martyre) prærequiruntur præmiſſæ certæ & manifeſtæ, virtutes nimirum in gradu heroico, & miracula clara, & indubitata, tam in vita, quam poſt mortem. Ex proceſſibus autem ritè ac rectè fabricatis Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ſuper virtutibus, & miraculis alicuius, in quibus ritè ac iuridice teſtes ſint interrogati, ex quorum depoſitionibus conſtet iuridicè de actibus virtutum & miraculis alicuius, habentur præmiſſæ certæ, & indubitabiles de ſanctitate
C alicuius: igitur & ex his clara, & aperta ſumentur argumenta; atque adeo ſi taliter fabricati proceſſus reperiatur in antiquis ſcrinijs, vel archiuijs alicuius Eccleſiæ, & examinati per Patres Sacræ Congregationis, vel per alios à Summo Pontifice ad id deſtinatos reperiantur integri, & in omnibus validi; poterit Romana ſedes abſque aliquo alio
D proceſſu ad eius Beatificationem, & Canonizationem, cùm Sanctiſſimo Domino placuerit, procedere.

A

CAP. VI.

Quale ſanctitatis argumentum ſumatur ab Hiſtoria.

HISTORIÆ vocabulum à Græco ἱστορέω deriuatur, quod idem valet ac, inquiro, video, B ſcio, interrogo, audio, narro. Ipſum porrò ἱστορέω deriuatur à verbo ὀρφίω, quod ſignificat video. Vnde colligitur ad intrinſecam rationem veræ hiſtoriæ requiri, vt ſit narratio de re viſa, vel quaſi viſa. quod etiam docuit Ludouicus Viues de cauſis corrupt. artium. Verus igitur Hiſtoricus dicetur qui res viſas, vel aliqua alia via ſibi certas, & indubitanter cognitas ſcriptis explicat. &, *quicquid verè, & grauiter explicatur,* C *hiſtoria dici poteſt*, ex Budęo in comment. ling. græcæ. Oculus igitur, aut, ſi mauis, anima omnis Hiſtoriæ, eſt veritas. Vnde rectè Strabo lib. 1. Geographiæ: *Hiſtoriæ finis eſt veritas, nec oſtentationi, ſed fidei veritatique componitur. ergo hiſtoria* (inquit ille) *non debet egredi veritatem: & honeſtè factis veritas ſufficit*. & Polyb. lib. 1. hiſtor. *Perinde, ac ſi quis oculos animantis effoderit, quicquid ſupereſt corporis inutile fit: ita dempta ex hiſtoria veritate, narratio omnis* D *inutilis eſt*.

Quantum vero ad Hiſtoriæ auctoritatem attinet, certum eſt illam non habere aliam auctoritatem, quàm habuerit eius ſcriptor ſiue conditor. Quamobrem ſi auctor hiſtoriæ vir grauis, doctus, atque in exquirenda rerum geſtarũ veritate accuratus, ac diligens cenſeatur; illius profectò hiſtoria grauis, veridica, ac præcipuæ auctoritatis ac fidei habebitur.

Si ve-

A Si vero aut in exquirenda veritate minus diligens extiterit,
atque ad quæcumque à quibuſcumque audita conſcriben-
dum facile ac temere procurrere ſolitus; aut in alijs fidei pa-
rum ſinceræ exſtitiſſe compertus ſit; plurimum de Hiſto-
riæ eius auctoritate decedet, nec plena & indubitata ſcriptis
illius fides adhibebitur: nec ſtandum erit ipſius dictis ac te-
ſtimonio, potiſſimum in his quæ pertinent ad actum iudi-
cij in rebus Religionis, ac cultu Sanctorum: ſiue iudicium
B illud fuerit vltimo terminatum, qualis eſt Canonizatio; ſiue
non vltimo terminatum, qualis eſt Beatificatio; ſiue in qua-
cumque tandem alia cauſa de ſpeciali aliquo cultu, quan-
tumuis minimo, ex indulgentia Sedis Apoſtolicæ Dei ſeruis
concedendo.

Non omnes igitur hiſtoriarum auctores in æquali gradu
auctoritatis ſtabunt: ſed prout grauitate, doctrina, iudicij
in diſquirenda veritate acrimonia, præſtiterint; alius alio
C maioris dignitatis, atque auctoritatis cenſebitur. In quo, vi-
rorum maximè doctorum iudicio, ac cenſura ſtandum erit,
qui, qua quiſque fide aut in toto opere, aut in aliqua eius
parte dignus ſit, aliquando pronuntiauerint. Euenit enim
interdum, vt cetera graues, ac ſerij Hiſtorici, Principum, ſub
quiqus ſcribunt, metu aut adulatione, deinde rerum domé-
ſticarum, patriæ, amicorum amore præpediti, veritatem
interdum aut minus recte videant, aut de induſtria tegant,
D vel adulterent. Nam in multis decipimur omnes. & Pro-
phetæ teſtimonio, *Omnis homo mendax*.

Atque hinc perdifficile eſt decernere, quodnam argu-
mentum ad effectum Beatificationis & Canonizationis ab
Hiſtoria deſumi poſſit. cum ſolius ſit Iudicis, pro ſuo arbi-
trio id decernere, &, quam volet, auctoritatem Hiſtorico
(alias non damnato) tribuere. Ego tamen, quæ mihi in
hac materia probabiliora videntur, indicare non verebor,
ſuum

ſuum alijs iudicium ex integro relinquens. Atque in primis pro certo conſtitui poſſe reor, ex actis, & geſtis piorum virorum relatis in aliqua hiſtoria cuius ignoretur auctor, nullum omnino colligi poſſe ſanctitatis argumentum, indicium, aut coniecturá, ad effectú Beatificationis vel Canonizationis. Pro qua veritate ſtat decretum Concil. Tridentini, ſect. 4. in quo prohibentur libri incerti auctoris. & cap. *Sancta Romana Eccleſia*. diſt. 15. quod eſt Gelaſij primi. item decretum in concilio ſeptuaginta Epiſcoporum Romæ habito: in quo cum ageretur de geſtis aliquorum ſanctorum Martyrum; prædicta acta hac de cauſa reiecta fuerunt, quod ignoraretur à quibus fuiſſent conſcripta, & multa fuiſſe addita ab Idiotis dubitari poterat. Citati textus hæc ſunt verba: *Item geſta Sanctorum Martyrum qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confeſſionum triumphis irradiant. Quis ita eſſe Catholicorum dubitet, & maiora eos à gentibus fuiſſe perpeſſos, nec ſuis viribus, ſed gratia Dei, & adiutorio vniuerſa toleraſſe? ſed ideo, ſecundum antiquam conſuetudinem, ſingulari cautela in Sancta Romana Eccleſia non leguntur; quia & eorum qui conſcripſere nomina penitus ignorantur, & ab Infidelibus, aut Idiotis ſuperflua, aut minus apta quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur. Sicut cuiuſdam Quirici, & Iulitæ; ſicut Georgij, aliorumque huiuſmodi paſſiones: quæ ab Hæreticis perhibentur conſcriptæ. Propter quod, vt dictum eſt, ne vel leuis ſubſanandi orir etur occaſio, in Sancta Romana Eccleſia non leguntur*. ex quo manifeſtè patet, quæuis ſcripta de vitis ac geſtis ſeruorum Dei, quorum ignoretur auctor, omnino ab Eccleſia reijci; adeoque nullum facere argumentum, indicium, aut coniecturam ad effectum Beatificationis aut Canonizationis.

Si enim acta ſanctorum Martyrum, quos iam colit, ac veneratur S.R.E. nihilominus reijciuntur, eo quod illorum

acto-

A actorum ignorantur auctores; multo magis reſpuenda erunt geſta, ac vitæ eorum, quos nondum Beatificatione, Canonizatione, vel alio aliquo genere cultus Eccleſia dignos iudicauit, ſi itidem eorum ignorantur auctores. Cum enim, vt dicebamus, tota auctoritas cuiuſcunque hiſtoriæ, eorumque quæ in illa referuntur probabilitas, ac fides, ab auctoritate ac dignitate Hiſtorici omnino dependeat; vbi ſcriptor incertus aut nullus erit; incerta aut nulla quoque erit ipſius ſcripti
B auctoritas: in præſenti præcipuè materia, quæ circa ſanctorum cultum ac venerationem verſatur. Scimus enim ex monumentis Eccleſiaſticis, hæreticos, non ſolum è ſuo grege multos confinxiſſe ſanctos, ſed etiam Catholicorum, ideſt verorum martyrum, acta conſpurcaſſe, ac mira fabricaſſe commenta in Catholicæ Fidei, ac Religionis opprobrium, adque eius auctoritatem conuellendam ac deſtruendam.

C Certum eſt quoque, nullum ſanctitatis argumentum, ad effectum Beatificationis aut Canonizationis, deſumi poſſe ex Hiſtorijs manuſcriptis de vita ac geſtis ſeruorum Dei, in Eccleſiæ alicuius vel Monaſterij archiuio aut Bibliotheca repertis, quorum auctor ignoretur. Nam quamuis alias manuſcripta plus habeant auctoritatis, quam impreſſa, cùm hæc ex illis emendentur; in præſenti tamen materia, eadem vtrorumque eſt ratio. præſertim, quando tempore Gelaſij
D primi (ſub quo factũ eſt cap. *Sancta Romana Eccleſia*. diſt. 16. contra libros incerti auctoris) nondum ars impreſſoria extiterit. reſoluendum eſt igitur, ex incerti auctoris hiſtorijs, ſiue manuſcriptis, ſiue impreſſis, quibus vita, & geſta alicuius Dei ſerui deſcribuntur, nullum omnino nec argumentum, nec indicium, nec coniecturam colligi ad effectum Beatificationis, Canonizationis, aut alterius generis cultus.

Idipſum dicendum videtur, de hiſtorijs, & rebus geſtis

con-

conſcriptis ab aliquo ſchiſmatico, hæretico, vel alio auctore A fidei non probatæ. Et colligitur apertè ex eodem cap. *Sancta Romana Eccleſia*. diſt. 15. in quo legi prohibentur in Eccleſia quorundam Sanctorum Martyrum acta, quia *ab Infidelibus, aut idiotis, ſuperflua aut minus apta quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur*. & paulo infra: *Cæterum, quæ ab hæreticis ſiue ſchiſmaticis conſcripta, vel prædicata, ſunt, nullatenus recipit Catholica, & Apoſtolica Eccleſia Romana*. Vbi & inter acta ab Hæreticis ſcripta, adeoque inter apocrypha B habenda, ſpecificantur acta SS. Petri, Andreæ, Philippi, Thomæ Apoſtolorum, pluriumque aliorum. Ratio autem eſt: quia ad formandum iuridicum proceſſum in cauſa Canonizandorum, teſtes requiruntur omni exceptione maiores, qui videlicet nulla ſuſpicionis macula laborent. Tales vero eſſe non poſſunt Infideles, Hæretici, aut Schiſmatici. qui nec ad dicendum quidem teſtimonium admitti poſſunt. Bartol. in l. *quoniam*. C. de hæret. & in l. *Caſſius* ff. de C ſenat. ſpeculat. tit. de teſt. §. 1. col. 36. ver. *quid de portantibus* aut ad deponendum in iudicio, pręſertim Eccleſiaſtico, cum in Eccleſia infames exiſtant. authent. *Gazaros*. C. de hæret. & l. penult. eo tit. ita vt nec etiam in cauſis minoris momenti admittantur, niſi in paucis quibuſdam caſibus, de quibus Doctores.

Sed videamus nunc, quantum valeant hiſtoriæ certi auctoris, & Catholici, in materia ſcilicet Beatificationis & Ca- D nonizationis. diximus enim ſupra, non omnes vnius atque eiuſdem eſſe ponderis. In quo aduertendum primò, an Hiſtoria, de cuius auctoritate agetur, vniuerſalis ſit, an vero particularis. Vniuerſalis autem erit, ſi res toto Orbe à varijs nationibus geſtas, aut in præcipuis eius partibus, Europa puta, Aſia, aut Africa complectatur. Particularis vero Hiſtoria dicetur, quæ tantum particularis alicuius Prouin-

ciæ

A ciæ deſcriptionem, aut rerum in ea geſtarum enarratio-
nem continebit. v. g. Galliæ, Germaniæ, Italiæ, aut etiam
priuatæ alicuius Prouinciæ, Vrbis, Communitatis, Ordinis,
ſiue inſtituti tam militaris, quam regularis. & Hiſtorica de-
nique, de Regis alicuius, Principis, Ducis, Pontificis, Epi-
ſcopi, aut alterius bellicis vel togæ artibus clari, aut vitæ
ſanctitate commendati vita, rebusque geſtis inſtituta nar-
ratio.

B Attendendum quoque in Hiſtorico, an ſui temporis, an
vero præteriti, & antiquioris ſæculi hiſtoriam ſcribat. plus
enim auctoritatis habebit, qui ſui temporis res geſtas refe-
ret. Nam quæ acta ſunt, dum auctor viuebat, cognoſcere ipſe
& perquirere diligentiſſimè potuit. quæ vero illius ætatem
præceſſerunt; non niſi aliorum vel ſcripto, vel relatione
(quibus ſæpe iudicium, aut ſinceritas deeſt) perdiſcit.

Conſiderandum præterea, cuinam hiſtoria fuerit dicata,
C aut cuius gratia conſcripta; nam metus offendendi illum
cuius gratia ſcribendo captatur, auctori libertatem adimit,
vitia, errores, aut malefacta gentis, aut familiæ eius cui fue-
rit dicata hiſtoria, aut eorum qui aliquo modo ad illum per-
tinent, deſcribendi, notandi, corripiendi. Contra, quæcum-
que ab ijs geſta erunt, ſi mala, ſilentio præteriri aut colo-
re aliquo tegi videmus: ſi bona, quantumuis leuia & exi-
gua; exaggerationum cothurnis in cælum efferri: Veritatis
D minima, aut nulla ſæpe ratione habita. Quæ ſcribendi
corruptela valde ſæculo noſtro obtinet. Atque hæc eſt ra-
tio cur non multum fidendum ſit hiſtorijs noſtrorum tem-
porum, vbi Principum, præcipuè acta aut aliquorum adhuc
viuentium res geſtæ litteris mandantur.

Dico igitur, ex Hiſtoria vniuerſali, quæ alicuius cum opi-
nione ſanctitatis obiter mentionem fecerit, nullum poſſe
ſumi efficax argumentum, neque indicium ad effectum

Bea-

Beatificationis aut Canonizationis. quia vel auctor Hiſtoriæ A
acta alicuius pij viri eiuſdem ſecũ regionis,regni,ac Prouin-
ciæ ſcribit,vel alterius. Si alterius; (exẽpli gratia;ſi quis Hi-
ſtoricus Italus ſui tẽporis hiſtoriam texens, in illa aliquando
de actis in Gallia, Hiſpania, aut Alemania pertractet) facilè
contingere poteſt illum decipi, cum ea nequeat ille cogno-
ſcere niſi ex relatione aliquorum qui decipi, aut decipere
poſſunt: ac proinde ipſe quoque decipietur, aut ſaltem de-
cipi poteſt. Cumque ex teſtimonio, & depoſitione teſtis, B
qui deponit ex relatione alterius, qui decipi & decipere po-
teſt, nullum habeatur argumentum in actu iudicij, nec
etiam ad inquirendam ſufficiens indicium; colligitur, nec
coniecturam, nec indicium hauriri poſſe ex tali hiſtoria ad
effectum Beatificationis, aut Canonizationis, aut alterius ge-
neris cultum.

Si vero Hiſtoricus nationis propriæ, & propriæ regionis
acta ſucceſſusq; conſcribet; attendendum erit, an is de C
cuius vita ac virtutibns agit, in eadem cum illo regione, vr-
be, loco, aut non procul inde vixerit. Deinde an fuerit eius
conciuis, aut illius in cuius gratiam hiſtoriam conſcriben-
dam ſuſcepit. Sicut enim prius illud facit, vt eum optimè
talis viri facta cognouiſſe credamus; ita poſterius illud ſuſpi-
cionẽ præbet, ne fortè aliqua paſſione, aut affectu abductus
à vero tantiſper declinauerit. Si vero Romanus Hiſtoricus
totius Italiæ hiſtoriam texeret, extolleretq; ſanctitatem vitæ D
alicuius qui Mediolani, Venetijs, Neapoli, conuerſatus na-
tusve eſſet;quamuis non præſtaret legitimum argumentum
coniecturam, aut indicium ad effectum cultus: quia teſti-
monium vnius, eſt dictum nullius: nihilominus, ſi adſint
alia adminicula, rumorem de fama ſanctitatis fortè ſubmi-
niſtrare poterit.

Diſtinguenda quoque Hiſtoria in Eccleſiaſticam, ſiue

ſacram,

A ſacram, & laicam ſiue prophanam. Hæc complectitur Regum, aut Nationum bella, Imperiorum & Regnorum mutationes, Rerumpublicarum inſtitutiones, Principum, Ducum, Sapientum, Oratorum, Poetarum, & aliorum illuſtrium Virorum acta. ita ſcilicet, vt interdum res etiam ſacras, aut Eccleſiaſticas attingat; verùm obiter, atque incidẽter. Hiſtoria vero Eccleſiaſtica Religionis originem, ac progreſſus, conuentus Patrum ad concilia, fundationes Eccleſia-
B rum, Epiſcoporum ſeries, Synodos Eccleſiaſticas, acta & geſta Epiſcoporum, exordia Regularium inſtitutorum, ac piorum virorum in his geſta deſcribit.

Eſtque alia Vniuerſalis, illa nimirum quæ continet acta, & geſta totius Eccleſiæ, qualis eſt ea, quam olim ſcripſit Euſebius, Socrates, Euagrius, Ruffinus & noſtris temporibus vir æterna memoria digniſſimus Cæſar Baronius: Alia vero particularis, quæ vnius tantum Eccleſiæ, vel vnius Regula-
C ris inſtituti exordia, & progreſſus refert, acta vnius, vel plurium Epiſcoporum, aut vnius vel plurium ſeruorum Dei complectitur. qualem ſcripſit S. Hieronymus de vitis Patrum, Palladius, Metaphraſtes, Surius, Lipomanus, & alij.]

Quibus prænotatis certum ſit, ab hiſtoria laica, quæ obiter, & quaſi contingenter meminerit alicuius pij viri, nullum poſſe hauriri nec argumentum validum, nec coniecturam validam, nec indicium ſanctitatis ad effectum Canonizatio-
D nis, Beatificationis, aut alicuius generis cultum. nam argumenta efficaciſſima ſanctitatis non ſumuntur niſi ex depoſitionibus certis, & teſtibus iuridicè examinatis, & omni exceptione maioribus, qui deponant ex certa ſcientia de virtutibus alicuius pij viri. quæ vero obiter ab aliquo hiſtorico traduntur de ſanctitate alicuius, non attingunt rationem iuridicæ depoſitionis: neque hiſtoricus qui prædicta ſcribit, habet rationem teſtis omni exceptione maioris: neque eius dicta

pro indubitatis, & omnino certis cenſeri poſſunt. A

Coniectura vero, cum rationibus & ſignis innitatur, non autem dicto alicuius; nullum habet locum in hiſtoria. Indicium quoque ex ſua natura certo demonſtrare debet, & oſtendere quod quæritur, ab Indice digito ſumpta metaphora: & potius ab actis & geſtis alicuius ſumi debet, quam ex dictis Hiſtorici, qui aliquid obiter referat. nam etiam in depoſitionibus teſtium Regula eſt Iuriſperitorum, quod dictum vnius, ſit dictum nullius: præſertim ſi loquatur teſtis B extra materiam de qua interrogatur.

Ex hiſtorijs verò reliquis in quibus conſcribuntur, & referuntur acta antiquorum, qui non vixerunt tempore auctoris, aut circa eius tempora; nullum validum ſanctitatis argumentum hauriri poteſt ad effectum Beatificationis, aut Canonizationis. Cum enim tales hiſtoriæ non ſint ſcriptæ dum is de quo agitur adhuc viueret; neque hiſtoricus ea quæ ſcribit ex propria ſcientia referat; neque vt teſtis de C viſu ea ſcribere potuerit, vt eius teſtimonio atque auctoritati fides adhiberetur; propterea nullum poteſt facere argumentum.

Dices, fidem talibus Hiſtoricis adhibendam eſſe, quia referunt ea, quæ ſcripta repererunt in alijs Hiſtoricis. Ad quod reſpondeo, fidem illis adhibendam quidem, verùm non quia ipſi ita ſcripſerunt, ſed ex auctoritate vetuſtioris, à quo acceperunt: qui demum, cuius meriti ac famæ, D quaque fide dignus ſit, ſerio conſiderandum. qua de cauſa auctor poſterior anteriorem auctorem referre debet, à quo illa acceperit, quin etiam referre loca, & verba, vt fideliter obſeruaſſe doctiſs. Baronium in Annalibus ſuis videre licet. Qui vero acta veterum piorum virorum aliter ſcripſerit, nullius ponderis aut momenti cenſebitur in re de qua agimus.

A Iam vero ex hiſtoria laica, ſiue ſit vniuerſalis ſeu particularis, in qua ex profeſſo acta alicuius pij viri defuncti, cum Sanctitatis opinione referantur; aliquod ſumitur indicium Sanctitatis ad effectum Beatificationis & Canonizationis: Eſt autẽ ex profeſſo alicuius Dei ſerui acta ſcribere, eiuſdem ortum, parentes, patriam, ætatum decurſus, virtutes, prædicationes, peregrinationes, ſtudia, & alia his ſimilia: miracula etiam facta in vita, & quæ aliquando mortem ſubſequuntur ſcriptis B mandare; ſed aliter, atq; Auctores, qui vitas ſeruorũ Dei, aut aliorum ſcribunt. Hi enim limites actorum ſeruorum Dei nequeunt excedere; at vero, qui ſcribunt hiſtorias particulares alicuius gentis, aut Ciuitatis, interdum ex profeſſo quoque acta aliquorum illuſtrium virorum, qui cum Sanctitatis opinione deceſſerunt ampliter, ac large deſcribunt; & de his hiſtorijs loquimur. Nàm quãuis ex vnico actu, & ex vna tantum re enarrata in hiſtoria de aliquo Dei ſeruo, vel ex altera C tantum virtute, non ſumatur indicium validum, vt dicebatur, ſanctitatis: ex prædictis tamen omnibus ſimul, nimirum ex ortu, & progreſſibus in Religione, ex chriſtiana educatione, ex varijs religioſis actibus, pioque ex hac vita deceſſu, miraculis, & alijs pietatis veſtigijs, quamuis ab vno tantum hiſtorico relatis, poterit tamen Iudex aliquis Eccleſiaſticus iuridice moueri, ad inquirendum de reliquis actibus & miraculis eiuſdem ad effectum Beatificationis, vbi alicuius aucto-D ritatis hiſtoricus extiterit.

Cum vero plures Hiſtorici in referendis actibus, alicuius pij viri cum ſanctitatis opinione conueniunt; attendi debet, an prædicti Hiſtorici contemporanei extiterint, vel circa illud tempus, an vero poſterioribus temporibus vixerint. Etenim ſi hiſtorici vixerint poſterioribus ſęculis, vel etiã ad quinquaginta annos, à tempore, quo vixit Dei ſeruus, de quo agitur, profecto indicium aliquod, aut coniectura ab his ſum-

pta alterius auctoritatis non erit, quam quæ ab hiſtoricis ſumitur, qui contemporanei fuerunt. Si vero contemporanei extiterint omnes, qui eiuſdem acta conſcripſerunt, ex ipſis haurietur aliquod indicium ſanctitatis ad eum, quem diximus effectum. Quia ex fama communi Sanctitatis aliquod ſumitur indicum ad effectũ Beatificationis, & Canonizationis alicuius; ex diuerſis, autem, ac pluribus Hiſtoricis Catholicis ſeruo Dei contemporaneis, diuerſarum præſertim gentium, prouinciarum, ac nationum, indicium vehemens de fama virtutum, & actorum illius colligitur. Quia fama conſurgit ex diuerſorum dictis, qui credant verum eſſe, quod affirmant. quemadmodum non eſt dubium credidiſſe Hiſtoricos; qui illud etiam ſcripto ad poſteros tranſmittunt. A B

Diximus vero ex prædictis hiſtorijs *aliquod* ſumi *indicium* Sanctitatis: quia ex dictis ſpontaneis teſtium non citatorum, nec legitimè interrogatorum, non ſumitur niſi indicium, vt Iudex procedat per modum inquiſitionis in aliqua cauſa: Inquiſitio namque innititur coniecturis, & indicijs, non vero certitudini de aliqua re: ac propterea, ſi vnus tantum habeatur hiſtoricus de actis alicuius, indicium minoris erit auctoritatis, quam ſi duo, vel tres idipſum ſcripſerint: præſertim ſi fuerint, vt dicebamus contemporanei, vel circa eadem tempora, cum Dei ſeruo vixerint. Poſterioribus vero hiſtoricis nulla erit habenda fides, cum ea ſcripſiſſe exiſtimandum ſit, quę ab alio priori acceperunt; ac propterea nihil probant, niſi quod probauit prior teſtis, ſiue vnus, ſiue plures fuerint. C D

Ex vitis vero, actis, & geſtis ſeruorum Dei conſcriptis à Sanctis Patribus, & à Sanctis viris ab Eccleſia probatis certum eſt validum ſumi Sanctitatis argumentum ad effectum Beatificationis, & Canonizationis in Eccleſia. vt patet ex Gelaſio primo in cap. *Sancta Romana Eccleſia* diſt. 15. vbi agitur quinam libri, & quænam acta Sanctorum recipiantur in Ec-

cleſia

A cleſia Catholica, & dicitur. *Item vitas Patrum, Pauli, Antonij, Hilarionis, & omnium Eremitarum, quas vir Beatiſſimus ſcripſit Hieronymus, cum omni honore ſuſcipimus.* ex quibus verbis conſtat, non aliam ob rationem in Eccleſia Romana recipi acta, & geſta illorum Sanctorum Eremitarum, niſi quia ſcripta probatur, vel ſaltem probata fuiſſe conſtat à S. Hieronymo. Pari ratione, cum Sancti Gregorius, Nazianzenus, Baſilius, Athanaſius, Cyrillus Alexandrinus, Ambroſius, Augu-
B ſtinus, & alij Sancti ab Eccleſia iam probati, acta nonnullorum ſeruorum Dei conſcripſerint; & eo in capitulo Gelaſius, dicit ſe opuſcula illorum omnium recipere, ex conſequenti admittit, ac probat acta, & geſta Sanctorum ab eiſdem conſcripta; non aliam quidem ob rationem, nec alio fundamento, niſi ex auctoritate Sanctorum, qui prædicta geſta conſcripſerunt.

Ratio, & praxis Romanæ Eccleſiæ in recitandis horis ca-
C nonicis, & in legendo acta Sanctorum in Eccleſia idipſum probaret. Etenim de Paulo Eremi primo cultore, de S. Antonio, de S. Hilarione, & de Sancta Monica officium recitatur in Romana Eccleſia, & pro Canonizatis reputantur, ex actis, & geſtis, quæ de illis conſcripſerunt Sancti Dei homines. Nam S. Auguſtinus in libris Confeſſionum Matris ſuæ Monicæ pietatem, ac virtutes deſcripſit. S. Hieronymus Pauli primi Eremitæ, & Hilarionis acta litteris mandauit, S. Atha-
D naſius vitam S. Antonij, & alij aliorum geſta poſteris tradiderunt. Ex teſtibus autem fide dignis, & omni exceptione maioribus, (ita vt in illos, nec minima ſuſpicio deceptionis cadere poſſit) efficaciſſimum, & validum Sanctitatis argumentum hauritur ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. Sancti vero Patres in Eccleſia iam probati & Canonizati, vel tanquam Canonizati à Romana Eccleſia recepti; teſtes ſunt omni exceptione maiores, de quibus nec minima

ſuſpicio deceptionis haberi poteſt. ex illorum igitur teſtimonio, & auctoritate cum acta ſeruorum Dei ab ijs deſcripta fuerint, validum, & efficaciſſimum Sanctitatis argumentum ſumere licebit, ad effectum Beatificationis, Canonizationis, aut cuiuſuis alterius generis cultus, & venerationis ab Eccleſia Sanctis deferri ſoliti. A

Atque hic præſenti libro finem imponimus; lætique ac plenis velis in portum prouehimur, enauigato longo, ac difficili planè pelago, paucisq; prius ab auctoribus luſtrato, ac decurſo. B Si quid vero à me in hoc ſcripto tractatum eſt ſtylo non vſquequaque limato, ac florido; materia ipſa pro me defendet: ſicvbi vero ingenio, aut iudicio lapſus ſum; moneri à doctioribus, erroriq; ignoſci poſtulo. Homo ſum; atque nihil humani, vt ille ait, à me alienum puto: Laudes, & facientes pollices non capto, cui vnam Dei, ac Sanctorum eius gloriam, Eccleſiæq; ſuæ honorem, atque incrementum propoſitum eſſe conuenit. Si quid vero, quod abominor, C tam in his, quam alijs libris à tenuitate mea profectis, quidquam eſſet, quod S. R. E. ſcriptum nollet; idipſum reuoco, nolleque ſcriptum eſſe clare, ac palam profiteor. Illius enim iudicio mea omnia, ac ſingula ſubijcio, cui Chriſtus ſubiecit vniuerſa, qui ſit benedictus in ſæcula. Amen.

TABVLA
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,
Quæ in Libro De notis, & Signis Sanctitatis citantur, referuntur, & aliquando explicantur.

Ex libro Geneſis.

CAP. 2. Erunt duo in carne vna. pagina 466.

Cap. 3. Mulier quam dediſti mihi ſociam. 467

Ibid. Vidit quod eſſet bonum lignum adueſcendum pulchrum oculis, aſpectuque delectabile. 272

Quia audiſti vocem Vxoris tuæ, & comediſti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. 683

Cap. 19. Obſecro Domini declinate in domum pueri veſtri. 221

Cap. 21. Exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo eſt. 342

Ex libro Exodi.

Cap. 18. Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios; & decanos, qui iudicent populum omni tempore. 30

Cap. 19. Eritis mihi gens ſancta. 11

Cap. 27. Craticulamque in modum retis æneam: per cuius quatuor angulos erunt quatuor anuli ænei, quos pones ſubter arulam; eritque craticula vſque ad Altaris medium. 800

Ex libro Leuitici.

Cap. 19. Diliges amicum tuum ſicut te ipſum. 211

Cap. 11. Sancti eſtote quoniam ego Sanctus ſum. 60

Dap. 22. Sancti erunt Deo ſuo.

Ex Deuteronomio.

Cap. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, & proximum tuum ſicut te ipſum. 200

Cap. 10. Nunc Iſrael quid Dominus Deus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum. 200

Ex primo Regum.

Cap. 2. Quare facitis res huiuſcemodi quas ego audio res peſſimas ab omni populo. Nolite filij mei, non enim eſt bona fama, quam ego audio, vt tranſgredi faciatis populum Domini. 468

Cap. 2. Quare calce abiecisti victimam & munera mea, quæ præcipi, vt offerrentur in templo, & magis honoraſti filios tuos, quam me, vt comederetis primitias omnis ſacrificij populi mei? propterea ait Dominus Deus Iſrael: loquens loquutus ſum, vt domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo vſque in ſempiternum. 458. *Nunc autem*

dicit Dominus abſit hoc à me. 469
Cap. 3. *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.* 468

Ex ſecundo Regum.
Cap. 11. *Vidit mulierem ex aduerſo lauantem ſe.* 272
Cap. 12. *Deprecatuſque eſt Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit ieiunio, & ingreſſus ſeorſum iacuit ſuper terram.* 312

Ex tertio Regum.
Cap. 3. *Quia poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum iudicium, ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* 631
Cap. 21. *Scidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam ieiunauitque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit dimiſſo capite.* 303
Nonne vidiſti Achab humiliatum coram me? 303

Ex quarto Regum.
Cap. 14. *Anima eius in amaritudine poſita eſt, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* 585

Ex lib. 1. Paralipom.
Cap. 10. *Nec ſperauit in Domino.* 189

Ex Tobia.
Cap. 2. *Vbi eſt ſpes tua pro qua eleemoſinas, & ſepulturas faciebas.* 54
Nolite loqui quoniam filij Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his qui fidem ſuam numquam mutant ab eo. 54
Poſt hæc vero cum eſſet dies feſtus Domini, & factum eſſet prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio ſuo: vade, & adduc aliquos de tribu noſtra timentes Deum vt epulentur nobiſcum. Cumque abyſſet reuerſus nuntiauit ei vnum de filijs Iſrael iugulatum iacere in platea, ſtatimque exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus, tollenſque illud portauit vſque ad domum ſuam occultè, vt dum ſol occubuiſſet cautè ſepeliret eum. 221
Cap. 7. *Et apprehendens dexteram filiæ ſuæ, dexteræ Tobiæ tradidit dicens: Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis.* 550
Et nunc Domine tu ſcis quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum. Dixit quoque Sarah miſerere nobis Domine miſerere nobis, & cum ſeneſcamus ambo pariter ſani. 550

Ex lib. Iudit.
Cap. 8. *Erat autem eleganti aſpectu nimis, cui vir ſuus reliquerat diuitias multas, & familiam copioſam, & poſſeſſiones armentis boum, & gregibus ouium plenas.* 533
Erat autem Iudit relicta eius Vidua iam annis tribus, & menſibus ſex, & in ſuperioribus domus ſua fecerat ſibi ſecretum cubiculum in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur. 536

Ex lib. Eſther.
Cap. 14. *Tu ſcis neceſſitatem meam quod abbominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meũ in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portẽ in diebus ſilētij mei.* 557

Ex lib. Iob.

Cap. 29. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor Vidua conſolatus ſum, iuſtitia indutus ſum, & veſtiui ſicut veſtimento, & diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. pater eram pauperum, & cauſam, quam neſciebam diligentiſſime inueſtigabam; conterebam molas iniqui, & dentibus illius auferebam predam: ſi voluiſſem ire ad eos ſedebam primus: Cumque ſederem quaſi Rex circunſtāte exercitu, eram tamen mærentium conſolator. 223

Sap. 31. *Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit.* 221

Cap. 41. *Non eſt poteſtas ſuper terram quæ illi comparari poſſit.* 623

Cap. 42. *Idcirco me repræhendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* 312

Ex lib. Pſalmorum.

Pſ. 2. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* 67

Pſ. 4. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.* 189

Pſ. 9. *Sperate in eo omnis congregatio populi.* 189

Pſ. 13 *Dominus ſpes eius eſt.* 182

Pſ. 18. *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi.* 192

Media nocte ſurgebam ad confitendum nomini Domini. 41

Pſ. 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius.*

Pſ. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* 345

Pſ. 36. *Manſueti autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* 279

Pſ. 71. *Qui facit mirabilia ſolus.* 563

Pſ. 81. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* 51

Pſ. 90. *Tu es Domine ſpes mea.* 182

Pſ. 115. *Omnis homo mendax.* 873

Ex lib. Prouerbiorum.

Cap. 4. *Acquire prudentiam, accipe illam.* 232

Cap. 9. *Ambulate per vias prudentiæ.* 232

Cap. 31. *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperes.*

Cap. 31. *Mulierem fortem quis inueniet procul, & de vltimis finibus, pretium eius, confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit.* 549

Ex lib. Sapientiæ.

Cap. 3. *Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum.* 801

Ibid. fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. 801

Cap. 4. *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate, immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines.* 495

Ex lib. Eccleſiaſtici.

Cap. 2. *Omne, quod tibi applicatum fuerit accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe.* 3[illegible]9

Cap. 6. *Si dilexeris audire ſapiens eris in multitudine Presbyterorum prudentium ſta, & ſapientia illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei poſſis audire, & prouerbia laudis non effugiant à te; & ſi videris ſenſatum, euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.* 239

Cap. 17. *Diſciplina intellectus repleuit illos, creauit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu impleuit cor illorum, & mala & bona oſtendit illis. Addidit illis Diſciplinam, & lege vitæ hereditauit*

tauit illos. Magnalia honoris eius vidit oculus illorum. 631

Cap. 18. *Miſericordiam animi, qui habet docet, & erudit quaſi paſtor gregem ſuum.* 222

Cap. 28. *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.* 223

Cap. 31. *Aequa vita hominibus, vinũ in ſobrietate ſi bibas illud moderate, eris ſobrius.* 275

Ex lib. Iſaiæ.

Cap. 1. *In vniuerſo monte ſancto meo.* 9

Cap. 6. *Ambulabunt Reges in lumine tuo.* 89

Cap. 28. *In alijs linguis, & in alijs labijs loquar populo huic.*

Cap. 41. *Annunciate nobis futura, & dicemus Dij eſtis vos.* 585

Cap. 58. *Numquid tale eſt ieiunium quod elegi? per diem affligere animã ſuam. Numquid contorquere capui vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino.* 305

Cap. 64. *Et facti ſumus vt immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ omnes iuſtitiæ noſtræ.* 323

Ex Ieremia.

Cap. 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans tui.* 195

Ex lib. Ionæ.

Cap. 3. *Crediderunt viri Niniuitæ in domino, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiori, vſque ad minorem.* 303

Ex Euangelio Matthæi.

Cap. 3. *Habebat enim veſtitum de pilis Camelorum.* 310

Cap. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* 19

Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. 152

Vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. 152

Cap. 5. *Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, ac dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me, &c.* 63. 152. & 292.

Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram. 229

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum. 123. & 292.

Beati qui nunc eſuritis, quoniã ſaturabimini. 303

Cap. 5. *Videant opera veſtra bona & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* 416

Cap. 6. *Cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* 305

Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito. 339

Lucerna corporis tui eſt oculus tuus: ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit; ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. 18

Cap. 6. *Noli tuba canere ante te.* 120

Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito. pag. 120. & 309.

Cap. 7. *Domine non ne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus, & demonia eiecimus?* 571. 588. & 530.

Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum & phariſeorum non intrabitis in regnum cœlorum. 241

Cap. 10.

Cap. 10. Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt; qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo qui in cœlis eſt. 179

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & poſt hac non habent amplius quid faciant: 292

Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. 232

Cum ſteteritis ante Reges, & Præſides, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. 357

Cap. 11. Nam qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt. 310

Cap. 11. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. 348

Cap. 14. Cum vidiſſet Petrus ventum validum timuit, & ait illi Ieſus. Modicæ fidei quare dubitaſti? 167

Cap. 18. Niſi efficiamini ſicut paruuli nō intrabitis in regnum cœlorū. 352

Cap. 19. Qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut agros propter nomen meum centupium accipiet, & vitam æternam poſſidebit. 290

Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. 291

Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me 103. 123. 152. & 290. 295. 297. & 456.

Ecce nos reliquimus omnia & ſequuti ſumus te. 295

Cap. 19. Sunt eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter regnum Cœlorum. 495

Cap. 22. Diliges Dominum Deum tuū ex toto corde tuo; hoc eſt maximum & primum mandatum, & proximum tuū ſicut te ipſum. 164. & 200

Cap. 23. Omnia quæcunque dixerint vobis ſeruate, & facite. 252

Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis. 252

Cap. 25. Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a cōſtitutione mundi. 218. 219. & 224

Infirmus eram, & viſitaſtis me, in carcere erā, & veniſtis ad me. 218

Sitiui, & dediſtis mihi bibere. Nudus eram, & operuiſtis me. 220

Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. 298

Cap. 27. Multa corpora Sanctorum qui dormierāt ſurrexerūt. 52. & 60

Cap. 28. Ego vobiſcum ſum, vſque ad conſumationem ſæculi. 46

Ex Euangelio Marci.

Cap. 1. Et diluculo valde ſurgēs egreſſus abijt in deſertum locum ibique orabat. 341

Cap. 6. Quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? 125

Abijt in montem. 343

Cap. 11. Diliges Dominum Deum tuū ex toto corde tuo. 164

Cap. 14. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. 292

Cap. vlt. Signa autem eos, qui crediderint hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. 176. 576. & 694.

Ex Euangelio Lucæ.

Cap. 2. Et erat Anna Propheti ſſa filia Phanuel de tribu Aſſer; hæc proceſſerat in diebus multis & vixerat cū viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua; & hæc vidua vſque ad octo-

ginta quatuor. 533

Quæ non diſcedebat de templo ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. 541

Cap. 5. *Vidimus mirabilia hodie. quid eſt quod in poteſtate eijcit Dæmonia?* 578

Cap. 6. *Filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua sũt.* 227

Cap. 6. *Et qui te percuſſerit in maxillã prebe illi alteram.* 223

Cap. 6. *Cum ſolus eſſet aſcendit in mõtem, vt oraret.* 343

Et erat pernoctans in oratione Dei. 341

Cap. 9. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei.* 313

Cap. 10. *Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo.* 164

Cap. 11. *Filij veſtri in quo eijciũt.* 570

Cap. 11. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus; ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.* 18

Cap. 14. *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* 289

Cap. 17. *Domine adauge nobis fidẽ.* 136

Cap. 18. *Oportet ſemper orare, & nũquam deficere.* 346

Qui ſe humiliat exaltabitur. pag. 348 & 352.

Cap. 22. *Et poſitis genibus orabat.* 345

Et factus in agonia prolixius orabat. 345

Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. 575 & 759.

Cap. 22. *Facta eſt contentio inter diſcipulos quis eorum videretur eſſe maior in regno Cœlorum.* 352

Cap. 24. *Nonne cor noſtrum ardens erat dum loqueretur nobis in via, & ſcripturas interpretaretur?* 633

Aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas. 633

Ex Euangelio Ioannis.

Cap. 2. *Ficus, & vinea dederunt virtutem ſuam.* 125

Cap. 3. *Rabbi ſcimus, quia à Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* 576 & 578

Cap. 7. *Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam eius, qui miſit eum hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt.* 650

Cap. 7. *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit.* 630

Cap. 9. *Nõ eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit.* 576

Cap. 11. *Et vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio dicens magiſter adeſt, & vocat te.* 355

Cap. 11. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit: ſi dimittimus eum ſic omnes credent in eum, & venient Romani & tollent locum noſtrum, & gentem.* 583

Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis: expedit vobis vt vnus moriatur homo, & non tota gens pereat. 588

Lazarus amicus noſter dormit, & vado, vt à ſomno excitem eum. 665

Cap. 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam.* 314

Cap. 13. *Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos.* 161 & 214.

Cap. 13. *Exemplum dedi vobis, vt quẽadmodum ego feci, & vos faciatis. Si enim ego Dominus, & Magiſter laui pedes veſtros, & vos debetis alter alterius lauare pedes.* 352

Man-

Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos; vt & vos diligatis inuicem. 212

Cap. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* 23.62.& 140

Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit peccatum non haberent. 577

Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo nota feci vobis. 592.& 610

Cap. 15. *Si non facio opera Patris mei nolite credere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis quia pater in me eſt, & ego in patre.* 577

Cap. 15. *In hoc cognoſcent omnes quia Diſcipuli mei eſtis ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* 214.& 224

Cap. 17. *Subleuatis in cœlum oculis dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum.* 344

Sanctifica eos in veritate, Sermo tuus veritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. Et pro eis ego & ſanctifico me ipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint: vt credat mundus quia tu me miſiſti. & ego claritatem quam dediſti mihi dedi eis: vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus: ego in eis, & tu in me, vt ſint conſumati in vnum. 161.& 163.

Ex lib. Actuum Apoſtolorum.

Cap. 1. *Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo introiuit & exiuit inter vos Dominus Ieſus incipiens a baptiſmate Ioannis, vſque in diem, qua aſſumptus eſt à nobis teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis.* 702

Cap. 2. *Factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes, & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, ſeditque ſuper ſingulos eorum.* 634

Loquebantur varijs linguis prout ſpiritus Sanctus dabat eloqui illis. 634.& 639

Stupebant autem omnes & mirabantur ad inuicem dicentes: quidnam vult hoc eſſe? alij autem irridentes dicebant, quia muſto pleni ſunt iſti. 644

Cap. 5. *Ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* 152.& 192

Obedire oportet magis Deo quã hominibus. 252

Cap. 8. *Saulus autem deuaſtabat Eccleſias per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres tradebat in cuſtodiam.* 63

Cap. 9. *Domine audiui à multis de viro hoc quanta mala fecerit Sanctis tuis in Ieruſalem.* 63

Cap. 10. *Aſcendit Petrus in ſuperiora, vt oraret circa horam ſextam & cum eſuriret voluit guſtare: parantibus autem illis cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initijs demitti de Cœlo in terram, in quo erãt omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ & volatilia cœli, & vox facta eſt ad eum: exurge Petre; occide, & manduca. ait autem Petrus abſit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum. & vox iterum ſecundo ad eum: Quod*

Deus purificauerit, tu ne commune dixeris. hoc autem factum eſt per ter; & ſtatim receptum eſt vas in Cœlum. 618
Cap. 10. *Dixitque ad illos, vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenã, ſed mihi oſtendit Deus neminem communem, aut immundum licere hominem.* 618
Cap. 12. *Oratio autem fiebat ab Eccleſia ſine intermiſſione ad Deum pro eo.* 66
Cap. 22. *Ego ſum vir Iudæus natus in Tharſo Ciliciæ, nutritus autem in iſta Ciuitate ſecus pedes Gamaliel, eruditus iuxta veritatem paternæ legis, emulatorque legis ſicut & vos omnes eſtis hodie, qui hanc viam perſecutus ſum vſque ad mortem aligãs et trahens in cuſtodias viros, ac mulieres, ſicut Princeps Sacerdotum mihi teſtimonium reddit, et omnes maiores natu.* 64
Cap. 6. *Et ego quidem me exiſtimaueram aduerſus nomen Ieſu Nazareni debere multa contraria agere: quod et feci Ieroſolymis, et multos Sanctorum in carceribus incluſi à Principibus Sacerdotum poteſtate accepta, et cum occiderentur detuli ſententiam.* 64

Ex Epiſtola Beati Pauli Apoſtoli Ad Romanos.

Cap. 1. *Omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei vocatis Sanctis.* 56. 58. *et* 71.
Cap. 2. *Chriſti bonus odor ſumus.* 870
Cap. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit?* 167
Cap. 8. *Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Chriſtus. et certus ſum quod neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit me ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* 154
Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei. 207
Prudentia carnis mors eſt. 227
Spes, quæ videtur non eſt ſpes, nam quod videt quis quid ſperat? 182
Spe enim ſalui facti ſumus. 183
Cap. 9. *Cupiebam ego anathema eſſe pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei.* 182
Cap. 9. *Caſtigo corpus meum, et in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.*
Cui ſeruio in ſpiritu meo. 292
Cap. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutẽ.* 180
Cap. 12. *Nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos.* 232
Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatẽ. 280
Neceſſitatibus Sanctorum communicantes. 69
Cap. 13. *Plenitudo legis eſt dilectio.* 23
Reddite ergo omnibus debita. Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; nemini quicquam debeatis. 247
Cap. 14. *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei.* 61
Cap. 15. *In pauperes Sanctorum.* 58
Nunc igitur proficiſcar in Ieruſalem miniſtrare Sanctis. Probauerunt enim Macedonia, & Achaiā collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui ſunt in Ieruſalem. 69

Ex

Ex Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

Cap. 1. Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi Sanctificatis in Chriſto Ieſu vocatis Sanctis cum omnibus qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti. 56.58.71.72.

Cap. 1. Cum enim ſint inter vos ſchiſmata, & contentiones, non ne carnales eſtis. & ſecundum hominem ambulatis. 61

Cap. 3. Nunc manent tria hæc ſpes, fides, & charitas. 185

Cap. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. 323

Qui habent vxores, tanquam non habentes.

Iam diuites facti eſtis, & ſine nobis regnatis. 61

Cap. 5. Tanquam autem non venturo me ad vos inflati ſunt quidam. 61

Omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, & vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis. 62

Cap. 6. Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum iudicare apud iniquos, & non apud Sanctos? An neſcitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt. 58

Cap. 7. Qui enim vxore eſt ſolicitus, eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. 35

Quæ autem nupta eſt cogitat quæ ſunt mundi quomodo placeat viro. 35

Cap. 7. Sanctam non ſolum corpore, ſed etiam ſpiritu.

De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do tanquam miſericordiam conſecutus à Domino. 496

Qui matrimonio iungit virginem ſuam bene facit, ſed qui non iungit melius facit. 496

Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum, ſanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem. 553

Cap. 9. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar. 192 302

Cap. 10. Qui ſe exiſtimat ſtare videat ne cadat. 55

Cap. 12. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt idem autem Dominus, & diuiſiones operationum ſunt idem autem Deus. 31

Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus. 31

Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro: & quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia: primum Apoſtolos ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum interpretatio ſermonum. 31

Cap. 12. Vnicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem, alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum. alteri fides in eodem Spiritu. alij gratia Sanitatum in vno Spiritu; alij prophetia; alij diſcretio ſpirituum alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. 365. & 632

Cap. 13. Et ſi habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum. 173 730. 150.

Charitas patiens eſt, benigna eſt, & non quærit quæ ſua ſunt, ſe quæ Ieſu Chriſti. 393

Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, charitatem autem non habuero nihil ſum. 589

Cap. 14.

Cap. 14. Orabo ſpiritu, orabo & mente, pſallam ſpiritu, pſallam & mente. 339

Nam qui prophetat hominibus, loquitur ad ædificationem & exhortationem. 589

Gratias ago Deo meo quod omnium veſtrum lingua m loquor. 647

Cap. 16. De collectis autem, quæ fiunt in Sanctos ſicut ordinaui Eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite. Per vnã ſabbati vnuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat recondens, quod ei bene placuerit, vt non cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem præſens fuero, quos probaueritis per epiſtolã, hos mittam perferre gratiam veſtram in Ieruſalem. 69

Ex ſecunda ad Corinthios.

Cap. 1. Eccleſia Dei, quæ eſt Corinthi cum omnibus Sanctis, qui ſunt in vniuerſa Achaia. 56 58.71.& 72

Cap. 3. Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi à nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 359

Cap. 8. Notum autem facimus vobis fratres gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſijs Macedoniæ, quod multo experimento tribulationis, abundantia gaudij ipſorum fuit, & altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum: quia ſecundum virtutem teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarij fuerunt cum multa exhortatione, obſecrantes nos gratiam, & communicationem miniſterij, quod fit in Sanctos. 69

Cap. 9. Quoniam miniſterij huius officij, non ſolum ſupplet ea, quæ deſunt Sanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem miniſterij huius glorificantes Deum in obedientia confeſſionis veſtræ in Euangelium Chriſti. 870

Cap. 11. Siue in corpore, ſiue extra corpus neſcio. 600

Audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. 610

Cap. 13. Salutant vos omnes Sancti. 56

Ex Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Galatas.

Cap. 1. Sed licet nos aut Angelus de Cœlo Euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, ſi quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis anathema ſit. 649

Cap. 2. Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Chriſtus. 205

Cap. 5. In Chriſto Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque præputium ſed fides, quæ per charitatem operatur.

Cap. 6. Alter alterius onera portate. pag. 177.& 223

In ſpiritu leuitatis conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. 393

Ex Epiſt. ad Epheſios.

Cap. 1. Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei omnibus Sanctis, qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Ieſu. 56.58.& 72

Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti, & immaculati. 12

Cap. 3. Ego Paulus vinctus Chriſti Ieſu pro vobis gentibus. 65

Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis quæ eſt gloria veſtra. 66

Orate pro omnibus Sanctis, & pro me. 66

Mihi autem omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc in gen-

gen-

gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti. 37. & 66

Orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus Sanctis, & pro me. 57

Cap. 4. Vnum corpus, & vnus ſpiritus ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. 32

Ad conſumationem Sanctorum in opus miniſterij in ædificationem corporis. 32

Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, & ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem paſtores, & Doctores. pag. 32. & 33

Obſecro itaque ego vinctus in Domino. 65

Cap. 5. Implemini Spiritu Sancto loquentes vobiſmetipſis in canticis ſpiritualibus cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino. 337

Cap. 6. Orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus Sanctis, & pro me, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere myſterium Euangelij pro quo legatione fungor in hac catena. 67

Ex Fpiſtola ad Philipenſes.

Cap. 1. Omnibus Sanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis & Diaconibus, 56, 58. 72

Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. 193

Cap. 3. Noſtra conuerſatio in cœlis eſt, 209

Cap. 4. Salutant vos qui mecum ſunt fratres. Salutant vos omnes Sancti, maxime qui de Cæſaris domo ſunt. pag. 56. 72

Salutate omnem Sanctum in Chriſto Ieſu. 56

Fx Epiſtola ad Coloſſenſes.

Cap. 1. Eis qui ſunt Coloſſis Sanctis. 56

Cap. 1. Exhibete vos Sanctos & immaculatos. 12

Cap. 3. Filij obedite parentibus per omnia. 252

Charitas eſt vinculum perfectionis. 195

Ex Epiſtola prima B. Pauli Apoſtoli ad Theſſalonicenſes.

Cap. 4. Sciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione.

Cap. 5. Rogamus autem vos fratres corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes, videte ne quis malum pro malo alicui reddat. 223

Cap. 5. Semper gaudete, ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite, hæc eſt enim voluntas Dei in nobis. pag. 346

Ex Epiſtola prima ad Timotheum.

Cap. 2. Ornantes ſe non in tortis crinibus.

Cap. 3. Qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat. 386

Cap. 3. Oportet Epiſcopũ irreprehenſibilem eſſe vnius vxoris virum, ſobrium, prudentem ornatum, pudicum, hoſpitalem, Doctorem, non violentum, non percuſſorem, Sed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſed domui ſuæ bene præpoſitum. 383

Cap. 3. Oportet autem illum & teſtimo-

monium habere bonum ab ijs, qui foris ſunt. 383

Qui domi ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei curam habebit. 389

Suæ domui bene præpoſitus filios habens ſubditos cum omni caſtitate. 389

Exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, & caſtitate. 382

Cap. 5. *Qui bene præſunt Presbyteri duplici honore digni ſunt, maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* pag. 237

Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor in operibus bonis teſtimonium habens. 532

Si qua autem Vidua filios aut nepotes habet, diſcat primum domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus. hoc enim acceptum eſt coram Deo. 534

Cap. 5. *Si Sanctorum pedes lauit.* 541

Si tribulationẽ patientibus ſubminiſtrauerit. 543

Cap. 6. *Præcipe diuitibus non ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo.* 189

Ex Epiſtola ſecunda ad Timotheum.

Cap. 2. *Seruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem.* pag. 356

Cap. 4. *Argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* 393

Ex Epiſtola ad Titum.

Cap. 1. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* 382

Cap. 2. *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate.* 382

Cap. 3. *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo expectantes beatam ſpem.* 189

Cap. 3. *Admone illos Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe.* 252

Cap. 3. *Expectantes beatam ſpem.* 182

Ex Epiſtola Beati Pauli Apoſtoli ad Hebræos.

Cap. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur.* 187

Cap. 5. *Qui in diebus carnis ſuæ, preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſet illum ſaluum facere à morte cum clamore valido, & lachrimis offerens exauditus eſt pro ſua reuerentia.* 345

Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deũ, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit ijs, qui ignorant, & errant. 385

Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. 386

Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum filius meus es tu, ego hodie genui te; quemadmodum & in alio loco dicit: tu es Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech. 386

Cap. 6. *In repromiſſione etiam Dei nõ hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide dans gloriam Deo pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit potens eſt facere.* 175

Cap. 9. *Omnia pene in ſanguine ſecundum legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* 8

Lectio

Lecto enim omni mandato legis à Moyſe vniuerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua & lana coccinea, & hyſſopo ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit. 8

Talis enim decebat vt eſſet Pontifex. ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus. 12

Confugiamus ad propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, & firmam. 189

Cap. 10. *Patientia enim vobis neceſſaria eſt, vt reportetis repromiſſiones.* pag. 264

Cap. 11. *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum non apparentium.* 170

Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. 173

Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei; vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent. 174

Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. 135. 171

Cap. 11. *In montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ.* 452

Circuierunt in mellotis in pellibus caprinis, quibus dignus non erat mundus. 454

Cap. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant tanquam rationem reddituri pro animabus veſtris.* 252

Ex Epiſtola B. Iacobi Apoſtoli.

Cap. 1. *Religio munda, & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt: viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.* 5

Poſtulet in fide nihil hæſitãs. 163

Cap. 2. *Fides ſi non habeat opera mortua eſt in ſemetipſa.* 183

Quid proderit fratres mei ſi fidem quis habere dicat, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſaluare eum? 178

Qui offenderit in vno factus eſt omnium reus. 195. 210

Ex Epiſtola prima B. Petri Apoſtoli.

Cap. 1. *Quaſi filij obedientiæ non conſigurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſiderijs, ſed ſecundum eum qui vocauit vos Sanctum, & ipſi in omni conuerſatione Sanctitatis.* 12

Cap. 2. *Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta populus acquiſitionis.* 11. & 47

Cap. 2. *Subiecti eſtote omni creaturæ propter Deum.* 252

Cap. 3. *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: vt ſi qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucri fiant, conſiderantes in timore ſanctam conuerſationem veſtrã.* 553

Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus; ſed qui abſconditus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples: ſic enim aliquando & ſanctæ mulieres ornabãt ſe ſubiectæ proprijs viris. 554. 556. 510

Cap. 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneæ ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia ſed voluntariè, neque dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* 385

Ex Epiſtola prima B. Ioannis Apoſtoli.

Cap. 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt: & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vi-*

tam æternam, quæ erat apud Patrem. 702

Si dixerimus quoniam peccatũ non habemus ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. 322

Qui dicit peccatum non habere mendax eſt & veritas in eo non eſt. pag. 578

Cap. 3. *Qui non diligit manet in morte: omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt: & ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam manentem in ſemetipſo.* 200. & 210

Et nos debemus pro fratribus animas ponere. 217

Cap. 4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo.* 146.162

Cap. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum vt viuamus per ipſum.* 213

In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum; ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. 213

Cap. 4. *Chariſſimi diligamus nos inuicem quia charitas ex Deo eſt, & omnis qui diligit ex Deo natus eſt.* pag. 214

Hoc mandatum habemus à Deo; vt qui diligit Deum diligat & fratrẽ ſuum. 214

Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt; quomodo poterit diligere Deum quem non videt. 225

Ex Apocalypſi B. Ioannis Apoſtoli.

Cap. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum.* 363

Cap. 3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* 53

Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. 53

Qui vicerit dabo illi coronam. pag. 363

Cap. 6. *Vidi ſub altare Dei animas interfectorum propter Verbũ Dei.* 801

Cap. 7. *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni.* 43

Cap. 13. *Et datum eſt illi bellum facere contra Sanctos, & vincere eos.* pag. 623

Cap. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur à modo iam dicit Spiritus vt requieſcant a laboribus ſuis.* 665

Cap. 21. *Non intrabit aliquid coinquinatum in ea.* 53

INDEX

RERVM, ET VERBORVM

Libri de notis, & Signis Sanctitatis.

A

ABrahami fides. 175.c

Abrenunciationem mundi fidelibus ſufficere ad Sanctitatem exiſtimauit Origenes. 59.b

Abſtinentiæ diuturnæ varia exempla. 306.b

Abſtinentia cibi,& potus meriti maximi. 303.d

Abſtinentia quid. 274.a

Abſtinentia cibi, & potus neceſſaria ad perfectionẽ euangelicam. 303.d

Abſtinentia qualis fuerit in Eccleſiæ primordio. 304.a

Abſtinentia mira cuiuſdam ſolitarij qui appellabatur Ero. 306.b

Abſtinentia qua ratione vtenda. 275.a

Abſtinentia in gradu heroico ad notam Sanctitatis neceſſaria. 305.a

Abſtinentia maximè commendatur in Eremitis. 463.a

Actus iure nulli nullum præſtant argumentum ad Canonizationem. 91.d

Actus tum internus, tum externus diſcutiẽdus in Canonizatione. 113.a

Actus bonus quis ſit. 113.a

Actus bonus reſpicit legem, & regulas rationis iuxta præcepta Prudentiæ. ibid.

Actus humanus quid ſit, & eius diſcrimen à reliquis. 112.c

Actus humanus, quid reſpiciat rationem habet ex obiecto, fine, & circunſtantijs. 113.b

Actus virtutis ſine habitu difficilior eſt. 122.c

Actus virtutis ex habitu facilis. 122.d

Actũ difficultas, & promptitudo Seruorum Dei contemplanda. 124.a

Actus heroicus miſericordiæ, attendendus in actibus ſeruorum Dei. 224.b

Actus malus à virtute nullatenus promanare poteſt. 129.c

Actus heroicus circa tegumentum qui. 220.c

Actus virtutum alij intenſi, alij remiſſi. 141.b

Actus plures virtutis requiruntur ad notam ſanctitatis. 123.d

Actuum prudentiæ præcipuus eſt imperium. 231.c

Actus humanus ex ſtatu, & conditione perſonæ quid recipiat. 118.c

Actus heroicus in ſuſtinendis iniurijs qui. 223.d

Actus fidei externi examinandi ad effectum Canonizationis. 176.b

Actus humanus ſemper ſpectat ad aliquam virtutem ratione obiecti. 115.c

Actus heroicus circa receptiones peregrinorum qui. 220.d

Actus fidei ſupernaturalis eſt neceſſarius ad iuſtificationem, & gloriam. 171.b

Actus fidei ſunt credere, ſcire, & intelligere. 172.b

Actus heroicus circa infirmos qui ſit. 219.b

Actus heroicus circa eſurientes, & ſitientes qui. 219.c

Actus humani triplex conditio. 112.c

Actuum virtutis difficultas & promptitudo in Canonizatione ſeruorũ Dei contemplanda. 124.a
Adamo fuerunt à Deo infuſæ ſcientiæ. 631.b
Adauctus Martyr cur tali nomine inſignitus. 139.a
Adminicula conſideranda ad cognoſcendum an cadauer ſit alicuius Martyris. 678.a
Adorationis modi quot ſint. 249.d
Adorationis actibus homo ſubijcitur Deo pro bonis corporis. 249.d
Agar ex loco orandi exauditur. 342.d
S. Agata delectabiliter paſſa. 152.d
Agere ex virtute Prudentiæ tenemur iure naturali, & diuino. 231.d
S. Agnes delectabiliter mortem ſuſtinuit. 153.a
Agnomina, Cognomina, Prænomina quid ſignificent. 24.d
Agnominum cognitio in Eccleſia neceſſaria. 26.a
Agnomen an à cognomine diſtinguatur. 25.c
Alexandra cur in monumento ſe recepiſſet. 456.d
Altaria conſtruere dupliciter, intelligi poteſt. 792.b
Altaria denominata ab aliquo Dei ſeruo non beatificato, non præſtat argumentum efficax Sanctitatis ad effectum Canonizationis. 793.c
Altaria erecta per agros dirui iubebatur. 805.b
Altaria ad honorem alicuius, etiam non beatificati, Apoſtolica auctoritatem erecta præbent efficax Sanctitatis argumentum. 798.b
Altaris aperiendi à parte ſuperiori ritus vnde ſumptus ab Eccleſia. 799.d
Altaria non conſecrantur ſine Sanctorum reliquijs. 801.c
Altaria ſine Epiſcopi facultate erecta ad honorem alicuius, non præſtant Sanctitatis argumentum. 792.a
Altare debet eſſe lapideum, non lateritium, aut ligneum, vt conſecrari poſſit. 790.c
Altaria erigere eſt tantum poteſtatis Epiſcopalis. 791.b
Altaria ad honorem alicuius non beatificati erecta ab immemorabili tẽpore argumentum non præbent Sanctitatis. 754.b
Altaris triplex ſignificatio. 789.c
S. Ambroſius beatos appellauit Valentinianum, & Gratianum. 89.b
Amici nomine, quem diligere præcipimur omnes homines ſignificantur. 211.b
Amor proximi duplex naturalis, & ſupernaturalis. 212.a
Amor naturalis, & ſupernaturalis qui. 212.b
Amor proximi Dei amorem indicat. 225.a
Amicitiæ conditiones enumerantur. 197.c
Anachoretæ prudentes prudentia Diuina 238 a
Anachoretarum duo genera, & qui laudandi vel non. 451.a
Anathema quid ſignificet. 737.c
Anathematum tria genera. 739.d
Anathemata nõ præſtãt argumentum Sanctitatis formaliter. 741.d
Anathemata quæ præſtãt aliquo modo argumenta Sanctitatis. 745.c.d
Anathematum numerus attendendus ad effectum Canonizationis. 740.d
Angelus Carmelita cultu ſanctorum decoratur in Synodo Hieroſolymitana. 82.c
Angelus Carmelita martyrio cultu ſãctorum condecoratur ab Epiſcopo Agrigentino. 82.d
Angeli ad inuicem loquuntur. 590.b
Angeli habent proprium modum loquendi, & quomodo. 590.d
Anchora ſymbolum repertum in cryptarum ſepulchris non eſt indicium San-

Sanctitatis. 673.d
Animalia quælibet proprium habent modum manifeſtandi affectus ſuos. 590.a
Animæ propriæ ſalus non eſt exponenda in periculum pro ſalute alterius. 216.a
Animæ purgantes ſanctæ non dicuntur. 49.a
Anniuerſarij Seruorum Dei ritus ab Apoſtolis originem trahit. 763.b
Auguſtini Nouelli anniuerſaria Senis celebrantur. 764.d
Anniuerſarij diei cultus, ex ſola Papæ conceſſione præbet efficax argumentum Sanctitatis. 773.c
S. Antoniur, S.Athanaſij auctoritate, vt ſanctus colitur ab Eccleſia. 38.d
S.Antonius ſolitudinem cur petierit, 456.d
S.Antonius cur voluerit ſuum corpus à diſcipulis occultari. 814.c
S.Antonius à ſolis occaſu vſque ad ortum orationi vacabat. 341.d
Antonij ab Amandola anniuerſaria celebrantur. 764.b
Anniuerſaria ſeruorum Dei celebrari poſſint ritu laico, & ritu Eccleſiaſtico. 765.a
Apoſtolis cur dicatur datum eſſe ſermonem ſapientiæ, & non ſapientiam. 692.b
Apoſtoli in die Pentecoſtes non vnico, ſed diuerſo idiomate loquebantur. 644.a
Apoſtoli cur ebrij perperam à Iudæis cenſerentur. 644.c
Apoſtoli gaudētes patiebantur. 152.d
Apoſtolica Sedes non mouetur ad aliquem Canonizandum, niſi miracula crebreſcant. 81.b
Appetitus duplex in homine. 601.c
Aquea faciliùs corrumpuntur. 682.c
Archidiaconatus, & Archipresbiteratus non conſtituunt in ſtatu perfectionis ex ſua natura. 107.a
Argumentum quid ſit. 170.d
Argumentum validum ad Canonizationem hauritur tantum ex titulo beatitatis à Sede Apoſtolica conceſſo. 95.a
Argumentum efficaciſſimum Sanctitatis ex actibus miſericordiæ. 224.c
Argumentum Sanctitatis à ſumo Sanctitatis quomodo differat. 784.c
Arma militiæ Chriſtianæ in extremo agone maximè neceſſaria ſunt Sacramenta. 369.d
Armannus hæreticus altare habuit in Eccleſia Ferrarienſi. 80.c
Aſſiduitas orandi neceſſaria ad Sanctitatis indicium. 345.d
Aſſiduitas orandi dat orationi gradum heroicum. 345.d
Aſſiduitas orandi quomodo accipienda. 346.a
Aſſiduitas orandi habitum inducit. 346.c
Aſſiduitas orandi conſiderata à Summis Pontificibus in actis ſeruorum Dei. 347.a
Aſperitas loci, & cellæ conſideranda in actis ſeruorum Dei. 119.c
Aſſenſus quid ſit. 169.b
Aſſenſus firmus ad fidem ſupernaturalem requiritur. 169.c
Auctoritas laica nihil confert ad effectum Canonizationis. 775.b
Auctoritas quaſi Epiſcopalis à Summo Pontifice Superioribus Regularium aliquando conceſſa, non ſe extendit ad reſeruata Epiſcopo, vel Summo Pontifici. 91.d
Auctoritas priuata nullum prebet ſāctitatis indicium. 847.d
Audacia quomodo in nobis gignatur. 260.a
S. P. Auguſtini obitus non ſine pœnitentia. 371.b
S.P. Auguſtini caſtitas. 444.c
S.P. Auguſtini heroica charitas. 145.d

Auditus qua ratione indigeat moderari. 272.b
Artis, & virtutis pulcra comparatio. 259.b
Argumentum efficax ſanctitatis ad effectum Canonizationis quodnã ſit. 761.d

B

BAptiſmus confert gratiam ex opere operato. 23.b
Baptiſmatis, & Martyrij diſcrimen. 23.b
Beatitatis titulus aliquando à diuitijs ſumptus à veteribus. 85.c
Beati heroes dicendi. 154.b
Beati, ac ſancti vocabula non ſunt propriè ſynomina. 98.b
Beati propriè qui dicantur in Eccleſia. 85.d
Beatitatis titulo æquiualet conceſſio recitationis Officij, & Miſſæ. 86.b
Beatitatis titulo æquiualet conceſſio collocãdi imagines cum radijs ſuper altare. 86.b
Beatitatis titulus ex dignitate, & muneris adminiſtratione, nihil ad canonizationem confert. 86.c
Beatitatis titulus Pontificibus collatus non reſpicit acta eorum. 86.d
Beatitatis titulus tantum perfectis, & in charitate defunctis concedi debet. 209 a
Beatitati titulus in plus ſe habet, quam vox ſanctitatis. 98.b
Beatitatis titulus ex cathalogis Regulariũ nihil confert ad effectum canonizationis. 90.d
Beatitatis titulus ab Epiſcopo conceſſus, habet tantum rationem indicij ſanctitatis, non argumenti. 93.b
Beatitatis titulum præſtare, Epiſcopalem facultatem, & etiam Synodalem excedit. 93.c
Beatitatis titulus aliqua in oratione etiam à viris ſanctis decantatus, nihil ad canonizationem confert. 89.a
Beatitatis titulus ab Apoſtolica Sede conceſſus præſtat argumentum efficax ad canonizationem. 95.a
Beatitatis titulus ex ſanctitate probata confertur. 95.d
Beatificatio à Summo Pontifice facto reſpicit canonizationem. 96.a
Beatitatis titulus antequam concedatur, omnia ferè, quæ ad canonizationem requiruntur, iuridice expediuntur. 96.a
Beatificationis, & canonizationis neceſſaria eſt connexio. 96.b
Beatificatio eſſentialiter diſtinguitur à canonizatione. 97.c
Beatificationis Priuilegio abſque pœnæ incurſu poteſt quiſque renuntiare. 98.a
Beatificationis cultu non eſt dignus, qui potẽs ſine ſacramentis decedit. 370.c
Beatificatum non licet in litanijs inuocare. 782.c
Beatitudinis titulus repertus in monumentis non eſt indiciũ ſanctitatis. 659.c
Bella gerere quando Principibus liceat. 410.b
S. Benedictus nudus per vepres voltabatur. 234.b
Benedictus VII. concedit facultatem Marchioni mantuæ, ædificandi Eccleſiam ad honorem Simeonis nõdum canonizati. 813.b
S. Bernardus Mediolenenſem, & Ianuenſem Epiſcopatus recuſauit. 287.a
S. Bernardi auſteritas. 314.d
S. Bonauentura vitã D. Franciſci conſcripſit. 84.b
Bona corporis duplicia. 249.d
Bona propria comunicare eſt quid diuinum. 242.b

Bona

Bona à Deo recepta alia interna, alia externa ſunt. 249.a
Bona Eccleſię Epiſcopalis intra diœceſim diſpenſanda. 396.a
Bonitas operis ex circumſtantijs. 18.c
Bonitas completa actus humani, poſtulat bonitatem finis, obiecti, & circumſtantiarum. 113.c
Bonitas entis nihil facit ad rationem actus humani. 113.c
Bonum procedit ex integra cauſa. 113.c
Breuiarium quid ſignificet. 815.d
Breuiarium cur ſic dictum. 816.c
Breuiariorum multiplicitas abrogatur per bullam Pij V. 820.a
Breuiaria aliqua ſpecialia ſunt conceſſa alicui eccleſiæ. 817.d
Breuiarium Romanum ante reformationem, quod nam propriè diceretur. 819.d
Breuiarium antiquum Romanum reſtauratum à Pio V. 820.a
Breuiaria particularium Eccleſiarum, & religionum ex conceſſione Sedis Apoſtolicę aliquod prebēt argumentū ſanctitatis ſerui Dei non canonizati. 821.a
Breuiaria alia à Romano reformata, veroſimile argumentum preſtant Sanctitatis. 827.a
Breuiarium Romanum vetus, non prebet efficax ſanctitatis argumentum ad effectum canonizationis. 823.b
Breuiarium Romanum reformatum prebet efficax argumentum ſanctitatis ad effectum canonizationis. 823.d
S. Brigitta laudatur à Bonifacio IX. 297.a
S. Brigittæ humilitas. 360.d
S. Brigittæ continentia laudatur. 475.d

C

Cadauera incorrupta ſeruari poſſunt virtute diuina. 689.c
Cadauer eſt corpus mortuū ſolius hominis proprie loquendo. 679.b
Cadauera medicamentis diu conſeruari poſſunt. 685.b
Cadauera perpetuò incorrupta medicamentis ſeruari nequeunt. 685.c
Cadaueris incorruptio aliquādo ſanctitatis argumentū præbet. 679.c
Cadaueris incorruptio commemoratur in canonizatione ſanctorum. 680.d
Cadaueris miraculoſa incorruptio, innocentiam vitæ portendit. 680.d
Cadauera fidelium in primitiua Eccleſia vbi conderentur. 664.d
Cadauer prius in lutum, quam in puluerem reſoluitur. 683.d
Cadaueris quælibet alteratio eſt corruptionis quædam ſpecies. 684.a
Cadaueris incorrupti mirabilis odor eſt indicium ſanctitatis. 692.a
Cadaueris nuda integritas non eſt ſanctitatis indicium. 690.b
Calendarium vnde dicatur. 829.b
Calendaria multiplicia reperiuntur in Eccleſia. 830.b
Calendaria quæcunque nullum præbent ſanctitatis argumentum. 831.b
Calendaria particularium eccleſiarum extra Italiam impreſſa, nullum validum ſanctitatis præbent argumentum. 832.b
Calendarium Romanum ante reformationem Pij V. leue argumentum ſanctitatis indicat. 833.b
Calendaria particulariū Religionum aliquod præbent indicium ſanctitatis edita auctoritate Epiſcopi, vel Superioris Religionum. 834.a

Canonizatio neceſſario connectitur cum beatificatione. 96.b
Canonizatio eſſentialiter diſtinguitur à beatificatione. 97.c
Canonizationis, aut beatificationis cauſa ſoli ſummo Pontifici reſeruatur. 91.b
Canonici regulares ferè omnes viuũt ſub Regula S.P.Auguſtini. 422.d
Canonicorum regularium multa inſtituta. 422.d
Cardinalis Epiſcopus tenetur ad reſidentiam. 388.d
Carnis maceratio ad virtutem pænitentiæ pertinet. 302.d
Carnis maceratio pertinet ad actus virtutis heroicæ. 539.c
Carnis macerationis ſpecies, & genera numerantur ab Innocentio IV. 315.b
S.Caroli pietas in pauperes. 299.c
S.Carolus eccleſiaſticos opulētiſſimos prouentus renuntiat. 300.a
S.Carolus à muneribus, vel leuiſſimis abſtinuit. 300.b
S.Carolus Vritani Principatus prætiũ piè diſtribuit. 300.b.
S. Carolus in Catacumbis integras noctes orado abſumebat. 344.b
Carolus Magnus ſæpè beatus appellatur. 89.c
Caroli Regis Vngariæ à Papa excommunicati cadauer incorruptum ſeruatur. 691.b
Cartuſianis carnibus numquam veſcilicet. 437.c
Caſtitas vnde dicatur. 276.b
Caſtitas ad regalarem ſtatum pertinet. 435.d
Caſtitatem Monialis exactiſſimè ſeruet. 523.d
Caſtitas quo fine cuſtodienda. 523.d
Caſtitas maiori labore à viduis, quam à virginibus cuſtoditur. 532.b
Caſtitas quanto cũ rigore ſeruanda ſit à Religioſo. 444.a
Catathema quid ſignificet. 737.c
Capita in libris legum, tituli dicunntur. 26.d
S.Catharinæ Seneſis auſteritas. 316.d
Cautio quid. 232.d
Cauſæ Canonizationis ad cauſas criminales reuocantur. 869.a
Certitudo fidei ex quibus haurienda. 178.b
Celites vere & proprie dicantur qui diuina viſſione fruuntur. 49.a
Celites qua ratione ſancti dicantur. 52.d
Charitas erga proximum, lapis lydius ſanctitatis. 224.d
Charitas cõſtituit hominem Dei amicum. 197.d
Charitas eſt ratio diligendi Deum ſuper omnia. 198.b
Charitas nobis eſt neceſſaria. 198.c
Charitas neceſſaria in Dei ſeruis ad canonizationem. 198.c
Charitas cæteras virtutes ſuſtinet neruanr. 199.b
Charitatis actus cadit ſub præcepto. 200 a
Charitas eſt omnium præceptorũ Decalogi fundamentum. 200.a
Charitatis duplex modus, intrinſecus, & extrinſecus. 200.d
Charitatis modus intrinſecus pertinet ad ſubſtantiam actus. 201.
Charitate membra eccleſiæ ſibi inuicē vniuntur & capiti Chriſto. 161.a
Charitatis ſigna externa multiplicia. 206.d
Charitatis vocabulo quid ſignificetur. 194.d
Charitas eſt habitus infuſus ſupernaturalis. 195.b
Charitate omnes virtutes ſolidantur. 195.b
Charitatis erga Deum natura inexplicabilis. 195.d
Charitas fundamentũ eſt pietatis, ac cultus Diuini. 195.d

Charitas eſt baſis perfectionis Euangelicæ. 160.
Charitatis actus quando quis teneatur elicere. 203.b
Charitatis actus externus attenditur in ordine ad canonizationes. 203.b
Charitas qua ratione ſit virtus ſupernaturalis Theologica. 196.d
Charitatis actus frequẽtatio attendenda ad effectũ canonizationis. 208.c
Charitas erga proximos, præſertim Religioſos nota ſanctitatis mulieris coniugatæ. 563.a
Charitatis gradus, qui conſequi poſſunt in hac vita. 205.b
Charitatis duplex effectus. 160.a
Charitas ſecundum quem gradum detur in via, & in Patria. 160.b
Charitas ſine fide ruit. 135.a
Character Proceſſus conſiderandus in actis ſeruorum Dei. 862.c
Charitas tenet ſummum gradum perfectionis euangelicæ. 63.a
Charitas erga Deum, & proximum in oratione eluceat. 339.c
Charitatis obiectum qua ratione ſit Deus. 197.a
Charitatis gradus quis attendẽdus in actibus ſeruorum Dei. 206.a
Charitas formam fidei eſſe, quomodo intelligatur. 177.c
Chriſtus habuit ſciẽtias infuſas. 631.c
Chriſtiani naſcentis eccleſiæ duplici bello ſubiacebant. 667.c
Chriſtiani, actus Iuſtitiæ tum diſtributiuæ, tum commutatiuæ exercere debent. 247.c
Chriſti, & ſanctorum diſcrimen miraculorum. 577.d
Chriſtianus cui ei, qui aratro terram ſcindit comparetur. 313.d
Cilicium quale ſit argumentum ſanctitatis. 311.a
Cilicium ad corpus domandum probatur à ſacra Scriptura. 310.a
Cilicium cum ieiunio ſemper coniunctum fuit. 310.c
Circumſpectio quid. 232.d
Circunſtantiæ faciunt ad bonitatem, & malitiam actus humani. 116.d
Circumſtantiæ dicuntur, quæ extrinſecè adueniunt actibus humanis. 116.d
Circumſtantiæ ſecundario pertinent ad malitiam, vel bonitatem actus humani. 117.b
Circumſtantiæ conditiones ſeptem ex D. Th. & Cicerone. 117.c
Circumſtantiæ actuum quot ſint ad effectum canonizationis ex Auctore. 118.b
Circumſtantia temporis conſideranda in actis ſeruorum Dei. 119.d
Circumſtantia loci conſideranda in actibus humanis. 119.a
Circumſtantiæ ex teſtibus, in actis ſeruorum Dei quæ ſint attendendæ. 121.c
Circumſtantiæ multæ, & quæ in iudicando de reuelationibus. 627.c
S. Claræ auſteritas. 316.a
S. Claræ eximia paupertas. 523.a
Clauſuræ hæretici detrahunt. 527.d
Clauſura perpetua præcipitur Monialibus. 527.c
Clauſura exactè examinanda in actis Monialium. 528.c
Clauſuram perfectam amet Monialis. 529.d
Clauſura perfecta quæ. 529.d
Clauſuram maxime decet Regulares. 448.a
Clementia quid, & circa quæ verſetur. 279.b
Clementia eſt virtus propria ſuperiorum, & iudicum. 279.b
Clementia quomodo à Temperantia differat, & cum ea conueniat. 279.c
S. Clemens Notarios inſtituit, qui colligerent Martyrum acta. 859.c

Clericus Secularis non eſt in ſtatu perfectionis. 106.c
Clerici Seculares in ſuſceptione ſubdiaconatus obligantur ad caſtitatem. 108.c
Clericus Secularis ſacris initiatus, eſt in ſtatu perfectionis ratione ordinis. 109.c
Clericus ſæcularis ad regularem vitam tranſire poteſt. 109.b
Clericorum religio ad quid per ſe ordinetur. 421.b
Clericorum religio laxior Monacali. 422.c
Clericorum Regularium multa inſtituta. 423.b
Clericis vti lineis licet. 422.b
Clerici Regulares alij Canonici, alij non Canonici. 422.d
Cœmeteria dicuntur, quaſi dormitoria. 665.b
Cœmeteria ſunt loca ad ſepulturam fidelium conſecrata. 665.c
Cœmeteria catholicorum aliquando occupata ab Hæreticis, & Schiſmaticis. 671.c
Cognomina, agnomina, prænomina quid ſignificent. 24.d
Columbę ſymbolum repertum incrytarum tumulis, non eſt inditium ſanctitatis. 673.d
Cognomen dicitur à gente, & familia. 25.a
Cognomen interdum ab agnomine diſtinguitur. 25.c
Collectæ fiebant ab Eccleſia ad ſubueniendum neceſſitatibus illorum, qui pro Chriſto in carceribus detinebantur. 68.c
Concilia generalia cur Sancta. 47.a
Conditiones ad ſtatum perfectionis. 104.d
Conditio humani actus triplex eſt ex D.Thoma. 112.c
Conditiones amicitiæ numerantur. 197.e
Confeſſionis titulus repertus in tumulis, non eſt inditium Sanctitatis. 661.b
Confeſſionis titulus, quibus tribui ſoleret ab Eccleſia. 661.c
Confeſſio peccatorum efficaciſſimum remedium ad frenandos homines. 321.b
Confeſſio peccatorum quid efficiat in pœnitente. 321.b
Coniugati cur non recenſeãtur in litanij. 35.a
Coniugium non habet Sanctitatis titulum. 35.d
Continentiæ heroicitas coniugalis. 474.a
Coniugati tribus diebus ante ſumptionem Euchariſtiæ à copula abſtineant. 474.c
Continentiæ coniugali, iungatur vſus Euchariſtiæ, pœnitentiæ, orationis, & ieiunium. 474.d
Coniugium cur ſic dictum. 464.d
Coniugati Sanctitatis rationes non reſpuunt. 465.b
Coniugatus ad ſtatum religionis ſine vxoris conſenſu tranquire nequit. 104.b
Conſanguinei pauperes alendi non ditandi ab Eccleſiaſticis. 397.c
Coniugati actus examinandi, ex actibus erga rem familiarem. 470.b
Coniungati argumenta Sanctitatis, quæ ſint. 549.c
Coniugati actus erga familiam attendendi. 467.a
Coniugij finis attendendus, in actis coniugati ad effectum Canonizationis. 465.a
Coniugium ex motiuo procreandi filios Deo gratum. 466.b
Corinthij variè redarguuntur à Paulo, quod lites haberent. 61.a
Corruptio facilis eſt in rebus humidis. 682.c
Corruptio cadauerum eſt pœna peccati.

cati. 680.c
Corruptibilitas cadaueribus eſt cōnaturalis. 681.a
Corruptionis cauſæ humiditas,& aer. 682t.c
Corrupionis cadaueris cauſæ,ſunt etiā calor extraneus & pinguedo. 686.a
Corruptionis primus gradus eſt nigredo. 684.a
Correctio fraterna,cum diſcrimine vitæ etiam facienda,vt ſit actus heroicus. 222.d
Corporis diſpoſitio in oratione ad effectum Canonizationis contemplatur. 345.b
Corporis maceratio ad virtutem pœnitentiæ pertinet. 302.d
Corona gloriæ non certanti, ſed vincenti datur. 364.a
Corpora reperta in cryptis arenarijs non præſtant inditium Sanctitatis. 668.c
Corporis diſpoſitio in oratione ex ſe, Sanctitatem non ſubindicat. 344.d
Conſecratio Altaris ad honorem Dei ſerui non Canonizati,abuſiuè conſecratio appellatur. 808.d
Conſtantiæ munera quæ. 265.c
Conſcientia pura quæ. 21.d
Conſilia Euangelica faciunt ad perfectionem ſecundario, & inſtrumentaliter. 163.b
Conſtantinus Imperator cur in Sanctorum numerum non ſit relatus. 407.d
Conſtantinus beatus à Patribus dictus. 89.b
Conſtitutiones Regularium ab ipſorum regula propriè diſtinguitur. 426.b
Conſtitutionum decreta, quæ nam obligent ſub peccato. 438.b
Conſuetudo contra ius commune quo modo firmari poſſit. 169.c
Contrariorum eadem eſt diſciplina. 869.a
Contemplatiui non ſunt dicendi prudentes prudentia ciuili ſed diuina. 238.a
Contemplatio attendendi in actis Seruorum Dei. 336.b
Contemplationis, meditationis, & orationis diſcrimen. 335.b
Continentia coniugalis attendenda in coniugatis ad effectum Canonizationis. 473.d
Continentia coniugalis in quo nam ſita ſit. 473.d
Continentia prout à caſtitate ſecernitum quid ſit. 278.c
Continentia S. Brigittæ laudatur. 475.d
Conſilium præbere indigenti eſt opus miſericordiæ. 222.b
Conuerſatio cum pauperibus humilitatis eſt ſignum. 360.b
Creatura vera miracula, inſtrumentaliter tantum efficere poteſt. 566.c
Credere Deum,in Deū,& Deo diſtinguntur. 173.c
Credere in Deum eſt diligere illum ex D.P.Auguſtino. 173.c
Credentes in primitiua Eccleſia, fratres dicebantur. 214.a
Credulitas innititur auctoritati dicentis. 173.a
Cruces in parietibus Eccleſiæ non Canonizati,non indicāt conſecrationem factam ad honorem illius non canonizati. 809.c
Cruces in parietibus Eccleſiæ, non ſemper euidenter indicant illius conſecrationem. 810.c
Cruciatus letanter patiebantur Apoſtoli. 152.d
Crux Chriſti morientibus oſculanda præberi debet. 734.d
Cryptæ arenariæ ad ſepulturam excauatæ cœmeteria dicebantur. 666.a
Cryptæ arenariæ varijs ſymbolis configurabantur. 666.d

Cul-

Cultus eſt manifeſtatio alterius excellentiæ. 248.d
Cultus aliquando adorationem, & venerationem ſignificat. 748.d
Cultus alius priuatus, alius publicus. 749.a
Cultus publicus triplex. 749.b
Cultus publicus ex ratione loci, perſonæ, & generis attendatur. 749.b
Cultus priuatus alius internus, alius externus. 750.b
Cultus priuatus internus non facit ad Canonizationem. 750.c
Cultus externus qui ſit. 751.a
Cultus notorius qualis ſit. 752.a
Cultus manifeſtus qualis dicatur. 752.b
Cultus priuatus ſiuè externus, ſiuè occultus, nullum præbet Sanctitatis argumentum. 752.d
Cultus publicus alius præceptus, alius toleratus, alius nec toleratus. 754.d
Cultus publicus præceptus qualis ſit. 754.d
Cultus conceſſus qualis dicatur. 755.b
Cultus permiſſus qui ſit. 755.b
Cultus exhibitus alicui defuncto auctoritate Epiſcopi, toleratus dici poteſt. 756.b
Cultus non præceptus, nec toleratus, nec conceſſus qualis ſit. 756.c
Cultus non toleratus ad forum Eccleſiaſticum, ad effectum Canonizationis venire prohibetur. 757.c
Cultus permiſſus, & toleratus à Summo Pont. aliquod indicium præbet Sanctitatis. 759.c
Cultus permiſſus ab Epiſcopo non præſtat argumentum Sanctitatis. 760.a
Cultus nomine in definitione Pietatis quid intelligatur. 250.c
Cultus conceſſus à Summo Pontifice efficax Sanctitatis argumentũ præſtat ad effectum Canonizationis. 762.a
Cultus ex Apoſtolica Sede alicui conceſſus, miracula, virtuteſque in gradu heroico, ſaltem indirectè ſubindicat. 95.b
Cultus non neceſſariam habet connexionem cum Canonizatione. 87.c
Cultus locorum Sacrorum, nota eſt Sãctitatis præſertim in vidua. 542.a
Cura domeſtica attendenda in actis Epiſcoporum. 389.b

D

Decreta legis Diuinæ charitatem præſeferunt. 161.d
Dedicatio templi ad honorem non Canonizati auctoritate Epiſcopali, ſummum Sanctitatis præſtat. 811.b
Definitio virtutum eſt per actus, & obiecta. 242.b
Defunctorum duplex genus. 48.d
Defunctorum in carceribus commemorationẽ celebrare quid ſit. 776.c
Dæmones expelli poſſunt auctoritate Superioris Dæmonis. 571.a
Dæmones expelli poſſunt à peccatoribus. 571.c
Dæmones poſſunt docere homines ſcientias naturales. 635.b
Dæmonis arte poteſt aliquis habere linguarum peritiam. 648.a
Dæmones mirabilia facere valent. 573.c
Dæmones quomodo poſſint reuelare aliqua. 623.b
Denominatio extrinſeca Sanctitatis, cui fundamento innitatur attendi debet. 76.a
Dei, & Diui vocabula, qua ratione diſtinguantur. 50.c
Deſiderium æternorum in vltimo agone inquirendum. 364.d
Deuotio quaſi pluma orationis. 339.b
Deuotione homo ſubijcitur Deo pro bonis internis. 249.b

Deuo-

Deuotionis opera non conſtituunt in ſtatu perfectionis. 110.a
Deus obiectiuè, & formaliter Sanctus dicitur. 38.d
Deus Sanctus eſſentialiter,& radicaliter. 38.c
Deus eminenter, & efficienter Sanctus appellatur. 39.c
Deus dicitur Sanctus Sanctorum. 39.d
Deus certam victoriam ſeruis ſuis aliquando reuelat. 369.b
Deus producere poteſt ſpecies intelligibiles. 620.a
Deus ſuper omnia diligendus. 202.b
Deo ratione ſuæ infinitæ perfectionis debetur honor. 248.c
Deus tripliciter nobis loquitur. 616.b
Deus & proximus æquè ſuo modo diligendi. 210.b
Deus habet peculiarem modum loquendi. 591.b
Deus ſecreto nobis loqui poteſt. 590.c
Deus qua ratione ſit obiectum charitatis. 197.a
Dies feſtus laica auctoritate indictus nullum præſtat Sanctitatis indicium. 768.a
Dignitatibus eccleſiaſticis renunciare aliquãdo crimini datũ fuit. 288.a
Dignitas Eccleſiaſtica qua ratione accepta à Dei ſeruo inquirendum. 385.b
Dignitatibus renuntiare non eſt efficax nota Sanctitatis. 288.b
Dignitatibus renuntiantes laudantur. 287.a
Diuitiarum contemptus qua ratione ſit virtutis ſignum. 288.d
Dignitates amouibiles non pertinent ad ſtatum hominis. 101.b
Dignitates deſiderare arrogantiæ, & præſumptionis eſt nota. 286.d
Dignitates Clericorum Secularium qua ratione aliquando conſtituat in ſtatu perfectionis. 108.a
Dilecti Dei dicebantur, qui baptiſmũ & confirmationis Sacramentum ſuſcepiſſent. 71.a
Dilectio cur fortis ſicut mors ex D. Auguſtino dicatur. 196.a
Dilectionis proximi actus cadit ſub præcepto. 210.c
Dilectio proximi eſt character Euangelicæ doctrinæ. 209.d
Dilectio proximi præcipitur in lege Chriſti. 209.d
Diligere proximum ſicut ſeipſum quomodo intelligendum. 215.b
Dignitatibus renuntiare actus humilitatis heroicus aliquando. 286.b
Dignitatibus renuntiãdi quale debeat eſſe motiuum. 286.c
S. Didaci complutenſis exemplum paupertatis,& obedientiæ in vltimo agone. 367.d
Diogenis Cinici nuditas. 311.a
Diogenes diuitiarum contemptor. 291.a
Diogenis reſponſio ad Alexandrum Magnum. 291.b
Diuitiæ apud ethnicos beatitatis titulum præſtabant. 85.c
Diuitiæ non pertinent ad ſtatum hominis. 101.b
Diuitiæ viles, exiguæ, incertæ, inſtabiles. 289.d
Diuitiarum contemptus ad Euangelicam pertinet perfectionem. 290.a
Diuitiæ in obſequium Dei, & proximi expendendæ. 290.b
Diuitiarum contemptus non eſt ſignũ efficax Sanctitatis. 290.d
Diuitiarum contemptus gradus heroicus qui ſit. 296.a
Diuitiarum contemptus qua ratione ſit nota Sanctitatis. 292.a
Diuitiarum contemptus inquirendus in actis Seruorum Dei. 293.c
Diuitiarum diſtributione Cælum lucratur. 301.c

Diuitiarum contemptu deficiente, deficiat gradus heroicus omnium virtutum neceſſe eſt. 294.b
Diuitiarum in pauperes diſtributio laudatur. 297.c
Diuitiæ ſunt bona corporis externa. 249.d
Diuitiæ dupliciter Deo exibentur. 249.d
Diuitiæ quomodo Deo mediatè exibeantur. 250.a
Diſcrimen inter Diuum, & Sanctum. 50.b
Diui nomen Imperatoribus aliquando datum. 51.c
Diui propriè dicuntur, qui diuina viſione fruuntur. 50.a
Diui vocabulum à Sanctis non explo ditur. 51.d
Diuinum officiũ ſub vna forma olim celebrabatur in Eccleſia. 817.a
Diuino cultui Sanctiores viri electi. 30.c
Diuerſi gradus in Eccleſia primitiua. 32.b
Donorum Spiritus Sancti diſtributio. 32.a
Docilitas quid. 232.d
Dubius in fide, infidelis. 169.c
Duo requiruntur, vt aliquid Sanctum dicatur. 9.c

E

Eccleſiæ vocabulum vnde deriuatum, & quid ſignificet. 802.a
Eccleſia non iudicat de occultis. 75.a
Eccleſiæ non ſunt ædificandæ ſine Epiſcopi licentia. 802.d
Eccleſiæ conſecratio, ſeu ædificatio auctoritate Apoſtolica, ſaltem interpretatiua, eſt efficaciſſimum argumentum Sanctitatis. 812.a
Eccleſiam conſecrare ſolum Epiſcopis licet. 812.c
Eccleſiam dedicare quilibet Sacerdos poteſt de licentia Epiſcopi. 812.
Eccleſiæ dedicatio ad honorem Dei ſerui auctoritate Apoſtolica, eſt genus Beatificationis. 813.a
Eccleſiæ particulares aliquando errarunt in præſtando cultum Sanctorum alicui prædefuncto. 80.c
Eccleſiæ plures in ſynodo tribuentes alicui prædefuncto titulum Sanctitatis, plenum ſumum præſtant ad effectum Canonizationis. 81.a
Eccleſiæ alicuius conſecratio, ad honorem non Canonizati in dubium reuocanda. 809.a
Eccleſia non iudicat de humanis actibus internis. 112.d
Eccleſia in ſui primordio habuit titulos honorarios. 30.d
Eccleſia orat pro omnibus, etiam pro hoſtibus. 224.a
Eccleſia Corpus Chriſti appellatur. 31.b
Eccleſia militans Sancta dicitur. 56.c
Eccleſia fidei dogmata non facit, ſed proponit credenda. 169.b
Eccleſia ſolicita erat, ne quid deeſſet fidelibus pro religione in carceribus detentis. 66.b
Eccleſia quos nam commendet ex vſu cilicij. 312.c
Eccleſia quos nam cultu Beatificationis veneretur. 294.c
Eccleſia Romana qualiter ad Canonizationem procedat. 90.d
Eccleſia Romana in Canonizatione errare non poteſt. 669.d
Eccleſia particularis errare poteſt in cultu, & veneratione alicuius martiris, vel Sancti. 670.a
Eccleſiarum ædificatio amorem erga Deum indicat. 406.b
Eccleſiæ diligentia in conſcribendis martyrum actis. 859.d
Eccleſiæ Catholicæ tantum eſt iudicare, & approbare miracula. 575.b

Eccleſiæ redditus quomodo ſint expendendi. 396.a
Eduardi Regis Angliæ obedientia in Summum Pontificem. 402.b
Efficere dicit motum ab agente procedentem. 100.a
Effectus ſignificat actionem prout in termino. ibid.
Eleemoſina ſanctitatis eſt nota inſignis. 512.b
Eleemoſina ex ſuperfluis diſtinguitur ab eleemoſina ex neceſſarijs. 121.b
Eleemoſina à præcepto charitatis originem trahit. 217.b
Eleemoſina quomodo ſit facienda ex Chriſti regula. 20.d
Eleemoſinæ mentionem faciunt Sūmi Pontifices in bullis Canonizationum. 513.c
Entis bonitas nihil facit ad rationem humani actus. 136.c
Epiſcopalis perfectionis, quænam ſint prima elementa. 385.b
Epiſcopi omnes Sanctitatis titulo olim fruebantur. 76.c
Epiſcopis non licet titulum beatitatis alicui prædefuncto conferre. 92.d
Epiſcopi ſummo charitatis gradu pollere debent. 206.c
Epiſcopi beati à Iuſtiniano appellati. 85.d
Epiſcopi limina Apoſtolorum cur viſitare iubeantur. 47.d
Epiſcopus quaſi ſuperintendens ex Iſidoro dicitur. 380.c
Epiſcopisq; ſine auctoritate Apoſtolica Eccleſias conſecrare olim non licebat. 802.d
Epiſcopus tenetur ad reſidentiam, & ad alia ex Sacris Canonibus. 388.c
Epiſcopi familia à muneribus caueat. 389.d
Epiſcopi aliquando decepti in erectione Altarium ad honorem non beatificati. 796.b
Epiſcopis beatificatum litanijs addere non licet. 784.b
Epiſcopus ex bonis Eccleſiæ non ditet conſanguineos. 396.c
Epiſcopo tantum Altaria erigere licet. 791.b
Epiſcopi Canonizandi acta qualiter examinanda. 330.c
Epiſcopus non conceditur facultas iure communi approbandi miracula, & imagines non beatificatorum, aut non Canonizatorum. 578.d
Epiſcopis aliqua facultas conceditur fabricandi proceſſus de actis, & miraculis alicuius prætenſi ſerui Dei. 93.c
Epiſcopi omnes in ſtatu perfectionis exiſtunt. 105.d
Epiſcopus non impeditus tenetur quotidie ſacrum facere. 329.d
Epiſcoporum comminiſtri quales, & qualiter eligendi. 391.d
Epiſcopus ſemel in anno Diœceſim tenetur viſitare. 390.d
Epiſcopus elucere tenetur omnium virtutum actibus in gradu heroico. 381.d
Epiſcopus qua ratione teneatur promiſſa in conſecratione ſeruare. 106.a
Epiſcopi auctoritas aliquid confert ad Canonizationem, & quomodo. 92.d
Epiſcopus ſubditorum defectus quomodo corrigere debeat. 393.b
Epiſcopus non dominus prouentuum Eccleſiarum, ſed diſpenſator eſt. 395.a
Epiſcopus bona Eccleſiaſtica quomodo adminiſtrare debeat. 395.b
Epiſcopus Euangelium prædicare tenetur. 391.b
Epiſcopus quomodo ſe gerere debeat in electione comminiſtrorū. 391.d
Epiſcopus proprium commodum reſpicere non debet, ſed ſubditorum. 390.a

Epiſcopi, vel Præſulis vita quomodo examinanda. 390.a
Epiſcopi ſanctitas per reſpectum ad alios attendenda. 384.d
Epiſcopi Sanctitas ad duo capita reuocatur, & quæ. 385.a
Epiſcopi temere procedétes in concedendo alicui prædefuncto titulum Sanctitatis facilè decipiuntur. 80.b
Epiſcopus non habent auctoritatem indicendi dies feſtos non canonizati, aut tantum beatificati. 772.c
Epiſcopatum deſiderare cur bonum dixerit Apoſtolus. 280.a
Epiſcopatum deſiderare qua ratione non ſit bonum. 286.a
Epiſcopatus dignitas quomodo obtinenda ex D. Paulo. 385.d
Epiſcopatum appetere non licet ex D. Thom. & D. Auguſtino. 386.c
Epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis exercendæ. 19.a
Epiſcopatus multarum requirit dotes vt quis cenſeatur idoneus. 286.d
Epiſcopalis Eccleſiæ bona in diœceſi quantum fieri poteſt tribui debent. 396.a
Epiſcopi canonizandi acta ex zelo animarum non præſertim exquiri debent. 388.c
Epiſtola Pauli ad Epheſios dũ Romæ tenebatur vinctus ab eo ſcripta fuit. 67.b
Eremitæ triplex genus, & qui. 449.b
Eremus quid ſit. 449.b
Eremitarum proprij qui ſint. 452.a
Eremitis in temporis non pemittitur vita veterum, & cur. 458.b
Eremitæ cuiuſdam exemplum in hæreſim lapſus, & cur. 459.c
Eremi receſſus quis approbandus. 460.a
Eremi aſperitas receſſus heroicitas indicat. 460.b
Eremitæ Epiſcopis obedire tenentur. 453.a
Eremitæ ſolitarii nulli ſubiecti prohibentur. 453.b
Eremitæ ſolitarij nulli religioni addicti poſſunt habere proprium. 453.c
Eremitæ ſolitarij non ſint in ſtatu perfectionis. 453.d
Eremitæ ſolitarij poſſunt ſanctitatem adipiſci. 454.a
Eremitæ cenſentur prudentes prudentia diuina. 238.a
Eremitæ acta ex pœnitentiæ actibus examinanda ſunt in canonizatione. 164.b
Ethnici titulo ſanctitatis condecorati inueniuntur in antiquis lapidibus. 564.b
Etymologia vocis vocabuli ſignificationem, & rei naturam apperit. 2.c
Eubolia quid. 233.b
Euangelica perfectio in gradu heroico hominem in ſtatu perfectionis conſtituit. 111.d
Euangelij prædicationem inpedientes tiranni cenſentur. 236.a
Euchariſtia dicitur bona gratia. 326.d
Euchariſtiæ vſus conſcientiæ nitorem expoſtulat. 327.a
Euchariſtiæ frequens vſus ſanctitatis argumentum. 327.b
Euchariſtiæ frequens vſus attendendus ad notam ſanctitatis. 320.b
Euchariſtiæ frequens vſus inquirẽdus in actis ſeruorum Dei non martyrum. 328.c
Euchariſtiæ frequens vſus laudatus à ſanctis Patribus. 329.a
Euchariſtiæ frequens ſuſceptio valde attendenda laicis canonizandis. 333.d
Euchariſtiam ſumere ſine pænitentia nefas eſt. 320.c
Eutrapelia quid & quæ eius munera. 605.d
Exceſſus mentis nullum ſanctitatis argu-

gumentum præſtat. 605.b
Exempla afferũtur cadauerum incorruptorum non Sanctorum. 691.b
Exempla parẽtum, filijs proponere familiare fuit veteribus. 54.c
Exempla illorum, qui peregrinationis cauſa, cõmoda domus reliquerunt. 484.b
Exempla coniugatorum in adminiſtranda re familiari. 471.a
Exempla mulierum, quæ prolis tantũ adipiſcendę grat a matrimonio cõiunctæ fuerunt. 550.a
Exemplum obedientiæ ſanctæ Iulianæ. 520.c
Extaſis propriæ quid nam ſit. 601.d
Extaſis nomen vnde deriuetur. 600.b
Extaſis definitio traditur. 600.b
Extaſis quarum potentiarũ actus ceſſare faciat. 600.d
Extaſis dupliciter cauſatur in nobis. 601.a
Extaſis pręciſè cõſiderata nõ eſt argumentũ ſanctitatis, & quare. 608.a
Extaſis indirectè poteſt eſſe inditium ſanctitatis & quomodo. 609.c
Extaſis diuerſa ſunt nomina apud cõtemplatiuos. 607.b
Extaſis, an bona ſit ex antecedentibus & ſubſequentibus diudicãda. 514.a
Extaſis bonæ regulæ traduntur. 610.b
Extrema verba virtutis, in habitus virtutum in vita aperiunt. 366.d

F

FAma quid ſit. 695.d
Famę, & rumoris diſcrimen. 695.c
Fama vnde dicatur. 695.d
Famæ conditiones. 696.b
Fama ſanctitatis quid ſit. 698.c
Fama miraculorum, an pręſtet argumentum ſanctitatis. 724.b
Fama ſanctitatis ſi virtutibus innitatur, indicium præſtat ad effectum canonizationis. ibid.
Fama ſanctitatis quando certa ſit, & vera. 81.c
Fama publica qualis ſit. 701.a
Fama manifeſta quæ nam ſit. 701.b
Fama notoria qualis ſit. 701.d
Fama ſanctitatis in genere non eſt indicium ſanctitatis. 704.d
Fama ſanctitatis in ſpecie non eſt efficax argumentũ ſanctitatis. 706.d
Fama ſanctitatis manifeſta, pręſtat indicium ad inquirendum. 707.c
Fama notoria ſanctitatis, efficaciſſimũ ſãctitatis argumentũ præſtat. 708.a
Familia Epiſcopi à muneribus caueant. 389.d
Feruor in oratione deſiderãdus, 339.c
Feruor verborum in fine vitæ prolatorum atendendus in actis ſeruorum Dei. 374.c
Feſtum celebrare ritu Chriſtiano quid ſit. 766.c
Feriari diem ritu laico quid ſit. 766.c
Feſtũ diem ritu laico, celebrare reſpicit forenſes actus. 767.b
Feſta eccleſiaſtica indicere non eſt poteſtatis epiſcopalis. 767.c
Fidei ſupernaturalis actus ratione vtẽtibus eſt neceſſarius. 166.d
Fidei confeſſio oportuno tempore cadit ſub præcepto. 179 c
Fidei confeſſio quando requiratur ad Canonizationem. 180.a
Fides profitẽda etiam cum manifeſto mortis periculo. 180.c
Fidei confeſſio cum diſcrimine capitis eſt argumẽtũ Sanctitatis. 181.c
Fides infuſa, vt eſt habitus quid. 169.a
Fidei infuſæ actus, quid ſit explicatur. 169.d
Fides ex operibus hauriẽda ad effectũ canonizationis. 178.b
Fidei actus ſupernaturalis neceſſarius ad iuſtificationẽ, & gloriam. 171.b
Fides Theologica dicit aſſenſum firmum circa veritates à Deo reuelatas. 174.a

Fidei ex principijs, ſcholaſtici theologi ſciendi actum eliciunt. 175.b
Fides ſine charitate mortua eſt. 134.d
Fides cur magis explicetur percredere in Deum, quam percredere Deum, vel Deo. 174.a
Fidei variæ ſignificationes. 167.a
Fdem euacuare quid. 167.a
Fides pro fiducia ſumi poteſt. 167.b
Fidem Theologicam cum fiducia cõfundunt hæretici. 168.a
Fides Theologica diſtinguitur à fiducia, tanquam cauſa ab effectu. 168.b
Fiducia in voluntate reſidet, & quid ſit. 168.c
Fiducia quid ſit, vnde oriatur, & qua ratione ſit fortitudinis pars. 264.a
Fides quid ſit. 168.c
Fidei actus externi examinandi ſunt ad effectum canonizationis. 176.b
Fides eſt radix virtutum omniũ. 135.a
Fides eſt duplex formata, & in formis viua, & mortua. 177.b
Fides ſine operibus, quare non ſit vera fides. 177.a
Fides teſtimonialis auctoritate Prothonotarij Apoſtolici munita, nullius eſt valoris ad effectum canonizationis. 867.b
Fides cur adhibenda Hiſtorico referente Hiſtorias ex alijs, & quid in his attendendum. 880.d
Fides & ſpes ſunt duæ alæ orationis. 339.a
Fidelium cadauera in criptis arenarijs olim recondebantur. 666.b
Filij parẽtibus obedire tenẽtur. 252.b
Filij parentes immitari ſolent. 560.c
Filiorum optima educatio maximè commendatur. 468.a
Filiorum educatio inter heroicus actus viduarum numeratur. 536.b
Finis creati intellectus eſt viſio diuinę eſſentiæ. 102.c
Finis vt cauſa mouens, bonitatem, & malitiam humanis actibus præſtat. 116.c
Finis coniugij maximè attendendus in actibus coniugati. 465.d
Fortitudinis variæ ſignificationes. 256.a
Fortitudo quomodo à cæteris virtutibus ſecernatur. 260.c
Fortitudinis actus qua ratione inquirendi in actibus Seruorũ Dei. 266.d
Fortitudinis actus qualis ſit, qui notam Sanctitatis præſtat. 267.b
Fortitudinis primarium obiectum eſt mors. 261.d
Fortitudinis ſecundarium obiectum quod. 262.a
Fortitudo eſt virtus, quæ ſubiectatur in appetitu irraſcibili. 262.b
Fortitudinis proprium eſt alias virtutes tueri. 262.c
Fortitudinis partes integrantes quæ. 263.b
Fortitudiuis partes potentiales quot, & quæ. 263.b
Fortitudo perficit animum ad agendum, & patiendum. 261.a
Fortitudo quomodo differat ab audacia, & temeritate. 261.b
Fortitudinis materia quæ. 261.c
Fortitudo inquirenda in actibus ſeruorum Dei eſt, vnum ex ſeptem donis Spiritus Sancti. 256.c
Fortitudo in quo conſiſtat. 257.a
Fortitudo qua ratione mẽtem dirigat, ne deflectat à recta regula. 258.a
Fortitudinis definitio explicatur. 259.a
S. Franciſcæ Romanæ anniuerſariũ ex Senatu Conſulto Romano celebrabatur. 774.d
S. Franciſcæ Romanæ humilitas. 361.a
S. Franciſci exemplum in vltimo agone. 367.b
S. Franciſcus Soldano Fidem prędicauit. 119.d
S. Franciſcus ſuper ignitos carbones volutabatur. 234.b

S. Fran-

S. Franciſcus de Paula ſolitudinem cur petierit. 456.d
S. Franciſcus pauper, & diuitiarum contemptor. 295.b
Fratris nomine fideles omnes tam viui, quã defuncti intelliguntur. 214.b
Fratres olim dicebãtur, quoquot Apoſtolis, vel Chriſtianis adherebant. 70.c
Fratres in primitiua Eccleſia diſtinguebantur ab his, qui ſancti dicebantur. 72.d
Fraticelli hæretici, qui nam fuerint. 291.d
Frequentia virtutum in gradu heroico quomodo inducatur. 318.c
Fumus Sanctitatis efficaciſſimus, ſumitur ex decreto Eccleſiarum in Synodo. 81.a
Fumus ab indicio diſtinguitur. 78.d
Fumus ad effectum Canonizationis, quid indigitet. 94.c
Fumus Sanctitatis quomodo diſtinuatur ab argumento Sanctitatis. 784.c
Fumus Sanctitatis ad effectum Canonizationis plus dicit, quam indiciũ. 870.a
Fumus Sanctitatis ſufficiens, mouet de iure ordinariũ ad inquirendũ. 79.a
Fumus ſufficiens ad effectũ beatificationis exactis iure nullis hauritur, quando ſumus in immemorabili. 94.d

G

Generales ordinum, & Abbates in ſubditos habent poteſtatem quaſi Epiſcopalem. 787.b
Gradus immunditiæ ſunt tres. 17.a
Genuflexio in orationes eſt humilitatis argumentum in Dei ſeruis. 344.a
Gratianus Imperator beatus à S. Ambroſio appellatur. 89.b
Gratia diuina cur homini conferatur. 565.b
Gratiæ vt acceptæ, non præſtant efficax argumentum Sanctitatis. 568.d
Gratitudo ad iuſtitiam pertinet. 253.d
Gratitudo vnde deriuetur. 254.a
Gratitudinis ratio in quo conſiſtat. 254.b
Gratitudo beneficium agnoſcit. 254.c
Gratitudo beneficium laudat. 254.c
Gratitudo gratias benefactori rependit. 254.c

H

Habitus ex frequentatis actibus gignitur. 135.c
Habitus aliquis an generetur ex frequentatis actibus virtutum Theologicarum. 136.b
Habitus naturales generantur ex pluribus actibus. 122.a
Habitus ſpeciem ſumit ex actibus. 242.d
Habitus virtutum alij intenſi, alij remiſſi. 141.b
Habitus virtutis efficienter ſe habet ad proprium actum. 122.b
S. Heduigis Duciſſæ Poloniæ cur paupertatis votum non emiſerit. 300.d
S. Heduigis flexis genibus pauperibus miniſtrabat. 360.c
S. Henricus Primus Imperator, ab Eugenio Tertio laudatur. 256.c
Hereticus fidem erroribus admixtam profeſſus, etiam cum diſcrimine capitis Sanctitatis argumento caret. 181.c
Heroes ab Eccleſia cur non dicantur Sancti. 155.b
Heroicum gradum, virtutes à charitate adipiſcuntur. 33.a
Heroica virtus quo pacto aſſequatur ex D. Thoma. 143.a
Heroicus actus in veſtimentis, qui nã ſit. 220.c
Heroicus patientiæ actus, qui nam ſit. 223.d

Heroica virtus Martyres adducebat lætos ad ſupplicia. 153.d
Heroicus actus in cura infirmorum, & in cibandis eſurientibus; quī nam ſit. 219.b
Heroicitaris vocabuli ſignificatio, & origo examinatur. 141.d
Heroicos virtutis actus à nobis, an poſtulet Chriſtus. 151.c
Heroicus gradus in actibus, & habitibus Seruorum Dei attendendus ad Canonizationem. 141.c
Heroicitas dirigit operationes potentiarum ex imperio voluntatis. 147.d
Heroicitas quid ſit. 147.b
Heroicæ virtutis actus, qui nam ſint. 141.d
Heroicitas quid ſit ex Philoſophis. 143.d
Heroica virtus, eſt virtus in gradu ſupremo intenſionis. 142.d
Heroica virtus eſt ætherea. 143.b
Heroica charitas S.P. Auguſtini. 149.c
Heroicæ virtutis ſubiectum eſt voluntas. 149.d
Heroicitatis ſignum, & nota quæ ſit. 151.c
Heroicitatis definitio ex auctore. 144.b
Heroicitatis definitio examinatur. 144.d
Heroicitas non eſt habitus infuſus, aut acquiſitus. 145.d
Heroicitas conſiſtit in actu virtutis. 145.d
Heroicus actus tendit ſimpliciter in finem ſupernaturalem intentum. 146.a
Heroicitas in vnaquaque virtute reparitur. 146.b
Heroicitas eſt actus ſuperior charitatis ſiue infuſæ, ſiue acquiſitæ. 146.b
Heroes qui dicebantur. 146.c
Heroicitas non conſiſtit in habitu charitatis infuſæ, vt infuſæ. 147.a
Heroicitatis Philoſophicæ, ac Theologicæ diſcrimen. 148.a
Heroicitas à perfectione Chriſtiana diſtinguitur. 148.c
Heroicitas eſt gradus intenſus charitatis ex frequentatis actibus. 149.b
S. Hieronymi auctoritate nōnulli Dei ſerui recepti fuerunt ab Eccleſia. 83.d
Hieronymi Recinetēſis anniuerſarius dies Recineti colitur. 764.c
S. Hilarion ſolitudinem cur petierit. 457.a
Hierarchicus ordo in Eccleſia datur. 30.d
Hiſtoriæ vocabulum vnde deriuetur. 872.b
Hiſtoria quid ſit. 872.b
Hiſtoricus verus quis dicatur. 872.b
Hiſtoriæ finis qui ſit. 872.c
Hiſtoriæ auctoritas metienda ex auctoritatem ſcribentis. 872.d
Hiſtoriarum auctores non omnes æquali fide digni. 873.c
Hiſtoria perdifficile argumentum præſtat ad effectum Canonizationis. 873.d
Hiſtoria de actibus alicuius Dei ſerui, cuius auctor ignoratur, nec indiciū præſtat, nec coniecturam præbet Sanctitatis. 874.a
Hiſtoria Eccleſiaſtica alia vniuerſalis, alia particularis. 879.b
Hiſtoria Laica obiter tangens acta alicuius Dei ſerui, nec argumentum nec coniecturam, nec indiciū Sanctitatis præſtat. 879.c
Hiſtoria, in qua conſcribantur acta, quem nec tempore, nec circa tempus auctoris contingerunt, nullum præbet validum Sanctitatis argumentum. 880.b
Hiſtoria geſtorum, ac rerum, quo tempore hiſtorici cōtigerunt aliquid auctoritatis habet. 877.b
Hiſtoriæ dedicatio maximè attendenda. 877.c

Hiſtoriæ noſtri temporis valdè ſuſpectæ. 877.d
Hiſtoriæ propriæ regionis, ac nationis conditiones, quæ attēdendæ. 878.c
Hiſtoricus Romanus geſta in Italicā ſcribens, & de actis Serui Dei agens aliquem præbet rumorem Sanctitatis. 878.d
Hiſtoria Laica, ſeu prophana quæ nam ſit. 879.a
Hiſtoria Eccleſiaſtica, quæ nam ſit. 879.b
Hiſtoria laica inditium pręſtat aliquod Sanctitatis interdum, & quando. 881.a
Hiſtorici plures conuenientes in ſanctitate alicuius quomodo expendātur. 881.d
Hiſtoricis ex reſcribētibus ex alijs acta ſeruorum Dei nulla fides habenda. 882.c
Homo ſiue ſit adultus ſiue puer ſtatim poſt baptiſmum, cur Sanctus non dicatur. 22.b
Homo perfectus eſſe poteſt, non tamē in ſtatu perfectionis. 164.a
S. Homoboni Cremonenſis pietas in pauperes. 298.d
Homo quibus actibus Deo ſubijciatur pro internis bonis. 249.b
Homo triplici potentiarum genere potitur. 598.c
Homo cur facilè moueatur ad delectabilia tactus. 270.c
Homo quandiu viuit, nequit affici Sāctitate, quæ maculari nequeat. 55.d
Homo per prudentiam imperare poteſt apetitiuę, & executiuę potentiæ. 237.d
Homo qua ratione Deo per gratiam aſſimilari poſſit. 20.d
Homo per actus religionis Deo ſubiectionem proteſtatur. 249.a
Homo dupliciter extaſim pati poteſt. 601.a
Homo adorationis actibus ſubijcitur Deo pro bonis corporis. 249.d
Homo non exiſtens ſui iuris, non admittit ſtatum perfectionis. 104.a
Homines nonnulli ſine detrimento, prolixas inēdias paſſi ſunt. 307.a
Homines qua ratione deificentur. 20.c
Honeſtas quid ſit, & vnde ſic dicatur. 273.d
Honeſtas maximè decet mulierem cōiugatam. 554.c
Honor importat excellentiam quandam. 28.c
Honor terrenorum bonorum maximus cenſetur. 285.c
Honor Deo debitus cum quadam demiſſione debet offerri. 248.d
Honor quid ſecundum Ariſtotelem. 29.a
Honor quid ſecundum D. Thomam. 285.c
Horarum Canonicarum recitatio ſi concedatur, non cenſentur conceſſę Lectiones Hymni, & Orationes. 827.d
Hoſtiæ Sacroſanctæ, & religioſę dicebantur. 3.d
Hieroſolymam petentes ſine Papæ obedientia cenſentur excommunicati. 481.d
Hieroſolymitana Sinodus cultu Sanctorum B. Angelum Carmelitam condecorauit. 82.c
Humanus actus quid ſit. 112.c
Humanus actus ex conditione perſonæ quid recipiat. 118.c
Humilitas quid ſit. 280.b
Humilitas ab ethnicis reiecta. 348.b
Humilitas ſeruis Dei maximè neceſſaria. 351.d
Humilitas quibus actibus declaretur. 359.d
Humilitas eſt quaſi pluma orationis. 339.b
Humilitatis ſignum eſt modeſtè loqui. 355.b

Humilitas eſt cuſtos,& comes caſtitatis. 525. c
Humilitas maximè attendenda in actis ſeruorum Dei. 351.d
Humilitas à Chriſto de Cælis in terrā allata. 348.b
Humilitas ad partes poteſtatiuas temperantiæ pertinet. 348.d
Humilitatis plures effectus,& qui. 350.a
Humilitas lapis lydius ſanctitatis. 350.b
Humilitatis ſigna quæ. 352.d
Humilitatis externa ſigna duodecim ex D.Th. 354.c
Humiliatio quid importet in ſcripturis ſacris. 303.c

I

Iconomachi Leonis impietas. 49.b
Iconomachi, Dei famulos prædefunctos ſanctos appellari vetabant. 49.c
Ieiunij ratio in quo poſita ſit. 302.d
Ieiunio qua ratione ſit danda opera ex Chriſti præſcripto. 120.d
Ieiunium ex præcepto, non præſtat notam ſingularem Sāctitatis. 120.a
Ieiunium maximè confert ad ſedandum libidinis ardores. 540.c
In ieiunio non eſt ſimulanda meſtitia. 120.d
Ieiunio vti oportet ad carnis macerationem. 540.a
Ieiunio vigilias adhiberi Sacra ſcriptura docet. 312.d
Ieiunium in pane, & aqua differt à ieiunio in pane, & vino. 121.a
Imago quid ſit. 711.b
Imaginum varietas enumeratur. 712.c
Imago in Cœmeterijs,& Capellis non eſt argumentum Sanctitatis. 715.b
Imago cum ſignis deuotionis, & pietatis, non eſt argumentum Sanctitatis. 715.d
Imago in locis ſacris cum notis Sanctitatis eſt fallax argumentum Sanctitatis. 716.c
Imago in locis religioſis cum notis Sanctitatis, etiam de licentia ordinarij, non eſt argumentum Sanctitatis. 717.d
Imago defuncti cū fama, & notis Sanctitatis infra 130. annos, non eſt efficax argumentum Sanctitatis. 719.b
Imago qualis ſit nota, & efficax argumentum Sanctitatis. 721.a
Immagines Altaribus ſuperpoſitæ nudè conſideratæ, non præſtāt Sanctitatis efficax argumentum. 762.d
Immagines Altaribus impoſitæ ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ, equiualet beatitatis titulo. 80 b
Immunditiæ gradus tres dantur. 17.a
Imperium voluntatis eſt præcipuus prudentiæ actus. 231.c
Imperatores, etiam Ethnici Sanctitatis titulo interdum decorati. 76.c
Indicium vnde dicatur, & quid ſit. 79.a
Indicium vnicum non præſtat plenā, neque ſemiplenam probationem. 868. c
Indicium non poteſt mouere Sedem Apoſtolicam ad inquirendum de Sanctitate alicuius. 78.d
Indicium Sanctitatis aliquid minus ſonat, quam fumus. 870.a
Indicia proxima vnde ſumantur à iure peritis. 868.d
Indicia plura cum verò ſimilibus coniecturis, probationem ſemiplenam faciunt. 868.d
Indicij diſcrimen ab argumento Sanctitatis. 692.a
Indicia remota non ſunt habenda in numero in cauſis Canonizationū. 868.d
Infantes poſt baptiſmum decedentes ante vſum rationis impropriè beati appellantur. 98.b

Iuſtitiæ ſunt ſubſtinendæ ex affectu miſericordiæ. 223.c
Inimicorum dilectio eſt actus heroicus. 152.b
Innocentibus pro Chriſto occiſis, Sanctitatis cultus ab Eccleſia cur concedatur. 87.b
Inſcriptio epiſtolarum Pauli diuerſos Eccleſiæ gradus reſpicit. 71.b
Inquiſitio coniecturis, & indicijs initur. 882.c
Inſpiratio quid ſit, & vnde nomen trahat. 615.c
Intellectus, & voluntas ad opus bonũ concurrere debent. 19.a
Intellectus creatus, Deo perfectè coniungi nequit in hac vita. 102.c
Intellectus, & voluntatis connexio. 17.d
Intellectus humanus tripliciter in Deum eleuari poteſt. 609.d
Intelligentia quid ſit. 232.d
Intentiò poteſt eſſe bona, & opus malum. 18.b
Iobi actus heroici miſericordiæ. 225.b
Iobi Sanctitas augetur ex loci circumſtantia. 119.b
S. Iſidori Agricolæ charitas heroica erga pauperes. 472.c
Iudex Eccleſiaſticus quando iuridice moueatur ad inquirendum de actibus, & miraculis ſeruorũ Dei. 881.c
Ius quid ſignificet, & quomodo ſumatur in definitione iuſtitiæ. 244.a
Iuſtitiæ definitio. 243.a
Iuſtitiæ vocabulo quid intelligatur. 242.c
Ex Iuſtitiæ actibus maximum Sanctitatis argumentum hauritur. 255.d
Iuſtitiæ vocabulum dupliciter accipitur. 241.a
Iuſtitia pro actu cuiuſcumque virtutis quare ſic dicatur. 241.c
Iuſtitia non eſt voluntas, ſed virtus in voluntate reſidens. 243.c
Iuſtitia propriè eſt ſpecialis virtus moralis à cæteris diſtincta. 241.d
Iuſtitiæ munera quæ. 242.a
Iuſtitiæ præſtantia ex obiecto, ex materia, & ex officio. 242.a
Iuſtitia eiuſdem ad ſe ipſum eſſe non poteſt. 245.c
Iuſtitia ſumi poteſt pro quocumque virtutis actu. 241.b
Iuſtitia inter patrem, & filium eſſe nequit. 245.c
Iuſtitia commutatiua eſt pars ſubiectiua iuſtitiæ in communi. 246.a
Iuſtitia diſtributiua eſt pars ſubiectiua iuſtitiæ in communi. 246.a
Iuſtitiæ commutatiuæ ſpecies ſumūtur per reſpectum ad partes. 246.a
Iuſtitiæ diſtributiuæ ſpecies ſumuntur per reſpectũ totius ad partes. 246.a
Iuſtitiæ partes potentiales, quæ ſint. 246.b
Iuſtitia commutatiua, in quibus rebus exerceatur. 247.a
Iuſtitia diſtributiua, quæ bona reſpiciat. 247.a
Iuſtitia diſtributiua attendit dignitatem, & merita Perſonarum. 247.b
Iuſtitiæ actus qua ratione ſint inquirendi ad effectum Canonizationis. 255.a
Iuſtitiæ actus non æqualiter in omnibus Dei ſeruis ſunt inquirendi. 245.d
Iuſtitiæ commutatiuæ, & diſtributiuę actus, in quibus Dei ſeruis inquirendi ſint. 248.a

L

Laica auctoritas iuridica, nihil confert ad Canonizationem. 775.b
Laicorum ſanctitas frequentem Euchariſtiæ ſumptionem poſcit. 334.a
Lapidea, & non lateritia fieri debent Altaria. 790.c
Latro in Cruce Chriſti diuinitatem eius confeſſus eſt. 88.a

Latro Crucem æquo animo ſubijt in remiſſionem peccatorum. 88.a
Latronis mors, & conuerſio fidelibus in exemplum proponitur. 88.c
S.Laurentij virtus heroica cõmendatur. 153.d
Lectiones nunc non conceduntur, de actis non Canonizatorum. 827.d
Lectiones de ſeruis Dei non beatificatis, ſubretitiæ cenſeri debent, niſi à Romana Sede concedantur. 823.a
Lectiones de non Canonizatis, ſi concedantur non propterea acta probata cenſentur. 822.b
Leo Decimus officium conceſſit Beati Filippi Benitij, in ordine ad Canonizationem. 96.c
Leo Iconomacus titulum Sanctitatis deleri iuſſit ex templo Sanctorum quadraginta Martyrum. 49.b
Leuitica tribus diuino cultui mancipata fuit. 30.a
Libertas ſeruituti opponitur. 17.a
Liberalitas eſt pars potentialis Iuſtitię. 289.b
Liberalitatis obiectum quod nam ſit. 289.c
Liberalitatis vſum diuitiæ ipſæ aperiunt. 289.c
Libri diuerſi olim in Eccleſia habebãtur, ad pſalmodiam, & vſum chori. 816.a
Librorum ſacrorum lectio prudentiã nos docet. 239.b
Lignum vitæ homines à corruptione preſeruaſſet. 690.a
Linguarum peritia Apoſtolis conceſſa fuit in exordio Eccleſiæ. 639.d
Linguarum peritia quomodo Apoſtoli vterentur. 641.a
Linguarum peritia qua ratione notam Sanctitatis præſtet. 647.c
Litaniæ aliæ vniuerſalis Eccleſiæ, aliæ particularium Eccleſiarum. 779.c
Litanijs inſerere, & inuocare aliquem inconſulto Summo Pontifice non licet. 781.b
Litanijs aliquem Dei ſeruum non Canonizatum inſerere, nefas eſt. 781.d
Litaniæ ab Eccleſia Romana non approbatæ, neque fumum Sanctitatis, nec argumentum præſtãt. 786.b
Litaniæ non admittunt nomina beatificatorum tantum. 782.c
Litaniæ ab Epiſcopo Archiepiſcopis, & alijs eiuſdẽ auctoritatis probatis, fumus tantum Sanctitatis aliquis hauritur. 787.d
Litaniæ ab Eccleſia Romana probatæ efficax Sanctitatis argumentum præſtant. 788.d
Loca Numini dicata Sacroſancta, & religioſa appellantur. 9.d
Locus orandi nullum ex ſe, Sanctitatis indicium præſtat. 342.b
Locus orationis conducit, vt quis exaudiatur. 342.d
Locus orandi deuotionem, & pietatẽ orantis indicat. 342.b
Locus Eremi attendi debet in actibus Eremitarum ad Canonizationes. 457.d
Loca ſancta, quæ peregrini petunt, examinanda ſunt in eorum actis. 482.b
Locus proceſſus ad illius valorem facit. 862.b
Lucius ab ortu ſolis dictus fuit. 24.d
S.Ludouicus Rex hoſpitalia inuiſebat, & infirmis miniſtrabat. 118.c
S.Ludouicus Rex à Bonifatio VIII. laudatur. 296.d
S.Ludouicus Francorum Rex de humilitate, commendatur. 362.a
S.Ludouici Francorum Regis pietas in pauperes laudatur. 299.b
Ludouicus Octauus Francorum Rex, de continentia coniugali commendatur. 473.d
S. Ludouici Toloſani erga pauperes pietas commendatur. 299.b
S.Ludouicus Toloſanus primogenituræ

turæ Regiæ renunciauit. 287.c
S.Ludouicus Toloſanus miſſam auditurus peccata confitebatur. 325.b
Lumen propheticum comunicatur per modum tranſeuntis. 585.b

M

MAcedones laudantur ab Apoſtolo de liberalitate. 69.d
Maceratio carnis ad tria capita reuocatur, & ad virtutem pœnitentiæ pertinet. 302.d
Magiſtratus non pertinet ad ſtatum hominis. 101.a
Malus actus humanus, nullatenus à virtute prouenire poteſt. 129.c
Malum prouenit ex quocumque defectu. 114.a
Manna abſconditum, quid ſignificet. 370.b
Manifeſtatio conceptus in animali eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. 589.d
Manuſcripta hiſtoria, ignorato auctore nullum præſtat Sanctitatis argumentum. 875.c
Manuſcripta hiſtoria hæretici, aut ſchiſmatici, nullum præſtat Sanctitatis argumentum. 876.a
Manifeſtum quid ſit. 699.c
Manſuetudinis munera quæ. 278.d
Manſuetudo mulieris erga domeſticos nota Sanctitatis cenſetur. 552.d
Manſuetudine homo à feris ſecernitur. 278.d
Manſuetudo quomodo à temperantia diſtinguatur. 279.c
S.Martini prudentia heroica. 238.d
S.Martini in vltimo agone conſtituti cura animarum. 366.a
Martyres heroes dicti fuerunt. 154.c
Martyrij, & baptiſmatis diſcrimen. 23.b
Martyres læti ad ſupplicia proficiſcebantur. 152.d
Martyrij excellentia omnium virtutum habitus præſtat. 140.d
Martyr, qui occubuit etiam ſi prius criminoſus fuerit, Sanctus ab Eccleſia cenſetur. 23.d
Martyres etiam ſine Sacramentis decedentes Canonizandi ſunt. 370.d
Martyres à non martyribus, ex genere mortis in Eccleſia Græca diſtinguũtur. 676.a
Martyres non omnes Canonizati fuerunt. 669.d
Martyrium emundat animam ab omni crimine. 23.c
Martyrium ex habitu perfectiſſimo charitatis procedit. 140.a
Martyrij actus ſolus examinandus in Martyris Canonizatione. 141.c
Martyrum corpora in cryptis arenarijs olim recondebantur. 666.b
Martyrum corpora, quibus adminiculis in criptis recognoſcantur. 678.a
Martyrologium vnde dicatur, & quid ſit. 836.d
Martyrologium cum Adone cuſium, potius Calendarium, quam Martyrologium appellandum. 839.b
Martyrologium propriè quid modo ſignificet. 840.c
Martyrologia alia metro, alia proſa conſcripta. 840.d
Martyrologiorũ Scriptores, qui fuerint. 841.c
Martyrologio conſcripti, non omnes Canonizati, aut Beatificati. 844.c
Martyrologium manuſcriptum incerti auctoris nullum præbet Sanctitatis indicium. 844.d
Martyrologium Bedæ, Flori, Vſuardi, quod nam argumentum Sanctitatis præbeat ad Canonizationem. 849.a
Martyrologium Vſuardi ex Molano quã fidẽ præſtet Sanctitatis. 849.c
Martyrologia propria alicuius Eccleſiæ, vel Religionis, nullum præbent argumentum Sanctitatis. 851.c
Martyrologio Romano reformato nihil

hil addendum. 853.b
Martyrologium Romanum ante reformationem Greg. XIII. non præbet, niſi fumum Sanctitatis. 854.c
Martyrologia multa olim ſub nomine Romano. 854.d
Martyrologium Romanum reformatum, non omni ex parte efficax argumentum præbet ad Canonizationem. 856.a
Martyrologio cur in fine lectionis addantur illa verba, *& alibi aliorum.* 82.a
Materia fortitudinis, quæ ſit. 261.c
Matrimonium cur non patrimonium dicatur. 464.d
Media ad finẽ proportionata eligere, pertinet ad prudentiam. 231.a
Media quibus dignitas Eccleſiaſtica eſt obtenta, in actis ſeruorum Dei inquirere oportet. 385.b
Meditationis, orationis, & contemplationis diſcrimen. 335.b
Meditatio attendenda in actis ſeruorum Dei. 336.b
Meditatio quando præbeat efficax ſanctitatis argumentum. 340.b
Memoria quid ſit. 232.d
Mens vnde dicatur. 598.a
Mentis exceſſus quid ſignificet. 598.b
Mẽtis exceſſus in homine quot modis contingere poſſit. 599.a
Militiæ Chriſtianæ arma neceſſaria in agone. 369.d
Miniſtri Reipublicæ ab exceſſu potũ cauere debent. 276.a
Miraculũ multipliciter ſumitur. 728.a
Miraculorum fama triplex eſt. 729.a
Miraculorum fama alicuius viuentis, non præſtat Sanctitatis argumentũ. 730.b
Miraculorum fama ex tabellis præciſè conſideratis, non præſtat ſanctitatis argumentum. 732.a
Miraculorum fama quę præſtat ſanctitatis argumentum qualis ſit. 733.a
Miracula vera poſt mortem, quo pacto ſint valida argumenta ſanctitatiſ. 572.b
Miracula à mirabilibus ſecernuntur. 567.b
Miracula vera quæ. 567.d
Miraculorum, & gratiarum diſtinctio. 568.b
Miraculorum donum inter gratias gratis datas primum tenet locum. 566.b
Miracula etiam mali homines aliquãdo fecerunt. 57.b
Miraculorum Chriſti, & ſanctorum diſcrimen. 578.a
Miracula ad fidei propagationem Apoſtoli fecerunt. 576.c
Miracula etiamſi ſint vera, non præſtãt efficax argumentum ſanctitatis. 569.d
Mirabilia non faciunt ad notam ſanctitatis. 569.a
Miracula non fiunt per reſpectum ad eum, à quo efficiuntur, ſed per reſpectum ad alterum, vt ad Deum reducatur. 572.d
Miracula commenſurantur fidei ſuſcipientis non dantis. 573.a
Miracula efficax argumentum Sanctitatis præſtant, ſi ab Apoſtoli ea ſede probata fuerint. 575.b
Miracula an ab Epiſcopo approbari poſſint. 579.a
Miſericordia quid ſit. 217.b
Miſericordiæ opera ſtrictè inquirenda in die iudicij. 217.c
Miſericordiæ opera in actibus ſeruorum Dei attendenda. 218.a
Miſericordes certò credimus, ad gloriã translatos. 218.b
Miſericordiæ quatuordecim capita. 218.b
Miſericordia præcepto charitatis initi tur. 217.b
Miſericordiæ opera ſpiritualia quot, & quę ſint. 222.a
Miſericordiæ opera, quando obligent

ad mortale. 224.b
Miſericordiæ opera ſtrictè examinanda in actibus ſeruorum Dei. 471.a
Miſericordiæ opera omnia, non ſunt quærenda in regularibus. 225.c
Miſſæ celebrationis, quæ ſint circumſtantiæ. 330.c
Miſſæ quotidianæ celebratio quando Sanctitatis præſtet argumentum. 332.a
Miſſæ celebrandi conceſſio, ad honorem defuncti equiualet beatitatis titulo. 86.b
Modeſtia quid ſit ſecundum D. Th. 279.c
Modeſtiæ partes, & munera in coniugata quæ ſint. 279.d
Modeſtia eſt nota Sanctitatis. 551.c
Monachi alij mendicantes, alij non mendicantes. 423.c
Monachi non mendicantes, propriè qui ſint. 423.c
Monachi mendicantes quatuor propriè ſunt, & qui. 423.d
Monachis mendicantibus alia inſtituta adiuncta. 423.d
Monachorum religio auſterior clericali. 422.c
Monachis vti lineis non licet. 422.b
Monachus cuiuſcumque inſtituti ab Eccleſia probati, eſt in ſtatu perfectionis. 19.d
Monachorum antiqua conſuetudo profeſſionem emittendi. 430.d
Monachorum moderna profitendi ratio. 431.d
Monaſterium petere, & familiam relinquere non licet. 469.d
Monialium inſtituta ſunt plura, quam virorum. 516.a
Monialibus non licet ab vno ad aliud Monaſterium tranſire. 516.b
Moniales de pœnitentia quæ. 516.d
Monialis Sanctitas quomodo ſit haurienda. 317.a
Monialis motiuum ingrediendæ religionis examinandum. 519.c
Monialium exempla de ingreſſu religionis. 518.a
Monialis alicuius generalis nota Sanctitatis. 519.d
Monialis obedientiæ votum omnino obſeruet. 520.a
Monialibus perpetua clauſura indicitur. 537.b
Monialis ad loquutorium nô facilè accedat. 529.c
Monialis Sanctitas, qua ratione ſit probanda. 525.a
Moniales cuiuſuis inſtituti ab Eccleſia probati, ſunt in ſtatu perfectionis. 109.d
Monialis veſtitus conſiderandus in eius actis. 525.c
Monialis conuerſatio inquirenda ad effectum Canonizationis. 525.a
S. Monicæ ſanctitas. 626.d
S. Monicæ exemplum in vltimo agone. 366.b
Monumenti nomine quid ſignificetur. 651.d
Monumentorum ex ritu Eccleſiaſtico alia ſupra terram, alia infra terram. 652.d
Monumĕtorum inſcriptiones, & ſigna attendenda. 653.a
Monumenta, quæ indicia Sanctitatis non præſtent. 653.c
Moſaica religio loca orandi ſingularia habuit. 341.c
Mors terribilium vltima. 261.d
Mors fortitudinis primariũ obiectum eſt. 261.d
Mortem pro Chriſto ſubire non ſufficit ad martyrium in Eccleſia Catholica. 677.b
Mortis dici prædictio non præſtat efficax Sanctitatis argumentum. 368.c
Mulier non libidinis affectu, ſed prolis adipiſcendę cauſa, matrimonio iungi debet. 549.d
Mulier coniugata reuerentiam viro exi-

exibeat. 553.a
Mulier coniugata auri ornamenta deuitet. 555.d
Mulier coniugata veſtimentorum cultum abhorreat. 558.b
Mulier coniugata in regenda familia ſtudeat. 559.a
Mulier coniugata honeſtatem, & modeſtiam pręſeferat. 554 c
Mulier ſancta ſanctificat virum. 555.a
Mulierum pulchritudo qualis eſſe debeat. 556.c
Mulieris coniugatæ Sanctitas ex Mundi contemptu haurienda. 557.b
Mulier coniugata capillorum cultum non exerceat. 557.b
Mulier inſcio viro, an poſſit aliquid domo diſtrahere. 563.a
Mulieris coniugatæ Sanctitas ex frequenti Euchariſtiæ vſu haurienda. 334.a
Mulieris coniugatæ notæ Sanctitatis eſt pietas, & Religionis cultus. 561.c
Mundi contemptus in quo conſiſtat. 557.b

N

S. Niuolai Tolentinatis frequens mortis deſiderium. 193.b
S.Nicolai Tolentinatis aſpera vita. 442.d
S.Nicolai Tolentinatis Oratorium extitit iuxta Altare. 343.c
S.Nicolai Tolentinatis miracula, enumerantur in Canonizatione. 741.b
Nigredo cadauerum eſt corruptionis primus gradus. 684.a
Nomen alicuius Dei ſerui tripliciter Breuiarijs inſeri poteſt. 821.b
Nomina ſeruorum Dei Breuiarijs inſerta, conceſſione aliqua generali, nequaquam efficax Sanctitatis argumentum præſtant. 821.d
Nominis ſignificatio in re qualibet prius indaganda. 2.d
Nomen quid importet, & vnde ſumatur. 24.b
Notorium aliud eſt facti aliud iuris. 700. b
Nuditas quando Sanctitatis argumentum præſtet. 311.a
Nuptiæ cur ſic appellentur. 464.d

O

Obedientia eſt baſis regularis inſtituti. 442.c
Obedientia perfectiſſima, quæ nam ſit. 443.a
Obediĕtiã primo loco à Regulari promittitur. 434.c
Obedientia eſt virtus dignior ceteris ad quas ſe obligat Regularis. 434.b
Obedientiæ obiectum formale, quod nam ſit. 251.d
Obedientia eſt mater, & cuſtos omniũ virtutum. 252.a
Obedientia eſt virtus, quæ alterum reſpicit. 251.d
Obedire Superioribus qua ratione ſubditi teneantur. 252.b
Obedientia prius Superiori Eccleſiaſtico, quam ſeculari eſt præſtanda. 252.c
Obedientia debet eſſe ceca, vt vera ſit obediĕntia. 250.d
Obedientiæ obſeruantiam decet monialem habere. 520.a
Obedientia fortitudinem poſtulat. 253.c
Obedientia in exequendo promptitudinem requirit. 253.a
Obedientia inquirenda eſt in actibus regularium. 253.b
Obiectum, finis, & circumſtantiæ dant eſſe humanis actibus. 113.c
Obiectum dat ſpecificationem actibus virtutum. 242.d
Obiectum charitatis qua ratione ſit Deus. 197.a

Obie-

Obiectum fortitudinis quod nam ſit. 261.c
Obitus Chriſtiani hominis pœnitentia carere non debet. 371.b
Obſeruantia eſt pars potentialis iuſtitiæ. 251.a
Obſeruantia cur à vera iuſtitia deficiat. 251.b
Obſeruantiæ actus præcipui, qui ſint. 251.c
Oculorum demiſſio ſignum eſt humilitatis: 354.d
Oculorum eleuatio diuini amoris interdum, ac fiduciæ eſt argumentum. 345.a
Odium proximi, Dei odium ſubindicat. 225.a
Odoratus qua ratione moderari indigeat. 272.b
Officium veræ prudentiæ eſt multis prodeſſe. 237.a
Officij Diuini recitatio æquiualet beatitatis titulo. 86.b
Officium recitatur in Romana Eccleſia, de quibuſdam ex auctoritate aliorum Sanctorum. 883.c
Oleum eleemoſinam ſignificat in ſcripturis ſacris. 512.a
Opera omnia ex Dei amore facienda ſunt, vt perfecta ſint. 163.d
Opera ad curam ſpiritualem proximi pertinentia, attendi debent in actibus Canonizandorum. 217.b
Oratione, quid faciat homo. 336.c
Oratio non coniuncta menti, non eſt cenſenda oratio. 339.c
Orandum ſemper quomodo intelligatur. 346.a
Orationis feruor ex quibus hauriẽdus. 340.b
Orandi modus, tempus, & locus attendendus. 340.c
Orandi tempus non ſubindicat Sanctitatem. 341.a
Oratio, quæ ad virtutem religionis ſpectat, quæ ſit. 336.a
Orandum pro omnibus hominibus. 223.d
Oratione homo ſubijcitur Deo pro bonis internis. 249.b
Orandi aſſiduitas neceſſaria eſt ad Sãctitatis indicium. 345.d
Orandi aſſiduitas dat gradum heroicũ orationi. 346.c
Oratio vocalis non eſt efficax nota Sanctitatis. 338.a
Oratio frequens, & aſſidua efficaciſſimũ Sanctitatis eſt argumentum. 348.a
Oratio duplex mentalis, & vocalis. 337.a
Oratio vocalis in Eccleſia antiquiſſima. 337.b
Oratio eſt veluti ianua ad meditationem, & contemplationem. 335.d
Oratio eſt attendenda, in actis Canonizandorum. 336.b
Orandi tempus accomodatus eſt à media nocte, & infra. 341.c
Orandi loca habuerunt Ethnici, & religio moſaica. 342.c
Orandi tempus deuotionis, & pietatis interdum eſt argumentum. 342.a
Orationes Deo gratiores ſunt ex locis. 342.c
Orationes fiebant ab Eccleſia pro his, qui in carceribus pro religione detinebantur. 66.c
Orationis alæ ſunt fides, & ſpes. 339.a
Orationis, meditationis, & contemplationis diſcrimen. 335.c
Orationes in fine vitæ attendendæ in actis ſeruorum Dei. 374.b
Ordinarius loci quomodo inquirere valeat de Sanctitate alicuius prætenſi Ddi ſerui. 78.d
Ornatus hominis in quo poſitum ſit. 156.c

P

Palma quid ſignificet in monumẽtis reperta. 667.c

Pal-

Palma duplex duplicem victoriam portendit. 667.d
Palmæ ſymbolum repertum in criptis, & tumulis non ſemper eſt indicium Sanctitatis. 674.d
Palma interdum ſepulchris etiam non martyris, apponebatur. 668.b
Palma vaſculis ſanguinis, vel pannis ſanguine conſperſis, in criptis arenarijs Sanctorum reperta indicium præſtat Sanctitatis. 676.d
Papa in Canonizatione procedit, vt iudex vniuerſalis Eccleſiæ. 97.c
Papa ſolus cultum diei obitus concedit ad Sanctitatis argumentum. 773.c
Papa de cathedra loquens, errare non poteſt. 97.d
Papa ſolus eſt iudex in Canonizatione. 90.c
Papa qua ratione concedat priuilegiũ cultus ad honorem non Canonizati. 826.a
Papa non habet omnimodam infallibilitatem, lectiones Breuiarij approbando. 828.b
Parentibus filij æqualem reddere nequeunt. 250.c
Parochi ſunt cõminiſtri Epiſcoporum in cura animarum. 391.d
Parochi officium quod nam ſit. 107.c
Paſtoris vita irrepræhenſibilis eſſe debet. 369.c
Paſtoralis cura inquirenda eſt in actis Epiſcoporum. 388.b
Patientia quid ſit ex Cypriano, & Auguſtino. 265.a
Patientię perfectio Chriſtiano homini neceſſaria. 264.a
Pater erga filium nec rigidus, nec negligens erit. 468.a
Patriarchę Beati à Iuſtiniano appellãtur. 85.d
Patrum primitiuæ Eccleſiæ prudentia heroica. 238.d
S. Paulinus vendidit ſe ipſum in redẽptione proximi. 220.a
S. Pauli primi Eremite mira abſtinentia. 304.b
S. Pauli raptus qualis fuerit. 600.a
S. Paulus gloriabatur de vinculis pro Chriſto. 65.d
S. Paulus propria vincula gentium gloriam cur appellaret. 66.a
Paulaeij cuiuſdam Ariminenſis ieiunium quadrageſimale. 306.a
Paupertas non pertinet ad ſtatum hominis. 101.b
Pauperum cura Epiſcopis commiſſa eſt. 391.a
Pauperes, qui nam beati ſecundum Euangelium. 292.c
Pauperibus regnum Cælorum promittitur. 295.a
Paupertas, quæ nam heroica ſit. 293.a
Paupertas patens eſt virtutum omniũ. 294.a
Paupertas vera, & religioſa, quæ nam ſit. 522.a
Paupertatis votum neceſſarium eſt ad ſtatum regularem. 434.d
Paupertatis votum ad quid obliget regulares. 445.d
Paupertatis votum ſeruent moniales. 521.d
Peccata venialia omnia vitare nequit purus homo. 205.d
Peccati ſtimulus cruciat animam. 22.b
Peccata quamuis leuiſſima pænitentia ſunt expianda. 322.c
Peccator Martyrio coronatus ſanctus dicitur. 23.a
Peccatores fideles, ſancti propriè non dicuntur. 59.d
Peregrinatio eſt via quædam in ſeruiendi Deo. 478.c
Peregrinatio ex motiuo deuotionis tantum ſuſcipienda eſt. 480.b
Peregrinorum labores ab Eccleſia probantur. 479.c
Peregrinor in primum Sanctitatis argumentum vnde ſumatur. 480.d

Peregrinorum ſtatus in proprijs ædibus examinandus in eorum actis. 484.a
Peregrinorum oblationes attendendę. 486.b
Peregrinorum obſeruantia Eccleſiaſticorũ præceptorum, eſt nota Sanctitatis. 486.d
Peregrini tenentur ieiunare. 487.a
Peregrini, quibus diebus teneantur ſacrum audire. 488.b
Peregrini, confeſſariorum fidem deferant. 490.d
Peregrinorum nota Sanctitatis eſt frequens Sacramentorum vſum. 490.c
Peregrinorũ afflictiones, & corporis labores Sanctitatẽ indicant. 491.a
Peregrinationis modus attendendus in actis peregrinorum. 492.a
Perfectum eſt cui nihil deeſt. 17.b
Perfectio omnimoda nequit haberi in hac vita. 102.a
Perfectio euangelica in quo poſita ſit. 103.a
Perfectio eſt qualitas ex Dei gratia acquiſita. 124.d
Perfectio euangelica eſt qualitas diſtincta ab habitibus infuſis. 158.b
Perfectio diſtinguitur à perfecto, tanquam motus a termino. 100.b
Perfectio à ſtatu perfectionis diſtinguitur. 99.d
Perfectionis ſtatus duplex eſt. 418.d
Perfectionis ſtatus tria requirit ex doctrina Caietani. 104.b
Perfectio, non ſtatus perfectionis examinanda in Canonizandis. 165.b
Perfectio vitæ Chriſtianæ eſſentialiter in charitate eſt poſita. 163.a
Perfectior eſt ſtatus regularis, quam Clerici ſæcularis. 109.c
Perſeuerantia in ſtatu perfectionis nõ ſufficit ad Canonizationem. 110.b
Perſeuerantiæ munera. 265.c
Perſeuerantia eſt duplex, & quæ ſit attendenda in actis ſeruorum Dei. 363.a
Perſeuerantia in bono eſt ſignum, & nota Sanctitatis. 362.c
Perſeuerantiæ in bono ſigna, & notæ, quę ſint. 364.c
Perſonarum circumſtantiæ examinandæ in reuelationibus. 627.c
S. Petrus Cæleſtinus laudatur, quod Pontificatui renuntiauerit. 287.d
Phantaſiæ munera, & eſſentia explicatur. 619.d
Phariſæorum ieiunia damnantur à Chriſto. 305.b
Plebanatus non conſtituit hominem in ſtatu perfectionis. 107.a
Pietatis vocabulo quid ſignificetur. 330.b.
Pietas eſt pars potentialis iuſtitiæ. 250.b.
Pietas quomodo deficiat à ratione iuſtitiæ. 250.c
Pietatis actus exquirendi ſunt in Canonizandis. 251.a
Pietas, & religio, Sanctitatis ſigna ſunt in coniugata. 561.c
Pœnitentiæ frequens vſus, qualis attendendus in actis Canonizandorum. 344.b
Pœnitentiæ frequens vſus nota eſt Sãctitatis. 320.b
Pœnitentiæ Sacramentum vti propriè quis dicatur. 322.b
Pœnitentiæ Sacramentum neceſſariũ eſt adultis iam renatis. 321.b
Pontifices Sancti, & Beati appellantur. 86.d
Populorum vanæ voces de iure nullius ſunt roboris. 78.b
Populi rumor nihil confert ad effectũ Canonizationis. 88.d
Præceptum dilectionis proximi ad mortale obligat. 210.d
Prædictio multipliciter contingere poteſt. 581.d
Prædictio caſualis, quæ. 582.a

Præ-

Prædictio coniecturalis,quæ. 582.b
Prædictio ſcientifica quæ. 582.d
Prædictio magica fit arte Dæmonum. 583 a
Prælationes omnes curam animarum habentes ad reſidentiam obligant. 388.d
Prælati ex Regularibus aſſumpti,tenetur ad vota in religione emiſſa. 380 a
Præpoſitura ex ſua natura non conſtituit hominem in ſtatu perfectionis. 107.a
Prænomen dicitur,quod alicui eſt ſingulare. 24.d
Præſules ſubditorum cauſas audire, & iudicare tenentur. 389.d
Præſulum acta ex duobus capitibus cũ primis expiſcanda. 381.d
Præſules qualiter curam Eccleſiarum habere debeant. 391.a
Principis munus eſt errores, & hæreticos expellere. 403.c
Principis Sanctitatis nota, in veneratione Sacerdotum, & Religioſorũ. 404.b
Princeps ſubditorum indigentiam, tã ex proprijs, quam ex ærario ſubuenire debet. 414.b
Principis nota Sanctitatis ex eleemoſinarum largitione. 414.c
Princeps exemplo ſubditos ad pietatem excitare debet. 416.d
Princeps tenetur fidem tueri ac propagare. 400.a
Princeps ex zelo fidei primam notam Sanctitatis oſtendit. 402.a
Princeps imprimis obedientiam Summo Pontifici ſpondeat. 402.b
Princeps, & Reges ſancti aliquando dicti fuerunt. 42.a
Princeps beati aliquando dicti à Patribus. 89.d
Principium malum exemplum principatum perturbat. 406.c
Princeps pacem cum ſubditis ſeruare ſtudeat. 412.d
Principes Dei cultũ impedientes, iniuſtè regna poſſident. 236.a
Princeps non eſt Dominus bonorum ſubditorum. 413.c
Princeps pedagia, & exactiones quomodo imponere valeat. 413.c
Principibus bella gerere non licet pro arbitrio. 410.b
Proceſſus de actis ſeruorum Dei formatur ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine. 859.c
Proceſſus ſolemnitas quid requirat. 861.b
Proceſſibus, quæ ſint accidentalia. 861.d
Proceſſus apud Ethnicos fabricati in cauſa martyrij,emebantur in primitiua Eccleſia. 859.d
Proceſſus ab Ordinario fabricati, fumum non argumentum Sanctitatis præſtant. 869.d
Proceſſus initiatus, & non completus, nec fumum Sanctitatis præſtat. 862.d
Proceſſus deficiens in ſubſtantialibus, nullum indicium Sanctitatis præſtat. 864.a
Proceſſus à Iudice ſeculari fabricatus de aliquo prætenſo Dei ſeruo, nec indicium, nec fumum Sanctitatis præbet. 865.a
Proceſſus auctoritate Apoſtolica fabricati, niſi deficiant in aliquo ſubſtãtiali,efficax Sanctitatis fumum præbent. 871.a
Proceſſus negligenter in Archiuijs cõſeruati, nullum præbent Sanctitatis argumentum. 868.a
Profeſſionis regularis ſenſus explicatur. 432.b
Promiſſio eſt de intrinſeca ratione voti. 431.a
Promptitudo in aggrediendo, & ſubſtinendo, examinari debet in actibus ſeruorum Dei. 267.b
Promptitudo in actibus virtutum quæ-

quæri debet ad Canonizationem. 124. a
Prophetia eſt duplex propria, & impropria. 583.c
Prophetica manifeſtatio eſt per lumen ſupernaturale. 584.b
Prophetia proprijſſimè dicta, non poteſt ſtare cum peccato mortali. 592.a
Prophetia proprijſſimè dicta, quibus ex notis ſit cognoſcenda. 595.d
Propheta dupliciter à Deo illuſtrari poteſt. 586.a
Prophetia propriſſimè ſumpta, Sanctitatis aliquod argumentum præſtat. 589.d
Prouidentia quid ſit. 232.d
Proximus amore amicitiæ, & beneuolentiæ amandus eſt. 212.a
Publicum quid ſit. 699.a
Pudicitia quomodo à caſtitate diſtinguatur. 276.c
Pudicitiam ſeruare Sanctitatis notam præſtat in actibus Principum. 406.d
Prudenter agere tenemur, iure diuino, & naturali. 231.d
Prudentia quomodo gignatur. 239.b
Prudentiæ partes quot, & quæ ſint. 232.b
Prudentiæ partes integrantes quæ, & quot ſint. 232.d
Prudentiæ partes poteſtatiuæ, quę ſint. 233.b
Prudentia prima virtutum Cardinalium. 226.d
Prudentia triplex. 227.b
Prudentia eſt virtus in ordine ad mores. 228.d
Prudentiæ eſt noſcere circumſtantias rerum agendarum in particulari. 230.c
Prudentiæ actus examinandi in actibus ſeruorum Dei. 230.d
Prudentia politica, ſeu gubernatiua minimè neceſſaria eſt ad Sanctitatem. 234.c
Prudentiæ gubernatiuæ tot ſunt ſpecies, quot ſunt gradus gubernationis. 234.d
Prudentiæ gubernatiuæ quid inquirendum in actibus ſeruorum Dei. 234.d
Prudentiæ gubernatiuæ Summi Pontificis quid inquirendum. 235.a
Prudentia politica, in quibus reperiatur. 235.b
Prudentia gubernatiua circa quæ verſetur. 234.c
Prudentia politica circa quæ verſetur. 235.b
Prudentia œconomica circa quæ verſetur. 235.c
Prudentia œconomica in Epiſcopis inquirenda. 235.d
Prudentia gubernatiua dignior eſt prudentia particulari. 236.d
Prudentiæ actus qui ſint. 231.a
Prudentiæ actus qualiter inquirendi in actibus ſeruorum Dei. 240.a
Prudentiæ actus non æqualiter in omnibus Dei ſeruis inquirendi ſunt. 236. c
Prudentiæ actus præcipuus eſt imperare voluntati. 231.c
Prudentia heroica prudens, quis cenſeri debeat. 238.c
Puritas omnino perfecta requiritur ad Sanctitatem. 20.a

Q

QVæ exquirenda ſint in non martyre ad effectum Canonizationis. 179.b
Quæſtus omnis arcendus in Eccleſiæ edificatione. 803.d
Quid ſcire teneatur quilibet Chriſtianus. 179.a

R

RAptus quid ſit. 602.a
Raptus qua ratione ab extaſi di-

diſtinguatur. 602.c
Raptus quatuor habet cauſas. 605.c
Raptus diuerſa habet nomina apud contemplatiuos. 607.b
S. Raymundus orabat in ſecretiori parte templi. 343.c
Regem decet vxorem ducere pro bono Reipublicæ. 466.d
Regularis ſtatus, eſt perfectionis. 418.c
Regularium paupertas nõ obligat omnes pari modo. 435.b
Regularium ſtatuta diuerſa ſunt, & multiplicia. 427.c
Regularium inſtituta, & decreta non ſunt conſideranda in omnibus eodem modo. 438.a
Regularium ſtatuta nullius ſunt roboris, niſi probentur ab Apoſtolica Sede. 420.d
Regularis ſtatus in Monaſticum, & Clericalem diuiditur. 421.a
Regularis ſtatus, eſt ſtatus perfectionis acquirendæ. 419.a
Regularibus non licet excedere limites conſtitutionum abſque Superioris licentia. 455.c
Regulares ſummo gradu charitatis pollere debent. 206.c
Regularis ſtatus ab Epiſcopatu diſtinguitur. 418.d
Regulares præter vota ad alia quoque obligantur. 437.a
Regulares ſtrictioris obſeruantiæ in ſtatu perfectiori exiſtunt. 109.a
Regularium Superioribus non conceditur facultas circa Imagines, & miracula. 91.c
Regularis ſanctitas, ex omnimoda proprii inſtituti obſeruantia eſt attendenda. 438.d
Regularis ad Prælaturam aſſumptus, ad vota proprij inſtituti obligatur. 380.c
Regulares pro diuerſitate gradus, & officij conſiderandi. 429.b
Regularium acta ad Canonizationem qua ratione ſint examinanda. 430.a
Regulæ cognoſcendi, an extaſis ſit bona. 611.a
Regularum, & Conſtitutionum Regularium diſcrimen. 426.d
Regulæ dignoſcendi linguarum peritiam; an a Deo, vel à Dæmone ſit. 649.a
Rei familiaris adminiſtratio attendenda in actibus coniugat. 470.c
Religioſi nomen quid importet. 5.b
Religio quid ſit. 248.b
Religioſus quis apud Græcos. 6.a
Religioſum, ſanctum, & ſacrum ſignificatione ferè conueniunt. 3.d
Religioſi ſtatus duplex eſt finis. 419.b
Religioſus ſic dicitur à virtute Religionis. 419.b
Religio pietati eſt præponenda. 250.d
Religio eſt pars potentialis iuſtitiæ. 248.a
Religio deficit à iuſtitia, defectu æqualitatis. 248.b
Religionis ſtatus quid in communi requirat. 424.a
Religiones aliquæ vtilitatem proximi reſpiciunt. 425.a
Religionis actibus quid homo intẽdat 249.a
Religioſi ſancti interdum dicuntur. 44.d
Religioſus cæcus exiſtit ad obediendum. 442.b
Religionum vna eſt altera perfectior. 109.b
Religionum inſtitutores, prudentes cenſentur prudentia diuina. 238.b
Religio eſt virtus moralis cæteris nobilior. 250.a
Religioſo cur ſilentium deceat. 356.a
Religiones aliquæ præter tria vota, alia quoque emittunt. 447.c
Reliquiæ defunctorum venerandæ non ſunt, niſi ex auctoritate Romanæ ſedis. 91.c
Reliquiæ Sanctorum ad conſecrationem

nem Altaris requiruntur. 501.c
Reliquiæ non beatificati, in Altari poſitæ auctoritate Epiſcopi, non præſtant efficax argumentum Sanctitatis. 797.d
Reſpublica pœna, & præmio conſtabilitur. 244.d
Reuelationes aliæ internæ, aliæ externæ. 617.d
Reuelationes non præſtant efficax argumentum Sanctitatis. 622.a
Reuelationes à Dæmone prouenire, poſſunt. 622.d
Reuelationes à Deo quibus fiant. 621.a
Reuelationes interdum fiunt in ſomnis. 621.b
Reuelationes non fiunt ex meritis. 368.c
Reuelatio quando dicatur viſio. 617.b
Reuelationis veræ, quod nam ſit ſignũ. 623.d
Reuelationes ſuſpectæ, quæ ſint. 627.a
Reuelationes quomodo examinandæ in actis ſeruorum Dei. 624.a
Reuelationis veræ cognitio pertinet ad donum diſcretionis ſpirituum. 625.d
S. Rochi labores dum peregrinaretur. 491.d
Romanum Breuiarium quare ſic appellaretur. 819.d
Ritus ineptus ſanctos nõ decet. 356.c
Ritus celebrandi diuinum Officium qualis olim fuerit. 816.b
Rubricæ Martyrologij intelligentia aperitur. 857.c
Rumor quid ſit, & quomodo à fama diſtinguatur. 695.b

S

SAcerdotes ſancti appellantur. 44.b
Sacerdos non legitimè impeditus quotidie celebrare debet. 329.d
Sacrum quid dicatur. 6.d
Sacri, qui nam olim dicerentur. 10.d
Sacramenta cur à Chriſto inſtituta ſint. 319.d
Sacramenta homini neceſſaria ſunt ad ſalutem. 320.a
Sacramentorum frequentia, non æqualiter in omnibus attendenda. 320.b
Sacramentorũ vſu homo fatetur Deũ gratiæ auctorem eſſe. 249.c
Sacramenta ſunt arma Chriſtianæ militiæ. 370.a
Sacramenta in fine vitæ ſuſcepiſſe, qua ratione ſit neceſſarium. 370.c
Sacram Scripturam ſcribere, aut interpretari non omnibus conceditur. 632.d
Salus animæ, pro alterius ſalute periculis non eſt exponenda. 216.a
Salutis humanæ ratio in libertate per gratiam diuinam excitata poſita eſt. 478.b
Sanctum, Sacrum, & Religioſum ex vſu loquendi confunduntur. 4.a
Sanctum eſſe diſtinguitur ab eo quod eſt ſanctum dici. 74.d
Sanctus verè dicitur in Eccleſia, cui ab Apoſtolica Sede talis titulus conceditur. 75.b
Sancti dicebantur in primitiua Eccleſia, qui carceres pro Religione ſuſtinuiſſent. 99.b
Sancti in vltimo vitæ agone, terrena deſpiciunt, & cæleſtia appetunt. 366.a
Sanctos appellatos honoris cauſa fideles nonnulli cenſent. 24.a
Sanctorum virorum auctoritas maxima eſt ad Canonizationem. 83.c
Sanctorum, vel Sanctarum titulo, qui nam olim gauderent. 803.a
Sanctitatis vocabulo quid ſignificetur. 3.a
Sanctitatis definitio explicatur. 15.a
Sanctitatis nomen defunctis impoſitum. 54.a
Sanctitas quid requirat. 19.b

Errata		*Corrige.*
Perfectum	164.c	Perfectus
exercetur	324 a	exercentur
Tribuione	6.a	Tribulatione
Rigurosè	11.d	Rigorosè
Rei	2.d	res
	157.d	*adde* Non. lin.vlt.poſt τὸ prius
	185.d	*adde* Non. lin.*ad animum*
iſte	272.d	iſtius, vel iſte
ſtuderint	300.d	ſtuduerint
Viſitionibus	364.b	viſionibus
Bonifacius ſ.	199.a	Bonifacius VIII.
perficiat	261.a	perficit
Chricti	32.a	Chriſti
conſiſtit	19.d	conſiſtit
aduenissent	27.b	aduenissent
enocleemus	607.a	enucleamus
ſerno	609.c	ſermo
axceſſitus	610.c	exceſſibus
Theoligis	624.a	Theologis
Homimines	632 d	Homines
propius	646.d	proprius
	341.a	horæ poſt τὸ *matutinæ*
Eccleſiam	459.a	Eccleſia
tollerendi	453 b	tollerandi
vtili	488.c	vniuerſali
moribus	693.a	morbus
Boroggius	721.d	Baronius
culta	762.c	cultu
frater	777.c	fratres
	810 c	*deme* in
eiſiatam	849.a	eiuratum
adpellantur	840.c	appellantur
duorentur	847.a	decorentur
reſpontis	860.a	reſponſis
	818.a	*adde* tum in fine lineæ
Canouiratinnis	827.c	Canonizationis
Rozuedi	837.b	Roſuueydi
tandam	863.a	tandem.

Sanctitatis nota ex perfectione vitæ attendenda. 124.c
Sanctitatis vocabulum, ac hodie in eadem ſignificatione primis Eccleſiæ temporibus ſumebatur. 60.a
Sanctitas creaturarum, eſt Sanctitas participata, & per accidens. 42.a
Sanctitas quæ ratione à ſanguine dicatur. 43.a
Sanctitatis nomen ſolis iuſtis iure cōpetit. 59.d
Sanctitatis titulus aliter Deo, aliter creaturis competit. 38.a
Sanctitas aliquando iuſtitia appellatur. 255.b
Sanctitas ex actibus omnibus iuſtitiæ collectiuè ſumptis hauritur. 255.c
Sanctitatis, & Beatitatis vocabula ſunt quaſi ſynonima. 43.d
Sanctitatis ſumus ab argumento Sanctitatis diſtinguitur. 784.c
Sanctitatis ſumus quid ſit. 785.b
Sanctitatis denominatio extrinſeca inniti debet actibus virtutum. 77.a
Sanctitatis vocabulum verè, & propriè tribuitur his, qui Dei viſione fruuntur. 52.c
Sanctitatis argumentum efficax, à cœmeterijs ſacris in cryptis arenarijs ſumi non debet. 670.d
Sanctitatis titulus, qui virtutibus non innitatur, nullum præſtat argumentum in Eccleſia. 76.c
Sanctitatis argumentum validum ex actibus iuridicis virtutum ſumitur. 92.c
Sanctitatis argumentum, aut ſumus, non ab vno tantum teſte habetur. 786.c
Sanctitatis ſigna in Eccleſia, quę nam eſſe debeant. 395.d
Sanctitas non plene probatur ex Altaribus ad honorem alicuius defuncti erectis. 793.c
Sanctitatis argumentum efficax, actus miſericordiæ præſtant. 224.c
Sanctitatis indicium non præſtat priuata alicuius auctoritas. 847.d
Sanctitatis titulus fuit, & eſt dignitatis in Eccleſia. 76.a
Sanctitatis argumentum, quale hauriatur ex Breuiarijs. 827.d
Sanctitatis titulo carens ad Martyrologium non pertinet. 848.a
Sanctitatis nota ex recta bonorum adminiſtratione quomodo ſumenda ſit. 414.a
Sanctitatis argumenta ſumuntur ex actibus cum omni peccato pugnātibus. 605.b
Sanctitatis argumentum ex frequentia orationis arduum eſt haurire. 335.d
Sanctitas vera ex charitate attendi debet. 225.c
Sanctitatis notæ in actibus Monialis, quę ſint. 515.d
Sanctitas quos actus bonos requirat. 121.d
Sanctitatis vocabulo inſigniti Imperatores Ethnici aliquando, ac etiam Hæretici. 663.d
Sanctitatis titulus, cum aliquo genere cultus, ſumum præſtat ad Canonizationem. 97.c
Sanctitas Regularium ex triplici capite inquirenda, 437.d
Sancti, ac Beati vocabula non ſunt propriè ſynonima. 98.b
Sancti interdum dicuntur Imperatores, & Eccleſiæ Præſules etiam dum viuunt. 53.b
Sanctos nō licet ſine Sacramentis diē claudere, dum poſſunt. 370.b
Sancti in fine vitæ conſolari ſolent ſuperſtes. 373.b
Sanctorum vita, & mors in exemplum fidelibus proponitur ab Eccleſia. 371.b
Sanctorum exhortationes ad Chriſtianam perfectionem, Sanctitatis ſigna ſunt. 374.b
Sancti in Eccleſia Dij dici poſſunt, ſed

actiones ſecundum rectam rationem. 268.b
Virtutum habitibus, & actibus onuſti titulo Sanctitatis decorantur. 138.a
Virtus aliquando alicui dat agnomen. 28.a
Viri ſancti, & docti nec ſeipſos, nec alios decipiunt in Sanctitatis alterius appellatione. 83.c
Viri ſancti ſi acta aliorum ſeruorum Dei ſi ſcripſerint, validũ Sanctitatis argumentum præbent. 882.d
Viris defunctis dignitatis, ac muneris de cauſa Beatitatis titulus aliquando tribuitur. 85.d
Viſio vnde dicatur. 616.a
Viſio duplex genus notitiæ in nobis gignit. 620.b
Viſionis, & reuelationis diſcrimen. 618.a
Viſio à prophetia, qua ratione diſtinguatur. 617.b
Viſus qua ratione moderari indigeat. 272.b
Vita pro alterius animæ ſalute periculis eſt exponenda. 216.b
Violentum, quid ſit oſtenditur. 602.c
Vocabuli ethimologia rei naturam explicat. 2.c
Voluntatis, & intellectus connexio oſtenditur. 18.a
Voluntas, & intellectus ad opus bonum requiruntur. 19.a
Voluntas poteſt eſſe pura in actu, cum macula in intellectu. 18.a
Voluptates corporeæ ſunt aliæ, alijs vehementiores. 272.b
Voluntas non patitur raptum per ſe, ſed per accidens. 604.d
Vota eſſentialia regularium conſideranda in actis ipſorum. 430.b
Voto præſertim religionis homo Deo ſubijcitur pro bonis internis. 249.b
Vota regularium cuiuſcunque generis attendenda in Canonizatione. 442.a
Vualdenſes hæretici vnde dicti, & qui fuerint. 291.c

Z

ZElus animarum, ex quibus hauriendus in Canonizatione Epiſcoporum. 388.c

FINIS.

Sanctitatis nota ex perfectione vitæ attendenda. 124.c

Sanctitatis vocabulum, ac hodie in eadem ſignificatione primis Eccleſiæ temporibus ſumebatur. 60.a

Sanctitas creaturarum, eſt Sanctitas participata, & per accidens. 42.a

Sanctitas quâ ratione à ſanguine dicatur. 43.a

Sanctitatis nomen ſolis iuſtis iure competit. 55.d

Sanctitatis titulus aliter Deo, aliter creaturis competit. 38.a

Sanctitas aliquando iuſtitia appellatur. 255.b

Sanctitas ex actibus omnibus iuſtitiæ collectiuè ſumptis hauritur. 255.c

Sanctitatis, & Beatitatis vocabula ſunt quaſi ſynonima. 43.d

Sanctitatis ſumus ab argumento Sanctitatis diſtinguitur. 784.c

Sanctitatis ſumus quid ſit. 785.b

Sanctitatis denominatio extrinſeca inniti debet actibus virtutum. 77.a

Sanctitatis vocabulum verè, & propriè tribuitur his, qui Dei viſione fruuntur. 52.c

Sanctitatis argumentum efficax, à cœmeterijs ſacris in cryptis arenarijs ſumi non debet. 670.d

Sanctitatis titulus, qui virtutibus non innitatur, nullum præſtat argumentum in Eccleſia. 76.c

Sanctitatis argumentum validum ex actibus iuridicis virtutum ſumitur. 92.c

Sanctitatis argumentum, aut ſumus, non ab vno tantum teſte habetur. 786.c

Sanctitatis ſigna in Eccleſia, quę nam eſſe debeant. 395.d

Sanctitas non plene probatur ex Altaribus ad honorem alicuius defuncti erectis. 793.c

Sanctitatis argumentum efficax, actus miſericordiæ præſtant. 224.c

Sanctitatis indicium non præſtat priuata alicuius auctoritas. 847.d

Sanctitatis titulus fuit, & eſt dignitatis in Eccleſia. 76.a

Sanctitatis argumentum, quale hauriatur ex Breuiarijs. 827.d

Sanctitatis titulo carens ad Martyrologium non pertinet. 848.a

Sanctitatis nota ex recta bonorum adminiſtratione quomodo ſumenda ſit. 414.a

Sanctitatis argumenta ſumuntur ex actibus cum omni peccato pugnantibus. 605.b

Sanctitatis argumentum ex frequentia orationis arduum eſt haurire. 335.d

Sanctitas vera ex charitate attendi debet. 225.c

Sanctitatis notæ in actibus Monialis, quę ſint. 515.d

Sanctitas quos actus bonos requirat. 121.d

Sanctitatis vocabulo inſigniti Imperatores Ethnici aliquando, ac etiam Hæretici. 663.d

Sanctitatis titulus, cum aliquo genere cultus, ſumum præſtat ad Canonizationem. 97.c

Sanctitas Regularium ex triplici capite inquirenda, 437.d

Sancti, ac Beati vocabula non ſunt propriè ſynonima. 98.b

Sancti interdum dicuntur Imperatores, & Eccleſiæ Præſules etiam dum viuunt. 53.b

Sanctos nō licet ſine Sacramentis diē claudere, dum poſſunt. 370.b

Sancti in fine vitæ conſolari ſolent ſuperſtes. 373.b

Sanctorum vita, & mors in exemplum fidelibus proponitur ab Eccleſia. 371.b

Sanctorum exhortationes ad Chriſtianam perfectionem, Sanctitatis ſigna ſunt. 374.b

Sancti in Eccleſia Dij dici poſſunt, ſed

actiones ſecundum rectam rationem. 268.b
Virtutum habitibus, & actibus onuſti titulo Sanctitatis decorantur. 138.a
Virtus aliquando alicui dat agnomen. 28.a
Viri ſancti, & docti nec ſeipſos, nec alios decipiunt in Sanctitatis alterius appellatione. 83.c
Viri ſancti ſi acta aliorum ſeruorum Dei ſi ſcripſerint, validũ Sanctitatis argumentum præbent. 882.d
Viris defunctis dignitatis, ac muneris de cauſa Beatitatis titulus aliquando tribuitur. 85.d
Viſio vnde dicatur. 616.a
Viſio duplex genus notitiæ in nobis gignit. 620.b
Viſionis, & reuelationis diſcrimen. 618.a
Viſio à prophetia, qua ratione diſtinguatur. 617.b
Viſus qua ratione moderati indigeat. 272.b
Vita pro alterius animæ ſalute periculis eſt exponenda. 216.b
Violentum, quid ſit oſtenditur. 602.c
Vocabuli ethimologia rei naturam explicat. 2.c
Voluntatis, & intellectus connexio oſtenditur. 18.a
Voluntas, & intellectus ad opus bonum requiruntur. 19.a
Voluntas poteſt eſſe pura in actu, cum macula in intellectu. 18.a
Voluptates corporeæ ſunt aliæ, alijs vehementiores. 272.b
Voluntas non patitur raptum per ſe, ſed per accidens. 604.d
Vota eſſentialia regularium conſideranda in actis ipſorum. 430.b
Voto præſertim religionis homo Deo ſubijcitur pro bonis internis. 249.b
Vota regularium cuiuſcunque generis attendenda in Canonizatione. 442.a
Vualdenſes hæretici vnde dicti, & qui fuerint. 291.c

Z

ZElus animarum, ex quibus hauriendus in Canonizatione Epiſcoporum. 388.c

FINIS.

Sanctitatis nota ex perfectione vitæ attendenda. 124.c
Sanctitatis vocabulum, ac hodie in eadem ſignificatione primis Eccleſiæ temporibus ſumebatur. 60.a
Sanctitas creaturarum, eſt Sanctitas participata, & per accidens. 42.a
Sanctitas qua ratione à ſanguine dicatur. 43.a
Sanctitatis nomen ſolis iuſtis iure cōpetit. 55.d
Sanctitatis titulus aliter Deo, aliter creaturis competit. 38.a
Sanctitas aliquando iuſtitia appellatur. 255.b
Sanctitas ex actibus omnibus iuſtitiæ collectiuè ſumptis hauritur. 255.c
Sanctitatis, & Beatitatis vocabula ſunt quaſi ſynonima. 43.d
Sanctitatis fumus ab argumento Sanctitatis diſtinguitur. 784.c
Sanctitatis fumus quid ſit. 785.b
Sanctitatis denominatio extrinſeca inniti debet actibus virtutum. 77.a
Sanctitatis vocabulum verè, & propriè tribuitur his, qui Dei viſione fruuntur. 52.c
Sanctitatis argumentum efficax, à cœmeterijs ſacris in cryptis arenarijs ſumi non debet. 670.d
Sanctitatis titulus, qui virtutibus non innitatur, nullum præſtat argumentum in Eccleſia. 76.c
Sanctitatis argumentum validum ex actibus iuridicis virtutum ſumitur. 92.c
Sanctitatis argumentum, aut fumus, non ab vno tantum teſte habetur. 786.c
Sanctitatis ſigna in Eccleſia, quę nam eſſe debeant. 395.d
Sanctitas non plene probatur ex Altaribus ad honorem alicuius defuncti erectis. 793.c
Sanctitatis argumentum efficax, actus miſericordiæ præſtant. 224.c
Sanctitatis indicium non præſtat priuata alicuius auctoritas. 847.d
Sanctitatis titulus fuit, & eſt dignitatis in Eccleſia. 76.a
Sanctitatis argumentum, quale hauriatur ex Breuiarijs. 827.d
Sanctitatis titulo carens ad Martyrologium non pertinet. 848.a
Sanctitatis nota ex recta bonorum adminiſtratione quomodo ſumenda ſit. 414.a
Sanctitatis argumenta ſumuntur ex actibus cum omni peccato pugnātibus. 605.b
Sanctitatis argumentum ex frequentia orationis arduum eſt haurire. 335.d
Sanctitas vera ex charitate attendi debet. 225.c
Sanctitatis notæ in actibus Monialis, quę ſint. 515.d
Sanctitas quos actus bonos requirat. 121.d
Sanctitatis vocabulo inſigniti Imperatores Ethnici aliquando, ac etiam Hæretici. 663.d
Sanctitatis titulus, cum aliquo genere cultus, fumum præſtat ad Canonizationem. 97.c
Sanctitas Regularium ex triplici capite inquirenda, 437.d
Sancti, ac Beati vocabula non ſunt propriè ſynonima. 98.b
Sancti interdum dicuntur Imperatores, & Eccleſiæ Præſules etiam dum viuunt. 53.b
Sanctos nō licet ſine Sacramentis diē claudere, dum poſſunt. 370.b
Sancti in fine vitæ conſolari ſolent ſuperſtes. 373.b
Sanctorum vita, & mors in exemplum fidelibus proponitur ab Eccleſia. 371.b
Sanctorum exhortationes ad Chriſtianam perfectionem, Sanctitatis ſigna ſunt. 374.b
Sancti in Eccleſia Dij dici poſſunt, ſed

actiones ſecundum rectam rationem. 268.b
Virtutum habitibus, & actibus onuſti titulo Sanctitatis decorantur. 138.a
Virtus aliquando alicui dat agnomen. 18.a
Viri ſancti, & docti nec ſeipſos, nec alios decipiunt in Sanctitatis alterius appellatione. 83.c
Viri ſancti ſi acta aliorum ſeruorum Dei ſi ſcripſerint, validū Sanctitatis argumentum præbent. 882.d
Viris defunctis dignitatis, ac muneris de cauſa Beatitatis titulus aliquando tribuitur. 85.d
Viſio vnde dicatur. 616.a
Viſio duplex genus notitiæ in nobis gignit. 620.b
Viſionis, & reuelationis diſcrimen. 618.a
Viſio à prophetia, qua ratione diſtinguatur. 617.b
Viſus qua ratione moderati indigeat. 272.b
Vita pro alterius animæ ſalute periculis eſt exponenda. 216.b
Violentum, quid ſit oſtenditur. 602.c
Vocabuli ethimologia rei naturam explicat. 1.c
Voluntatis, & intellectus connexio oſtenditur. 18.a
Voluntas, & intellectus ad opus bonum requiruntur. 19.a
Voluntas poteſt eſſe pura in actu, cum macula in intellectu. 18.a
Voluptates corporeæ ſunt aliæ, alijs vehementiores. 272.b
Voluntas non patitur raptum per ſe, ſed per accidens. 604.d
Vota eſſentialia regularium conſideranda in actis ipſorum. 430.b
Voto præſertim religionis homo Deo ſubijcitur pro bonis internis. 249.b
Vota regularium cuiuſcunque generis attendenda in Canonizatione. 442.a
Vualdenſes hæretici vnde dicti, & qui fuerint. 291.c

Z.

ZElus animarum, ex quibus hauriendus in Canonizatione Epiſcoporum. 388.c

FINIS.

diſtinguatur. 602.c
Raptus quatuor habet cauſas. 605.c
Raptus diuerſa habet nomina apud contemplatiuos. 607.b
S. Raymundus orabat in ſecretiori parte templi. 343.c
Regem decet vxorem ducere pro bono Reipublicæ. 466.d
Regularis ſtatus, eſt perfectionis. 418.c
Regularium paupertas nõ obligat omnes pari modo. 435.b
Regularium ſtatuta diuerſa ſunt, & multiplicia. 427.c
Regularium inſtitura, & decreta non ſunt conſideranda in omnibus eodem modo. 438.a
Regularium ſtatuta nullius ſunt roboris, niſi probentur ab Apoſtolica Sede. 420.d
Regularis ſtatus in Monaſticum, & Clericalem diuiditur. 421.a
Regularis ſtatus, eſt ſtatus perfectionis acquirendæ. 419.a
Regularibus non licet excedere limites conſtitutionum abſque Superioris licentia. 455.c
Regulares ſummo gradu charitatis pollere debent. 206.c
Regularis ſtatus ab Epiſcopatu diſtinguitur. 418.d
Regulares præter vota ad alia quoque obligantur. 437.a
Regulares ſtrictioris obſeruantiæ in ſtatu perfectiori exiſtunt. 109.a
Regularium Superioribus non conceditur facultas circa Imagines, & miracula. 91.c
Regularis ſanctitas, ex omnimoda proprii inſtituti obſeruantia eſt attendenda. 438.d
Regularis ad Prælaturam aſſumptus, ad vota proprij inſtituti obligatur. 380.c
Regulares pro diuerſitate gradus, & officij conſiderandi. 429.b
Regularium acta ad Canonizationem qua ratione ſint examinanda. 430.a
Regulæ cognoſcendi, an extaſis ſit bona. 611.a
Regularum, & Conſtitutionum Regularium diſcrimen. 426.d
Regulæ dignoſcendi linguarum peritiam; an a Deo, vel à Dæmone ſit. 649.a
Rei familiaris adminiſtratio attendenda in actibus coniugat. 470.c
Religioſi nomen quid importet. 5.b
Religio quid ſit. 248.b
Religioſus quis apud Græcos. 6.a
Religioſum, ſanctum, & ſacrum ſignificatione ferè conueniunt. 3.d
Religioſi ſtatus duplex eſt finis. 419.b
Religioſus ſic dicitur à virtute Religionis. 419.b
Religio pietati eſt præponenda. 250.d
Religio eſt pars potentialis iuſtitiæ. 248.a
Religio deficit à iuſtitia, defectu æqualitatis. 248.b
Religionis ſtatus quid in communi requirat. 424.a
Religiones aliquæ vtilitatem proximi reſpiciunt. 425.a
Religionis actibus quid homo intẽdat 249.a
Religioſi ſancti interdum dicuntur. 44.d
Religioſus cæcus exiſtit ad obediendum. 442.b
Religionum vna eſt altera perfectior. 109.b
Religionum inſtitutores, prudentes cenſentur prudentia diuina. 238.b
Religio eſt virtus moralis cæteris nobilior. 250.a
Religioſo cur ſilentium deceat. 356.a
Religiones aliquæ præter tria vota, alia quoque emittunt. 447.c
Reliquiæ defunctorum venerandæ non ſunt, niſi ex auctoritate Romanæ ſedis. 91.c
Reliquiæ Sanctorum ad conſecrationem

nem

nem Altaris requiruntur. 801.c
Reliquiæ non beatificati, in Altari poſitæ auctoritate Epiſcopi, non præſtant efficax argumentum Sanctitatis. 797.d
Reſpublica pœna, & præmio conſtabilitur. 244.d
Reuelationes aliæ internæ, aliæ externæ. 617.d
Reuelationes non præſtant efficax argumentum Sanctitatis. 622.a
Reuelationes à Dæmone prouenire poſſunt. 622.d
Reuelationes à Deo quibus fiant. 621.a
Reuelationes interdum fiunt in ſomnis. 621.b
Reuelationes non fiunt ex meritis. 368.c
Reuelatio quando dicatur viſio. 617.b
Reuelationis veræ, quod nam ſit ſignũ. 623.d
Reuelationes ſuſpectæ, quæ ſint. 627.a
Reuelationes quomodo examinandæ in actis ſeruorum Dei. 624.a
Reuelationis veræ cognitio pertinet ad donum diſcretionis ſpirituum. 625.d
S. Rochi labores dum peregrinaretur. 491.d
Romanum Breuiarium quare ſic appellatetur. 819.d
Ritus ineptus ſanctos nõ decet. 356.c
Ritus celebrandi diuinum Officium qualis olim fuerit. 816.b
Rubricæ Martyrologij intelligentia apetitur. 857.c
Rumor quid ſit, & quomodo à fama diſtinguatur. 695.b

S

Sacerdotes ſancti appellantur. 44.b
Sacerdos non legitimè impeditus quotidie celebrare debet. 329.d
Sacrum quid dicatur. 6.d
Sacri, qui nam olim dicerentur. 10.d
Sacramenta cur à Christo inſtituta ſint. 319.d
Sacramenta homini neceſſaria ſunt ad ſalutem. 320.a
Sacramentorum frequentia, non æqualiter in omnibus attendenda. 320.b
Sacramentorũ vſu homo fatetur Deũ gratiæ auctorem eſſe. 249.c
Sacramenta ſunt arma Christianæ militiæ. 370.a
Sacramenta in fine vitæ ſuſcepiſſe, qua ratione ſit neceſſarium. 370.c
Sacram Scripturam ſcribere, aut interpretari non omnibus conceditur. 632.d
Salus animæ, pro alterius ſalute periculis non eſt exponenda. 216.a
Salutis humanæ ratio in libertate per gratiam diuinam excitata poſita eſt. 478.b
Sanctum, Sacrum, & Religioſum ex vſu loquendi confunduntur. 4.a
Sanctum eſſe diſtinguitur ab eo quod eſt ſanctum dici. 74.d
Sanctus verè dicitur in Eccleſia, cui ab Apoſtolica Sede talis titulus conceditur. 75.b
Sancti dicebantur in primitiua Eccleſia, qui carceres pro Religione ſuſtinuiſſent. 99.b
Sancti in vltimo vitæ agone, terrena deſpiciunt, & cæleſtia appetunt. 366.a
Sanctos appellatos honoris cauſa fideles nonnulli cenſent. 24.a
Sanctorum virorum auctoritas maxima eſt ad Canonizationem. 83.c
Sanctorum, vel Sanctarum titulo, qui nam olim gauderent. 803.a
Sanctitatis vocabulo quid ſignificetur. 3.a
Sanctitatis definitio explicatur. 15.a
Sanctitatis nomen defunctis impoſitum. 54.a
Sanctitas quid requirat. 19.b

Sanctitatis nota ex perfectione vitæ attendenda. 124.c

Sanctitatis vocabulum, ac hodie in eadem ſignificatione primis Eccleſiæ temporibus ſumebatur. 60.a

Sanctitas creaturarum, eſt Sanctitas participata, & per accidens. 42.a

Sanctitas quaſi [illegible]tatione à ſanguine dicatur. 43.a

Sanctitatis nomen ſolis iuſtis iure cōpetit. 59.d

Sanctitatis titulus aliter Deo, aliter creaturis competit. 38.a

Sanctitas aliquando iuſtitia appellatur. 255.b

Sanctitas ex actibus omnibus iuſtitiæ collectiuè ſumptis hauritur. 255.c

Sanctitatis, & Beatitatis vocabula ſunt quaſi ſynonima. 43.d

Sanctitatis fumus ab argumento Sanctitatis diſtinguitur. 784.c

Sanctitatis fumus quid ſit. 785.b

Sanctitatis denominatio extrinſeca inniti debet actibus virtutum. 77.a

Sanctitatis vocabulum verè, & propriè tribuitur his, qui Dei viſione fruuntur. 52.c

Sanctitatis argumentum efficax, à cœmeterijs ſacris in cryptis arenarijs ſumi non debet. 670.d

Sanctitatis titulus, qui virtutibus non innitatur, nullum præſtat argumentum in Eccleſia. 76.c

Sanctitatis argumentum validum ex actibus iuridicis virtutum ſumitur. 92.c

Sanctitatis argumentum, aut fumus, non ab vno tantum teſte habetur. 786.c

Sanctitatis ſigna in Eccleſia, quę nam eſſe debeant. 395.d

Sanctitas non plene probatur ex Altaribus ad honorem alicuius defuncti erectis. 793.c

Sanctitatis argumentum efficax, actus miſericordiæ præſtant. 224.c

Sanctitatis indicium non præſtat priuata alicuius auctoritas. 847.d

Sanctitatis titulus fuit, & eſt dignitatis in Eccleſia. 76.c

Sanctitatis argumentum, quale hauriatur ex Breuiarijs. 827.d

Sanctitatis titulo carens ad Martyrologium non pertinet. 848.a

Sanctitatis nota ex recta bonorum adminiſtratione quomodo ſumenda ſit. 414.a

Sanctitatis argumenta ſumuntur ex actibus cum omni peccato pugnātibus. 605.b

Sanctitatis argumentum ex frequentia orationis arduum eſt haurire. 335.d

Sanctitas vera ex charitate attendi debet. 225.c

Sanctitatis notæ in actibus Monialis, quę ſint. 515.d

Sanctitas quos actus bonos requirat. 121.d

Sanctitatis vocabulo inſigniti Imperatores Ethnici aliquando, ac etiam Hæretici. 663.d

Sanctitatis titulus, cum aliquo genere cultus, fumum præſtat ad Canonizationem. 97.c

Sanctitas Regularium ex triplici capite inquirenda, 437.d

Sancti, ac Beati vocabula non ſunt propriè ſynonima. 98.b

Sancti interdum dicuntur Imperatores, & Eccleſiæ Præſules etiam dum viuunt. 53.b

Sanctos nō licet ſine Sacramentis diē claudere, dum poſſunt. 370.b

Sancti in fine vitæ conſolari ſolent ſuperſtes. 373.b

Sanctorum vita, & mors in exemplum fidelibus proponitur ab Eccleſia. 371.b

Sanctorum exhortationes ad Chriſtianam perfectionem, Sanctitatis ſigna ſunt. 374.b

Sancti in Eccleſia Dij dici poſſunt, ſed

actiones ſecundum rectam rationem. 268.b
Virtutum habitibus, & actibus onuſti titulo Sanctitatis decorantur. 138.a
Virtus aliquando alicui dat agnomen. 28.a
Viri ſancti, & docti nec ſeipſos, nec alios decipiunt in Sanctitatis alterius appellatione. 83.c
Viri ſancti ſi acta aliorum ſeruorum Dei ſi ſcripſerint, validũ Sanctitatis argumentum præbent. 882.d
Viris defunctis dignitatis, ac muneris de cauſa Beatitatis titulus aliquando tribuitur. 85.d
Viſio vnde dicatur. 616.a
Viſio duplex genus notitiæ in nobis gignit. 620.b
Viſionis, & reuelationis diſcrimen. 618.a
Viſio à prophetia, qua ratione diſtinguatur. 617.b
Viſus qua ratione moderari indigeat. 272.b
Vita pro alterius animæ ſalute periculis eſt exponenda. 216.b
Violentum, quid ſit oſtenditur. 602.c
Vocabuli ethimologia rei naturam explicat. 2.c
Voluntatis, & intellectus connexio oſtenditur. 18.a
Voluntas, & intellectus ad opus bonum requiruntur. 19.a
Voluntas poteſt eſſe pura in actu, cum macula in intellectu. 18.a
Voluptates corporeæ ſunt aliæ, alijs vehementiores. 272.b
Voluntas non patitur raptum per ſe, ſed per accidens. 604.d
Vota eſſentialia regularium conſiderãnda in actis ipſorum. 430.b
Voto præſertim religionis homo Deo ſubijcitur pro bonis internis. 249.b
Vota regularium cuiuſcunque generis attendenda in Canonizatione. 442.a
Vualdenſes hæretici vnde dicti, & qui fuerint. 291.c

Z

ZElus animarum, ex quibus hauriendus in Canonizatione Epiſcoporum. 388.c

FINIS.

Errata		Corrige.
Perfectum	164.c	Perfectus
exercetur	324 a	exercentur
Tribuione	6.a	Tribulatione
Rigurose	31.d	Rigoroſe
Rei	2.d	res
	257.d	*adde* Non. lin.vlt.poſt τὸ prius
	285.d	*adde* Non. lin.*ad annum*
iſte	272.d	iſtius,vel iſte
ſtuderint	300.d	ſtuduerint
Viſiionibus	364.b	viſionibus
Bonifacius ſ.	299 a	Bonifacius VIII.
perficiat	261.a	perficit
Chricti	32.a	Chriſti
conſiſtit	19.d	conſiſtit
aduenifſenr	27.b	aduenifſent
enocleemus	607.a	enucleamus
ſerno	609.c	ſermo
axceſſitus	610.c	exceſſibus
Theoligis	624.a	Theologis
Homimines	632 d	Homines
propius	646.d	propeius
	341.a	horæ poſt τὸ *matutinæ*
Eccleſiam	459.a	Eccleſia
tollerendi	453 b	tollerandi
vtili	488.c	vniuerſali
moribus	693.a	morbus
Boroggius	721.d	Baronius
culta	762.c	cultu
frater	777.c	fratres
	810 c	*deme* in
ciuatam	849.a	ciuitatem
adpellantur	840.c	appellantur
duorentur	847.a	decorentur
reſpontis	860.a	reſponſis
	818.a	*adde* tum in fine lineæ
Canouizatinnis	827.c	Canonizationis
Rozuedi	837.b	Roſuueydi
tandam	863.a	tandem.